BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XVII
E
4
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

HUGONIS GROTII
DE
JURE BELLI AC PACIS
LIBRI TRES,

In quibus Jus Naturæ & Gentium, item Juris Publici præcipua explicantur.

CUM COMMENTARIIS

GULIELMI VANDER MUELEN,

Domini d'Oudt-Brouckhuyſen, Decani D. Mariæ, Aggerum, qui inferiorem Leccæ partem coërcent, Præfecti; &c.

ACCEDUNT

Et Auctoris Annotata, ex poſtrema ejus ante obitum cura; & Joan Fred. Gronovii Notæ in totum opus.

TOMUS TERTIUS.



AMSTELÆDAMI,
Apud JANSSONIO-WAESBERGIOS & WETSTENIOS.
cIↄ Iↄ CCIV.
Cum Privilegio Illuſtr. & Præp. Ordd. Hollandiæ & Weſtfriſiæ.

PRÆFATIO.

TAndem adſpirante labori noſtro ſummo Numine, commentationem paucis abhinc annis ſuſceptam, confecimus & abſolvimus. Gratulor mihi de ſumma cuncta moderantis erga me benevolentia, quod & vitam & valetudinem & otium, divina equidem munera, mihi largitus fuerit, quæ niſi cumulatim in me contuliſſet Omnipotens, nulla mihi ſpes reliqua fuiſſet aliquando ad exitum perducendi, in ſummi & ſine exemplo Viri HUGONIS GROTII *de Jure Belli & Pacis* eruditiſſimum opus, commentaria. Rerum enim uſus docet, quam breve ſæpe vitæ ſpatium & exiguum curriculum, quam incertum, quot quantiſque mutationibus expoſitum, quibus tanquam navis maris procelloſi fluctibus huc illuc jactamur, & ſæpius a ſcopo & fine tanquam a portu, ad quem tendimus, abducimur. Alii valetudine imbecilli ſtudiis incumbere, & præclaro aliquo opere memoriam ſui quam maxime longam efficere, ſumma cum animi ægritudine impediuntur. Nonnunquam temporum iniquitas & acerba fata obſiſtunt, ne Muſas colere, & honeſtis diſciplinis animum imbuere liceat. Id genus impedimenta avertit a me Omnipotens, & me voti compotem fecit; (nihil enim arduum mortalibus duce & auſpice Deo) quamobrem merito immortales me ipſi gratias debere dictat mihi tot beneficiorum ſibi conſcius animus. Non inficior Bellonam ſæpius Muſis bellum indixiſſe & ſuperiore & currente hoc ſeculo, quo nil niſi bellorum tumultus & armorum ſtrepitus exaudiuntur, longe lateque graſſatur miles, & quaſi furore atque rabie pluſquam ferina agitatus, ferro & incendiis devaſtat atque evertit poſſeſſiones, oppida, templa, nihil intactum a ſævitia & bellica violentia, ſacra juxta atque profana deripiuntur. Verum a finibus noſtris, ab aris fociſque, a natali ſolo, ab hac urbe, in qua natus, & bonis artibus excolendis operam dare mihi contigit, infeſtiſſimi & crudeliſſimi hoſtes non humana, ſed divina ope depulſi, ita ut foris quidem bellum, domi vero pax & otium, bonarum artium altrix, floreat. Suſtinenda quidem nobis graviſſima belli onera, quibus magis magiſque imminuuntur ſui cuique reditus, verum & hæc æquo animo ferenda, ſalva patria, ſalva libertate, quæ uti a majoribus accepta, ita intacta & illibata po-

ſteris relinquenda; ſalva cuique fortunarum ſuarum poſſeſſione; ſalva denique ab omnibus falſis fictiſque ceremoniis & ſuperſtitionum maculis purgatæ Religionis uſura. Facile enim cætera incommoda compenſantur harum rerum pretioſiſſimarum conſervatione & perceptione, pro quibus bonus civis ne quidem vitam ipſam profundere recuſaturus. Non temere, non juſta ſine cauſa, ſed neceſſitate coacti bellum ſuſcepimus, ut obſiſteremus improbis eorumdem conatibus, qui ſibi Orbis imperium, quaſi avitum quoddam patrimonium, vindicare per fas & nefas animum induxerunt, quamobrem regnandi gratia ſanctiſſima jura violare non erubeſcunt, quorum ab obſervantia, humanæ ſocietatis conſervatio, tum etiam commerciorum cultura, quæ genti cum gente intercedit, pendet, qua ſublata, brevi actum eſſet de genere humano. Quippe quemadmodum in ſtatu naturali tum etiam civili, homo hominis ope indiget, ad tuendam vitam, & ſeſe ſuſtentandum eo quo velit modo; adjuvare vero ſeſe invicem nequeant, niſi ſocietatis, concordiæ atque amicitiæ vinculo ſibi jungantur, & quaſi in unum corpus coaleſcant, commutatione officiorum, & deferendo in commune quod omnium poſſet indigentiæ ac uſui inſervire, vitæque tranſigendæ rationem commodiorem ornatioremque reddere; ita etiam poſtquam humanum genus in varios cœtus & diverſas nationes diviſum, eadem neceſſitas & vitæ ratio gentem genti devincit ſibi mutuo auxilio eſſe, & commercia inter ſe exercere: cum enim non omnia omnis ferat tellus, vix commode vita tranſigi poteſt ſublata commerciorum cultura; tollitur vero diſtracta diſcordiis & bellis ſocietate. Unde facile perſpici poteſt humani generis ſummopere intereſſe, ut tanquam communes hoſtes, junctis viribus coërceantur, debellentur, atque opprimantur, qui divina atque humana jura, quæ ſocietatem, amicitiam, pacem atque concordiam tuentur, longe lateque fines propagandi & regnandi gratia, pedibus obterunt, aliena animo devorant, & tanquam ſua, neſcio quo juris titulo, ſibi vindicant. Atque ubi dolus, fallacia vel calliditas injuſtam nequit præſtare poſſeſſionem, vi & armis eam ſibi acquirere ſumma ope nituntur. Cujuſmodi immoderata dominandi cupido ſi Regibus, iiſque, qui ſummæ rerum præſunt, tractandi imperii regula ac norma foret, incertæ omnes poſſeſſiones, incerta rerum dominia, verum ſingulis momentis expoſita prædæ atque invaſionibus eorum, qui plus viribus pollent. Quid futura major illa gentium ſocietas, niſi magnum latrocinium? Redibit priſcum illud ſeculum, quo vivebatur ex rapto, nec hoſpes ab hoſpite tutus erat. Quid, quæſo, fuit in cauſa, cur ſanguineus Mavors, in omnes fere terrarum plagas qua patet Orbis, arma circumferat, & ubique cruenta Bellona graſſetur, niſi tua, *Ludovice*, nullis vel naturæ vel gentium jure quaſi ſuis cancellis circumſcripta domi-

dominandi libido? quæ adeo te cepit, ut neque fidei ſanctimonia, neque jurisjurandi religio, duplex vinculum nodo Gordiano fortius, quo non homo homini duntaxat, verum conſcientia Deo quam arctiſſime alligatur, ad præſtanda & implenda, quæ fœdere, pacto vel conventione promiſſa, te avocare potuerit a doloſo & fraudulento conſilio, quod animo tuo conceperas ad eludendum & rumpendum pactum de futura ſucceſſione *Caroli II.* Hiſpaniarum Regis, cum Britannis Belgiſque pio ex voto initum, ad tollendas controverſias, qnæ ſuper tam luculenta hereditate aliquando moveri potuiſſent, & Marte arbitro dirimi ſolent. Verum latebat anguis in herba. Deo gratias agimus, quod detexerit & patefecerit conditas inſidias, & in noſtri vicinorumque interitum conflata conſilia, Patriæ noſtræ Patribus, qui, nulla interpoſita mora, tanta promtitudine, tanta ſagacitate & alacritate animi, omnia, quæ defenſioni patriæ & libertatis atque religionis inſervire poterant, parabant, ut nihil deeſſet, quod a diligentiſſimo patrefamilias pro familiæ ſuæ conſervatione ac tutela curari potuiſſet. Pangunt fœdera, muniunt urbes, conſcribunt milites, armamentaria inſtruunt; nobiſcum in belli ſocietatem coire ſollicitant Romanorum Imperatorem, Britannos alioſque Principes, quorum ſummopere intereſt ut frangantur Gallorum vires, ſi ſemetipſos in ſecuritatem aſſerere velint. Quis enim non perſpicit, nunquam pacem diuturnam futuram, niſi attritis Gallorum viribus, utpote qui iis freti, id unice intendunt, ne aliqua gens vel natio ab eorum imperio intacta vel devicta maneat; de cauſæ juſtitia parum ſolliciti, modo intentionis aciem obtineant. Sed fefellit vota eventus; obſiſtunt Gallorum machinationibus Britanni, Germanorum cordatiores Principes, Belgæ, & ſibi mutuo opem, tanquam ad commune extinguendum incendium, pollicentur, ntpote qui facile perſpiciebant, ſubactis proximis, cum acceſſione virium fortiores ad ſe tranſituros Gallos, & proximam quamque victoriam inſtrumentum ſequentis futuram. Nec caruit ſucceſſibus ſociale fœdus, contractum ad cujuſque imperii, libertatis, fortunarumque defenſionem. Stat itaque a noſtra parte cauſæ juſtitia, quæ multum valet in bello, plurimum vero apud Deum, juſtitiæ acerrimum vindicem, quamobrem non abſque ratione nobis propitium fore confidimus: bellum enim ſuſcepimus, ut in tuta pace vivere liceret, quæ omnis juſti belli finis; quamobrem & Auctor noſter concludit opus ſuum cum monitis ad pacem, tanquam finem operis ſui, quod de bello tum de pace tractat, adeo ut ſtatuat in tota belli adminiſtratione non poſſe ſecurum Deo & fidentem animum retineri, niſi ſemper in pacem proſpectet; pacem autem factam quibuſcunque legibus omnino ſervandam ob fidei ſanctimoniam, ſolliciteque cavendam non tantum perfidiam, ſed & quidquid animos exaſperat. Utinam hæc

Deus inſcriberet cordibus eorum, quorum res Chriſtiana in manu eſt, conſtantius ſeſe res humanæ haberent, neque plus hominum ferrum & arma, quam naturalis fatorum conditio raperet. Nulla enim ſalus bello, contra nomen pacis dulce eſt, & ipſa res ſalutaris, eaque non modo ii, quibus natura ſenſum dedit, ſed etiam tecta atque agri lætari videntur. Quamobrem Silius Italicus:

- - Pax optima rerum
Quas homini noviſſe datum eſt: pax una triumphis
Innumeris potior! pax cuſtodire ſalutem
Et cives æquare potens.

Similiter Prudentius:

Pax plenum virtutis opus, pax ſumma laborum
Pax belli exacti pretium eſt, pretiumque pericli;
Sidera pace vigent, conſiſtunt terrea pace;
Nil placitum ſine pace Deo, non munus ad aram.

Oro itaque Deum, pacis & belli arbitrum, ut bellum, quod hodie tot inter nationes exarſit, tantaque cum humani ſanguinis effuſione geritur, cum tuta ac diuturna pace, quam vel iniquam, bello æquiſſimo potiorem, ſcribit Tullius, commutare velit, noſtramque Rempublicam diu in pace conſervet, ejuſque tutelam ſuſcipiat adverſus omnes inimicos, ad nominis ſui gloriam, Eccleſiæ firmamentum, puriorem Religionem profitentium tutiſſimum refugium atque aſylum.

HUGO-

Digitized by Google



HUGONIS GROTII
DE JURE BELLI AC PACIS
LIBER TERTIUS.

CAPUT I.

Quantum in bello liceat, regulæ generales ex jure naturæ: ubi & de dolis & mendacio.

I. *ORdo ſequentium.*
II. *Regula prima: licere in bello qua ad finem ſunt neceſſaria: explicatur.*
III. *Secunda: jus non tantum ex principio, ſed & cauſis in bello ſubnaſcentibus ſpectari.*
IV. *Tertia quadam: conſequi ſine injuria qua ex propoſito non licerent: cui cautio additur.*
V. *Quid liceat in eos qui hoſtibus res ſubminiſtrant, per diſtinctiones explicatur.*
VI. *An dolo uti in bello liceat.*
VII. *Dolus in actu negativo per ſe non eſt illicitus.*
VIII. *Dolus in actu poſitivo diſtinguitur in eum qui fit per actus libere ſignificantes; & per actus ſignificantes velut ex conventione: & oſtenditur dolum prioris generis licitum eſſe.*
IX. *In ſecundo genere indicatur quaſtionis difficultas.*
X. *Non omnem uſurpationem locutionis qua ſciatur in alium ſenſum accipienda, eſſe illicitam.*
XI. *Mendacii qua illicitum eſt formam conſiſtere in repugnantia cum jure alterius, quod explicatur.*
XII. *Et oſtenditur licitum eſſe falſum loqui apud infames & amentes:*
XIII. *Et cum is decipitur ad quem ſermo non eſt, & quem extra ſermonem decipere liceret:*
XIV. *Et cum ſermo eſt ad eum qui velit ita decipi:*
XV. *Et cum qui loquitur utitur jure ſupereminente in ſibi ſubditum:*
XVI. *Forte & cum vitam innocentis aut par aliquid tueri aliter non poſſumus.*
XVII. *Apud hoſtes licitum falſiloquium qui ſenſerint auctores.*
XVIII. *Non extendendum hoc ad verba promittentia.*
XIX. *Nec ad juramenta.*
XX. *Generoſius tamen eſſe, ac Chriſtianæ ſimplicitati convenientius, falſiloquio in hoſtem quoque abſtinere: quod per ſimilia illuſtratur.*
XXI. *Non licere nobis quenquam impellere ad id quod nobis licet, ipſi non licet.*
XXII. *Licere tamen uti opera ultro oblata.*

I. ET qui bellum gerant, & quibus ex cauſis belligerare liceat vidimus. Sequitur expendamus quid quantumque in bello liceat, & quibus modis: quod aut nude ſpectatur, aut ex promiſſo antecedente. Nude, ex naturæ primum, deinde ex Gentium jure. Quid ergo natura liceat videamus.

Vid. de jure belli. n. 15. II. 1. Primum, ut jam ante diximus aliquoties, ea quæ ad finem ducunt in morali materia, æſtimationem intrinſecam accipiunt ab ipſo fine: quare quæ ad finem juris conſequendi ſunt neceſſaria, neceſſitate ſumpta non ſecundum Phyſicam ſubtilitatem ſed moraliter, ad ea jus habere intelligimur. Jus dico illud quod ſtricte ita dicitur, & facultatem agendi in ſolo ſocietatis reſpectu ſignificat. Quare ſi vitam aliter ſervare non poſſum, licet mihi vi qualicumque arcere eum qui eam impetit, etiamſi forte is peccato vacet, ut notavimus alibi: quia jus hoc non proprie ex peccato alterius oritur, ſed ex jure quod mihi pro me natura concedit.

Vid. de jur. bell. n. 18. & 39. & 55. 2. Quin & rem alienam ex qua certum mihi periculum imminet citra culpæ alienæ conſiderationem invadere poſſum: non tamen dominus fieri: id enim ad eum finem accommodatum non eſt: ſed cuſtodire donec ſecuritati meæ ſatis cautum ſit: quod ipſum quoque tractatum eſt à nobis alibi. *Lib. 11. c. 11. ¶. 10.* Sic rem meam quam alius detinet eripere ei naturaliter mihi jus eſt: & ſi id difficilius, aliud tantundem valens: ut & debiti conſequendi gratia: quibus ex cauſis dominium quoque ſequitur, quin alio modo læſa æqualitas reparari nequit.

Silv. in verbo bellum. p. 1. n. 10. prima. 3. Sic ubi juſta eſt punitio, juſta etiam vis omnis ſine qua ad pœnam veniri non poteſt: & omne quod pœnæ pars eſt, ut rerum corruptio per incendium aut aliter, intra juſtum ſcilicet & qui peccato reſpondeat modum.

COMMENTARIUS.

EGimus de perſonis, qui belli gerendi poteſtatem habent, quales ſunt, qui nullum ſuperiorem agnoſcunt, & proinde ſibi jus dicunt, tum etiam de cauſis, quæ belli ſuſcipiendi facultatem tribuunt: quamvis enim quiſque ſui juris in ſtatu naturali conſtitutus nullum habens ſuperiorem judicem, in quo conſtituti Reges ac Principes, & iis parem poteſtatem habentibus, habent libertatem faciendi quæ velint, attamen hæc facultas non eſt infinita, ut alibi annotavimus, ſed circumſcripta legibus naturalibus, unde non latius ſeſe extendit quam jus ac fas permittit; quamobrem non habere videtur belli gerendi facultatem, qui non habet juſtam belli inferendi cauſam, ubi hæc non ſubeſt, deficit quoque facultas belli ſuſcipiendi. Quippe, ut alibi annotavimus, quæ facta lædunt pietatem, juſtitiam, & contra bonos mores ſunt, nec facere nos poſſe credendum. Aliud eſt aliquid de facto in actum deducere, & aliud eſt de jure aliquid agere. Quæ vetita, ea faciendi nemini facultas competit; quippe eo ipſo quod vetantur, eripitur facultas ea faciendi; omnia autem injuſta per ſe & illicita & proinde agere vetita, quæ repugnant juri naturali vel civili. Circumſcribitur itaque hiſce cancellis libertas naturalis, quæ homini facultatem tribuit ea agendi & ſuſcipiendi quæ velit; verum cum non ſufficiat ad bellum juſte gerendum, quod ſuſceptum ab eo, qui belli gerendi poteſtatem habet, nec etiam quod ſit juſta ex cauſa illatum, ſed oportet quoque ut omnes actus, qui occaſione belli gerendi & perficiendi ſuſcipiuntur, cum juſtitia conveniant, quam in ſtatu belli obſervandam dictat ratio. Videndum itaque quantum in bello liceat, & quibus modis. Quos Auctor conſiderat prout vel nude, nulla interveniente pactione vel conventione, quæ aliquando ampliorem facultatem agendi concederet, quam competeret jure ſuo utenti, aliquando multum detrahit naturali agendi libertati, ex ſola *natura* primum, deinde *gentium lege*, neceſſitate humana exigente, tacito conſenſu gentium introducta ex eodem fonte & principio, unde naturæ jus, profluente, ſcilicet rationis dictamine, vid. quæ annotavimus *lib.* 1. *cap.* 1. §. 14. ſeſe habent; vel quatenus accedente promiſſo, hoſtibus facto, quod agendi legem & regulam præſcribit promittenti, ſcilicet, ne aliter agat quam promiſſione definitum. In omnibus verum negotiis & actibus humanis illud ſibi locum vindicat axioma, quod qui jus habet ad conſequendum finem etiam facultatem habet ea adhibendi media, quæ ad finem

nem conſequendum ſunt neceſſaria, cujuſmodi media in morali materia æſtimationem intrinſecam accipiunt ab ipſo fine, ut inquit Auctor; verum mihi dicendum potius videtur æſtimationem accipere a neceſſitate; neceſſitas, quæ omnem legem frangit, ea, quæ per ſe illicita, & proinde facere non poſſumus, aliquando licita efficit, & nobis jus tribuit ad facienda, quæ abſque præſenti neceſſitate facere nefas eſſet. Poſſet enim aliquando finis obtineri per diverſi generis media; ad bonum finem conſequendum mala quandoque poſſent adhiberi media. Finis bonus etiam bonis & juſtis mediis conſequi debet; juſta autem media non ſolum ea, quæ fini conſequendo inſervire poſſunt, verum quæ neceſſario etiam inſervire debent. Juſta neceſſitas reddit juſtum, quicquid ea exigente ſuſcipitur in quacunque cauſa & ob qualecunque negotium, ſive publicum ſive privatum, uti annotavimus *lib.* 2. *cap.* 2. §. 10. Jus habeo ad me tuendum & conſervandum ab interitu; ergo etiam jus habeo ad media, quæ huic fini inſerviunt. Fruſtra enim jus ad finem habet, cui jus ad media neceſſaria denegatur, unde conſequens eſt, cum unuſquiſque ſe conſervandi jus habeat, ut etiam habeat utendi omnibus mediis & agendi omnem actionem, ſine qua conſervare ſe non poteſt. Quænam autem media neceſſaria ſint ad conſervationem vitæ & membrorum ſuorum, quiſque dijudicare debet, Hobeſ. *cap.* 1. §. 8. *de cive*. Sed forte quis me invadit, & in vitæ diſcrimen ſuo impetu adducit, quod evitare non poſſum, niſi interempto adverſario, utique tanquam medium neceſſarium licet mihi invaſorem qualicunque vi arcere, imo e medio tollere, ſin nulla alia reliqua expediendæ ſalutis ratio, etiamſi peccato vacuus, qui me impetit, uti miles vel ſubjectus Principis aut populi, quicum in ſtatu belli vivimus; eſt enim ſui conſervandi medium neceſſarium, & proinde illud adhibere jure poſſum. Verum quid ſi injuſte invaſus vitæ tuendæ cauſa adverſarium quidem qualicunque vi arcere poſſim, tanquam medium fini conſequendo inſerviens illud adhibendi mihi facultas conceſſa videri debet, imo vero ſi neceſſarium, id eſt, ſi nullum aliud expediendæ ſalutis medium ratio ſuppeditet, quod examinandum, præſertim quoties actus, cum ſocii læſione conjunctus, atque proinde jura ſocietatis humanæ & cognationis naturalis violare videtur; ejuſmodi enim actus tanquam medium juſti naturam non induit, niſi neceſſitate exigente quaſi extortus. Quamobrem ſi fuga mihi poſſum conſulere, & alia ad manum ſunt remedia, quibus me abſque tam gravi damno & læſione proximi in ſecuritatem aſſerere valeo, utique non poſſum jure uti violentis, quamvis ad finem bonum & juſtum, qualis eſt conſervatio mei ipſius, obtinendum, adhibeantur, quia ceſſat neceſſitas. Quamobrem juſte demum eum agere annotavimus *dict. loc.* qui eodem modo, quo agit, neceſſum habet, unde ſequitur eorum, quæ in morali materia ad finem ducunt, æſtimationem intrinſecam non tam ab ipſo fine, cui conſequendo inſervire poſſunt, quam ex neceſſitate ſive neceſſaria eum finis conſecutione habent connexionem. Hinc colligere eſt, quomodo qui bellum pium gerit, habet facultatem ſive jus occupandi locum, qui ſitus eſt in ſolo pacato, id eſt, tertii alicujus vici, qui neutri belligerantium favet vel opituletur, ob periculum imminens, non imaginarium & fictum, ſed certum evitandum, neceſſitate exigente, vid. quæ commentati ſumus *lib.* 2. *cap.* 2. §. 10.

III. Sciendum ſecundo eſt; jus noſtrum non ex ſolo belli principio ſpectandum, ſed & ex cauſis ſubnaſcentibus, ſicut & in judiciis poſt litem conteſtatam jus ſæpe parti novum paritur. Sic qui ſe aggregant me impetenti, ſive ſocii ſive ſubditi, in ſe quoque jus tuendi me mihi porrigunt. Sic qui bello ſe miſcent quod injuſtum eſt, præſertim ſi ipſi id injuſtum eſſe ſcire poſſunt ac debent, obligant ſe ad ſumptus & damna reſarcienda, quia culpa damnum dant. Sic qui bello ſine probabili ratione ſuſcepto accedunt, ipſi quoque pœnæ meritum contrahunt, pro ratione injuſtitiæ quæ ipſorum actui ineſt. Ita Plato probat bellum μέχρι οὗ ἂν οἱ αἴτιοι ἀναγκασθῶσιν ὑπὸ τῶν ἀναιτίων ἀλγούντων δοῦναι δίκην, *donec hi qui ſontes ſunt cogantur inſontibus malo affectis pœnas dare.*

COMMENTARIUS.

NOn ſolum me adverſus illum, qui directe me invadit, vel juris mei injuſtus eſt poſſeſſor, tueri vi & armis poſſum, tum etiam damni dati & injuriæ reparationem exigere, verum idem mihi jus competit erga adverſarii mei ſocios ſive ſubditos, tanquam acceſſoria ſui principalis, cujus generis omnes cauſæ ſubnaſcentes, quæ mihi occaſione belli ſuſcepti damnum inferre poſſunt, a parte adverſa eas omnes avertere poſſum, vi & armis tum etiam damni repa-

reparationem & compenſationem petere non ſolum ab eo, qui eſt cauſa principalis cur mei defenſionem ſuſcipere neceſſum habuerim, adverſum injuſtam invaſionem & impetum mei aggreſſoris, præſertim, ſi ipſe id injuſtum eſſe ſcire poteſt vel debet, ſibi imputet, quod ſe immiſcuerit bello injuſto temere: damnum enim, quod quis culpa ſua dedit, reparandum ipſi incumbit, tum ſumptus, quos erogari neceſſum fuit ad bellum gerendum, reſarciendi, ut indemnis præſtetur, qui ad ſui defenſionem vel juris conſequendi cauſa bellum ſuſcipere debuit. Exigit ejuſmodi indemnem præſtationem juſtitia diſtributiva, ut ſcilicet temeritatis ſuæ pœnas det, qui juſta ſine cauſa belli gerendi occaſionem præbuit. Imo juſtitia expletrix idem exigit, quippe qui culpa ſua damnum alteri intulit, eſt quaſi juris mei poſſeſſor injuſtus donec mihi ſatisfecerit ſumptus, quos in miſitiam erogavi, belli calamitates, quas ſuſtinere debui, damna, quæ mihi ae ſubditis occaſione belli illata, facultatem mihi tribuunt exigendi jure perfecto eorum reparationem, quaſi adverſarius mihi eripuiſſet, quod belli occaſione mihi abeſt, quamvis non rei meæ poſſeſſor, auctor tamen damni dati, & eatenus videtur mihi abſtuliſſe, quod conſervaſſem atque poſſediſſem, ſi injuſto bello me non fuiſſet aggreſſus. Sic etiam pœnæ meritum contrahunt, qui ſine probabili ratione bello accedunt, cum injuſtitiæ ejuſdem fiant participes, etiam eundem effectum & vim ſentiunt: non repugnat enim juſtitiæ, quæ ſuum cuique tribuit, ut ſocii ejuſdem delicti fiant ejuſdem pœnæ participes.

IV. 1. Obſervandum tertio, ad jus agendi multa conſequi indirecte & extra agentis propoſitum, ad quæ per ſe jus non eſſet. In ſui defenſione quomodo id locum habeat explicavimus alibi. Sic ut noſtrum conſequamur, ſi tantundem accipi non poteſt, plus accipere nobis jus eſt, ſub obligatione tamen reſtituendi pretium ejus quod redundat. Sic navis piratis plena, aut domus latronibus, tormentis peti poteſt, etiamſi intra eandem navem aut domum ſint pauci infantes, mulieres, aut alioqui innocentes quibus inde creetur periculum. *Nec reus eſt mortis alienæ*, inquit Auguſtinus, *qui ſuæ poſſeſſioni murum circumduxit, ſi aliquis ex ipſorum uſu percuſſus intereat.*

Vid. d. libro num. 27.

Ad Publ. epiſt. 154.

2. Sed ſicut antehac monuimus ſæpe, non ſemper ex omni parte licitum eſt quod juri ſtricte ſumpto congruit. Sæpe enim proximi caritas non permittet ut ſummo jure utamur. Quare etiam quæ extra propoſitum accidunt, & accidere poſſe prævidentur, cavenda erunt, niſi multo majus ſit bonum quo noſtra actio tendit, quam malum id quod metuitur, aut niſi in pari bono & malo multo major ſit ſpes boni quam mali metus, quod prudentiæ arbitrandum relinquitur: ſed ita ut ſemper in dubio ad eam partem quæ alteri magis quam ſibi conſulit, ut tutiorem, inclinandum ſit. *Sinite creſcere zizania*, inquit optimus magiſter, *ne dum ea evellere vultis evellatis & triticum. Multos occidere & indiſcretos*, inquit Seneca, *incendii & ruinæ potentia eſt.* Docent nos hiſtoriæ quam ſeria pœnitentia, Ambroſio monente, talem vindictæ immodeſtiam Theodoſius expiaverit.

3. Nec ſi quid Deus interdum facit tale, id nobis in exemplum trahendum eſt, ob pleniſſimum illud dominii jus quod ille in nos habet, nobis vero alteri in alterum non conceſſit, ut alibi notavimus. Et tamen ille ipſe Deus, hominum ſuo jure dominus, ob pauciſſimos bonos parcere ſolet quamvis magnæ malorum univerſitati, & eo ſuam, qua judex eſt, æquitatem teſtatam facit, ut Abrahami cum Deo colloquium de Sodomis aperte nos docet. Et ex his quidem generalibus regulis cognoſci poteſt quantum in hoſtem liceat naturaliter.

COM-

COMMENTARIUS.

POſſunt aliquando caſus exiſtere, quibus illud, quod per ſe & ſua natura, id eſt, moraliter malum eſt, ita ut nunquam bonum fieri poſſit, per accidens aliquando ſequi poteſt ad uſum aut defenſionem mei juris extra peccati labem, neque ideo teneor temperare ab uſu juris mei. Per accidens autem aliquid peccatum ſequi dicitur ad alium actum liberum, cum ad uſum rei, ad quam jus habeo, ſequitur aliquis effectus, ad quem producendum, extra ullum uſum rei, jus non haberem. Cauſa per ſe in moralibus eſt, quicquid cauſalitate vera & reali fluente in effectum ad aliquid producendum aptum eſt, etiam extra uſum rei, ad quam jus habemus. Quicunque autem poſteriori modo peccati actum committit, is ſemper peccat; qui autem priori modo aliquid perpetrat, quod ſi extra tales circumſtantias commiſſum foret, graviſſimum peccatum eſſet, ille citra peccati labem talem effectum evenire ſinit, uti diſſerit vir ampliſſimus Lambert. Velthuyſen *diſſert. de princ. juſt. & decor.* Atque cum eo conſentiunt plerique Moraliſtæ, Leſſius, Molina, de Lugo aliique plurimi. Vid. quæ annotavimus *cap.* 1. §. 4. ubi ex Cajetano allegavimus, *quod occidere innocentem per accidens, dando operam rei licitæ & neceſſariæ, non eſſe contra jus naturale, divinum vel humanum.* Et ſtatim allegatus vir ampliſſimus: *Cum ad tuendam ſanitatem & corporis integritatem jus habeam, quicquid ſequetur actionem ſua natura ſubordinatam iſti conſervationi, & ad quam actionem ex lege conſervationis ſui jus habeo, & quæ actio per cauſam vere moralem efficacem producendi effectum conſervationi appoſitum, illud citra peccati labem ſequi ad meam actionem permitto.* Exempla, quæ hanc quæſtionem illuſtrare poſſunt, occurrunt apud Moraliſtas, quos ſtatim citavimus. Sed poſſumus aliquando in ejuſmodi caſus incidere, quibus potius videtur huic juri ſtricto renunciare, quam eo uti: charitas enim qua proximum proſequi Chriſtiana dictat doctrina, & cognationis naturalis vinculum, quo homines quam arctiſſime ſibi devincti, adeo ut quiſque non propriæ duntaxat, ſed & ſocii ſive proximi ſaluti atque utilitati conſulere vi ejuſdem cognationis teneatur, ſuadere videtur ne jure noſtro in proximi innocentis damnum abutamur, niſi multo majus ſit bonum, quod intendimus, quam malum, quod metuimus, ſive ſpes boni major quam mali, quod relinquendum prudentiæ ejus, qui facultatem habet jure ſuo utendi, ita tamen ut in dubio ſemper inclinemus ad eam partem, quæ alteri magis quam ſibi conſulit, ut tutiorem; quod ita interpretandum cenſeo, ſi damnum quod perferendum alteri conſulendo vel parcendo non admodum grave: ordinata enim charitas incipit a ſe ipſo, ut alibi annotavimus, quiſque ſibi proximus, quamobrem nec a ratione alienum, ut mihi potius quam alteri in pari cauſa conſulam, idque tutius opinor. Vid. quæ annotavimus *cap.* 1. *lib.* 2. Quamobrem nec rectæ rationis dictamini, nec æquitati vel charitati Chriſtianæ repugnare mihi videtur, ſi ob res repetendas, injuriam vindicandam, crimen expiandum ejuſdem auctores vi & armis aggrediar, etiamſi belli calamitas & incommoda etiam ad bonos & innocentes perveniat, neque contrarium docet Chriſtus *Matth* 13. 30. ſi ſano ſenſu verba illa interpretemur: vult enim Chriſtus, ut in puniendo homines facinoroſos, vindicando injuriam, expiando crimina atque flagitia, utamur prudentia & moderatione; prudentia adhibenda, ne cum zizania in totum eradicare nitentes, ſimul etiam triticum evellamus, cui ita admixtum, ut evelli nequeat, quin eradicetur & triticum, itaque ſatius eſt ut ſinamus zizania creſcere cum tritico. Sed notandum quod Dominus non ſimpliciter vetuit evellere zizania, ſed adjicit rationem, dicens: *Ne forte zizania colligentes, eradicetis & triticum.* Itaque quoties nullum ſubeſt periculum eradicandi una cum zizania ſive lolio triticum, ſed potius periculum ſit, ne ipſum triticum evellatur vel ſupprimatur relicto lolio, nihil vetat quo minus jam opportunum malo adhibeatur remedium, etiamſi inde damni quid triticum ſentiat, quatenus lolium eradicando tritici etiam quota pars una evellatur, ne indies accreſcendo & multiplicando penitus abſorbeatur; eadem prudentia & moderatione utendum qui ſummæ rerum præſunt Regibus atque ſummis magiſtratibus in puniendo ſontes & homines facinoroſos, expiandis criminibus & vindicandis injuriis vi & armis: cum enim mali ſemper admixti bonis nulluſque cœtus hominum, nullaque ſocietas, quin ex probis & improbis conſtet, optime monet ne ob quæcunque crimina vel qualemcunque injuriam ſtatim ad arma convolemus & pœnam expoſcamus, qualis moderatio & patientia tum potiſſimum locum obtinet, ſi inſontes & innocui magna inde damna paſſuri vel eaſdem pœnas ſubituri: hoc enim caſu charitas, quam commendat & naturalis cognatio & Chriſtiana doctrina ſuadere videtur, ut potius perferamus, ſi qua nobis injuria illata, & vindictam patientia defungamur, quam ut ſtricto utamur jure, & noxii juxta inſontes ſine diſcrimine eadem pœna afficiantur, ac iiſdem calamitatibus obruantur. In deliberationem hic cadunt illæ regulæ & normæ, quas tradit Auctor *lib.* 2. *cap.* 24. §. 5. Ante omnia vero examinandum & ponderandum, quid expediat Reipublicæ vel ſocietati, cui præſunt, atque delicti naturam & injuriæ atrocitatem inſpicere incumbit Principi vel ſummis magiſtratibus, ut poſſet conſtare num ex ejuſdem impunitate non majus malum Reipublicæ immineat, quam bonum conſequimur ſit

inſontibus parcamus pœnam remittentes & injuriam vindicare omittentes. Cum enim imperium nihil aliud quam cura ſalutis alienæ, incumbit Regibus, magiſtratibus ac judicibus providere, ne parcendo hominibus facinoroſis publicæ ſecuritati noceant. Æquitas quidem ſtricto juri præferenda, præſertim noſtro in caſu: verum hæc regula ita attemperanda, ne juſtitia, quæ crimina expiari & injuriam vindicari exigit, publicæ tranquillitatis & ſecuritatis maximum munimentum tollatur. Quemadmodum nec quiſque privato juri ſuo renunciare poteſt, quoties inde ſibi noceret & conſervationi propriæ damnum adferret, dictante ratione, quemque propriam ſalutem alienæ præferre oportere. Exemplum, quod nobis imitandum proponit Auctor, deſumptum ab æquitate, qua Deus, judicis perſonam induens, uti voluit, dum ob pauciſſimos bonos magnæ malorum univerſitati peperciſſet, ut patet *Gen.* 18. neutiquam in conſequentiam trahi debet, quaſi Principes & magiſtratus ſalva juſtitia ſeſe idem ad exemplum componere ac gerere poſſent atque deberent, propterea quod non tam juſtitiæ vel æquitatis, ſed ſummæ divinæ erga homines miſericordiæ documentum eſt, non tam ad imitandum nobis exemplum propoſitum, quam ut admiremur Dei clementiam, qui tantæ civitati, imo omnibus quinque urbibus, in quibus quaſi communi conſenſu horrenda admittebantur facinora atque flagitia, parcere voluiſſet, ſi quinquaginta innocentes, imo vel decem tantum intaminati a tantis flagitiis reperiri potuiſſent. Optime reſpondet doctiſſimus Rivetus: *In reſponſionibus Dei animadvertendum eſt, conceſſionem illam de tota civitate conſervanda, in gratiam non tantum quinquaginta, ſed etiam decem juſtorum regulam non facere, quotieſcunque talis numerus piorum alicubi ſupereſt, Deum judicia ſua contra locum illum dilaturum. Specialis fuit conceſſio Abrahamo facta, quæ trahi non debet in conſequentiam perpetuam, quaſi ad id Deus ex juſtitia vel æquitate teneretur: id enim a miſericordi voluntate totum pendebat. Nec ſemper & ubique id expediret aut conveniens eſſet, ut propter exiguum bonorum numerum, magnæ impiorum multitudini Deus parceret. Quod certe nunquam Deus abſolute in Verbo ſuo promiſit. Habet nihilominus hæc Dei facilitas, unde cognoſcamus propenſiſſimam ejus voluntatem erga ſuos, in quorum gratiam etiam impiis bene facit, & eorum precibus etiam in iis, quæ juſtitiam ſuam remorari videntur, ſe flecti ſinit. Sed tota hæc inquiſitio non ſine ſpeciali Dei providentia directa fuit, permiſſumque ut ad numerum uſque decimum Abrahamus deſcenderet. Hoc enim maxime facit ad juſtitiæ divinæ æquitatem commendandam, quia exaggeratur hoc modo maxime gentis illius malitia.* Sic Jerem. cap. 5. verſ. 1. *Percutite*, inquit, *plateas urbis Jeruſchalaimorum, & videte jam, atque cognoſcite, & diſquirite in plateis ejus, an inveniatis virum, qui exerceat jus, requirat fidem, & condonabo illi.* Vid. *comment. in Pentateuchum ad dict. l.* ſummi Theologi Franc. Burmanni. Quæ Auctor noſter de exercitio pleniſſimi dominii, quod Deus habet in creaturas, diſputat, de iis egimus *lib.* 2. *cap.* 21. §. 5.

V. 1. Sed & quæſtio incidere ſolet quid liceat in eos qui hoſtes non ſunt, aut dici nolunt, ſed hoſtibus res aliquas ſubminiſtrant. Nam & olim & nuper de ea acriter certatum ſcimus, cum alii belli rigorem, alii commerciorum libertatem defenderent.

2. Primum diſtinguendum inter res ipſas. Sunt enim quæ in bello tantum uſum habent, ut arma: ſunt quæ in bello nullum habent uſum, ut quæ voluptati inſerviunt: ſunt quæ & in bello & extra bellum uſum habent, ut pecuniæ, commeatus, naves, & quæ navibus

Procop. 1. Goth. adſunt. In primo genere verum eſt dictum Amalaſuinthæ ad Juſtinianum, in hoſtium eſſe partibus qui ad bellum neceſſaria hoſti adminiſtrat. Secundum genus querelam non habet. Sic Seneca tyranno gratiam ſe relaturum ait, ſi beneficium illi, neque vires majores daturum eſt ad exitium commune, neque confirmaturum quas habet, id autem eſt quod reddi illi ſine pernicie publica poſſit: quod explicans addit: *pecuniam quæ ſatellitem ſtipendio teneat non ſubminiſtrabo; niſi marmora & veſtes deſiderabit, nihil oberit cuiquam id quo luxuria ejus inſtruitur: militem & arma non ſuggeram. Si pro magno petet munere artifices ſcenæ & quæ feritatem ejus emolliant, libens offeram. Cui triremes & æratas non mitterem, luſo-*

Lib. 1. c. 30. de Off. *rias, & cubiculatas, & alia ludibria regum in mari laſcivientium mittam.* Et Ambroſio judice largiri ei qui conſpiret adverſus patriam non eſt probabilis liberalitas.

3. In

3. In tertio illo genere uſus ancipitis diſtinguendus erit belli ſtatus. Nam ſi tueri me non poſſum niſi quæ mittuntur intercipiam, neceſſitas, ut alibi expoſuimus, jus dabit, ſed ſub onere reſtitutionis, niſi cauſa alia accedat. Quod ſi juris mei exſecutionem rerum ſubvectio impedierit, idque ſcire potuerit qui advexit, ut ſi oppidum obſeſſum tenebam, ſi portus clauſos, & jam deditio aut pax exſpectabatur, tenebitur ille mihi de damno culpa dato, ut qui debitorem carceri exemit, aut fugam ejus in meam fraudem inſtruxit: & ad damni dati modum res quoque ejus capi, & dominium earum debiti conſequendi cauſa quæri poterit. Si damnum nondum dederit ſed dare voluerit, jus erit rerum retentione eum cogere ut de futuro caveat obſidibus, pignoribus, aut alio modo. Quod ſi præterea evidentiſſima ſit hoſtis mei in me injuſtitia, & ille eum in bello iniquiſſimo confirmet, jam non tantum civiliter tenebitur de damno, ſed & criminaliter, ut is qui judici imminenti reum manifeſtum eximit: atque eo nomine licebit in eum ſtatuere quod delicto convenit, ſecundum ea quæ de pœnis diximus. quare intra eum modum etiam ſpoliari poterit.

Can. in c. Ita quorundam, &c. ad liberandam. de Judæis.

Silv. in verbo reſtitutio. p. 3. §. 12.

4. Et has ob cauſas ſolent a bellum gerentibus publicæ ſignificationes fieri ad alios populos, tum ut de jure cauſæ. tum etiam ut de ſpe probabili juris exequendi appareat.

5. Hanc autem quæſtionem ad jus naturæ ideo retulimus, quia ex hiſtoriis nihil comperire potuimus ea de re jure voluntario gentium eſſe conſtitutum. Romanos qui Carthaginenſium hoſtibus commeatus attulerant, ipſi Carthaginenſes aliquando ceperunt: eoſdem iidem Carthaginenſes repetentibus Romanis reddiderunt. Demetrius cum Atticam teneret exercitu, jamque vicina oppida Eluſina & Rhamnuntem cepiſſet, Athenis famem facturus, navis frumentum inferre parantis & magiſtrum & gubernatorem ſuſpendit, atque eo modo deterritis cæteris potitus urbe eſt.

Polyb. 1.

Plut. Demetrio.

COMMENTARIUS.

AD omnem a nobis vim & injuriam depellendam, quæcunque adhibendi media facultatem largita eſt nobis natura, quamobrem nulla eis querelarum juſta cauſa, qui nobis vim inferunt, vel inferre animum induxerunt, quando ad defenſionem noſtri eos oppugnamus & debellare conamur, ejuſmodi media adhibendo, quæ idonea arbitramur ad vires opeſque hoſtium, quantum poſſumus, atterendas & diminuendas, quemadmodum in bello privato is, qui nulla laceſſitus injuria, in aliquem impetum facit, eo ipſo ei, quem invadit, dat jus, id eſt facultatem quandam moralem adverſus ſe in infinitum, ſcilicet eo ipſo invaſus nanciſcitur jus ſeſe tuendi quavis ratione adverſus vim & injuriam ſibi intentatam; ita quoque neutiquam repugnat rationis dictamini vel belli legibus hoſtium munimenta, urbes, naves, portus, viros, annonam & quæcunque vel ad vitam tuendam, vel bellum gerendum præſidia & neceſſaria inſtrumenta aut perdere, aut quæſita occaſione capere vel præripere, ut deſtituantur rebus ad bellum gerendum neceſſariis, & quantum poſſumus hoſtibus eripiamus belli irritamenta, ut ita dicam, & facultatem nobis nocendi, eaſque ad anguſtias redigamus, ut arma deponere, & nobiſcum in amicitiam redire, & in pace & otio vivere, quam bellum gerere ſatius ſibi ducat: eo enim animo bellum ſuſcipi oportet, ut bona pax obtineatur: nulla enim ſalus bello. Sed hæc quidem a jure gentium, quo bella introducta, ea ſcilicet, quæ ſuſcipiuntur juſtam ob cauſam, (juſta cauſa ex injuſta offenſione naſcitur, quoties itaque hæc præcedit, toties belli ſuſcipiendi juſtam cauſam nanciſcitur is, qui læſus eſt, fruſtra tentatis benignioribus remediis, ita ut ad horrida arma tanquam unicum atque ultimum juris noſtri conſequendi medium

medium confugere neceſſitate exigente cogamur) non aliena opinio. Sed quæritur an eodem etiam jure liceat uti in eos, qui hoſtes non ſunt aut dici nolunt, ſed hoſtibus res aliquas ſubminiſtrant, non tam alteri nocendi cupidine, quam quidem lucri faciendi ſpe ducti? In hac quæſtione definienda caute admodum procedit Auctor noſter, primum diſtinguendo inter res ipſas, quæ cum non ſint ejuſdem generis & qualitatis, ita nec eandem licentiam vel idem jus circa earundem capturam & interceptionem nobis concedere atque tribuere videtur rationis dictamen & belli leges, quæ ex eodem quaſi fonte ſuo profectæ agendi normam belligerantibus præſcribunt atque dictant. Non equidem Auctoris noſtri diſtinctionem rejicio; verum nonnunquam caſus incidere poſſe mihi videntur, quos excipere quam obſervare potius eſſe prudentia & ars belli gerendi ſuaderet. Quæ ab una parte, a qua belli ſtat rigor & defenſionis favor, adſerri poſſent argumenta huic inniti videntur fundamento. Quod cuique natura conceſſit libertatem, qua quiſque munitus, omnia, quæ ſibi nocitura videntur, a ſe poteſt arcere mala, quamobrem quidquid hoſtium vires, copias & opes augere poteſt, illud tanquam mihi noxium futurum quavis ratione intercipiendi & præripiendi facultatem habeo, unde illud aſportatur vel advehitur nulla ratione habita: intercipiendi enim facultas non fundatur in conditione mercium, vel qualitate negotiantium, ſed belli jure, defenſione ſui, quæ cuique tribuit facultatem moralem adverſus hoſtem in infinitum, id eſt, omnia adhibendi ejuſmodi media, quæ ad imminens vel præſens vitæ, corpori & fortunis periculum evitandum & depellndum idonea ſunt; non perſona vel locus a quo ſed ad quem aſportant in deliberationem cadit, nec tantum earundem uſus naturalis, ſed & artificialis, qui ex applicatione humana ad hunc vel illum finem conſequendum ipſi accedit, ſpectandus venit, quo fieri poteſt, ut diſtinctio Auctoris noſtri nullum, caſu illo exiſtente, habeat uſum, nec juſtam vectores querelæ cauſam habent, quaſi non tam hoſtis quam ipſi, quibuſcum pax & amicitia intercipienti intercedit damnum ſentiunt; quippe ſibi imputent, quod lucri faciendi cauſa eo merces ſuas aſportant. Damnum, quod quis ſua culpa ſenſit, damnum non eſſe videtur, non debuiſſent ignari eſſe juris, quod in bello ſibi locum vindicat: ignorantia enim juris hujus publici nemini prodeſſe debet. Cui etiam accedit, quod & hoſtium partibus ſeſe adjungere videtur, qui ſubminiſtrat ea, quæ ad bellum gerendum neceſſaria, vel ſaltem hoſtibus utilia, qui hoſtem adjuvat facit ſe ipſum hoſtem, non ſecus atque alius quilibet, qui hoſti quodvis auxilium afferret. Alberic. Gentil. *de jur. bel. lib. 2. cap. 22.* Hoſtis cenſendus, qui facit quod hoſti placet. Et in exercitu hoſtium eſſe cenſetur, qui exercitui hoſtium neceſſaria ad bellum adminiſtrat. Sic hoſtium in numero habetur cujus opera hoſtes populi Romani commeatu, armis, telis, equis, pecunia, aliave qua re adjuvarit, atque crimen læſæ majeſtatis committit. *l. 4. ff. ad leg. Jul. majeſt.* Nec movet quod cum utroque belligerantium pacem & amicitiam colat: eo enim caſu neutrum juvare oportet, quippe alteri opem ferre nequit, quin alterum lædat. Quamobrem prudenter Eliſabetha, Angliæ Regina, Hanſiaticis civitatibus conquerentibus, naves ſuas a claſſe ſpoliatas Anglica contra fœdus, quo cavetur, ut illæ civitates tuto poſſent eſſe amicæ etiam hoſtibus Angliæ, & cum iis habere commercia: non eſſe hoc colere cum utriſque amicitiam, ſi alteros lædas, juves alteros reſpondit: at imo hoc eſſe auxiliari hoſtibus, & cum hoſtibus adverſus alios facere. Alberic. Gentil. *dict. loc.* Nec diſtinguendum hic puto cum Zeiglero, an ſubminiſtratio illa fiat privato nomine a negotiantibus, an vero nomine publico & a Principe utriuſque amico. Quaſi illo caſu excuſatius delinqueretur, nec tam hoſtilis animus quam lucri cupiditas præſumitur, atque hinc mitius cum eis agendum. Hæc vero non ſine aliqua hoſtilitate geri res poterit. Quippe actus iſte idem, damnum quod inde alteri adſertur idem, Principis conſenſus non mutat naturam actus, factum non animi intentionem ſpectare debemus, quiſque privatus non minus quam Princeps vel magiſtratus ignarus eſſe non debet officii, quod cuique imponit neceſſitatem, ne cum alterius damno commoda ſua augeat, quod ſi facere cupiat, alteri jus nanciſcitur avertendi damni, quod ſibi imminet. Quod ſi non animo, ſaltem actu hoſtem ſe gerit, quamobrem quod hoſtilia a me patiatur, conqueri nequit: nullum enim juris vinculum nos adſtringit, ut noſtro cum damno ſocius fiat locupletior, lex naturalis, quæ ſui conſervationem & defenſionem cuique commendat, contrarium ſuadet. Sed ab altera parte urgetur commerciorum libertas & neceſſitas, utpote quæ ad vitam commode tuendam multum confert, imo ſola atque unica humanæ indigentiæ ſublevandæ ratio; quippe cum omnia non omnis ferat tellus vitæ tuendæ præſidja & neceſſaria, natura quaſi duce commercia & negotiationes inſtitutæ, ut alter alterius inopiæ & indigentiæ ſubveniret, quamobrem oportet, ut earum ſummus ſit favor, & proinde ſalva cuique & intacta maneat eas exercendi facultas. Iniquum enim videtur, ut vicinorum diſſidia & controverſiæ, cæteris, qui eorum non ſunt participes, negotiandi auferrent libertatem. Non enim ad unius vel alterius bello furentis nutum orbis humanus circumagendus. Sed hiſce reponi poſſunt; quod quemadmodum ſingulis in ſtatu naturæ vitam degentibus ſegregem facultatem largita eſt natura ſemetipſum conſervandi & tuendi, ita quoque diviſo in varias ſocietates & gentes mortali genere, cuique genti ac nationi tanquam eodem in ſtatu viventi facultas competit adhibendi omnia media, quibus ſe tueri poteſt adverſus omnem vim & injuriam ſibi illatam vel imminentem. Quemadmodum quiſ-

que ſibi proximus, ita quoque propria ſalus & ſecuritas ſuprema cuique lex, quæ abrogari vel mutari nulla ratione poteſt; quamobrem poſito, gentes conveniſſe tacite vel expreſſe commerciorum libertatem cuique ſalvam & intactam fore, idque etiam cujuſque gentis commodo & ſaluti inſervire, eo tamen eripi nequit facultas naturalis, qua cuique integrum ad ſui defenſionem & conſervationem ejuſmodi adhibere remedia, quibus poſſit ſe in ſecuritatem aſſerere & malum depellere: quamobrem, ſi quis in me impetum faciat, eum vi & armis, imo dolo debellare vel e medio tollere nulla vetant jura, nec proinde mihi auferunt libertatem intercipiendi ea,. quæcunque hoſtem vel audaciorem vel potentiorem paratioremque redderent ad me invadendum, ſi mihi liceat effugere periculum & malum imminens, quare nec etiam intercipere quæ mihi noxia futura prævideo, eadem cura incumbit civitatum rectoribus, quæ ſingulis hominibus, vel in ſtatu naturali familiæ patribus, ſcilicet, ne quid civitas vel Reſpublica detrimenti capiat, non a civium duntaxat, ſed etiam exterorum pravis machinationibus & concuſſionibus. Quamobrem *ſi armorum in hoſtilem regionem, ſi commeatuum, ſi pecuniæ & annonæ invectio Reipublicæ detrimentum aliquod, morando belli exitu, vel confirmando in nos hoſte, allatura eſt: boni militiæ ducis non videtur, eam rem in negligendis habere. Atque hæc ſola ſunt tempora, quibus avertendi vel invadendi aliena plauſtra vel navigia, facultatem jura in manus porrigunt. Nec vituperio bellanti datur; quod juris gentium conſenſus fecit.* Cyriac. Lentul. *de jur. bel. & pac.* Cui etiam accedit, quod humanæ ſocietatis, & proinde cujuſque gentis, quatenus pars & membrum ejuſdem ſocietatis, ſummopere interſit, ut pax & concordia floreat vigeatque, qua nullum arctius vinculum ad ſocietatem tuendam, & proinde commercia & negotiationes exercendas magis idoneum remedium excogitari poteſt; quamobrem, ea diſtracta quorundam diſſidiis & diſcordiis, cæteræ ſumma ope niti debent, ut communis ſalutis & utilitatis tuendæ cauſa partes diſtractæ ad pacem & concordiam amplectendam quavis ratione inducantur vel oratione vel neceſſitate; ſi fruſtra tentata illa, altera adhibenda: ad hanc vero neceſſitatem redigere facillimi negotii eſt, interrupto omni cum belligerantibus commercio, ut tandem deſtituti vel vitæ vel belli gerendi omni ſubſidio & apparatu, a belli furore ad ſaniorem mentem redire neceſſum habeant. Quod ſi quis vel odio percitus, vel lucri cupiditate ductus diſcordiam fovet, ille tanquam ſocietatis humanæ hoſtis tractari meretur non ſolum ab eo, cujus in perniciem & damnum alteri belligerantium belli inſtrumenta ſive alterius generis merces ſubminiſtrat, ſed a ſingulis membris eodem modo tractari oporteret. Si hæc ſola atque unica fere pacis conſervandæ ratio tantum valeret apud eos, qui ſummæ rerum præſunt, quantum imperii fines propagandi cupido, & auri ſacra fames, divitiarum atque fortunarum augendarum per fas & nefas ſceleratus amor, Bellona non tam longe lateque circumſerret horrida arma. Verum medium tenuere beati, mihi videtur ſocietatis humanæ conſervatio efflagitare neque nimis ſtrictam, neque amplam commercii libertatem, unde ſolet quarundam rerum interdici commercium, quarum in numero belli inſtrumenta, aliæque id genus merces, quæ hoſtem reddunt audaciorem & fortiorem, & vulgo dicuntur *marchandiſes de contrabande*, quarum ſpecies exprimuntur & enumerantur in tractatu maritimo inter Galliæ Regem, Fœderati Belgii Ordines Ann. 1646. & 1650. & inter Hiſpaniarum Regem & dictos Ordines anno 1650. Aitſema *Hiſtor. lib. 26. & 30.* Ejuſmodi conventiones & pacta tollunt controverſias, quæ quandoque tempore belli de mercium advectarum intercipiendarum jure poſſent moveri. Nulla vero conventione facta, quiſque manet ſui juris, id eſt, facultatem habet dijudicandi quid licet in eos, qui hoſtes quidem non ſunt, ſed adjuvant quibuſcum in ſtatu belli vivimus, cujuſmodi licentia certis quibuſdam regulis circumſcribi nequit, ſed pro diverſa temporum facie & neceſſitate vel contrahitur vel extenditur, ita ut quandoque merces, quæ voluptati inſerviunt, neceſſitate exigente, intercipere licitum, quorundam opinio, nec ea a vero aliena mihi videtur: neceſſitate enim premente, licita fiunt, quæ, eadem non exiſtente, illicita viderentur, quamobrem omnem legem frangere dicitur; *Quæ voluptati inſerviunt merces: ut ſunt naviculæ luſoriæ, ſericæ veſtes, & hiſtriones, & omnes ſcenicæ artifices, minus invidiæ & periculi habent. Poteſt tamen tempus incidere, quo ne talia quidem deliciarum genera admittere ex uſu obſidentium ſit. Ut ſi obſeſſi molliuſculè educati, talium rerum deſiderium non ferant, ſi cum voluptate conceſſa ſervire, quam duriter vivere in libertate malint. Nutu enim temporum hæc talia gubernantur, ad quem circumagi virum prudentem, & rebus applicare conſilia, non pœnitendæ ſolertiæ eſt.* Cyriac. Lentul. *de jur. bel. ac pac.* Unde perſpicimus, quod paulo ante diximus, Auctoris diſtinctionem aliquando exceptionem pati poſſe, in cæteris ejuſdem opinioni ſubſcribimus.

VI. 1. Modum agendi quod attinet, vis ac terror maxime propria bellorum. An & dolis uti liceat, quæri ſolet. Nam Homerus quidem dixit hoſti nocendum:

Ἠ δόλῳ, ἠὲ βίῃ, ἢ ἀμφαδὸν, ἠὲ κρυφηδόν.

Sive dolo, ſeu vi manifeſta, clamve palamve.

B Et

Et Pindari eſt: χρὴ δὲ πᾶν ἔρ—

> δοντ᾽ ἀμαυρῶσαι τὸν ἐχθρόν.
>
> *Quidvis agendo ſcilicet hoſtica*
>
> *Delenda vis eſt.*

Apud Virgilium quoque dictum illud,

> *Dolus an virtus quis in hoſte requirat?*

ſequitur ipſe, *Ripheus juſtiſſimus unus*

> *Qui fuit in Teucris & ſervantiſſimus æqui.*

Et legitur hoc ipſum imitatus ſapientiæ nomine nobiliſſimus Solon.

Lib. xv. Silius in rebus Fabii Maximi:

> *Exin virtuti placuit dolus.*

Luc. Phil. Xenophon de Cyri inſt. I. *& de re equeſtri. Thuc. l.* v. *Plutarch. Apoph. Polyb. l.* ix.

2. Apud Homerum Ulyſſes viri ſapientis exemplum, plenus ubique fraudium in hoſtem: unde Lucianus regulam elicit, laude dignos qui hoſtem fallunt. Nihil utilius in bello dolis Xenophon dixit, & Braſidas apud Thucydidem præclaram imprimis laudem eſſe ex belli furtis: & apud Plutarchum Ageſilaus, hoſtes decipere & juſtum & licitum eſſe. Polybius, quæ vi fiunt in bello minoris cenſenda, quam quæ ex occaſione & dolo: & ex eo Silius Corvinum ſic inducit loquentem:

Lib. v.

> *Bellandum eſt aſtu: levior laus in duce dextra.*

Plut. Marcel.

Atque ita cenſuiſſe ipſos illos ſeveros Laconas notat Plutarchus, ac majorem etiam victimam ab eo immolatam qui dolo, quam qui aperto Marte rem confeciſſet. Idem Lyſandrum magni facit ἀπάταις τὰ πολλὰ διαποικίλλοντα τοῦ πολέμου, *pleraque belli dolis variantem.* Et in Philopœmenis laudibus ponit, quod Cretenſium diſciplina inſtitutus ſimplicem illum ac generoſum bellandi morem dolis ac furtis miſcuiſſet. Ammiani eſt: *Nullo diſcrimine virtutis ac doli, proſperos omnes laudare debere bellorum eventus.*

L. 1. *§.* 3. *D. de dolo. L. Nihil. D. de captivis. Quæſt.* x. *ſuper Joſue.* 1. *de Sacerdotio.*

3. Juriſconſulti Romani bonum dolum vocant, ſi adverſus hoſtem quis machinaretur: & alibi, nihil intereſſe vi quis an fallacia poteſtatem hoſtium evaſerit: δόλος οὐ ψεκτὸς, ἀλλὰ στρατιωτικὸς notat ad Iliados Θ Euſtathius. Inter Theologos Auguſtinus: *Cum juſtum bellum ſuſcipitur, vi aperta pugnet quis aut ex inſidiis, nihil ad juſtitiam intereſt.* Et Chryſoſtomus, maxime laudari Imperatores qui fraude victoriam quæſiiſſent.

4. Sed nec deſunt ſententiæ quæ ſuadere videntur partem contrariam, quarum nonnullas infra adferemus. Quæſtionis hujus definitio pendet ex eo, an dolus in genere ſit ſemper malorum, in quibus locum habet non eſſe faciendum malum ut eveniat bonum, an ex iis quæ vitium non habent univerſaliter ex ſuapte natura, ſed quibus accidere etiam poteſt ut bona ſint.

COMMENTARIUS.

Duo ſunt decertandi genera, teſte Cicerone; unum per diſceptationem, alterum per vim: illud in ſocietate civili, ubi coram judice per diſceptationem controverſiæ dirimuntur, obtinet; hoc in ſtatu naturali locum ſibi vindicat, quamobrem & ſtatus belli dicitur, in quo

quo ſolent Martis auſpiciis, id eſt, vi & armis lites determinari; quippe cum in eo ſtatu quiſque ſui juris eſt, & homines ſibi æquales, non alia juris perſequendi inter litigantes ratio reliqua, quam per vim & arma, fruſtra tentatis benigtiioribus remediis; recte itaque certatio per vim bellum definitur, quia præliis & certamine decertatur; modum itaque agendi quod attinet, proprium eſt armorum & belli vi & terrore omnia miſcere : vis enim & anna horrorem & terrorem incutiunt. Unde Ovid. *I. met.*

Sævior ingeniis & ad horrida promptior arma.

Verum an dolis uti liceat quæri ſoler, non deſunt, qui id licitum affirmant, ut ex eorum teſtimoniis, quos Auctor citat, apparet. Hinc *conſiliis & aſtu res externas moliri, arma autem procul habere*, placuir Tiberio ſimulandi artis egregie perito Imperatori, Tacit. *annal.* 6. vid. & 12. *cap.* 32. Sic laudem meretur Germanicus, quod plura conſilio & aſtu quam vi perfecerit. Et Druſus haud leve decus quæſivit illiciens Germanos ad diſcordiam. Idque magis placuit Tiberio, qnam ſi bellum per acies confeciſſet, Tacit. 2. *annal.* Præferunt alii bellatores apertos, *qui nihil ex occulto, nihil ex inſidiis agendum putant, veritatis cultores, fraudis inimico. Viros enim fortes & honeſtos, magnanimos, quales eſſe decet belli duces, eoſdem bonos & ſimplices, veritatis amicos, minimeque fallaces eſſe oportet*, teſte Cicerone 1. *offic. cap.* 19. *Turpem dolo quæſitam gloriam*, ſtatuit *Iſid. lib.* 18. Atque hunc belli gerendi morem antiquum Romanos Senatores approbaſſe apud Livium videre eſt *lib.* 42. *cap.* 47. *Cum negarent per inſidias & nocturna prælia, vel ſimulatam fugam improviſoſque ad incautum hoſtem reditus, vel ut aſtu magis quam vera virtute gloriarentur, bella majores geſſiſſe. Indicere prius quam gerere ſolitos bella, denuntiare etiam, interdum locum finire, in quo dimicaturi eſſent. Eadem fide indicatum Pyrrho Regi, Medicum vita ejus inſidiantem: eadem Faliſcis vinctum traditum proditorem liberorum Regis. Hæc Romana eſſe, non verſutiarum Punicarum, neque calliditatis Græcæ, apud quos fallere hoſtem quam vi ſuperare glorioſius fuerit. Interdum in præſens tempus plus profici dolo quam virtute: ſed ejus demum animum in perpetuum vinci, cui confeſſio expreſſa ſit, ſe neque arte, neque caſu, ſed collatis cominus viribus juſto ac pio bello eſſe ſuperatum.* Verum quemadmodum non omnem dolum, aſtutiam & calliditatem in bello approbamus, ita nec improbamus dolum aut calliditatem, quæ perfidiæ & mendacii maculis adſperſa non eſt. Huc pertinet diſtinctio Juriſconſultorum inter dolum malum & bonum, dolum malum; definiunt enim machinationem quandam alterius decipiendi canſa, cum aliud agatur, aliud ſimuletur, quæ Servii definitio videtur Labeoni nimis ſtricta, cum poſſit etiam ſine dolo malo aliud agi, aliud ſimulari. Itaque ipſe definit: *Omnem calliditatem, fallaciam, machinationem ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibitam.* Atque eo ſenſu accipiendum, cum inquit Florentinus *l.* 26. *ff. de captiv. & poſtlim. reverſ. Nihil intereſt, quomodo captivus reverſus eſt: utrum dimiſſus, an vi vel fallacia poteſtatem hoſtium evaſerit.* Nihil intereſt, ſcilicet quod jus poſtliminii concernit, quomodo captivus reverſus eſt, utrum dimiſſus, an vi vel fallacia potellatem hoſtium evaſerit, dummodo ipſis non dederit fidem, nec ſingulariter cum eis convenerit. Multum enim hoc caſu intereſſe oſtendit exemplum Attilii Reguli in *l.* 5. §. 3. *ff. eod.* Zeiglerus *comment. ad h. l.* Dolus itaque bonus, quem admittunt Juriſconſulti, nihil niſi ſolertia eſt, qua quis utitur ob hoc ipſum, ut alterius dolum excludat, puta adverſus hoſtes aut latrones. Sic malitiam malam dixit Plautus *Aulul. act.* 2. *ſc.* 2. quaſi quædam malitia poſſet eſſe bona, quod abſurdum videtur:

Certe adepol equidem te civem ſine mala omni malitia

Semper ſum arbitratus & nunc arbitror.

Ita Cic. *lib.* 13. *epiſt.* *Bonam benevolentiam hominum* dixit. Dolus itaque bonus eſt ſolertia, aſtutia & calliditas peccato vacua, & proinde bonus vocatur, quamobrem in genere non eſt ſemper malorum, quæ nunquam facienda, ut inde bona eveniant : quamobrem enim dolus malus ſi nullus bonus; ſed & antiquos etiam in bonis rebus eodem uſos tradit Feſtus : unde adhuc dicimus, ſine dolo malo, nimirum quia ſolebat dici & bonus. Dolus late ſumptus eſt exequutio ſolertiæ ſeu aſtutiæ, dicendo, faciendo aut omittendo aliquid, quo recte aut non recte alius decipiatur in aliquo, idque ſive in damnum ſit illius, ſive non. Quo fit, ut dolus interdum in bonam, interdum in malam ſumatur partem, nt cum Labeone Ulpianus *l.* 1. §. 1. *ff. de dolo* ait : atque in malam partem ſumptus, dolus malus nuncupatur, ut §. *ſeq.* idem Ulpianus ſubjungit, idque ad differentiam doli in bonam partem ſumpti. Solertiæ enim vel aſtutiæ duo ſunt fines, agere honeſte, quod laudandum, vel male, quod vituperandum. Prior actio doli boni nomine venir; altera dolus malus dicitur. Vid. Molin. *de juſt. & jur. tract.* 2. *diſp.* 293. Huc pertinere exiſtimat dolum, quo Paulus ſe uſum profitetur cum Corinthiis *Epiſt.* 2. *ad Cor.* 12. dicens: *Cum eſſem aſtutus, dolo vos cepi.* D. Thom. 2. 2. putat abuſive hic aſtutiam & dolum in bonam partem capi, q. d. artificioſa ſolertia & cauta prudentia ego vos a gentiliſmo ad Chriſtianiſmum converti. Eodem quoque genere doli uſus eſt Salomon 3. *Reg.* 3. quando contendentibus coram ſe mulietibus circa infantem, cujuſnam earum filius eſſet, juſſit dividi puerum medium, ut veritas manifeſtaretur. Quod primum exemplum attinet, perperam illnd adduci putant ſanioris Theologiæ antiſtites ad diſtinctionem dictam confirmandam. Primo quia Apoſtolus hoc ipſum a ſe removet 1. *Theſſ.* 2. *verſ.* 3. tum etiam quia Apoſtolus loqnitur ex hypotheſi calumniantium, qui ſcilicet dicere po-

terant dolo ſcilicet & arte circumveniſſe Apoſtolum Corinthios, alios ſubornando, qui acciperent pro Paulo, cum ipſe videri vellet nihil quicquam accipere a ſuis auditoribus. Occurrit Apoſtolus objectioni, quæ ex adverſo moveri poterat, quaſi diceret Apoſtolus: *Sed nonnulli vos ſuggeſſerunt, quamvis nullam unquam mercedem acceperim a vobis ob Evangelii prædicationem; me tamen dolo & clam vos magna pecunia emunxiſſe. Si verum hoc eſt oſtendite, an pecuniam a vobis accepi per eos, quos ad vos miſi.* Hammond. *Paraphraſ. in 2. epiſt. ad Corinth.* Verba hæc per mimeſin uſurpat Apoſtolus, q. d. Ipſi obtrectant mihi dicentes, Paulus per ſe quidem nihil in ſumptum exigit admittitve, ſed dolo vos capit, quia ſcilicet Titum & alios ſubmittit, qui vos veſtraque emungunt. Vid. a Lapid. *comment. in eand. epiſt.* Alterum proinde exemplum magis probat intentionem Auctoris, utpote quod ad illas fraudes interpretes pertinere affirmant, quibus uti magiſtratum bono ſubditorum & medicamenti vice vult Plato *de Rep. lib. 5.*

VII. Notandum igitur, dolum alium conſiſtere in actu negativo, alium in actu poſitivo. Doli vocem etiam ad ea quæ in negativo actu conſiſtunt extendo, Labeone auctore, qui ad dolum ſed non malum refert, ubi quis per diſſimulationem tuetur ſua vel aliena. Haud dubie crude nimis a Cicerone dictum eſt: *ex omni vita ſimulationem diſſimulationemque tollendam.* Nam cum nec quæ ſcias nec quæ velis omnia aperire aliis tenearis, ſequitur ut diſſimulare quædam apud quoſdam, id eſt tegere & occultare, fas ſit. *Licet*, inquit Auguſtinus, *veritatem occultare prudenter ſub aliqua diſſimulatione.* Et neceſſariam hanc omnino atque inevitabilem, his præſertim quibus reſpublica commiſſa eſt, non uno loco fatetur ipſe Cicero. Exemplum ad hanc rem inſigne præbet Jeremiæ hiſtoria capite XXXVIII. Is enim Propheta a rege interrogatus de obſidionis eventu, apud proceres, regis poſtulatu, hoc ipſum prudenter occultat, aliam interim cauſam, nec falſam tamen, colloquii adferens. Et huc quoque referri poteſt quod Abrahamus Saram ſororem, id eſt ex uſitatotum loquendi more propinquam conſanguineam vocat, matrimonium diſſimulans.

L. 1. §. dolum malum. D. de Dolo malo. *De Off. 3.* *Libro contra mend. c. 10.* *Th. 2. 2. q. 40. art. 3. in reſp. & qua. 71. art. 7. Silv. in verbo bellum. p. 1. num. 9.* *Cic. pro Milone & l. VII. ep. 9. & pro Cn. Plancio. Gen. XX. Th. 2. 2. qu. 110 art. 3. in reſp.*

COMMENTARIUS.

NOnnulli hanc doli diſtinctionem rejiciunt, dolum negativum accurate dolum eſſe negantes, ſed eſt tantum veritatis aliqua occultatio, quæ licita; prudentiæ quippe eſt nonnulla ſubticere, quod abſque dolo fit, ubi dicendi veri nulla obligatio adeſt. Verum doli vocabulo ſumpto eo ſenſu, quo Auctor utitur, nullam video rationem, cur illam diſtinctionem rejiciunt. Dolum omnem machinationem, calliditatem & fallaciam ad alterum decipiendum adhibitam definivimus, qui vel malus ſi perverſe, vel bonus ſi recte adhibeatur, ſi vero dolus per calliditatem recte poteſt deſcribi vel definiri, ſequitur etiam dolum in actu negativo, id eſt, diſſimulatione vel occultatione veritatis conſiſtentem, dolum eſſe; quippe eum conſiſtere dicit Labeo, vel in *machinatione*, quæ eſt fraus in verbis, vel *fallacia*, quæ fit mentiendo, vel *calliditate*, ſcilicet aliquid reticendo, diſſimulando, occultando. Hujuſmodi ſimulatio nihil aliud eſt quam ſolers conſilium, quod ſalva Dei gloria & illæſa juſtitia ſuſcipitur & exercetur, Zeigler. Quamobrem neceſſitate exigente ea quandoque uſi viri pii, ut teſtantur exempla ab Auctore allegata. Huc etiam referri poteſt exemplum Pauli Phariſæum ſe appellantis. *Act. 23. 6. Non eſſe mendacium, cum ſilendo abſconditur verum, ſed cum loquendo promitur falſum*, inquit Auguſt. *contra mendacium cap. 10.* Imprimis hæc diſſimulandi ars neceſſaria atque inevitabilis hiſce qui imperium tractant & ſummæ rerum præſunt, quos nec aliter poſſe teſtatur Cicero *pro Milone: Neſcit enim regnare, qui neſcit diſſimulare*, atque ab eo ſæpius pendet Reipublicæ ſalus & conſervatio. Verum notandum cum Puſendorfio, *quod & ſi diſſimulare & occultare veritatem ſive tacere, mendacium proprie loquendo vocari nequeat, ubi nullum præſertim ſignum ſermoni æquipollens fuerit adhibitum; ex alia tamen cauſa reticentiam & occultationem veritatis in crimen cadere poſſe, puta ſi per eam impediatur bonum, quod quis procurare, aut concilietur malum, quod averruncare tenebatur.* Verum notandum hic præſupponi obligationem, ſive juris vinculum, quo quis adſtringitur aliquid præſtare vel facere, quod exigi

exigi ab illo poterat; quippe ſepoſito hoc jure, diſſimulatio vel occultatio in crimen non cadit. Moraliſtæ dubium hoc ponunt, an ſcilicet mendacii nomine veniat, ſi quis tacendo vel occultando veritatem, quam alioqui confiteri tenetur, non prodit, atque reſpondent, non eſſe proprie & ſtricte mendacium, quia nihil verbis exprimitur, ſed eſſe peccatum omiſſionis, quia omittitur veritas tempore, quo poteſt & debet exprimi. Azor. *inſt. moral. p.* 3. *lib.* 13.

VIII. 1. Dolus qui in actu poſitivo conſiſtit, ſi in rebus, ſimulatio; ſi in ſermone, mendacium vocatur. Quidam inter hæc duo hanc conſtituunt differentiam, quod dicant voces naturaliter ſigna eſſe intellectuum, res non item. Sed contra verum eſt, voces natura ipſa & citra hominum voluntatem nihil ſignificare, niſi forte vox ſit confuſa & ἄναρθρος, qualis in dolore, quæ ipſa rei magis appellatione venit quam locutionis. Quod ſi hoc dicatur, hominis naturam hanc eſſe peculiarem ſupra animantes cæteras ut conceptus animi poſſit aliis indicare, & ad eam rem voces repertas, verum quidem dicitur, ſed addendum eſt, non ſolis vocibus tale fieri indicium, ſed & nutibus, ut apud (*L. Labeo. s fin. D. ſup. leg.*) mutos, ſive illi nutus aliquid habent cum re ſignificata commune ipſa natura, ſive tantum ex inſtituto ſignificant: quibus nutibus pares ſunt notæ illæ quæ non voces lingua figuratas ſignificant, ut Paulus Juriſ- (*L. Non figura. D. de obl. & act.*) conſultus loquitur, ſed res ipſas, ſive ex aliqua convenientia ut notæ hieroglyphicæ, ſive mero arbitratu ut apud Sinenſes.

2. Alia igitur hic adhibenda diſtinictio eſt, qualem adhibuimus ad tollendam ambiguitatem in voce juris gentium. Diximus enim jus gentium dici, & quod ſingulis gentibus placuit ſine mutua obligatione, & id quod mutuam obligationem in ſe continet. Voces ergo, & nutus, & notæ quas diximus, reperta ſunt ad ſignificandum cum mutua obligatione, quod Ariſtoteles dixit κατὰ συνθήκην: res aliæ non (*De interpr. c.* 4.) item. Hinc fit ut rebus aliis uti liceat etiamſi prævideamus futurum ut alter inde falſam concipiat opinionem. Loquor de eo quod intrinſecum eſt, non de eo quod accidit. Itaque exemplum ponendum eſt ubi nullum ſequitur inde nocumentum, aut ubi nocumentum ipſum ſepoſita doli conſideratione licitum eſt.

3. Prioris exemplum eſt in Chriſto, qui apud comites Emauntinos (*Luc.* XXIV. 28.) προσεποιεῖτο ire longius, id eſt ſpeciem prætulit ituri longius, niſi malimus vere quoque voluiſſe eum ire longius, ſub conditione tamen niſi magno niſu retineretur, quomodo & Deus multa velle dicitur quæ non fiunt: & alibi Chriſtus ipſe dicitur voluiſſe præterire Apoſtolos navigantes, (*Marc.* VI. 48.) nempe niſi impenſe rogaretur navem aſcendere. Alterum exemplum dari poteſt in Paulo qui Timotheum circumcidit, cum ſatis ſciret Judæos hoc ita accepturos, quaſi circumciſionis præceptum, quod revera abolitum jam erat, adhuc obligaret Iſraëlis poſteros, quaſique ita ſentirent ipſi Paulus & Timotheus: cum tamen hoc non quæreret (*Act.* XVI. 3.) Paulus, ſed tantum familiarius cum Judæis verſandi facultatem ſibi & Timotheo præbere. Neque vero circumciſio, ſublata lege divina, ex inſtituto amplius ſignificabat talem neceſſitatem, neque malum quod inde ſequebatur erroris ad tempus, dedocendi poſtea, tanti erat,

quanti illud bonum quo Paulus tendebat: nimirum Euangelicæ veritatis inſinuatio. Hanc ſimulationem Patres Græci ſæpe vocant οἰκονομίαν. de qua egregia exſtat ſententia Clementis Alexandrini, qui de viro bono agens ſic ait: ἐπὶ τῶν πλησίον ὀφελείᾳ μόνῃ ποιήσει τινὰ ἃ οὐκ ἂν προηγουμένως αὐτῷ πραχθείη; *ob utilitatem proximi faciet quædam quæ ſponte alioquin ac primaria intentione non faceret.* *Livius* v. Tale in bello Romanorum illud, qui de Capitolio panem in hoſtium ſtationes jecerunt ne fame premi crederentur.

Joſue. VIII. *Silv. in verbo bellum. p.* 1. *n.* 8.

4. Exemplum poſterioris eſt in ficta fuga, qualem Joſue ſuis præcepit ad Hajum expugnandum, & alii duces ſæpe. Nam hic quod ſequitur nocumentum licitum eſſe ponimus ex belli juſtitia; ipſa autem fuga ex inſtituto nihil ſignificat, quanquam hoſtis eam accipit ut ſignum pavoris, quod alter cavere non tenetur, utens ſua libertate huc vel illuc eundi, & magis minuſve celeriter, & hoc vel illo geſtu habituve. Eodem referri debet eorum actus qui hoſtium armis, ſignis, veſtibus, velis uſi paſſim leguntur.

5. Hæc enim omnia ejus ſunt generis ut a quovis pro arbitrio etiam contra conſuetudinem uſurpari poſſint, quia conſuetudo ipſa ſingulorum arbitrio non quaſi conſenſu communi introducta eſt, qualis conſuetudo neminem obligat.

COMMENTARIUS.

DOlus in actu poſitivo conſiſtens fit, quando extrinſeco ſigno, ſive verbis ſive factis aliter atque alter putat, utimur, id vero ſi in rebus conſiſtit ſimulatio, ſi in verbis mendacium appellari ſolet. Leſſius ſimulationem definit mendacium in actionibus vitæ: nimirum cum quis per has intendit aliud ſignificare, quam interius animo ſentit, ſumpto ſcilicet mendacii in latiori ſignificatione vocabulo. Verum cum ſimulatio quandoque licita eſſe poteſt, ut ſtatim videbimus, mendacium verum nunquam, quia per ſe & ſua natura malum, hinc recte inter hæc duo differentiam D. D. ſtatuunt, verum in quo illa conſiſtat ambigitur, nonnulli eam eſſe dicunt, quod voces naturaliter ſunt ſigna intellectuum, res non item. Sed contra verum eſſe Auctor noſter ſtatuit, dum voces natura ipſa citra hominum voluntatem nihil ſignificare affirmat, niſi forte vox ſit confuſa, qualis in dolore, quæ ipſa magis rei appellatione venit quam locutionis, cui opinioni cur ſubſcribere nequeam, hæc me movet ratio, ſcilicet quod Dei non hominis inventum ſermonem mihi perſuadeo, quemadmodum facultatem loquendi & verba enunciandi ad Deum tanquam primum principium & ejus auctorem referimus, ita quoque ſermonem ab eadem origine derivamus. Quid autem eſt ſermo niſi ſignum in vocibus ſive verbis ſive loquela conſiſtens, quo quis conceptus & animi cogitata alteri communicat. Ut vero alter ea intelligat, oportet, ut eandem elocutionis ſive verborum aut vocum, quibus utitur ad mentem ſuam illi, quicum colloquitur, ſignificandam, habeat ideam; quippe abſque ejuſmodi idea vox nihil aliud quam ſonus inanis. Sed unde in intellectu hominis primæ illæ ideæ, quæ animo repræſentant ejuſmodi voces & verba, quæ enunciantur, hanc vel illam habere ſignificationem, & proinde quicum colloquor de hac vel illa re, habere ſermonem, an ab impoſitione & arbitrio hominis huic vel illi rei impoſita? ſed unde illa impoſitio, niſi prius aliqua menti idea innata, hominem informans de natura ejuſdem rei, cui imponenda, hinc toties conveniunt rebus nomina ſæpe ſuis; quippe nulla præexiſtente in mente & intellectu idea, vix ullam ejuſmodi convenientiam perſpiceremus; verum cum rerum naturæ conveniens vox in altero eandem excitat ideam, evenit ut mentem alterius intelligat, dum ſermone utitur, quæ ideæ, rei ſubjectæ notandæ convenit, de qua diſputatur, quamobrem non videntur mihi a vero aberrare, qui dicunt, voces naturaliter eſſe ſigna intellectuum, quod ita interpretor, quod natura quaſi duce ejuſmodi voces rebus impoſitæ, quas articulatim pronunciando rem ſubjectam notam faciunt, ita ut alter intelligat animi conceptus. Ex natura itaque objecti & intrinſeca aliqua neceſſitate, non ex mero hominum arbitrio atque inſtituto rerum voces & appellationes tanquam ab origine, attamen non prima repetendas exiſtimo. Primævæ linguæ auctorem, unde & cæteræ dimanarunt, ſummum Numen ſtatuo, qui immediate eam primis hominibus infuſit, quam ex ipſis geniti deinde uſu audiendi addiſcerent,

quod

quod factum mihi videtur, cum mentem ipſorum illuminavit intelligentia ſive cognitione illarum rerum, quæ voce vel verbis exprimebantur, ex illorum cum re ſubjecta perſpicua convenientia ſive relatione, quæ vel ex ipſa rei natura, vel figura & forma, ſeu aliis id genus propriis qualitatibus, ſive intrinſecis ſive extrinſecis, perſpiciebatur. Sic Adam non temere, ſed ſumma ratione vocabula animantibus impoſuiſſe, ex peculiari ipſorum natura deſumpta, & diſerte ipſorum proprietates exprimentia, ut ad primum vocabuli ſonum mox natura cujuſque intelligeretur, Sacræ teſtantur paginæ. Unde autem ejuſmodi nominis cum rebus convenientia, niſi prius in mente exiſtat rei intelligentia ſive notitia. Cur conjugem *viraginem* ſive potius *viram* appellare voluit, niſi quod genus a viro duceret, quia de viro ſumpta; erat quippe ex oſſibus viri ædificata. Sic etiam Hevam ſive Havam nominavit uxorem ſuam, quia mater omnium viventium חוה *Hava*, quod a חוה *vixit*. Unde *oi* LXX. Εὔα, quod, ut eſt ab aliis obſervatum, nomen erat mulieris apud Græcos, ut ratio nominis primi parentis etiam Græcis liqueret, *cap*. 4. 1. ubi nulla eſt nominis Græcè efferendi cauſa, iidem Intt. Ἐύαν eam vocant. Cleric. *comment. in Gen. cap.* 3. Quomodo quæſo ſe mutuo intelligere & animi ſenſa ſibi invicem communicare, tum etiam cum Deo colloqui potuiſſent vetuſtiſſimi mortalium, niſi prius intus vim & proprietatem verborum percepiſſent. Unde vero ejuſmodi intelligentiam habuere, niſi ab eodem auctore, a quo & enunciandi, quæ vellent, verba, facultatem & potentiam nacti? An prius cum Creatore ſuo de verborum ſignificatione convenerunt, vel ipſi excogitarunt loquelam ſive orationem & nomina, quibus animi ſenſa ad placitum exprimerent? Nonne idem ille, qui primo homini os poſuit, etiam in eo ſermonem & loquelam poſuit; itaque non ad hominis, ſed Numinis placitum nomina inventa & rebus impoſita, ſive quaſi cum rebus ipſis nata, quibus naturæ & qualitatibus conſentanea nomina indita. Quamobrem recte Cratylus apud Platonem: *Rebus ſingulis natura ineſſe rectam nominis rationem. Neque id eſſe nomen quod quidem ex conſtitutione vocant, dum vocis ſuæ particulam quandam pronunciant. Sed rectam rationem aliquam nominum & Græcis & Barbaris eandem omnibus innatam.* A Deo itaque edocti primi mortalium, non pacto vel conventione linguam conſtituerunt aut excogitarunt, ſed infuſam & innatam elocuti. *Sunt ex Veteribus & Recentioribus, qui eos ſe mutuo primum non intellexiſſe, & linguam non niſi ſenſim inventam exiſtiment. Verum ut ad pleraque vocabula rerum, quorum nullus eis erat uſus, quod attinet, concedi hoc poteſt: ita in ſumme neceſſariis, non videtur Deus iis maxima cum moleſtia inveniendam reliquiſſe. Cum adulti uterque eſſent a Deo creati, creatus ſimul in illis loquendi habitus, ſaltem in præcipuis, (& quidni etiam in cæteris, quæ ad beate vivendum conducunt, vel ſaltem in vita curſu ſuum præſtare poſſunt uſum,) quod haud multo aliter eveniſſe crediderim, quam quando Apoſtoli linguis, quas antea ignoraverant, loqui cœperunt. Is linguam callere dicitur, qui animi ſenſa verbis ea lingua uſitatis efferre poteſt, quod longo uſu ſolet acquiri: at Apoſtoli in ſe id ſubito divinitus invenerunt, quod non niſi tempore alii homines conſequuntur; quo pacto etiam Adamus & Heva creati ſunt, cum eodem loquendi habitu, quem nos aliquot annis contrahimus. Qui ergo mentem humanam & mirabile corporis opificium formare potuit, idem cum probe ſciret, quid requireretur ut ſermones inter eos haberi poſſent, quod uſus in aliis creat, primis parentibus ſine mora dedit. Ac ſane abſque eo dono Deum ipſos alloquentem intelligere non potuiſſent, nec rei fuiſſent ſpreti divini moniti, quod non magis quam bruta potuiſſent intelligendo aſſequi:* uti diſſerit vir doctiſſimus Joan. Clericus *comment. in Geneſ. cap.* 2. Unde egregie falluntur, qui nullam linguam homini congenitam affirmant. Non autem neceſſum fuit, ut cum eodem habitu loquendi Adami poſteri naſcerentur; quippe ſatis ipſis proviſum, dum eloquendi & pronunciandi articulatim verba facultate cuique congenita, verborum vim & proprietatem uſu & adſuetudine percipere & addiſcere poſſent a parentibus, vel iis, quibus educationis cura incumbebat, nati nurtæque. Qua ratione ſermo & lingua ad ſeros nepotes, uti etiam ad nos, & alias nationes deinceps quaſi per propagationem pervenit, non quidem eadem, quod ad dialectum, verum non omnino diſſimilis, quantum ſignificationem & denotationem attinet. Itaque ſemel infuſa & congenita lingua ſufficiebat ad erudiendum mortale genus ſermonem, quæ hominem homini devincit & ſocietatem tuetur; non inficior, poſtquam in varias gentes & nationes diviſum mortale genus, ſimul quoque ortas varias linguas, id eſt, cœperunt novæ dialecti formari, unde nova quaſi lingua oritur, non origine, ſed flexione & pronunciatione humana. Quamobrem omnes, quotquot ſunt in orbe terrarum primæ linguæ, originem ſuam debere linguæ Hebraicæ ſtatuit vir eruditione florentiſſimus Vitringa *obſervat. lib.* 1. *cap.* 6. tanquam quæ ex ea, *veluti matre ſua, natæ ſint, ſive mediate ſive* ἀμέσως*: ac proinde probabile eſſe, in linguis omnium populorum ſupereſſe ſpecimina & argumenta, ex quibus probari poſſit, illas ex Orientalibus linguis emanaſſe. Et ſane*, inquit, *ne hæc quidem noſtra collectio fallit. Oſtendi poteſt, & demonſtratum jam eſt a viris doctiſſimis, omnes linguas alias orbis terrarum originem debere Hebrææ, ſc. Aſiaticis, quæ magnam inter ſe habent affinitatem. Superſunt enim in omnibus linguis manifeſta indicia & rudera linguæ Hebrææ.* Ita non ab humano arbitrio, vel aliqua conventione vocum & nominum ſignificationes, ſine qua nullus ſermonis uſus aut commercium haberi poteſt, petendæ; ſed derivandæ a primæva lingua a Deo primis hominibus infuſa, quam ex ipſis geniti deinde addidicerunt. Sic Celticam atque Teutonicam aut Germanicam linguam,

quæ

Digitized by Google

quæ in Belgica & Germanica hujus temporis, aut in Wallica Britannorum, magnam partem, licet non abſque mutatione notabili, ſervatur, omnino natam eſſe ex Hebræa probat vir doctiſſimus ex manifeſtiſſima convenientia, quæ eſt inter Hebræam & Belgicam tam in vocibus quam in phraſibus, ita ut eædem voces eandem rem denotantes ſæpius occurrant in utraque lingua. Sic הוה *Have*, ex צבר vel עבר *ἀγρὸν agrum* **acker** / ubi & plura ejuſmodi ſpecimina vid. Non inficior interjecto tempore voces novas inventas, & nomina nova pro objectorum varietate etiam arbitrio humano ſeu conſuetudine & uſu rebus impoſita, verum id tantum probare intendo, vim determinativam hoc vel illud ſignificandi, ex qua alter intelligit animi noſtri conceptus, id eſt, certam in animo ideam excitandi vocabulis quaſi a natura ineſſe, atque proinde non ex mero hominum arbitrio atque inſtituto deducendam, ſed divini Numinis ſummæ adſcribendam ſapientiæ, quæ homines edocuit ſermocinari inter ſe, dum facultatem ipſis dedit pronunciandi articulata voce rerum vocabula, cujus vim & proprietatem ex earundem natura & qualitate perſpiciebant, ita ut ſingulæ res quaſi propria ſibi nomina imponenda proderent, unde certam ſemper ſignificationem habere ſolent, ita ut ille, ad quem ſermonem dirigimus, certus eſſe poſſit de animi noſtri intentione & ſenſu, itaque in verborum ſignificatione acquieſcendum, & nihil ultra requiritur, ut veram dicentis mentem intelligamus, atque eandem eſſe dubitari nequit, quam quis verbis præ ſe tulit; quamobrem verba ſunt animi & voluntatis noſtræ indicia & teſtes, unde de viro candido, ſincero & veritatem amante prædicare ſolemus Belgico ſermone, **hy heeſt ſijn hert op de tong** / id eſt, qui agit & intendit vel credit id, quod ſermo exterior ſonat, & opponitur ei, qui aliud habet in lingua promptum, aliud in pectore clauſum. Unde facile perſpicimus, quomodo quis dici poteſt homo verax & fallax. Quemadmodum autem perpetua & indiſpenſabilis illa obligatio, qua tenemur mendacium & fallaciam fugere, & veritatem profiteri, eodem juris vinculo tenemur agere & intendere, quicquid ſermone expreſſimus, neque nihil exteriore ſermone proferre, quam id, quod intendere animum induximus, unde viri boni, honeſti, probi & veraces dicimur. Patet autem animus ex verbis, ex ſermone verborum, itaque enunciatio producit illam obligationem in actum, qua quis agere tenetur, uti verba ſonant, ſive quod ſignificant, quia verborum ſignificationi conveniens operari & agere, eſt verum profiteri. Pendet quidem a cujuſque arbitrio & voluntate eloqui an ſilere velit, ſed neceſſitatis eſt, quoties eloquitur, ut verum dicat, id eſt, verba cum intentione & mente conveniant, nec mendacii nota ſeſe liberat, quod ſe alio ſenſu verba pronunciaſſe dicat, quam quo alter ea accepit; quippe verborum ſignificationem receptam ſequi, non alienam in ſuo cerebro conflare debet. Veritas rem quamlibet ſignat ſuo nomine. Verum mihi videtur, mendacium non ſolum conſiſtere in diſconvenientia orationis vel ſermonis cum mente & animi ſenſu, verum oportet, ut quis etiam habeat voluntatem falſum enunciandi & alterum decipiendi. Itaque duo ſemper ad mendacium requiruntur; primo ut enunciatio ſit falſa & contraria veritati; ſecundo ut adſit voluntas falſum enunciandi, & pro vero alii obtrudendi: unde Moraliſtæ nonnulli definiunt mendacium, quod ſit ſignificatio vocis cum voluntate fallendi vel decipiendi audientem. Poteſt quis enunciationem proferre, quam falſam novit, itaque nec ipſe eam pro vera amplectitur, neque aliis tanquam veram perſuadere animum habet, quamvis falſum quid pronunciet, mendacii tamen notam non incurrit, quia abeſt animus decipiendi & fallendi audientem, ea, quæ dicit, non intelligentem.. Sed quæritur, an non etiam rebus ipſis & factis mendacium admittitur? Et dicendum videtur, quibus ſignis etiam nutibus, rebus ipſis ac factis, quibus utimur ad mentem noſtram alteri ſignificandam, mentiri poſſe. Unde Moraliſtæ, mendacium late acceptum, dicunt; eſſe ſignum aliquod, exterius repræſentans aliter, quam credit & intendit is, qui utitur eo, quamobrem ad mendacium rediguntur hypocriſis fictio, ſimulatio, fraus, inſidiæ. Huc pertinet Juriſconſultorum dicterium, factis non minusquam verbis, imo fortiorem mentis ſenſum edi; quare ergo nec iiſdem mendacium committeretur? Verum ſtricte accepto mendacio, convenit ſolum vocibus, quas ut rerum notas in ſermone uſurpamus, eam præ cæteris animantibus homini facultatem peculiarem ſummus rerum Opifex largitus eſt, ut aliis conceptus animi poſſit voce & ſermone indicare, atque hac ratione ſocietatem & commercia cum ſui ſimili colere: ejus enim vinculum ratio & oratio, teſte Cicerone; ſi vinculum ſit, oportet ut ſit vera, ſincera, & abſque omni fuco & ſimulatione producta, quæ animi index & interpres eſſe poteſt, niſi conveniat cum interioribus animi cogitationibus, atqui ſocietas nequit conſervari aut coli, niſi ſibi invicem homines ſuos conceptus ſuaſque cogitationes perſpiciant, quod fit oratione & ſermone, ſequitur, natura ipſa dictante, orationem & loquelam homini datam, ut veritatem in omni ſermone profiteretur, utpote quæ nihil aliud eſt quam cogitationum, ſenſuum & orationis cum re ipſa conſenſio, mendacium vero fugeret, tanquam orationis abuſum, & ſocietati diſtrahendæ cauſam præbens, & ipſi naturæ repugnans, quæ ſermonem nuncium cogitationum humanarum eſſe voluit. Cui accedit, quod inter homines exſuſcitat diffidentiam, dum fidem tollat, qua ſublata, corruit ſocietatis humanæ fabrica: orationis enim finis primarius reſpicit maxime ſocietatem, quæ homini cum homine natura intercedit; quippe ſi ſibi tantum natus eſſet, nihil ea opus, cum quiſque ſeſe, etiam tacentem ac mutum, ſatis intelligat, quod tamen ſermo no-

ſter

Digitized by Google

ſter debeat eſſe veritati congruus, id eſt, conſentiens cum animi cogitarionibus, ad ejus quoque auctorem referri debet, qui nullum alium in finem hnmini eloquendi per verba & voces animi conceptus poteſtatem & aptitudinem conferre potuir, quam ut hac ratione veritatem proſerret; atqui illa conſiſtit in orationis cum animi cogitatione & intenrione convenienria; ergo nunquam alio ſenſu vel alia mente verba & voces enunciare nobis licet, quam qui menti noſtræ conſentaneus; quæ autem ſit mens noſtra, ex verborum ſignificatione per enunciationem ſeu orationem patefacta intelligitur. Ex quibus perſpicitur, alrius derivandam mendacii originem & naturam, quam ab humano arbitrio & quaſi pacto & convenrione ſuper verborum ſignificarione & uſu facta, ab ipſa natura ſcilicet, ſive ſummo rerum arbitro & moderatore Deo, veritatis fonte, qui, quemadmodum vetuſtiſſimis mortalium linguam inſudir, unde paulatim cæteræ derivatæ, quemadmodum ab una familia genus humanum, in ror gentes & nationes diviſum, originem traxit, ita quoque obligarionem ipſis impoſuit, ne quid inſidioſe, ne quid ſimulate, ne quid fallaciter eloquerentur: ad illum enim finem deſtinatus ſermonis uſus, quoniam ipſe Deus verus eſt. Atque hæc Dei veritas omnis quoque veritatis origo & cauſa in creaturis eſt. Ab idea enim illa Dei & ſumma ejus vnluntate, qua rerum naturas & eſſentias tales vel tales eſſe voluir, talesque intelligit, nihil potuit deflectere, ut inquit ſummus Theologus Franciſc. Burman. *Synopſ. lib.* 1. *cap.* 24. Nec ab ea & nos deflectere oportet, utpote qui naturas & eſſentias eodem modo cognoſcimus taleſque intelligimus, quo nobis revelatæ, atque ab ejuſmodi intellectu denominationes & appellationes, hinc voces, hinc arborum ſignificationes ad rem non tam repertæ, quam quidem cum ipſius rei idea quaſi innatæ & infuſæ videntur. Quod ſi quis ejuſmodi derivationem & nominum impoſitionem ad poſteros propagatam, tacitam conventionem, quatenus uſu & conſuetudine a poſteris recepta, appellare velit, per me licet. Quod res alias attinet, quibus aliquando loco verborum & vocum ad mentem noſtram exprimendam uti poſſumus, & quoque nonnunquam ſolemus adhibere, circa earum uſum amplior libertas nobis competit, utpote quæ non certam ſemper natura ſua & per ſe, ſed dubiam quandoque & ambiguam, quia pendet ab arbitrio utentis, ſignificationem continent, non imponunt illam neceſſitatem vel obligarionem, qua quis tenetur eodem modo & in eodem ſenſu & intellectu iiſdem uti; quippe nullo jure devinctus ſum, ut ad alterius arbitrium ejuſmodi ſigna arbitrariam, ut ita dicam, ſignificationem habentia, in eo ſenſu adhibeam, quem alter ex eorundem uſu poſſet concipere, niſi jus aliquod præcipuum in meas actiones haberet, quo poſſet a me exigere, ut hoc non alio modo eaſdem adhiberem, quo exinde de animi mei ſenſis judicare poſſit; atqui homines in ſtatu naturali ſibi æquales, alter in alterius perſonam vel actiones nihil juris habet, niſi pacto vel conventione ſibi quid juris acquiſiverir, quod ſecus in ſermone, qui verbis & vocibus conſtat certam ſignificationem habenribus per ſe & ſua natura, & proinde mutuam obligationem producunt, qua homines ſibi devincti, iiſdem tanquam ſignis fallere neſciis uri ad animi cogitara ſibi invicem communicanda, ira ut quoties has vel illas voces quis enunciaverit, ex earundem intellectu ſtarim judicare poſſim quid illis denotare & ſignificare voluerit, & proinde fidem adhibere lnquenti, rem ſeſe ita habere, ut ſonar ſermo, vel animum habere eadem agendi, præſtandi atque faciendi, quæ elocutus; quod ſi ſecus acciderit, mendacem, fallacem hominem dicimus, utpote cujus aliena ab animi ſenſu orario. Et quamvis, ut dicere incepimus, circa uſum aliorum ſignorum, quibus animi cogitationes quandoque indicare ſolemus, major libertas, notandum tamen neque hiſce decipere vel fallere licitum, quoties verborum loco adhibemus ad animi ſenſa alteri ſignificanda, qui intelligendi ea & judicandi jus habet, & nobis obligario incumbit faciendi, ut ille noſtram ſentenriam intelligat, ejuſmodi ſimulationes mendacium redolent & ejus naturam imitantur. Unde patet illum, qui pro ſermone aliis ſignis, nutu motuque membrorum utitur, eodem juris vinculo verum dicere adſtringi, quo tenetur ille, qui voces & verba, etiamſi nullum inde nocumentum alter paſſurus, atque ita nobiſcum ſentire videntur ſanioris Theologiæ antiſtites. *Agnoſcimus ſimulationem proprie dictam habere rationem mendacii, cum nihil aliud ſit quam mendacium in exteriorum factorum ſignis conſiſtens*, inquit Revet. *comment. in Exod. cap.* 20. Quamvis enim, ut paulo ante notavimus, facta naturaliter nullam habeanr ſignificationem, niſi eam, quam quiſque velit, quories tamen in locum ſermonis ſuccedunr, cum obligatione animi noſtri ſenſa alteri ſignificanda conjuncta, aliter agere non licet, quam nos acturos alter ex factis intelligit. Unde colligimus, Chriſti exemplum nullius fraudis vel malitiæ aut mendacii nota adſperſum. Finxit vel ſimulavit ſive ſpeciem præ ſe tulir Chriſtus ſe iturum longius, nulla hic obligatio, qua tenebatur Chriſtus diſcipulis ſignificare quo uſque progredi habebat animum: factum enim hoc erat a certæ ſignificationis vinculo omni modo liberum, poterat uſurpari ad ſignificandum quod libuit, quemadmodum cætera omnia libera, quod comites ex eo aliam conceperunt opinionem, quam intendit Chriſtus, non ex Chriſti perſuaſione, ſed eorum pependit arbitrio. Deſcribere placet, quæ Auctor noſter commentatus ad hunc locum: *Dico igitur facta naturaliter nullam habere ſignificationem, niſi eam quam quiſque velit: nam ex inſtituto ſignificationem non habent, niſi ea facta, quæ lege divina aut humana, ſub qua etiam pacta comprehendo, ad certam ſignificationem reſtringuntur, & proinde alio ſignificatu uſurpari licite non poſſunt. Cætera omnia libera ſunt a cer-*

ta ſignificationis vinculo, etiamſi plerumque ſoleant ad hanc aut illam rem ſignificandam uſurpari. Exempli cauſa: fuga ſolet quidem plerumque ut pavoris indicium accipi; attamen etiam non paventi fugere licet; Circumciſio ſolet accipi ut nota ſe obligandi Judaicis ritibus; aliter tamen eam uſurpavit & recte Paulus, cum Timotheum voluit circumcidi. Ita progredi paſſus aliquot (quod hic facit Chriſtus) corpuſque in greſſum componere, quamquam itineris ulterioris propoſitum ſignificare ſoleat, licite tamen uſurpatur etiam extra tale propoſitum, quia actus talis ad quem unuſquiſque naturaliter jus habet, neque ulla lege ad illam ſignificationem eſt adſtrictus. Sed objicit ſibi Auctor, quod forte aliquis dicturus, ſi non ex parte materia, ſcilicet ipſius actus vel facti, certe ex parte formæ, id eſt, intentionis, eſſe vitium. Hoc enim agi, ut, qui id videt, decipiatur opinando. Verum id negandum arbitratur. Nam quod hic intenditur a Chriſto eſt major utilitas ſpectantium, neque talis opinatio ex tali actu ſpectato inevitabiliter ſequebatur: poterant enim opinari & aliud quippiam. Ponamus ſane ſciſſe eum aliter illos quam res habebat opinaturos, nec impediſſe: nihil in eo vitii eſt, ſi quis ſciat nec impediat quod impedire non tenebatur. Hic autem Chriſtus non tenebatur hoc impedire, quia id impediri illorum non intererat, imo ipſius intererat non impediri. Erat hæc ſimulatio Chriſti inſtructionis & explorationis, quæ omni vitio caret, ut inquiunt Theologi, quemadmodum & ea quæ fit cautelæ & induſtriæ cauſa, quæ in ſtratagematibus bellicis magnum quandoque uſum præſtat, & a Deo etiam approbatur, de qua *Joſ.* 8: 5, 6, 7. Simulabat Chriſtus ſe velle ulterius progredi, non ad fallendum diſcipulos, ſed ad eos explorandos, an flagrarent deſiderio ſui retinendi. Poteſt etiam dici, Chriſtum ulterius progredi in animo habuiſſe, & progreſſurum fuiſſe; niſi precibus diſcipulorum retentus fuiſſet, quam interpretationem Auctor ibidem approbare videtur. Altera tamen reſponſio ratione non deſtituitur. Quod circumciſionis actum attinet, poterat tunc temporis circumciſione libere uti Apoſtolus, quia erat actus per ſe indifferens, aliud quid intendit Apoſtolus, quam id, quod ex illo actu opinabantur Judæi, quod perperam factum Pauli interpretabantur, quaſi eo ſignificare vellet, circumciſionis præceptum nondum abolitum & proinde adhuc obligare Iſraëlis poſteros, præter intentionem Apoſtoli accidit, utpote qui noviſſime Petro in faciem reſtiterat Antiochiæ, dum circumciſioni videbatur nimis favere, *Galat.* 2. 3. ſed prudenter hac ceremonia uſus eſt Apoſtolus alium in finem, ſcilicet, ut Judæi converſi, qui hiſce ceremoniis pertinaciter adhuc addicti, in fide continerentur, tum etiam quia ſperabat Timothei opera multos ex Judæis nondum converſos ad Chriſtum poſſe converti, quorum nonnulli rigidioribus illis ſententiis occupati conſuetudinem ſermonemque ejus declinaturi fuerant, ſi ſciſſent incircumciſum. Perperam autem ſtatuit Auctor quaſi malum erroris inde ſecutum fuiſſet: nulli enim errori cauſam præbuit, ſed eludebat hac ratione opinionem, quam ſibi de neceſſitate circumciſionis fingebant Judæi. *Paulus Timotheum circumcidit, ut circumciſionem circumciſione expugnaret*, inquit Chryſoſtomus.

IX. 1. Gravior eſt diſputatio de illis notis, quæ, ut ita dicam, in commercio hominum verſantur, in quo genere proprie mendacium ſitum eſt. Multa enim ſunt contra mendacium in ſacris literis. *Verbum mendax odio habebit juſtus*, id eſt, vir bonus, Proverb. XIII: 5. *Falſiloquentiam & verbum mendax amove a me*, Proverb. XXX: 8. *Perdes loquentes mendacium*, Pſal. V: 7. *Ne mentimini alter alteri*, Coloſſ. III: 9. Et hanc partem rigide tuetur Auguſtinus: & ſunt etiam inter Philoſophos & Poëtas qui cum eo ſentire videantur. Notum illud Homeri:

Ille mihi inviſus pariter cum faucibus Orci,
Cujus mens aliud condit quam lingua profatur.

Sophocles:

Aliena vero proloqui nunquam decet:
At vera certam ſi cui peſtem ferunt,
Huic danda venia eſt ſi facit quod non decet.

Cleobulus:

Mendacium odit quiſquis animitus ſapit:

Ariſtoteles dixit: καθ' αὐτὸ τὸ μὲν ψεῦδος φαῦλον καὶ ψεκτὸν, τὸ δὲ ἀληθὲς καλὸν καὶ ἐπαινετόν: *per ſe mendacium turpe atque vituperabile, veritas pulchra ac laudabilis.*

2. Neque tamen deeſt in alteram quoque partem auctoritas: primum

mum in ſacris litteris exempla laudatorum hominum ſine reprehenſionis nota: deinde veterum Chriſtianorum pronuntiata, Origenis, Clementis, Tertulliani, Lactantii, Chryſoſtomi, Hieronymi, Caſſiani, imo pene omnium ut ipſe fatetur Auguſtinus, ita diſſentiens, ut tamen *magnam quæſtionem*, *latebroſam tractationem*, *diſputationem inter doctos alternantem* (hæc enim omnia ipſius verba ſunt) agnoſcat.

3. Inter Philoſophos aperte hinc ſtant Socrates & diſcipuli ejus *Plato I.*
Plato, Xenophon, & alicubi Cicero, & ſi Plutarcho ac Quintilia- *& II.*
no credimus, Stoici, qui inter ſapientis dotes ponunt mentiri ubi & *& V. de rep.*
quomodo oportet: neque videtur diſſentire aliquot in locis Ariſtote- *Xenoph.*
les, cujus illud καθ' αὑτὸ quod diximus exponi poteſt communiter, ſi- *quarto. Socrat.*
ve re ſpectata ſepoſitis circumſtantiis. Interpres autem ejus Androni- *Plut. de*
cus Rhodius de Medico apud ægrotum mentiente ſic ait: ἀπατᾷ μὲν, ἀπα- *Stoicorum con-*
τεὼν δὲ οὐκ ἔστι: *decipit quidem, at deceptor non eſt*: Cauſam addit: οὐ γὰρ τέλος ἔχει *trar.*
τὴν ἀπάτην τοῦ νοσοῦντος, ἀλλὰ τὴν σωτηρίαν: *non enim propoſitum ſibi habet decipere, ſed* *Quint. XII. I.*
ſervare ægrotum. *Nic.*

4. Quintilianus, quem dixi, hanc ipſam partem defendens, ple- *VII. 3.*
raque eſſe ait, quæ non tam factis quam cauſis eorum vel honeſta fiant, *IV. Nic. 8.*
vel turpia. Diphilus,

Quod pro ſalute dicitur mendacium
Me judice habere nil poteſt incommodi.

Quærenti apud Sophoclem Neoptolemo,

Non tibi videtur turpe falſiloquentia?

Reſpondet Ulyſſes,

Non, ſi ſalus naſcatur ex mendacio.

Cui ſimilia ex Piſandro & Euripide adferuntur. Et apud Quintilianum lego: *Nam & mendacium dicere etiam ſapienti aliquando conceſſum eſt.* Euſtathius Metropolita Theſſalonicenſis ad ſecundum Odyſſeæ: ψεύσεται κατὰ καιρὸν ὁ σοφός: *mentietur ſapiens re urgente*: ubi & ex Herodoto & Iſocrate teſtimonia adfert.

COMMENTARIUS.

Diximus paulo ante, ſtricte acceptum mendacium convenire ſolum vocibus, quas ut rerum notas in ſermone uſurpamus; poſſe etiam fieri mendacium nutibus & geſtibus, ſuperius diximus, ſcilicet, quoties hiſce utimur vice verborum. Quamobrem Moraliſtæ plerique nomine locutionis comprehendunt omnem ſignificationem, ſive verbis fiat, ſive geſtu, ſive alia ratione, modo tanquam ſignis ad animi ſenſa ſignificanda utimur, & proinde certam ſignificationem illis imponere volumus, ut alter nobis fidem habeat. Quæritur autem, an aliquando hiſce ſignis, vocibus imprimis ad aliquid aliud ſignificandum uti liceat, quam intus credimus & intendimus, & proinde, an mentiri quandoque licitum, diſputatur. Multa contra mendacium, tum in Sacris literis, quæ cuique notæ, tum etiam apud profanos ſcriptores, occurrunt: *Labia mendacia eſſe abominationem Domino*, teſtatur Regum ſapientiſſimus, *Proverb.* 12.22. *Noli velle mentiri omne mendacium, Eccleſiaſtic.* 7. Eadem eſt communis omnium Theologorum & Canoniſtarum opinio, nunquam eſſe licitum mentiri. Fuſe id docet Auguſtinus libris duobus ad *Conſentium*, quorum alter *de mendacio*, & alter *contra mendacium*: omne enim mendacium per ſe malum. Auguſt. *Enchirid. ad Laurentium cap.* 22. *Omne*, inquit, *mendacium, ideo dicendum eſt, eſſe peccatum, quia homo non ſolum quando ſcit ipſe quid verum ſit, ſed etiam ſi quando errat & fallitur ſicut homo, hoc debet loqui quod animo gerit, ſive illud verum ſit, ſive putetur & non ſit. Omnis autem qui mentitur contra id, quod animo ſentit,*

loquitur voluntate fallendi. Et utique propterea ſunt inſtituta, non per quæ ſe invicem homines fallant, ſed per quæ in alterius quiſque notitiam, cogitationes ſuas proferat. Verbis igitur uti ad fallaciam non ad quod inſtituta ſunt, peccatum eſt. Quam rationem etiam adſert Aquinas 2.24.110. *Voces*, inquit, *naturaliter ſunt ſigna intellectus, innaturale igitur & indebitum quod aliquis voce ſignificet id, quod non habet in mente.* Unde Philoſophus Ethnicus concludit Ariſtot. *Ethic. lib. 4. cap. 2. Omne mendacium eſſe per ſe pravum & fugiendum. Dicere, aliqua mendacia eſſe juſta, eſt dicere, aliqua eſſe juſta peccata, & per hoc aliqua juſta eſſe, quæ injuſta ſunt;* inquit Auguſt. *cap. 15. contra mendac.* Et Gregor. *moral. lib. 18. cap. 4. Omne mendacium iniquitas eſt, quia ab æquitate diſcrepat, quicquid a veritate diſcordat.* Turpiſſimum apud Perſas habebatur, mentiri, teſte Herodoto lib. 1.

Et Phocylides:

Mendacia noli dicere, ſed vera omnia loquere.
Noli aliam in corde occultare ſententiam, & aliam proferre.

Et Homer. *Iliad.* Δ.

Ne mentiaris cum ſcias vera dicere.

Et Menander Comicus Poëta:

Profecto intolerabilis res eſt, mendacia loqui.

Hinc viris bonis & honeſtis nihil magis deteſtatum atque exoſum, quam mendacium, unde in turpiſſimis ſemper habitum illud objici viro gravi & honeſto, *Quid miſerius eſt homini libero, quam vocari mendacem*, Sophocles Trachiniis. Hæc nota inuritur Cretenſibus apud Callimachum, quod *ſemper mendaces, hymn. in Jovem verſ.* 8. Mentiri quandoque licitum, tum Sacræ Scripturæ exemplis, tum quorundam Patrum auctoritate confirmare nituntur, quem in finem adferunt exempla multa ſanctorum Virorum, qui, exigente neceſſitate, non ſolum diſſimularunt veritatem, ſed etiam ea dixerunt, quæ a veritate aliena noverant. Qualia occurrunt multa in Geneſi, in Patriarcharum hiſtoria, ut Abrahami, Iſaaci, Jacobi, Joſephi, obſtetricum in Ægypto. Nec defuere Patres, qui putaverunt licitum quandoque mendacium, quoties ſcilicet videtur neceſſarium ad evitandum grave aliquod incommodum vel damnum, aut obtinendum majus bonum: atque hanc in opinionem adductum Origenem patet ex ejuſdem ſcriptis in 6. *Stromatum*, ubi approbat ſententiam Platonis, quam tuetur *lib. 3. de Rep. Deo quidem indecens & inutile eſſe mendacium; hominibus vero quandoque utile & neceſſarium, ut eo, tanquam medicamento, utantur.* Eandem quoque ſententiam approbare videtur Chryſoſt. *lib. 1. de Sacerdotio.* Hieronymus, Theodoretus aliique plures. Imo adeo communis hæc olim fuit ſententia, ut pene omnibus videretur, *quod, ubi nemo læditur, pro ſalute mentiendum*, uti teſtatur Auguſtinus *quæſt. 68. in Levit. Mendacio utendum eſſe quaſi helleboro, ad diſcrimen aliquod magnum depellendum*, inquit Caſſianus. Verum hiſce objectionibus reponimus, primo quod ſanctorum Virorum exempla nobis imitari licet, quatenus cum voluntate divina conſentiunt: fuerunt enim homines, uti & nos, & proinde non vixerunt abſque peccato: ſepties enim cadit juſtus uno die, nec deſunt exempla ſanctorum Virorum, qui graviſſima admiſerunt peccata. Leges divinæ nobis agendorum norma ſunt, non exempla, ſi cum legibus non habent convenientiam. Quod vero obſtetrices & Rahab meretrix remunerationem acceperunt a Deo, non eo factum, quia mentitæ, ſed ab una parte propter amorem erga populum Dei, & fidem erga homines, quos hoſpitio exceperat: pietatem & miſericordiam erga infantes ab altera. *Non eſt in eis remunerata fallacia, ſed benevolentia, benignitas mentis, non iniquitas mentientis*, ut inquit Auguſtinus *de mend. cap.* 15. Optime monet idem, quod, *quando ſimilia facta vel exempla legimus in Scripturis Sanctis, non quia facta credimus, ideo facta credamus, ne violemus præcepta, dum paſſim ſectamur exempla.* Item: *Conſtat, quod non omnia, quæ a ſanctis vel juſtis Viris legimus facta, transferre debemus in mores: ſed etiam hinc diſcere, quam late pateat, & ad quos uſque perveniat, quod Apoſtolus ait; Fratres etſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui ſpirituales eſtis, inſtruite ejuſmodi in ſpiritu lenitatis.* Diſtinguenda ſemper virtus actionis a vitio & nævo ei adhærente & modo quo fit, ut ajunt Theologi. Cui accedit, quod, cum mendacium ſit per ſe & ſua natura malum, nulla ratione fieri poſſit bonum vel licitum, etiamſi finis, cujus obtinendi cauſa adhibetur, ſit bonus; quippe, ut paulo ante dicere incepimus, non ſunt facienda mala, ut inde bona eveniant; finis bonus quærendus mediis licitis, nec ullæ circumſtantiæ externæ poſſunt mutare rem per ſe malam, ut ajunt Theologi.

X. 1. Tam diffidentium ſententiarum conciliatio forte aliqua reperiri poterit ex largiore aut ſtrictiore mendacii acceptione. Neque hic mendacium ſumimus quatenus & imprudenti accidit, quomodo mendacium dicere & mentiri apud Gellium diſcernuntur: ſed de eo agimus quod ſcienter profertur cum ſignificatione, quæ mentis conceptui, ſive in intelligendo, ſive in volendo, diſconveniat. Nam quod primo καὶ ἀμέσως verbis & ſimilibus notis indicatur, ſunt mentis conceptus: ideoque non mentitur qui dicit rem falſam quam veram exiſtimat,

Th. 2: 2. qu. 110. art. 1. in reſp. Gell. XI. c. XI.

ſtimat, ſed qui dicit rem veram quidem, ſed quam falſam putat, mentitur. Significationis ergo falſitas id eſt, quod ad communem mendacii naturam requirimus. Cui conſequens eſt cum vox aliqua aut ſermonis complexio eſt πολύσημος, id eſt, plures uno ſignificatus admittit, ſive ex vulgi uſu, ſive ex artis conſuetudine, ſive ex figura aliqua intelligibili, tunc ſi animi conceptus uni iſtarum ſignificationum congruat, non admitti mendacium, etiamſi putetur is qui audit in aliam partem id accepturus.

2. Verum quidem eſt talem locutionem uſurpatam temere non probandam: ſed poteſt ex accedentibus cauſis honeſtari: puta, ſi id pertineat ad erudiendum eum qui curæ noſtræ eſt traditus, aut ad evitandam iniquam interrogationem. Prioris generis exemplum ipſe Chriſtus dedit, cum diceret, *Lazarus amicus noſter dormit*, quod Apoſtoli accipiebant tanquam de dormitione ſomni diceretur. Et quod de Templo inſtaurando ipſe dixerat, intelligens hoc de ſuo corpore, Judæos ſciebat accipere de Templo proprie dicto. Sic & cum Apoſtolis adinſtar Phylarcharum apud Hebræos ſedes eximias & regi proximas duodecim promitteret, & alibi vini novi potationem in patris regno, ſatis ſciviſſe videtur non aliter hoc ab illis accipi, quam de regno aliquo hujus vitæ, cujus ſpe ad ipſum momentum Chriſti ad cœlum aſcenſuri pleni erant. Idem alibi per fabularum ambages populum alloquitur, ne audientes ipſum intelligerent, niſi ſcilicet animi attentionem talem ac docilitatem afferrent qualem afferri par erat. Poſterioris uſus exemplum ex profana hiſtoria dari poteſt in L. Vitellio, cui Narciſſus inſtabat, aperiret ambages & veri copiam faceret: ſed non ideo pervicit, quin ſuſpenſa & quo duceretur inclinatura reſponderet. Dictum Hebræorum huc pertinet: אם יודע אדם להמור את דבריו מוטב ואם לאו ישתוק; *ſi quis norit uti perplexiloquio, recte: ſin minus, taceat.*

Joh. XI: 11. *Joh.* II: 20, 21. *Luc.* XXII: 30. *Matth.* XXVI: 25. *Act.* I: 6. *Tac. Annal.* XI.

3. Contra accidere poteſt, ut tali loquendi genere uti non modo illaudabile ſit, ſed & improbum, puta, cum Dei honos, aut amor proximo debitus, aut reverentia adverſus ſuperiorem, aut rei quæ agitur natura, exigunt, ut quod animo cogitatur, omnino pateſiat: ſicut in contractibus diximus id aperiendum, quod natura contractus intelligitur exigere: quo ſenſu non incommode accipi poteſt Ciceronis illud, *tollendum eſſe ex rebus contrahendis omne mendacium*, deſumptum ex veteri lege Attica κατὰ τὴν ἀγορὰν ἀψευδεῖν, quibus in locis mendacii vox videtur ita laxe accipi ut etiam obſcuram locutionem includat. At nos proprie loquendo a mendacii notione idipſum jam excluſimus.

Demoſth. in Leptinem.

COMMENTARIUS.

Quoniam, ut ſtatim annotavimus, mendacium ex ſua natura peccatum eſt, & non poteſt eſſe niſi malum, ſequitur nulla ratione bonum vel licitum fieri poſſe, & proinde fruſtra mihi elaborare videtur Auctor, ut diſſidentium ſententiarum aliquam conciliationem reperiret. Largior vel ſtrictior mendacii acceptio neutiquam hanc conciliationem pariet. Quippe,

pe, ut optime inquit Zeiglerus, quod ex ſua natura vitioſum & malum, nunquam poteſt tam late capi, ut ſub eo comprehendatur res licita. Nullus dubito, quin Auctor mihi conceſſurus, mentiri, & verum dicere, ſibi e diametro eſſe oppoſita, alterum ſub notione mali, alterum ſub notione boni, utrumque habens neceſſitatem moralem, ex natura utriuſque profluentem, hoc obligationem parit, qua tenemur illud in ſermone fugere, hoc agere, ita ut in eodem loco vel una ſede morari nequeant. Sed hæc duo extrema, quæ nullum habent intermedium, quemadmodum nec inter virtutes & vitia datur aliquod tertium, ita ut ſi vel minimum a virtute deflectamus, vitium contrahimus: actiones enim, quæ ab homine proficiſcuntur, alterutrius vocabulo comprehenduntur. Idem in ſermone obtinet, ita ut uratio noſtra vel vera vel falſa eſſe debeat, ideoque vel ſub mendacii, vel veritatis vocabulo, comprehendi debeat, continens moralem turpitudinem, & proinde illicitum, vel bonitatem & ſemper licita. Non inficior mendacium conſiſtere in mentis cum oratione diſcrepantia, ſive ſignificationis falſitate, ſed etiam affirmo hac ſignificatione ſumpto mendacii vocabulo, per ſe & ſua natura ſemper illicitum, tum etiam conſequentiam, quam ex illis præmiſſis format Auctor, approbare nequeo, quaſi ſermo ambiguus non mendacii nomine venire poſſet, quia non diſcrepat mens ab oratione: omnis ſermo illicitus, qui ad alterum doloſe circumveniendum & fraudandum adhibetur, in quo formale mendacii conſiſtit, quamobrem ſub mendacii vocabulo recte poteſt comprehendi. Nullæ circumſtantiæ ambiguitatem fallacem licitam reddunt. Fallacem voco, quia ea utimur ad decipiendum ſive fallendum proximum; quippe volunt æquivocationum patroni, licere in certis caſibus cum proximo agere, ut ad ipſius mentem non reſpondeamus; ſed ita ludamus verbis ambiguis & æquivocis, ex quibus apud nos intelligamus quidem veram enunciationem, ſed ei, cum quo nobis res eſt, verba demus, ex quibus novimus eum contrarium intellecturum, nec aliter poſſe. Quid hoc aliud quam mendacium admittere, quamvis reſpondeat animi conceptus uni iſtarum ſignificationi, adeſt tamen animus eum, ad quem ſermonem dirigimus, per ambiguitatem verborum decipere, & in eo excitare intellectum a ſenſu & mente noſtra alienum. Nihil enim intereſt, *utrum ſimplici mendacio, an per ambiguum ſermonem me decipias*, inquit Puſend. *lib.* 4. *cap.* 1. *præſertim, cum ambiguus ſermo, ſiquidem propoſito tuo debet inſervire, ita ſit conformandus, ut popularem magis ſenſum ego arripiam, abſtruſior & minus frequens tuis cogitatis reſpondeat. Aliter ſi uterque ſignificatus æque eſt dominans, nemo facile erit tam ſupina negligentia, quin interroget, in quam partem dictum illud accipi velis?* A mendacii itaque crimine haud abſolvendum puto, qui ſermone ambiguo ea mente utitur, ut vera animi ſenſa ſub hoc quaſi velo tegere poſſet, & in altero, quicum ſermonem habet, ingenerare opinionem alienam a ſuis animi cogitationibus, ipſe Auctor talem locutionem temere uſurpare diſſuadet, quoniam proxime ad mendacium accedit, imo ſub eo merito comprehenditur; quippe, ſi ejuſmodi locutio omni prorſus mendacii vel fallaciæ nota caret, cur non omni tempore, loco & caſu ea uti licitum? atqui certis tantum caſibus abſque mendacii vel fallaciæ nota ejuſmodi ſermonis uſum approbat Auctor, ſcilicet, accedentibus cauſis quibuſdam, quæ vitium locutioni alias adhærens tollunt, quales caſus ponit Auctor. Verum paulo ante diximus, quod nullæ circumſtantiæ poſſunt rem per ſe & natura ſua malam mutare. Mendacium ſemper eſt mendacium, quia ſua natura malum, & proinde ſemper illicitum. Quemadmodum ſcriptum mendax non mutuatur veritatem a lectore, ſic nec mendax aſſertio ab auditore, ita nec perſonæ qualitas aut conditio, quicum nobis res eſt, neque locus vel tempus, nec res alia mutare poſſunt naturam actus, in quo conſiſtit mendacium. *Itaque, quamvis nobis res ſit cum tyrannis, cum latronibus, aut non reſpondendum, aut, ſi reſpondeamus, major habenda eſt veritatis ratio, quam vita noſtra vel aliena*, ut inquit Rivet. *in decal.* Quamobrem non erubeſco erroris inſimulare Puſendorfium, qui ſtatuit cum quibuſdam Moraliſtis: *Si cui animi ſenſa omnino indicare non tenebar, ubi ſilentio defungi non licet, nihil prohibere, quo minus falſam opinionem pro ſimplici ignorantia propinem, ſi præter errorem iſtum nullum aliud conſequitur damnum, quo ipſe indignus eſt.* Verum quidem, neminem teneri totam mentem ſuam aperire, etſi verum ſit, quia tamen tenetur mendacium fugere, debet vel denegare reſponſum, aut ſi reſpondeat, vere & ſimpliciter reſpondere, & ad mentem interrogantis, non attenta illa diſtinctione, an jure rogati vel contra jus. Cuivis competit jus interrogandi alterum, atque etiam exigendi reſponſionem veram, ſi reſpondere non denegat; verum non habet quiſque facultatem cogendi alterum invitum, ut ad interrogationem reſpondeat. Obligatio verum dicendi in omni ſermone non ab humana conventione vel jure hominum ab arbitrio & voluntate originem ducente, derivanda; ſed divina voluntate petenda, quæ eum in finem homini loquendi facultatem dedit, ut ore ſuo verum enunciaret: imo profluit hæc obligatio quaſi ex ipſa divina eſſentia, cujus ad imaginem conditi, quæ, cum ipſa veritas, ita quoque ad ejuſdem exemplum veraces eſſe nos oportet, non ſolum ore, ſed & mente ac animo; quippe in convenientia unius cum altero conſiſtit veritas, ut jam annotavimus; hæc autem obligatio immutabilis & indiſpenſabilis, quamobrem nulla cauſa, nulla perſonæ conditio aut qualitas, nulla loci vel temporis mutatio aliquo modo diſſolvere poteſt illud vinculum, quo tenemur ſemper & ubique animum in lingua promptum habere, id eſt, veritatem liquido abſque ullo dolo profiteri & dicere, quocunque in ſtatu, loco, conditione poſiti, ſive ju-

re

re ſive contra jus interrogati. Quemadmodum autem Deus ſemetipſum abnegare non poteſt, ita nec permittere homini, qui ad ſuam imaginem conditus, ut vel minimum a veritate diſcedat, & proximum ſuum fallat, imo etiamſi nullum inde ſentiat damnum, attamen neceſſitas verum dicendi, qua homo eſt, ei incumbit, imo non loqui duntaxat exteriore ſermone, ſed etiam voluntate & affectu. Ubi vero iſta voluntas & affectus, quoties quis ſermone ambiguo tanquam velo ad animi ſenſa tegenda utitur atque cauſam præbet errori & falſæ opinioni, in quam alter ex ſermonis ambiguitate incidit. Quid opus ambiguitate, quoties liquido & abſque verborum fuco nudam veritatem dicere & profiteri poſſumus. Hinc etiam & ſimplicem ſermonem nobis Chriſtus commendat, quod ex naturæ lumine etiam Ethnici perſpicere potuere. Unde Cicero quod verum ſimplex ſincerumque ſit, id naturæ hominis eſſe aptiſſimum. Ab hac ſimplicitate naturæ humanæ propria recedunt impoſtores, ſophiſtæ, ambigui ſermonis, ad fallendum & decipiendum proximum, artifices callidi & aſtuti. Verum forte quis reſpondet, verba eſſe mentis indicia, ad veritatem igitur ſufficit ſi menti dicentis reſpondeant etſi non reſpondeant menti interrogantis, mendacium non admitti videtur cujus oratio vel ſignificatio verborum cum mente & intentione convenit; atqui in ſermone ambiguo mentis conceptus congruit ſignificationi; ergo. Verum quid juvat, verba nobis vera eſſe juncta cum mentis noſtræ ſenſu, ſi nihilominus per ea effectum falſitatis intendamus, qui eſt fallere proximum, & in errorem eum deducere. Rivet. *dict. loc.* Imo vero mendacii nomine recte venit; quippe ſi ſignificationis falſitatem, id eſt, diſſenſum cum mente, ad communem mendacii naturam requirat Auctor, re vera mendacium admittit, qui verba ambigua enunciaſſe illa in ſignificatione videri vult, in qua alter ea accepturum perſpicit, cum tamen aliam in pectore clauſam habet, unde mentis & orationis diſcordia, mendacii primarium requiſitum, in quo ejuſdem natura, ut ipſe ſtatuit Auctor, potiſſimum conſiſtit. Quod attinet exempla quæ adducit Auctor noſter, non obſtare mihi videntur. Concedo facile & Auctori & Puſendorſio, omni vitio carere ambigue aut obſcure loqui ad eum quem informare, aut cujus profectus explorare vis; ſi hic finis magis iſthoc modo, quam per apertum ſermonem queat obtineri: abeſt enim hic animus fallendi diſcipulum, per ejuſmodi explorationem non fallere ſed potius cavere fallaciam intendit: nos enim ſermonem habemus de ambigua oratione cum animo fallendi conjuncta, & contra conſcientiam prolata. Non omnem enim damnamus ambiguum ſermonem, ſed eum, qui proficiſcitur ex animo alterum fallendi & decipiendi parato: ſi enim nulla in ſermone & convictu hominum ambigua locutio licita eſſet, præſtaret obmuteſcere quam eloqui. Quemadmodum non mentitur, qui dicit rem falſam, quam veram exiſtimat, quia abeſt voluntas & animus falſum enunciandi & decipiendi, ita qui ambiguo ſermone utitur abſque voluntate & conſilio fallendi, omni crimine vacuus: quod enim actum vitioſum reddit eſt animus & voluntas peccati proprium ſubjectum. Sic, qui dicit rem veram, quam falſam putat, mentitur, quia animus & voluntas mendacium admittendi adeſt. Ambiguus ſermo non illicitus, niſi quatenus abutimur, ut eo falſum pro vero obtrudamus proximo. Vitium igitur vel peccatum conſiſtit in animo & intentione ejus qui loquitur ambigue vel obſcure, & eatenus mentitur, ſi non directe, ſaltem indirecte, imo directe eo ſenſu, de quo ſtatim diſputavimus, admittit enim id, in quo crimen & peccatum conſiſtit, id eſt, intendit proximum fallere & decipere ac in errorem deducere, atque ita ſermonis uſum in abuſum convertit; nihil autem huic ſimile occurrit in caſu de quo diſputavimus. Sic quandoque perſpicimus quidem illa, quæ dicturi, plures uno ſignificatu admittere, attamen eloquimur, perſuaſi in eadem ſignificatione accepturum, quæ animi noſtri conceptui congruat, idque eo magis confidimus, quia eadem ſignificatio magis propria & congrua ſubjectæ materiæ, de qua ſermo, atque illa, quam alter conceptui noſtro attribuit; quod ſi aliter eveniat, id imputandum vel ſtoliditati, vel ſæpius præcipiti & nimis feſtivo judicio ejus, quem alloquimur; non mentiri videmur cum in ſenſu vero & maxime proprio, quem verba faciunt, accipiamus, nec facimus injuriam his, quibuscum loquimur, quoniam ipſi etiam poſſunt accipere in eodem ſenſu, in quo nos loquimur: quod ſi in alio accipiant, ſibi imputent: nos enim jure noſtro utimur, cum non obligamur ad eloquendum in eo ſenſu, ad quem ipſi verba accipiunt, alium ſenſum habentia ſecundum nos. Azor. *inſtit. moral. p.* 3. *lib.* 13. *cap.* 3. Huc referri poteſt exemplum quod Chriſtus ipſe dedit *Joh.* 11. *verſ.* 11. eum diceret: *Lazarus amicus noſter dormit.* Non fugiebat Chriſtum, cui omnia mentis arcana & cogitata ſuorum diſcipulorum nota, Apoſtolos de ſomno naturali verba ſua interpretaturos, tum etiam id quod de templo inſtaurando prædixerat, in ſignificatione aliena a mente ſua accepturos, nihilominus uſus eſt locutione ejuſmodi; quæ occaſionem præbuit errori, in quem incidebant Apoſtoli, verum ſibi imputent; ſi diligenter Chriſti verba & ſermonem examinaſſent Apoſtoli, facile percipere potuiſſent verum ejus ſenſum, idque eo magis, quia non inuſitatus hic loquendi modus; Hebræi mortem molliore ſomni vocabulo indicabant, quem Horatius *perpetuum ſoporem* appellat, unde ſepulcreta κοιμητήρια *cœmeteria* vocantur, quod mors noſtra dormitio quædam ſit, e qua ſimus noviſſimo die excitandi. Huc pertinet illud:

Stulte; quid eſt ſomnus gelida niſi mortis imago?

Ipſe Auctor noſter *in annotat. ad Euang. Joh. cap.* 11. *verſ.* 11. Sed ſi ὕπνῳ in ſomnum dari, Hebræis erat mori; nihil a conſueto ſermone abiit Chriſtus, cum dixit ἐξυπνίζειν a ſomno

Digitized by Google

ſomno excitare, pro a morte ad vitam reducere. Quod alterum loquendi modum attinet, iſte quidem ambiguus, quippe & de ædificiis dicitur excitare. In hunc ſenſum uſurpatum videre eſt apud Suetonium in Caligula: *Et indicium victoriæ altiſſimam turrim excitarum.* Sic & apud alios claſſicos auctores *excitare urbem.* Verum in quo ſenſu noſter Servator uſurpabat, facile intellexiſſent Apoſtoli, ſi diligenter attendiſſent & verba & geſtus: nonnulli enim Interpretes ſtatuunt, cum hæc verba enunciaret, *Solvite templum hoc*, digito tetigiſſe corpus ſuum. Sane verba ejuſmodi demonſtrationem indicare videntur. Unde Lud. Capellus: *Chriſtus cum hæc diceret, non templum lapideum, in quo ipſe cum Judæis erat, ſed ſeipſum digito intento videtur omnino demonſtraſſe*, ſicuti cum infra 6. 50. Capernaitis dicebat: οὗτός ἐστιν ὁ ἄρτος ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβαίνων, digito pariter demonſtrabat. Sed notandum, quod caſus extare poteſt, quo ab omni prorſus ambiguitate, etiam illa, quæ vitio carere diximus, in ſermone vitare debemus; ſcilicet, quoties arctior quædam obligatio nobis neceſſitatem imponit, ut animi cogitata, quantum fieri poteſt, liquido exponamus, aut omnis prorſus erroris occaſio tollatur, in quem proximus poſſet incidere; ejuſmodi obligatio impoſita quibus cura incumbit providere, ut ſalutis quærendæ & obtinendæ veram rationem cognoſcant, quibus eam monſtrare muneris ſui, quo funguntur, ratione tenentur, uti Paſtores & divinorum oraculorum publica auctoritate Interpretes conſtituti. Simpliciſſimum docendi genus ad erudiendum ſalutis & veritatis myſteria indoctum & imperitum vulgus aptiſſimum: leviſſimus enim error in hiſce, quæ animæ ſalutem ſpectant, periculi plenus, quamobrem ſumma cura & diligentia adhibenda, ne ejuſmodi erroribus præbeatur occaſio; idem charitas exigit a quovis ratione proximi, quem pari amore, quo erga noſmetipſos affecti, amplecti tenemur, & proinde ejus ſalutem non ſecus atque noſtram quantum valemus procurare devincti, ſumma ope niti nos decet, ne, dum ipſi aditum ad illam adipiſcendam aperire conamur, ambiguo ſermone vel verborum fuco utamur, qui aliquo modo proximum a vera & recta ſalutis & veritatis via ſeducere poſſet. Neutra vero obligatione Chriſtum devinctum putamus, alium, quam uſus eſt, loquendi modum adhibere, ad evitandum errorem, in quem forte incidere poſſent Apoſtoli, in aliam partem accepturi ſua verba, non agebatur hic de ſalute per fidem in Chriſtum obtinenda, & proinde nec Paſtoris nec Doctoris, cujus eſt media ad illam adipiſcendam docere & interpretari munus, ut clariorem & magis liquido loquendi modum exigebat, ne errori exponerentur, quem facile evitare potuiſſent, ſi diligenter ſermonem & verba attendiſſent. Sed diligentius hæc Theologis examinanda relinquimus, & Caſuiſtis, qui ex profeſſo hanc materiam tractare ſolent, ad illorum caſtra lectorem remittimus, cui fortaſſe non ſatisfaciunt, quæ de hac quæſtione delibavimus.

XI. 1. Ad communem ergo mendacii notionem requiritur, ut quod dicitur, ſcribitur, notatur, innuitur, intelligi aliter nequeat, quam in eum ſenſum qui a mente proferentis diſcrepet. Huic autem notioni laxiori ſtrictior mendacii, qua naturaliter illicitum eſt, ſignificatio differentiam aliquam propriam adjiciat neceſſe eſt, quæ, ſi recte res inſpiciatur, ſaltem ſecundum communem gentium exiſtimationem, nulla videtur alia dari poſſe præter repugnantiam cum jure exiſtente ac manente ejus ad quem ſermo aut nota dirigitur: nam ſibi neminem mentiri, ut maxime falſum proferat, ſatis conſtat. Jus hic intelligo non quodvis & rei extrinſecum, ſed quod proprium ſit huic negotio atque cognatum. Id autem nihil eſt aliud quam judicandi libertas, quam homines colloquentes his quibus colloquuntur debere, quaſi pacto quodam tacito intelliguntur. Hæc enim nec alia eſt mutua illa obligatio quam homines introduci voluerant, ſimul atque ſermone notiſque ſimilibus uti inſtituerunt, nam ſine tali obligatione inane fuiſſet tale repertum.

2. Deſideramus autem ut quo tempore ſermo fit, jus illud ſubſiſtat ac maneat: fieri enim poteſt ut jus quidem fuerit ſed ſublatum ſit, aut tollatur ex alio jure ſuperveniente, ſicut debitum acceptilatione aut conditionis ceſſatione. Tum vero requiritur ut jus quod læditur ejus ſit quicum loquimur, non alterius; ſicut & in contractibus injuſtitia

ſtitia non naſcitur niſi ex læſo jure contrahentium. Huc forte non male referas, quod veriloquium ad juſtitiam refert poſt Simonidem Plato, & quod mendacium, illud vetitum, ſacræ literæ ſæpe deſcribunt teſtimonio ſive elocutione adverſus proximum, & quod ipſe Auguſtinus in mendacii natura conſtituenda ponit fallendi voluntatem. Et Cicero quæſtionem de veritate eloquenda referri vult ad juſtitiæ fundamenta.

Lib. 1. de Repub.

1. Off.

3. Tolli autem videtur poſſe jus quod diximus, ſicut conſenſu ejus quicum agimus expreſſo, ut ſi quis prædixerit ſe falſa dicturum & alter permiſerit, ita & tacito æquave ratione præſumto, aut oppoſitione juris alterius quod communi omnium judicio multo plus valeat. Hæc recte intellecta multas nobis ſuppeditabunt illationes quæ ad concilianda ſententiarum ſupra deſignatarum diſſidia non parum valituræ ſint.

COMMENTARIUS.

HAud ſaniori de mendacii natura doctrinæ, quam in præcedentibus §§. tradidimus, convenire mihi videntur, quæ Auctor in hoc §. de ſtrictiori mendacii ſignificatione tradit, communem in eo conſiſtere ſtatuit, ut quod ſcribitur, notatur, innuitur, aliter intelligi nequeat, quam in eum ſenſum, qui a mente proferentis diſcrepat. Sed egregie mihi videtur falli Auctor & cum eo Puſendorſius, ſtatuens mendacium in communi ſive largiori hac ſignificatione non eſſe naturaliter illicitum, & proinde neceſſitate exigente aliquando licite uſurpari poſſe, qualem illationem ex iis, quæ ſequuntur, facile deducere poſſumus. Strictiori enim mendacii ſignificatione contineri moralem ejuſdem turpitudinem affirmat, ſtrictiorem autem ſignificationem derivat a repugnantia cum jure exiſtente ac manente ejus, ad quem ſermo aut nota dirigitur. Igitur ſublato hoc jure falſum loqui, docere & circumvenire ſermone proximum, mendacii crimine vacat. Hoc jure intelligitur judicandi libertas, quam homines colloquentes his quibus cum colloquuntur debent, ac quaſi pacto quodam tacito judicantur; quod videlicet homines a rerum primordio convenerint, ut inter ſe ſine fuco ac fallacia colloquerentur, nec ſibi mutuis verborum aliorumque ſignorum præſtigiis erroris neceſſitatem objicerent. Veritatis proinde naturam in convenientia ſermonis cum pacto vel couventione humana, obligationem ad veritatem loquendam inducente; mendacii vero proprie dicti in repugnantia cum pacto & jure exiſtente ac manente ejus, ad quem ſermo vel nota dirigitur, collocant. Unde variæ illationes profluunt, qnas in ſequentibus §§. proponit Auctor; ſi mendacii proprie reum non eſſe putat, qui infanti vel amenti aliquid falſi dicat: quemadmodum hi rationis, ita quoque pacti incapaces, & proinde nullum jus cum his intercedit vi pacti interpoſiti, quo vera ipſis loqui tenemur: ceſſat enim obligatio dicendi verum ceſſante pacto, ſublata cauſa effectus tollitur. Nec non vel ratione tertii, ad quem ſermo dirigitur, mendacium non admittitur, etiamſi ille falſam inde hauriat opinionem, & quæ ſunt ejuſmodi aliæ, quas ſuo loco examinabimus. *Atque ita decumanam ad mentiendum vel ſaltem ne de nomine rixari videamur, contra mentem & oppoſiti conſcientiam loquendi, falſumque, quoties obligatio tacito & communi humani generis pacto ſuſcepta ceſſet, ſignificandi aperiunt*, inquit celeberrimus Theologus Joh. Henr. Heideggerus; *Unde vero*, pergit, *conſtitit Grotio, quibus conditionibus primi mortales inter ſe convenerint, ne mutuis ſermonibus ad fallaciam uterentur? quos pacto ſuo cancellos circumſcripſerint? quos limites fixerint, ad quos, nec ulterius, dicendæ veritatis obligatio pertineret? quis mente captos? quis hoſtes? quis injuſte vel otioſe interrogantes exceperit, ut eos, quoties liberet, falſis locutionibus in fraudem inducere liceat.* Nos vero ab eadem cauſa, a qua loquendi facultatem & linguæ originem, qua nobis invicem animi ſenſa aperiremus, derivamus, obligationem quoque deducimus, quæ nobis neceſſitatem imponit vera loqui, qnem in finem oratio nobis conceſſa, a quo recedere nobis neutiquam licet, quoniam, ut paulo ante annotavimus, ejuſmodi finis profluit ex ipſa natura divina: cum enim Deus ſit ipſa veritas, idque neceſſarium attributum eſſentiæ ſuæ, etiam neceſſum, ut a nobis exigat obligationis iſtius complementum, quod conſiſtit in ſermone vero & ſimplici, abſque ullo fuco aut fallacia, quæ Deo exoſa, quia repugnat eſſentiæ ſuæ, & proinde obligatio ſemper & ubique eundem producit effectum, nullam diſpenſationem admittit, quemadmodum divina natura, ejuſdemque attributa, omnis mutationis expers, ita quoque nullam pati poteſt ejuſmodi obligationem, quæ

ex eadem immediate deſcendit, & ob communicationem divinæ imaginis homini naturalis, quamobrem nec tempus, vel locus; aut ſtatus, vel conditio adveniens, vel ullus caſus fingi poteſt, quo ceſſaret obligandi cauſa. Hinc alii veram mendacii vetiti cauſam ex ipſa rei natura derivant, quia habet in ſe moralem turpitudinem, veritas vero moralem rectitudinem; illa turpitudo conſiſtit in repugnantia actionis cum imagine divina, hujus rectitudo in convenientia cum eadem; atqui eidem conveniens & congruum debeat eſſe, quicquid ſuſcipimus vel agimus, ſequitur mendacium ſemper fugiendum, contra veritatem ſectandam, cujuſmodi ratiocinatio nos docet, obligationem, qua verum loqui & mendacium fugere tenemur, perperam a pacto & conventione humana mutationi obnoxia derivari: atque proinde jus, quod inter colloquentes eſt, & quo ſibi mutuo verum dicere devincti, perpetuam habet cauſam, eamque immutabilem. Quamobrem Scriptura omnem veritatem ſine ulla exceptione commendat, & omne mendacium prohibet. *Accedit*, inquit ſtatim laudatus Theologus, *quod nemo ſine injuria Dei mentiri poteſt, quia homo aliquid cogitans vel loquens, cogitare vel loqui debet, ut creatura Dei, ad imaginem ejus condita. Cum igitur aliquid loquitur, non ut imago Dei, non ut teſte creatore Deo ſuo, nomen Dei in vanum ſumit; adeoque Deum dedecorat, & injuria afficit. Cum porro veritas non aliud ſit, quam recta ratio, & quicquid extra recta rationis præſcriptum exorbitat, peccatum ſit, mendacium omne per ſe illicitum & vitioſum eſſe colligitur. Cumque Deus conditor hominis eidem ſermonis uſum conceſſerit, ut ejus ſubſidio animi ſecretio neque niſi coram ſolius Dei oculis nudi & reſupinati involutam notionem explicaret, atque ſocialia animantia ſocietatem mutuam colere valerent; divinum iſthoc inſtitutum & nobiliſſimum humanæ ſocietatis commodum mendacium penitus intervertit.* Vide quæ paulo ante diſputavimus. Ex hiſce perſpicimus, neutiquam tolli poſſe jus illud, ſive obligationem naturalem, qua tenemur vera loqui, & proximum non fallere, cui eadem obligatio tribuit jus perfectum, quo obligationis complementum a ſocio ſuo exigere poteſt, non ex vi interpoſiti pacti, ſed humanæ ſocietatis lege, tum etiam conditionis ſuæ; quippe, ut diximus, eo ipſo quod homo ſit animal rationale, conditus ad imaginem Dei, loquendi facultate præditus, veritatem in ſermone proferre Deo devinctus, cui obligationi renunciare nequit, etiamſi alter remitteret; quippe cum ſit immutabilis, & perpetuam obligandi cauſam habeat, ejus vinculum facto humano nequit diſſolvi, aut aliqua ratione laxari, ea, quæ divini, ſive juris naturalis ſunt, humano arbitrio vel imperio non ſubjacent. Verum ſemper dicere & loqui eſt neceſſitas moralis indiſpenſabilis; quia, ut diximus, profluit ex immutabili cauſa: quamobrem nullæ circumſtantiæ fingi poſſunt vel excogitari, quæ huic neceſſitati vel adderent aliquid, vel detraherent. Verum dicere ſemper & abſolute abſque ulla limitatione vel exceptione & mendacium fugere nobis incumbit: ſi enim per ſe malum mendacium, ſemper illicitum. Verum non diutius hiſce immorabimur, nullus dubito, quin animum ad ea, quæ diſputavimus, attendenti, facile apparebit, quam longe a vero aberrant, qui mendacii & veritatis notionem a pacto & inſtituto humani generis deducunt, quam latum campum fraudibus & impoſturis aperiunt exceptiones, quas excogitarunt, ut quis impune falſum poſſet eloqui & decipere proximum, ſummo tum humanæ ſocietatis detrimento, & ſummi Numinis contemptu & læſione ſanctitatis ejus, qui a nobis exigit, ut ejus ad exemplum nos componeremus, ut inſiſteremus veritatis viæ, & in totius vitæ curſu ſincere ac candide cum proximo, id eſt, omnibus hominibus cujuſcunque generis, conditionis ac ſexus, ſocietatem & amicitiam coleremus, utpote quod arctiſſimum ejuſdem vinculum eſt: conjungit enim animos, & proinde parit amicitiam & concordiam ſincera & ſimplex illa vivendi ratio; contra, diſtractionem animorum parit ſimulatio ac fallacia.

XII. Primum eſt, etiamſi quid dicatur quod falſam habeat ſignificationem infanti aut amenti, in eo mendacii culpam non eſſe. Videtur enim communi omnium hominum ſenſu permiſſum eſſe:

Lucret. *Ut puerorum ætas improvida ludificetur.*

Et Quintilianus de pueris locutus: *utilitatis*, inquit, *eorum gratia multa fingimus.* Ratio proxima eſt, quia cum in infantibus & amentibus non ſit judicii libertas, non poteſt eis circa eam libertatem injuria fieri.

XIII. 1. Secundum eſt, quoties ſermo ad eum dirigitur qui non decipitur, etiamſi tertius inde falſam hauriat perſuaſionem, nullum eſſe mendacium: Non ratione ejus ad quem ſermo eſt: quia illi libertas manet integra, plane ut illis quibus id intelligentibus fabula narratur, aut apud quos profertur ſermo figuratus, κατ' εἰρωνείαν aut καθ' ὑπερβολὴν, quæ figura, ut Seneca ait, ad verum mendacio venit: & (VII. de Benef. 23.)

Quin-

Quintiliano ementiens ſuperjectio dicitur. Neque ratione ejus qui obiter id audit; quia cum eo non agitur, ideoque nulla eſt ad illum obligatio. Imo ſi ipſe ſibi opinionem informat de eo quod non ipſi ſed alteri dicitur, habet quod ſibi non alteri rem imputet. Quippe, ſi recte judicare volumus, illius reſpectu ſermo non ſermo eſt, ſed res quæ ſignificare quidlibet poteſt.

2. Nihil ergo peccavit aut Cato Cenſorius, qui ſociis auxilia falſo eſt pollicitus, aut Flaccus, qui hoſtium urbem ab Æmilio expugnatam aliis narravit, quanquam eo hoſtes decepti ſunt: cui rei ſimilem de Ageſilao narrat Plutarchus. Nihil enim hic dictum hoſtibus: nocumentum autem quod inde ſecutum eſt, extrinſecum quid eſt, & per ſe non illicitum optari aut procurari. Ad hoc genus Chryſoſtomus & Hieronymus retulerunt Pauli ſermonem, quo Antiochiæ Petrum ut nimium judaizantem reprehendit. Cenſent enim Petrum ſatis intellexiſſe non id ſerio fieri: interim vero conſultum infirmitati adſtantium. *Liv. xxxiv. App. Hiſp.*

XIV. 1. Tertium eſt, quoties certum eſt eum ad quem ſermo eſt libertatis ſuæ in judicando læſionem non ægre laturum, imo gratias habiturum eo nomine, ob commodum aliquod quod inde aſſequitur, tunc quoque mendacium ſtricte dictum, id eſt, injurioſum, non committi, ſicut furtum non perpetraret qui ex præſumta domini voluntate rem ipſius exiguam conſumeret, ut inde magnam eidem utilitatem pararet. In his enim quæ adeo certa ſunt, præſumta voluntas pro expreſſa habetur. Volenti autem conſtat injuriam non fieri. Sic ergo videtur non peccare, qui aut ægrotantem amicum perſuaſione non vera ſolatur, ut Arria Pætum filio mortuo, quæ hiſtoria eſt in Plinii epiſtolis: aut in prælio periclitanti ex falſo nuntio animum addit, quo incitatus victoriam & ſalutem ſibi pariat, ac ſic deceptus non capiatur, quemadmodum Lucretius loquitur.

2. Democritus: ἀληθομυθεύειν χρεὼν ὅπα λωΐον: *Omnino veriloquio utendum eſt ubi id eſt melius.* Xenophon: φίλους δίκαιον ἐξαπατᾷν, ἐπὶ δὲ ἀγαθῷ: *amicos decipere licet, ipſorum bono.* Et Clemens Alexandrinus concedit ψεύδεσθαι ἐν θεραπείας μέρει, *mendacio uti pro remedio.* Maximus Tyrius: καὶ ἰατρὸς νοσοῦντα ἐξαπατᾷ, καὶ στρατηγὸς στρατόπεδον, καὶ κυβερνήτης ναύτας, καὶ δεινὸν οὐδέν. *Et Medicus ægrotum, & imperator exercitum, & gubernator nautas decipit: nec quicquam in hoc mali eſt.* Rationem reddit ad Platonem Proclus: τὸ γὰρ ἀγαθὸν κρεῖττόν ἐστι τῆς ἀληθείας, *nam quod bonum eſt, id vero eſt melius.* Tale illud apud Xenophontem, ſocios jamjam adfore; & Tulli Hoſtilii, ſuo juſſu circumduci Albanum exercitum: & Quinctii Conſulis, ut hiſtoriæ loquuntur, ſalubre mendacium, hoſtes ab altero cornu fugere: ac ſimilia paſſim apud Hiſtoricos. Notandum autem eſt, læſionem judicii in hoc genere eo minoris eſſe, quia ferme momentanea eſt, pauloque poſt aperitur veritas. *iv. Socr.* *Livius libro xxxiv.*

COMMENTARIUS.

Cum infantes & amentes ſunt ejuſdem ſocietatis membra, ejuſdemque humanæ conditionis participes, cujus adulti & mentis compotes; idem ipſis jus quæſitum videtur, quo gaudent & fruuntur alii ſibi æquales ſocii; quippe qua ſunt homines, id juris habent, ut ne ab aliis decipiantur; eſt enim illa obligatio univerſalis, quæ homini cum homine intercedit, cujus vi alter ab altero exigere poteſt, ut, quidquid dicat, ſit verum, quod ſi facere omittit, alieni juris violator eſt, quia non præſtat, quod jure perfecto alteri præſtare devinctus eſt; itaque licet id ipſum non percipiant infantes vel amentes, eo non tollitur crimen vel injuria, quæ falſiloquio aſſidua comes. Cui etiam accedit, quod deflectit a fine, qui fuit in cauſa, cur ſupremus hujus univerſi Conditor homini orationem & loquendi facultatem tribuerit, ut alibi annotavimus. Cum vero finis iſte ex morali neceſſitate profluat, nunquam homo ſemetipſum poteſt ſolvere obligatione, qua tenetur ſermone iſti fini convenienti uti, id eſt, vero, ſincero & ab omni fuco & diſſimulatione alieno. Quamobrem nec Pufendorſio ratio, quam tradit Auctor noſter, placet: *Nam, ut de infantibus potiſſimum dicam*, inquit, *manifeſtum eſt equidem, hactenus illis deeſſe facultatem judicandi, quod, quæ iiſdem narrantur, aut alio modo repræſentantur, ſimpliciter & incaute arripiant, nec per ratiocinia verum a falſo diſcernere norunt. Quia tamen, qua ſunt homines, id juris habent, ut ne ab aliis lædantur, utque humanitatis officia recipiant, & peculiariter, a parentibus atque educatoribus potiſſimum bonis ſententiis imbuantur; & vero utique tenent facultatem adprehendendi ſaltem res faciles. Omnino cenſendum eſt, illos eodem cum adultis hactenus jure frui, ut quæ indicari ipſis debent, ita proponantur, quo intelligi ab iiſdem poſſint. Verum quia ob rationis imbecillitatem & affectuum impetum nudam veritatem fere aſpernantur; ideo per fabulas doceri, aut fictis terriculamentis coerceri eos expedit, quouſque cum mature rerum ſoliditatem capere & æſtimare norint. Inde non ut ludibrio habeantur, aut noxa afficiantur, adverſus illos figmenta adhibemus, ſed quia ratione magis ſeria doceri commode nequeunt.* Recte doctiſſimus Zeiglerus rationem proximam, cur in iſtiuſmodi falſiloquio non ſit culpa mendacii, hanc eſſe ſtatuit, quia non provenit ex dolo & voluntate fallendi ac decipiendi proximum: mendacium enim ab Auguſtino definitur, quod ſit *voluntaria falſi enunciatio fallendi cauſa*; abeſt vero hic animus fallendi, abeſt omnis dolus. Quod alterum caſum attinet, dicimus, jus illud perfectum, quo quis exigere poteſt a ſocio, quicum colloquitur vel ſermonem habet, ne quis ficto ſermone utatur, quo alter decipiatur, colloquentes tantum obligat, ita ut ſi tertius forte adſtans, ad quem ſermo non dirigitur, falſam inde hauriat perſuaſionem, ſe deceptum queri nequeat, alterque mendacii crimen contrahat, cum nulla ſit inter eum & tertium obligatio ex jure illo perfecto deſcendens, quo tenetur ejuſmodi ſermone uti, quo tertio etiam mentem ſuam indicaret: imputet enim ſibi, quod ſeſe immiſceet rebus ad ſe non pertinentibus: obligatio enim illa incipit competere ex actu colloquii, & proinde non excedit colloquentes, modo nullum cum tertio mihi intercedat negotium, ſermoque habitus iſtud omnino non concernat. *Præſupponitur enim*, inquit Pufendorſius, *privatum duntaxat negotium geri inter me & alterum, neque id quidquam ad tertium ſpectare. Ergo alter haud quidquam ficto ſermone decipitur, qui ex eo ſatis animum meum percipit, non ſecus ac ſi intelligenti fabulam narrem, aut ironico vel hyperbolico ſermone utar. Adverſus tertium autem ideo mendacii culpa non contrahitur, quia cum eo nihil eſt negotii, adeoque nullum ipſi jus, ut quæ mea ſit mens, intelligere debeat. Ac ſi ipſe opinionem ſibi format de eo, quod non ipſi ſed alteri dicitur, habet quod curioſitati ſuæ imputet.* Verum, cum ſæpe in actibus & negotiis humanis exceſſus committantur, recte monet Pufendorſius, non abutendum hac aſſertione, & proinde cavendum, ne a duobus ex conventione captentur ejuſmodi occaſiones, ut tertius aliquis hoc modo ludibrio habeatur. *Nam*, inquit, *ſi vel maxime tertius illis plenum jus non habeat me intelligendi; lex tamen humanitatis & caritatis requirit, ut ne meus ſermo occaſionem præbeat ipſi damnum præter meritum accipiendi.* Imo & juris naturæ præceptum id ipſum exigit, ne alteri per alterum noceatur. Tum etiam humanæ ſocietatis lex eſt, ne alteri per alterum damnum inferatur præter meritum. Ita ut omnino diſtinguendum velit Pufendorſius, *utrum aliquis citra ſuam culpam aliorum ſermonem percipiat, an vero ex petulantia aut maligna cura aliorum ſecretis immineat. Igitur*, inquit, *aſſertio iſthæc competit potiſſimum in ὠτακουστὰς, qui inſidioſis auribus clanculum aliorum ſermones ſublegere ſatagunt. Horum importunam curioſitatem, ubi penitus tacere non placet, ſolemus amoliri, & diverſum & ad rem non pertinentem injiciendo ſermonem, vel etiam de compacto fabellam referendo, quam dum ipſe magnum ſe excepiſſe arcanum ratus aliis propinat, ludibrio habeatur, modo nullum præterea ipſi aut aliis damnum inde naſcatur.* Verum, vehementer dubito, an in foro conſcientiæ illud permiſſum cenſeri debeat, tum etiam juris naturæ præcepto conveniat, quod dictat, neminem lædendum; atqui hac ratione videtur lædi alterius honos atque exiſtimatio, cui non ſecus ac vitæ parcendum; ergo. Quod tertium attinet exemplum, nulla mendacii culpa contrahitur, quia abeſt dolus, inſpiciendus animus & voluntas: Deus enim, qui cordium diligentiſſimus ſcrutator, juxta intentionem & mentem homines judicat, animo contrahitur culpa, non facto. Finis, quem in hoc caſu inten-

intendimus, nihil doli vel mali continet, ſed in commodum & bonum proximi tendit, quod non ſecus ac proprium procurandum dictat recta ratio, atque humanitatis & caritatis officium exigit. Atqui huic ſatisfieri nequit, niſi ejuſmodi ſermone adhibito, ſequitur, quod omni prorſus mendacii culpa vacant ejuſmodi ſermones, qui ad finem illum conſequendum viam aperiunt. *In tali caſu*, inquit Puſendorfius, *non minus ad ingenium & conditionem audientis attemperandus eſt ſermo, quam Medico pharmacum ad vires & complexionem ægroti.*

XV. 1. Quartum & ſuperiori affine eſt, quoties qui habet jus ſupereminens in omnia jura alterius, eo jure bono ipſius ſive proprio ſive publico utitur. Et hoc maxime ſpectaſſe videtur Plato, qui imperium habentibus concedit falſum dicere. *III. de Rep.* Idem cum Medicis modo dare videatur, modo adimere, diſcrimen hoc adhibendum videtur, ut priore loco Medicos intelligat publice ad hoc vocatos, poſteriore eos qui privatim id ſibi arrogant. Deo tamen, quanquam jus ſummum in homines habenti, non convenire mendacium recte agnoſcit idem Plato, quia infirmitatis nota eſt ad talia confugere.

2. Exemplum forte inculpatæ falſiloquentiæ, laudante etiam Philone, dari poterit in Joſepho, qui regia vice imperans fratres primum quaſi exploratores, deinde quaſi fures, ficte nec ita ſentiens accuſat. Et in Solomone, qui ſapientiæ divinitus datæ ſpecimen dedit, cum apud mulieres de partu litigantes voces eas protulit quæ voluntatem ſcindendi infantis ſignificarent, cum animus ei longiſſime a tali voluntate abeſſet, & veræ matri ſuum partum attribuere vellet. Quintiliani eſt dictum: *aliquando exigit communis utilitas ut etiam falſa defendantur.* *Lib. II: 18.*

XVI. Quintum eſſe poteſt, quoties vita innocentis aut par aliquid aliter ſervari, & alter ab improbi facinoris perfectione aliter averti non poteſt: quale fuit factum Hypermneſtræ, quæ hoc nomine laudari ſolet,

Splendide mendax, & in omne virgo • *Horat. III. Carm. 1.*
Nobilis ævum.

COMMENTARIUS.

QUoniam, ut ſupra annotavimus, falſum loqui & mentiri continet moralem turpitudinem, naturaliter & per ſe vetitum eſt; quod autem ſua natura malum, nunquam abſque peccato poteſt admitti, cujuſcunque ſtatus & conditionis ſit agens. Univerſalis enim eſt lex illa moralis, qua tenemur malum fugere & bonum ſequi, omnes obligans homines, nemine excepto. Reſpectu enim Dei & legum divinarum omnes homines ſibi æquales, ita ut ne quidem abſque læſione ſanctitatis ſuæ ſummus Legiſlator aliquem poſſet ſolvere ejuſmodi legum vinculo, quæ quaſi immediate ex ſanctitate profluunt, cujus generis ſunt omnes leges naturales ſive divinæ, quæ moralem neceſſitatem continent, & proinde earum virtus vel in imperando, vel vetando conſiſtat; atqui lex, quæ falſum loqui vetat, iſtis legibus non numerari debeat, quæ vetandi moralem habet neceſſitatem; ſequitur, æque ſuperiorem ac civem alligatum falſiloquium fugere, & quia obligationis cauſa moraliter perpetua nullam admittit diſpenſationem ſive ratione agentis, ſive temporis vel loci, aut conditionis vel ſtatus: quamobrem nullum jus ſupereminens, nulla dignitas vel poteſtas efficere poteſt, ne lex illa in negotiis & actibus humanis, a quocunque peraguntur, vel proficiſcuntur, locum ſibi vindicat. Jus ſupereminens, quod habet ſummus imperans, tollere nequit ea, quæ juris naturalis ſunt ſive divini neceſſarii, verſatur illud circa ea, quæ dependent ab humana poteſtate, & juris poſitivi ſunt, quæque ſpectant ſocietatem civilem, ejuſque gubernationem & regimen. Habet quidem ſummus

imperans jus ſupereminens in perſonas, bona, actiones & jura civium, quatenus relationem habent ad ſocietatem ejuſque adminiſtrationem; verum jus illud neutiquam ſeſe extendit ad ea, quæ ſpectant juris divioi neceſſarii præcepta; utpote quæ non ſubjacent diſpoſitioni hominis.

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipſos imperium eſt Jovis.

ut canit Horatius *lib. 3. Od. 1.* *Eſt ergo in genere & ſanctitas Regum, qui plurimum inter homines pollent, & ceremonia Deorum, quorum ipſi in poteſtate ſunt.* Non tollitur vitium ac peccatum, quod actum comitatur, eo quod hac ratione vel privatorum commodo, vel communi utilitati conſulitur: oportet enim ut id fiat per legitimos tramites; non ſunt facienda mala, ut eveniant bona, uti ſupra anootavimus. *Nec ideo*, inquit Auguſtinus *Enchirid. cap. 22.* *ullum mendacium putandum eſt, non eſſe peccatum, quia poſſumus aliquando alicui prodeſſe mentiendo. Poſſumus enim & furando alicui prodeſſe, ſi pauper, cui palam datur, ſentit commodum, & dives, cui clam tollitur, non ſentit incommodum. Nec ideo tale furtum quiſquam dixerit non eſſe peccatum. Poſſumus & adulterando prodeſſe, ſi aliqua, niſi ad hoc ei conſentiatur, appareat amando moritura, & ſi vixerit pœnitendo purganda, nec ideo peccatum negabitur tale adulterum. Si autem merito nobis placet caſtitas, quid quæſo offendit veritas, ut propter alienam utilitatem illa non violatur adulterando, & violatur iſta mentiendo. Non ideo mendacium poterit laudari aliquando, quia nonnunquam pro ſalute quorundam mentiamur.* Unde nec etiam ob vitam innocentis, aut par aliquid ſervandum, mentiri licitum putamus, quia non poſſunt ullæ circumſtantiæ aliquid per ſe & ſua natura malum licitum efficere, ut ſupra anootavimus. Unde optime Auguſtinus: *Quid ſi ad te homo confugiat, ut mendacio tuo poſſet a morte liberari? illa mors, quam ſtulti timent homines, qui peccare non timent, non animam, ſed corpus occidit, ſic Dominus in Euang. docet. Unde præcepit ne ipſa timeatur; os autem quod mentitur, non corpus occidit, ſed animam, quomodo ergo*, inquit, *non perverſiſſime dicatur, ut alter corporaliter vivat, debere alterum ſpiritualiter mori.* Quod exempla ab Auctore adducta attinet, reſpondent Interpretes, Joſephum non egiſſe aſſerendo, ſed explorando & inquirendo; quemadmodum itaque Judex non mentitur interrogando reum de facto propenſus in veritatem; ita nec Joſephus. Alii dicunt, rationem Joſephi fuiſſe imperativam, non indicativam, non autem niſi iodicativam eſſe veram vel falſam. Sic & Salomon, ut ad notitiam veræ materiæ perveniret, ſapienter diſſimulavit animi intentionem.

Lib. 11. de rep. l. 11. de Cyri inſtit. & v. Socr. Philo de migr. Abr. Chryſ. l. 1. de Sac. 1 Sam. 11. 2 Reg. vi: 18. & ſeq.

XVII. 1. Latius quam quæ jam diximus patet quod paſſim ſtatuunt ſapientes, apud hoſtem falſo ſermone uti licere. Sic regulæ de non mentiendo exceptionem niſi adverſus hoſtes addit Plato, Xenophon, Philo inter Judæos: inter Chriſtianos Chryſoſtomus. Quo forte non male referas quod in ſacris litteris extat Jabeſitarum in obſidione mendacium, & factum non diſſimile Prophetæ Eliſæi: & Valerii Levini, qui Pyrrhum a ſe interemtum jactabat.

2. Ad tertiam, quartam, & quintam obſervationem earum quas jam poſuimus pertinet Euſtratii Metropolitæ Nicæenſis locus ad ſextum Nicomachiorum: Ὁ εὖ βουλευόμενος οὐκ ἐξ ἀνάγκης ὁ ἀληθεύων ἐστὶν, ἐστὶ γάρ ποτε τὸν ὀρθῶς βουλευόμενον καὶ περὶ αὐτοῦ τοῦ ψεύδους βουλεύσασθαι, ἵν' ἐπιτηδὲς ψεύδηται πρός τινα ἢ ἐχθρὸν ὄντα, ἵνα σφάλῃ αὐτὸν, ἢ φίλον ἵν' ἐκκόψῃ αὐτὸν ἀπὸ κακοῦ, καὶ τούτων τὰ παραδείγματα ἐν ταῖς ἱστορίαις πολλά. *Qui recte conſultat non utique & verum dicit. Fieri enim poteſt ut quis recte conſultans hoc ipſum conſultet quo pacto de induſtria mentiatur, aut hoſti ut eum fallat, aut amico ut eum a malo liberet: quarum rerum exemplis plenæ ſunt hiſtoriæ.* Et Quintilianus, ſi ab homine occidendo graſſator avertendus ſit, aut hoſtis pro ſalute patriæ fallendus, quod alias in ſervis reprehendendum ſit, fore ait in ipſo ſapiente laudandum.

Th. 2: 2. qu. 110. art. 1. & 3. Covar. in c. quamvis de pactis in

3. Non placent hæc ſcholæ actorum paulo ante ſeculorum, ut quæ unum ex veteribus Auguſtinum ferme in omnibus ſequendum ſibi delegerit. Sed eadem ſchola tam ab omni uſu abhorrentes admittit interpretationes tacitas, ut dubitari poſſit an non ſatius ſit adverſus quoſdam falſiloquium admittere in iis quos diximus caſibus, aut eorum aliquibus, (nihil enim definiendum hic ſumo) quam iſta a falſiloquio

quio tam indiſcrete eximere: ut cum dicunt, neſcio, intelligi poſſe *6. p. 1.*
neſcio ut dicam; non habeo, intelligi poſſe ut tibi dem; & id genus *§. 5. n. 15.*
alia quæ ſenſus communis repudiat, & quæ ſi admittantur jam nihil *Soto de juſtitia v.*
obſtabit quominus qui quid affirmat id ipſum negare, qui negat affir- *q. 6. art. 2. Tolet.*
mare dicatur. *lib. IV.*

4. Veriſſimum quippe eſt nullam omnino eſſe vocem quæ non am- *c. 21. lib.*
biguum recipiat, cum omnes præter ſignificatum quem vocant pri- *v. c. 58. Leſſ. lib.*
mæ notionis, alterum habeant ſecundæ, eumque varium ſecundum *II. de juſtitia.*
varias artes, tum vero alios quoque ex tranſlatione ac ſimilibus figuris. *c. 42.*
Neque magis eorum commentum probo, qui, quaſi vocem non rem *dub. 9.*
exhorreſcerent, joca vocant ea quæ vultu ac pronuntiatione maxime
ſeria proferuntur.

COMMENTARIUS.

NUllam video rationem cui hæc illatio innixa; quippe, ſi per ſe & ſua natura mendacium malum, & proinde illicitum, nullæ poſſunt excogitari aut fingi circumſtantiæ, quæ moralem illam turpitudinem, mendacio inſeparabiliter & quaſi eſſentiale quid inhærentem, ab eo poſſunt excludere vel ſeparare, eoque ſublato licitum reddere. Quamvis belli ſtatus ſocietatem diſtrahat, & proinde etiam officia, quæ ejus intuitu præſtanda, quibuſcum eam colimus, ceſſare videntur, quorum in numero collocanda obligatio, qua tenemur alteri tribuere, quod jure perfecto a nobis poterat exigere, cujus generis veracitas, non tollit tamen ea, quæ ſunt juris naturalis perpetui ſive divini neceſſarii, homini, quatenus eſt animal rationale, & ad divinam imaginem condito neceſſitatem imponentia, ut vitæ ſuæ curſum ad eam normam & regulam componat, quod quaſi immediate ex illa communicatione divinæ imaginis profluit. Atqui, ut ſupra annotavimus, Deus eſt verus Deus, unde fides ac veracitas appellatur, neceſſum eſt, ut in omnibus dictis ac factis, omnique commercio, quod nobis intercedit cum noſtri ſimillimis, veritatem ſectemur, a qua, quoties recedimus, abnegamus imaginem, ad quam ſumus conditi. Quemadmodum autem nunquam eam poſſumus deponere; ita nec ullus caſus exiſtere poteſt, qui nobis libertatem concedit falſo ſermone uti, utpote qui e diametro repugnat obligationi, quæ ob ejuſdem divinæ imaginis communicationem homini incumbit. Ita ut, etiamſi ſtatus belli officiorum illorum præſtationem, quæ intuitu ſocietatis humanæ homo homini debet, quodammodo tollere videtur, & proinde auferre hoſti jus illud, quod facultatem concedit exigendi a ſocio complementum obligationis iſtius, qua nobis invicem tenemur in colloquio & ſermonis commercio veritatem loqui, manet tamen devinctus quiſque noſtrum abſtinere mendacio, propter relationem quam habemus ad Deum, qui odit omne falſiloquium, quia repugnat ſanctitati ſuæ; & proinde neutiquam permittere poteſt, ut, qualia in tempora incidamus, & quocunque in ſtatu collocati ſimus, aliquid a nobis proficiſceretur, quod ſanctitati, id eſt, naturæ ſive eſſentiæ ſuæ repugnaret, quod idem eſſet ac ſi ſemetipſum abnegaret. Notandum vero, quod hic diſputamus de ſermone aſſerente; quippe ſupra haud negavimus, hoſtem nonnunquam fallere licitum per alia ſigna & facta, quæ non determinatam & certam, uti verba, habent ſignificationem. Quod attinet exemplum Jabeſitarum, ſtatuunt Interpretes, non commiſiſſe mendacium Jabeſitas, propterea quod tantum conditionem propoſuerunt hoſti, ſcilicet, ſe egreſſuros ad hoſtes, promittunt, ſi nullæ ſibi ſuppetiæ a cæteris Iſraëlitis mitterentur. Interea autem prudenter ſuppetias promiſſas diſſimularunt, qualis diſſimulatio licita, ut hoſtes imperati reperirentur, ae eo facilius obruerentur. Vide annotationes marginales ad h. l. Neque exemplum Eliſæi hic quadrat; quippe non mentitur Propheta, quia nihil ab eo dictum, quod a vero alienum, quoad rei eventum. Quærentibus viam, qua Eliſæum invenirent, reſpondet, non eam eſſe, ſiquidem Samariam tendebat, nec illam civitatem, ex qua jam exiverat, pollicetur vero, ſe eos ducturum ad virum, quem quærebant, promiſſum implevit ducendo eos Samariam, ubi agnoverunt Prophetam. Recte Auctor reprehendit deteſtandas illas mentales reſervationes, quas *aliqui*, ut inquit Pufendorfius, *fœde plane artificie excogitarunt, in contrarium torquendo apertorum verborum ſenſus, etiam circa illas res, ubi verum dicendi obligatio erat, & qua juramento confirmantur aſſertiones. Per quas hoc quidem efficitur, ut extrinſecus affirmare quis videatur, quod in animo ſuo negare inſtituit, & vice verſa. Quo ipſo omnis ſermonis uſus corrumpitur, ut neme amplius certus eſſe poſſit, in quam partem alterius verba debeat accipere. Quanquam & abſurdum plane ſit hoc inventum. Cum enim inſtitutus ſit ſerme, ut, quod in animo habemus, efferatur; cogitationum autem noſtra-*

noſtrarum, quamdiu non proferuntur, in vita humana nullus ſit effectus: quomodo igitur tacita illa, & a communi uſu abhorrens reſervatio mentalis poſſit tollere effectum illum, quem prolata verba alias producere ſunt apta? Enimvero ſicut oratio propter alios inventa eſt, non ut ſibi quiſque loquetur: ita ejuſdem veritas & falſitas ex iis æſtimatur, quæ exprimuntur, non ex iis quæ ſupprimuntur, ut una eademque oratio expreſſis & ſuppreſſis verbis conſtare non poſſit, ut inquit doctiſſimus Heideggerus *Corp. Theolog. Chriſt. l.* 14. *ſect.* 4. Non diſplicet tamen hæc ars Jeſuiticorum ordini, aperte docentes, licitum certis in caſibus cum proximo agere, ut ad ipſius mentem non reſpondeamus, ſed ita verbis ludamus ambiguis, & talia in mente reſervemus, ex quibus apud nos intelligamus quidem veram enunciationem, ſed ei, cum quo nobis res eſt, ea verba demus, ex quibus novimus eum ſenſum menti noſtræ oppoſitum intellecturum, nec aliter poſſe. *Hoc artificium mentiendi*, inquit Theologus celeberrimus Rivetus, *docuerunt imprimis Jeſuita*, quem videſis lector *comment. in Decal. Hi Jeſu ſociorum nomine & typo inſtati, qui & fidem hæreticis, hoc eſt, hominibus a factione & conſpiratione ſua abhorrentibus obſtrictam, publica etiam ſummi Magiſtratus auctoritate communitam jure violari aſſerunt, & perfide praxi doctrina analoga, quoties poſſunt, violant: & inauditam illam æquivocandi & partem orationis in mente reſervandi, uti vocant, praxim & doctrinam horrendam in mundum invexerunt*, uti teſtatur Heideggerus *Corp. Theolog. Chriſt. loc.* 14. *ſect.* 4. ubi videbis argumenta quibus mendaciorum & mentalium reſervationum patroni militant.

XVIII. Sciendum vero quæ de falſiloquio diximus ad aſſerentem ſermonem, & quidem talem qui nulli niſi publico hoſti noceat, non ad promittentem referenda. Nam ex promiſſione, ut jam modo dicere cœpimus, jus ſpeciale ac novum confertur ei cui fit promiſſio: idque inter hoſtes etiam locum habere ſine ulla hoſtilitatis jam exiſtentis exceptione, neque tantum in promiſſis expreſſis, ſed & in tacitis, ut in colloquii poſtulatione oſtendemus, cum ad eam partem, quæ de fide in bello ſervanda eſt, ventum erit.

XIX. Illud quoque ex ſuperiori quæ de jurejurando fuit, diſſertatione repetendum eſt, ſive id aſſertivum ſit, ſive promiſſivum, vim habere excludendi omnes exceptiones quæ ex perſona ejus quicum agimus peti poſſent, quia non cum homine tantum, ſed & cum Deo res eſt, cui per jusjurandum obligamur etiamſi homini jus nullum naſci poſſit. Ibidem & illud diximus, non ſicut in alio ſermone, ita in jurato, ut a mendacio excuſemur admitti interpretationes verborum quaſvis non plane inuſitatas: ſed omnino veritatem requiri eo in ſenſu quem homo exaudiens intelligere fide optima exiſtimatur: ut plane deteſtanda ſit illorum impietas, qui ut pueros talis, ita viros jurejurando fallendos aſſerere non dubitabant.

COMMENTARIUS.

Videtur mihi Auctoris noſtri exceptio ejuſmodi argumentum nobis ſuppeditare, ſcilicet, idem jus, quod ex promiſſis acquiritur, quoque promittens obligatur fidem ſervare, & præſtare quod promiſit, falſiloquio non illudendum, etiam ſi hoſti facta ſit promiſſio. *Fides etiam hoſti ſervanda, ut ſi conſtituus ſit cum hoſte aut locus, aut dies prælio, adverſus juſtitiam putetur, aut loco prævenire aut tempore*, inquit Ambroſius *lib. de off. cap.* 29. Etiam deſcendit ex pacto & conventione, qua, juxta Auctoris noſtri opinionem, homines ſe invicem adſtrinxerunt & ſibi quaſi fidem dederunt, ut oratione & ſermone uterentur cum animi intentione conveniente, ex quo alter animi mei ſenſa & cogitationes intelligere poteſt; itaque mendacium fugerent, & veritatem ſectarentur, quæ eſt finis orationis & ſermonis; cujuſmodi pactum vel conventio non enervatur vel tollitur bello, quia hoc pactum inſeparabiliter parique paſſu cum ſermone & colloquio ambulat; itaque ubi colloquium & ſermonis uſus, ibi ſtatim vim ſuam efficaciter producit; imo, quoties ſermone quis utitur, toties ex iſto actu, non ſecus atque ex promiſſione, novum jus oritur quaſi tacito ex pacto vel adjuratione tacita, quæ ſermoni tanquam aſſidua comes adhæret, obligationem producens dicendi verum. Ita argumentatur doctiſſimus

ctiſſimus Theologus Joan. Coccejus : *Neceſſe eſt*, inquit, *hominem præ ſe ferre in ſermone & in factis, quod ſit homo conditus ad ſimilitudinem Dei. Quando homo loquitur & poſtulat ſibi eredi, licet nihil dicat, tacite ſignificat, dignum homine eſſe, quia homo eſt, non mentiri, & qui mentitur indignum eſſe, qui honoretur & laudetur. Quando homo quid agit, neceſſe eſt eum agere, ut judicandum ab omnium conſcientia. Ita homo hominem in commercio omni tacite adjurat, ut veritatem dicat, ut non inſidietur; & viciſſim, qui vera loquitur, qui bene agit, ut habeatur pro bono viro. Ita fit ut qui commercium habent, ſibi invicem quaſi Amen dicant ad mutuam adjurationem. Hoc ſecutus Chriſtus, ſæpenumero aperte ſermoni ſuo præfatur; Amen dico vobis. q. d. Quod tacite a me in animis veſtris contenditis, ut in nomine & timore Dei, tanquam bonus vir, tanquam verax doctor, tanquam Filius Dei, ut Salvator mundi vobiſcum loquor, ad eam adjurationem veſtram vobis libere & palam reſpondeo Amen.* Omni itaque ſermoni ejuſmodi adjuratio annexa, vim habet excludendi omnes exceptiones, quæ ex perſona ejus, quicum agimus, peti poſſunt; quod multo magis obtinet, ubi jusjurandum interpoſitum, atqui ita duplici vinculo fides adſtringitur; quia non cum hominibus, ſed & cum Deo res eſt, cui per jusjurandum obligamur : ſed eadem obligatio deſcendit ex ſermone ſimplici aſſerente, quippe ſermone utentes non homini, ſed & Deo obligamur verum dicere, ob rationes a nobis ſupra allegatas.

XX. 1. Scimus etiam fraudium, quas conceſſas naturaliter diximus, genera quædam a populis aut hominibus nonnullis repudiata : ſed id non accidit ob injuſtitiæ opinionem, ſed ob eximiam quandam animi celſitudinem, interdum & virium fiduciam. Exſtat apud Ælianum dictum Pythagoræ, duabus rebus hominem ad Deum proxime accedere, vera ſemper loquendo, & benefaciendo aliis : & apud Jamblichum veracitas dux dicitur ad omnia divina humanaque bona.
Ariſtoteli, ὁ μεγαλόψυχος παῤῥησιαστικὸς καὶ ἀληθευτικός, *magnanimus verum & libere lo-* Nic. IV: I.
qui amat. Plutarcho τὸ ψεύδεσθαι δουλοπρεπὲς *ſervile mentiri.* Arrianus de Ptole- Lib. I.
mæo : καὶ αὐτῷ βασιλεῖ ὄντι αἰσχρότερον ἢ τῷ ἄλλῳ ψεύσασθαι ἦν : *Et ipſi, utpote regi,*
turpius mentiri quam alii cuivis. Apud eundem Alexander : οὐ χρῆναι τὸν βασιλέα Lib. VII.
ἄλλο τι ἢ ἀληθεύειν πρὸς τοὺς ὑπηκόους : *non debere regem apud ſubditos aliud quam verum eloqui.* Mamertinus de Juliano : *Mira eſt in Principe noſtro mentis linguæque concordia. Non modo humilis & parvi animi, ſed & ſervile vitium ſcit eſſe mendacium; & vere; cum mendaces homines aut inopia aut timor faciat, magnitudinem fortunæ ſuæ Imperator qui mentitur ignorat.* Laudatur Plutarcho Ariſtidis φύσις ἱδρυμένη ἐν ἤθει βεβαίῳ καὶ πρὸς τὸ δίκαιον ἀτενὴς, ψεῦδος δ' οὐδ' ἐν παιδιᾶς τινι τρόπῳ προσιεμένη, *ingenium morum conſtantia præditum, & juſti tenax, mendacii etiam in joco fugiens.* De Epaminonda Probus : *adeo veritatis diligens ut ne joco quidem mentiretur.*

2. Quod profecto Chriſtianis eo magis obſervandum eſt, quia ipſis non ſimplicitas tantum imperata eſt Matth. x: 16. ſed & vaniloquentia interdicta Matth. XII: 36. & is in exemplum propoſitus in cujus ore dolus inventus non eſt. Lactantius : *Itaque viator ille verus ac juſtus non dicit illud Lucilianum :*

Homini amico ac familiari non eſt mentiri meum.

Sed etiam inimico atque ignoto exiſtimabit non eſſe mentiri ſuum : nec aliquando committet, ut lingua interpres animi a ſenſu & cogitatione diſcordet. Talis eſt in Philoctete Sophoclis Neoptolemus ὑπερβάλλων ἁπλότητι καὶ εὐγενείᾳ, *generoſa ſimplicitate excellens*, ut recte notavit Dion Pruſæenſis, qui Ulyſſi ad dolos hortanti ſic reſpondet :

Ego audiens quæ doleo, Laërta ſate,

Implere

Implere factis oderim multo magis:
Nam ſic nec ego ſum natus ut fallacias
Secter, nec olim genitor, ut perhibent, meus:
At ſum paratus vi mera, non fraudibus
Pertrahere raptum.

Euripides Rheſo:

Generoſus animus hoſtibus furtim necem
Inferre neſcit.

3. Sic Alexander furari negabat ſe velle victoriam. Et Achæos ab-
Lib. 12. horruiſſe ab omni in hoſtes fraude narrat Polybius, ideo quod eam demum firmam cenſerent victoriam, quæ, ut Claudiani verbis ſenſum ejus exprimam,

Confeſſos animo quoque ſubjugat hoſtes.

Tales Romani ferme ad uſque belli Punici ſecundi finem. Ælianus ἴσασι Ῥωμαῖοι ἀγαθοὶ εἶναι, καὶ οὐ μὲν διὰ τέχνης καὶ ἐπιβουλῆς καταγωνίσασθαι τοὺς ἐχθρούς: *Romanis propria eſt virtus, non per aſtus & vafritiem quæſita victoria.* Unde cum Perſeus Macedonum Rex deceptus eſſet ſpe pacis, negabant veteres ſenatorum ſe agnoſcere Romanas artes: majores nunquam ut aſtu magis quam virtute gloriarentur bella geſſiſſe: non verſutiis Punicis, non calliditate Græca, apud quos fallere hoſtem quam vi ſuperare glorioſius foret. Tum illud addebant: *Interdum in præſens tempus plus profici dolo quam virtute, ſed ejus demum animum in perpetuum vinci, cui confeſſio expreſſa eſſet ſe neque arte, neque caſu, ſed collatis cominus viribus juſto ac pio*
Ann. l. 11. *bello eſſe ſuperatum.* Etiam ſerius apud Tacitum legimus: *non fraude, neque occulte, ſed palam & armatum populum Romanum hoſtes ſuos ulciſci.* Tales
Scholiaſtes ad 11. *Apollonii.* etiam Tibareni, qui prælii quoque locum & tempus condicebant. Quod & de Græcis ſui temporis apud Herodotum prodit Mardonius.

COMMENTARIUS.

P*Rincipium mendacii exiguum habet gratiæ: circa finem vero*

Turpe ſane lucrum, malumque pariter
Naſcitur; eſt autem plane inhoneſtum, ſi cui mendacium adhæreat
Viro, & ab ore primum egreditur. Theognid. Et Ariſt. *lib. Elenchor. Duo ſunt opera ſapientis, quorum unum eſt, non mentiri, de quibus novit: alterum vero, mentientem manifeſtari poſſe.* Idem *lib.* 4. *Ethic. Omne mendacium pravum eſt & fugiendum.* Sic Rex Perſarum Darius, fiducia virium nihil aſtu agere volebat, *affirmans ſuis, occulta conſilia victoriæ furtivæ convenire,* Juſtin. *lib.* 11. *cap.* 6. Et Parthorum Rex Sapor apud Ammianum 17. 10. *Illud apud nos nunquam acceptum fuit, quod aſſeritis vos Romani exſultantes, nullo diſcrimine virtutis ac doli, proſperos omnes laudari bellorum eventus.* Et Alexander apud Curtium *lib.* 4. *cap.* 13. *Latrunculorum & furum iſta ſolertia eſt, quam præcipitis mihi: quippe illorum votum unicum eſt, fallere.* Et apud Arrian. *Furtivam victoriam cum turpitudine eſſe conjunctam, Alexandri eſſe aperto Marte, non aſtu victoriam conſequi.* Tribuit quoque hanc animi magnitudinem antiquis Romanis Livius *lib.* 42. Sic *Helvetii*, apud Jul. Cæſar. *de bell. Gall. lib.* 1. *cap.* 13. *ſe a patribus majoribus didiciſſe,* teſtantur, *ut magis virtute, quam dolo contenderent, aut inſidiis niterentur.* Teſtatur hoc ipſum de Gallis Hirt. *de bel. Afric. Gallos homines apertos, minimeque inſidioſos, qui per virtutem, non per dolum dimicare conſueverunt.* Et ex Græcis Achæi olim a nectendis dolis adeo abhorruerunt, ut nec hoſtes ſuos vellent per fraudem vincere, teſte Polybio *lib.* 13.

XXI. Ad modum agendi & illud pertinet, quod quicquid alicui facere non licet, ad id eum impellere aut ſollicitare non liceat. Pro

exem-

exemplo ſint hæc: regem ſuum occidere ſubdito non licet, nec oppida ſine conſilio publico dedere, nec ſpoliare cives. Ad hæc ergo ſubditum, qui talis maneat, permovere non licet. Semper enim qui alteri peccandi cauſam dat peccat & ipſe. Nec eſt quod regerat quisquam, ipſi qui talem hominem ad facinus impellit, actum talem, puta hoſtis interfectionem, eſſe licitum. Licet enim id ei facere, ſed non eo modo. Bene Auguſtinus: *Nihil intereſt utrum ipſe ſcelus admittas, an alium propter te admittere velis.*

XXII. Aliud eſt ſi quis opera ſponte nec ſuo impulſu peccantis ad rem ſibi licitam utatur: quod iniquum non eſſe Dei ipſius exemplo alibi probavimus. *Transfugam jure belli recipimus*, inquit Celſus, id eſt, contra jus belli non eſt ut eum admittamus qui deſerta hoſtium parte noſtram eligit. *L. 51. D. de acq. rerum dom.*

COMMENTARIUS.

Recte Auctor noſter ſtatuit, quod, quidquid alicui facere non licet, ad id eum impellere vel ſollicitare non liceat, de ejuſmodi re ſermonem habens, quæ naturali honeſtati & ſanis gentium moribus repugnat, & proinde in actum deduci nequit, quin agens ſeſe peccati labe commaculet. Cujus generis ſunt, veneno interficere, aut proditorie ad cædem Regis vel Principis ſui ſollicitare & corrumpere animos civium vel ſubjectorum. Licet quidem hoſtem tollere e medio, ſed non omni modo. Quamobrem non minus peccant auctores ejuſmodi facinoris, quam ipſi exſecutores, *conductores non minus faciunt turpiter, quam ipſi, qui turpitudinis ſuæ mercedem accipiunt*, ut inquit Bodin. *de Repub. lib.* 2. Et merito, naturali honeſtate & gentium jure publicæ ſecuritati conſulente, vetantur ejuſmodi doli & inſidiæ: *Nam*, ut recte inquit Alberic. Gentilis, *cujus vita poterit eſſe tuta, ſi neceſſe fuerit a civium & domeſticorum quoque inſidiis metuere. Si namque corruptela hæc ab auctoritate tanta, quanta eſt juris gentium, adprobetur, nihil jam eſt, quod ſalutem noſtram tueatur. Si hæc perturbare omnia volumus, & permiſcere, totam vitam periculoſam, inſidioſam infeſtamque redderemus. Commune eſt hoc malum, communis metus, commune periculum. Non quid hoſti accidere voluerimus, ſed, quid nobis in tali re metuendum ſit, cogitare debemus. Hæc eſt naturæ clara vox & naturalis lex, non ſinens illud ignorari, quod tibi non vis fieri. Hic juſtitiæ ſtatus integer, non facturæ aliis, quod ſibi fieri nolit: nec aliis negaturæ, quod ſibi fieri velit. Quod tibi ab amico fieri non vis, amico ne feceris. Quod tibi ab hoſte fieri non vis, hoſti ne feceris.* Diverſum vero obtinere, Auctor ſtatuit, ſi quis ſponte ſuam operam offerat: cum enim hoc caſu citra noſtram ſollicitationem peccet, nihil impedimento eſt, cur non ejuſdem opera ſalva conſcientia ad rem nobis licitam uti poſſimus; verum vehementer dubito, an Chriſti doctrinæ, tum etiam charitatis regulæ conveniat, quod hic prodit Auctor; utpote quæ a nobis exigit, ut proximum in errorem lapſum in rectam viam reducamus, avocemus a malitia & peccato, imo quodammodo peccati fit particeps, qui ſponte peccantis opera utitur; primo videtur approbare malitiam utendo, quaſi bonum eſſet medium, ejuſdem opera peccati labe infecta, ad conſequendum finem ſibi propoſitum, atque ita occaſionem præbet peccanti, perſeverandi in malo ſuo propoſito. *Et omnino dubitare licet*, inquit Zeiglerus, *utrum ſatis conveniat juri naturali, quod transfuga recipiatur, quandoquidem id potius jubet lex divina moralis, quæ naturalem interpretatur, ut famulos & miniſtros cujuſque confirmemus, quo in fide & miniſterio ſubſiſtant.*

CAPUT II.

Quomodo jure gentium bona ſubditorum pro debito imperantium obligentur: ubi de repreſſaliis.

I. *NAturaliter ex facto alieno neminem teneri niſi hæredem.*

II. *Jure tamen Gentium introductum ut pro debito imperantis teneantur res & actus ſubditorum.*

III. *Exemplum in prehenſione hominum:*

IV. *Et rerum.*

V. *Locum habere hoc poſt jus denegatum; & quando id factum cenſeri debeat: ubi oſtenditur rem judicatam proprie jus non dare aut adimere.*

VI. *Vitam non obligari.*

VII. *Diſtinctio ejus quod in hac materia eſt Juris Civilis & Gentium.*

I. 1. VEniamus ad ea quæ ex jure deſcendunt gentium. Ea partim ad quodvis bellum ſpectant, partim ad certam belli ſpeciem. A generalibus auſpicemur. Mero naturæ jure ex facto alieno nemo tenetur niſi qui bonorum ſucceſſor eſt: ut enim cum oneribus bona tranſirent ſimul cum dominiis rerum introductum eſt. Imperator Zeno æquitati naturali contrarium dicit ut pro alienis debitis alii moleſtentur. Hinc tituli in jure Romano, ne uxor pro marito, ne maritus pro uxore, ne filius pro patre, ne pater vel mater pro filio conveniantur.

l. unica. C. ut nullus ex vic. C. ut uxor pro mar. & ne fil. pro patre. totis titulis.

2. Nec quod Univerſitas debet ſinguli debent, ut diſerte loquitur Ulpianus: nimirum ſi Univerſitas bona habeat; alioqui enim tenentur non ſinguli, ſed qua pars ſunt univerſorum. Seneca: *Si quis patriæ meæ pecuniam credat, non dicam me illius debitorem, nec hoc æs alienum profitebor: ad exſolvendum tamen hoc portionem meam dabo.* Supra dixerat: *Unus e populo non tanquam pro me ſolvam, ſed tanquam pro patria conferam.* Et: *ſinguli debebunt non tanquam proprium, ſed tanquam publici partem.* Hinc ſpeciatim jure Romano conſtitutum, ut nullus ex vicanis pro alienis vicanorum debitis teneatur; & alibi nulla poſſeſſio alterius pro alienis debitis etiam publicis conveniri præcipitur: & in Novella Juſtiniani vetantur ἐνεχυριασμοὶ, id eſt, pignorationes pro aliis, addita cauſa, quod rationem non habeat, alium quidem eſſe debitorem, alium vero exigi; ubi & hujuſmodi exactiones odioſæ vocantur. Et Rex Theodoricus apud Caſſiodorum, fœdam vocat licentiam alterum pro altero pignorandi.

L. 7. §. 1. D. quod cujuſque univerſ. nomine. Lib. VI. de Benef. c. 20. Cap. 19. d. l. unica, C. ut nullus ex vicanis l. XI. L. 4. C. de exec. & exactionibus l. XII. No. 52. & 134. Lib. IV. var. epiſt.

COMMENTARIUS.

CUm, ut alibi notavimus, homines natura, conditione & ſtatu ſibi ſunt æquales, ſic æquali quoque jure & libertate gaudent, quæ cuique concedit imperium & dominium in ſemet ipſum & bona ſua, cui nihil detrahi poteſt, niſi quantum quiſque ipſe detrahere voluit, alterique deferre. Atqui omne juris vinculum, quo vel perſona, vel bona noſtra obligantur, eſt imperii & dominii iſtius diminutio, oportet ut interveniat factum vel conſenſus ejus, cui ejuſmodi obligatio imponitur. Quamobrem conveniens juri naturæ, ut nemo pro facto alieno teneatur, quoniam nemo, niſi ſuo ex facto, obligari poteſt, cum quiſque ſui juris eſt, liber arbiter & moderator rerum ſuarum. Si quis alieno ex facto teneretur, argumentum eſſet, ſui non fuiſſe juris, utpote qui

pati

pati neceſſum habuit, ut ſibi obligatio imponatur. Si bonorum ſucceſſor, ſive hæres, non ex alieno, ſed ſuo facto tenetur, quia hæreditatis aditio eſt actus, qui provenit ex propria voluntate, quo ſuſcipit in ſe onera & incommoda hæreditatis, quemadmodum etiam gaudet commodis & emolumentis, quæ ex eadem capere poteſt; itaque ſuo facto ſeſe obſtrinxit tacito quaſi pacto ad omnia debita ſolvenda; potuiſſet hereditatem repudiare, ſi placuiſſet, ſed, eam adeundo, commoda & incommoda in ſe transfert: nihil enim magis naturali æquitati conveniens, quam ut bona ſimul cum oneribus transeant, & proinde, qui eorundem poſſeſſionem & dominium ſibi acquiſierit, etiam debita ſibi applicat tam activa quam paſſiva, quemadmodum bona affecta pro onere, ſic etiam tranſmittunt illud ad quemcunque poſſeſſorem. Sed, quemadmodum poſſeſſio & aditio facti eſt & voluntatis; ita etiam obligatio ex eadem deſcendens, quam ſibi imponit hæres ad ſatisfaciendum creditoribus: unde patet, ex ſuo, non alieno facto teneri. Hac naturali æquitate niti iſti tituli Auctori videntur, *ne uxor pro marito*, *ne filius pro patre conveniatur*, niſi & ipſi conſenſerint, atque ita actus unius concurrat cum actu alterius; quoniam obligatio profluit ex conſenſu & facto agentis, non egreditur perſonam ejus, nec ab ea recedit. Verum, mihi videtur jus naturale potius contrarium dictare, quia æqualitas illa hic ceſſat, cum maritus ſibi matrimonio acquirat imperium & poteſtatem in perſonam & bona uxoris, tum etiam per matrimonii copulam tam arcte ſibi devinciuntur, ut, in unam quaſi carnem coadunati, unam eandemque perſonam repræſentare videantur, & proinde omnia fiunt utriuſque communia, & quaſi unum idemque conficitur patrimonium ex utriuſque facultatibus atque fortunis, unde idem juris vinculum & nexus unitum patrimonium afficit naturaliter pro debito a marito contracto, multo magis id obtinet in perſona filii vel liberorum, qui cum patre pro una eademque habentur perſona, idque quamdiu ſunt membra & partes familiæ paternæ, & ſubjecti imperio, imo & dominio patris, ita ut, neceſſitate exigente, vendendi & oppignerandi liberos, facultatem haberet, quamvis regulariter dominium niſi in res irrationales & animales competat, & proinde homines in dominio eſſe dici nequeunt; atque in eo differt conditio liberorum a conditione uxoris, quod imperium mariti in perſonam uxoris non tam amplum, quamvis in bona uxoris idem. Annotavimus alibi, quod, antequam homines cœtus inter ſe celebrare & in ſocietates coaleſcere cœperunt, diviſum fuiſſe mortale genus in diverſas familias, cujus caput & princeps paterfamilias, ſummum habens imperium in cætera familiæ membra, uxorem, liberos & ſervos, tum etiam dominium eminens in eorundem bona. Imperio enim in perſonas eorumque actus cohæret ejuſmodi dominium in bona, quæ tanquam acceſſorium domini ſive poſſeſſoris conſideranda, & proinde, qui ſummum habet imperium in perſonam, ſimul quoque eminens obtinet dominium in ejus bona & fortunas: acceſſorium enim ſequitur naturam ſui principalis. Quemadmodum vero ſummum imperium continet facultatem dirigendi eorum, qui parent, actiones, ut ad unum eundemque finem, id eſt, communem ſalutem tuendam utilitatemque promovendam, collimeni; ita quoque defert ſummo imperanti dominium in bona parentium. Cui etiam accedit, quod in perſona patrisfamilias univerſa familia conſiſtit, quæ, quamvis ex diverſis partibus & membris conflata, conſiderari debet tanquam unus homo, unum aliquod totum; quamobrem, quidquid agit vel contrahit ejuſdem caput, id ex voluntate omnium egiſſe videtur; quoniam ſine ejuſmodi conſpiratione & concordia animorum familia ſubſiſtere diu non poſſet; ita ut obligatio, quæ ipſis ex actu capitis ſive patrisfamilias impoſita, quaſi ſibi ipſi impoſuerint, atque ita quoque ſuo ex conſenſu & facto obligati videantur; quod tamen non neceſſum ut valida ſit obligatio, quia, ut jam diximus, ſummum in perſonam imperium hanc facultatem includit. Ex iis, quæ diſputavimus, facile conſtat, ex fabrica ſocietatis civilis, quæ ſummo imperio tanquam baſi & fundamento ſuo innititur, profluere idem jus eandemque facultatem, quam familiæ capiti in ſtatu naturali concedit atque tribuit ratio. Alibi enim annotavimus, mortales ea mente in ſocietatem civilem coaluiſſe, ut vitam, corpus, membra, atque poſſeſſiones & fortunas, in ſtatu naturali facinoroſorum hominum pravis machinationibus & inſidiis expoſitas, in ſecuritatem aſſererent, quod fieri commode nequibat, niſi renunciarent libertati naturali, quæ cuique tribuebat ſummum imperium & dominium plenum in ſe bonaque ſua, nullamque aliam præſcribebat vivendi & agendi normam, quam propriam voluntatem propriumque arbitrium, ſummumque conſtituerent imperium, cui unuſquiſque ſuam voluntatem ita ſubjiceret, ut pro voluntate omnium & ſingulorum habendum eſſet, quidquid de iis rebus quæ neceſſariæ ad communem ſalutem & ſecuritatem tuendam ille vellet, ita ut una eſſet omnium voluntas; cujuſmodi unio ſocietatis civilis genitrix ac mater habenda, & tanquam una perſona conſideratur, cujus voluntas, ex ſubmiſſione, pro voluntate habenda ipſorum omnium, ut ſingulorum perſonis, viribus, facultatibus uti poſſit, ad defenſionem & ſecuritatem communem. Ita, penes quem ſummum Imperium, penes eum quoque facultas iis utendi mediis, quæ ad finem illum conſequendum conducere arbitratur; quidquid vero ad illum obtinendum agit, quaſi ex voluntate omnium egiſſet, omnes cives ligat. Actus itaque imperantis ſunt actus civitatis, quia eam repræſentat, & qua Princeps nomine civitatis agit omnia; & proinde ex facto imperantis obligati & cives. Quod ſi ejuſmodi facultas obligandi ſubditos actibus & voluntati ejus, quem ſocietati tuendæ præfecerunt, cum ſummo imperio ſimul delata non eſſet, ſed quiſ-

 que

que ſibi arrogare poſſet arbitrium acta publica ſuo diſſenſu diſſolvendi, ſocietatis civilis fabrica ſtatim mutaretur in confuſam multitudinem & inordinatum chaos; quare ex intentione & fine in ſocietatem civilem coeuntium tacite ſeſe obligandi ad ea, quæ ſuperior nomine civitatis egerit, voluntas & animus luce clarius apparet.

II. 1. Hæc quanquam vera ſunt, tamen jure gentium voluntario induci potuit, & inductum apparet, ut pro eo quod debet præſtare civilis aliqua ſocietas, aut ejus caput, ſive per ſe primo, ſive quod alieno debito jus non reddendo ſe quoque obſtrinxerit, pro eo teneantur & obligata ſint bona omnia corporalia & incorporalia eorum qui tali ſocietati aut capiti ſubſunt. Expreſſit autem hoc quædam neceſſitas, quod alioqui magna daretur injuriis faciendis licentia, cum bona imperantium ſæpe non tam facile poſſint in manus venire privatorum qui plures ſunt. Eſt igitur hoc inter jura illa quæ Juſtinianus ait uſu exigente, & humanis neceſſitatibus a gentibus humanis conſtituta.

Inſt. de Jur. nat.

2. Non autem ita hoc naturæ repugnat, ut non more & tacito conſenſu induci potuerit, cum & fidejuſſores ſine ulla cauſa ex ſolo conſenſu obligentur. Et ſpes erat facilius membra ejuſdem ſocietatis a ſe mutuo jus conſequi poſſe, & indemnitati ſuæ conſulere, quam externos, quorum multis in locis exigua habetur ratio: deinde, commodum ex hac obligatione commune erat omnibus populis, ita ut qui nunc eo gravaretur, alio tempore indidem ſublevari poſſet.

Th. 2:2. qu. 40. art. 1. Molin. diſp. 120. & 121. Valentia diſp. 3. q. 16. num. 3. Navar. c. 27. num. 136.

3. Receptum autem hunc morem non tantum apparet ex bellis plenis quæ populi populis inferunt: in his enim quid obſervetur, oſtendunt denuntiationum formulæ: *Populis priſcorum Latinorum, hominibuſque priſcis Latinis bellum indico facioque*: & in rogatione: *Vellent, juberent Philippo regi Macedonibuſque qui ſub regno ejus eſſent bellum indici*: & in decreto ipſo, *Populus Romanus cum populo Hermundulo hominibuſque Hermundulis bellum juſſit*; quod ex Cincio eſt in re militari: & alibi; *Hoſtis ſit ille, quique intra præſidia ejus ſunt*: verum etiam ubi ad eam belli plenitudinem nondum ventum eſt, ſed tamen violenta quadam juris executione, id eſt bello imperfecto, opus eſt, idem videmus uſurpari. Pharnabazo Regis Perſarum ſubdito dicebat olim Ageſilaus: Ἡμεῖς, ὦ Φαρνάβαζε, καὶ φίλοι ὄντες πρότερον βασιλέως, ἐχρώμεθα τοῖς ἐκείνου πράγμασι φιλικῶς. Καὶ νῦν πολέμιοι γεγονότες, πολεμικῶς: ἐν οὖν καὶ σε τῶν βασιλέως κτημάτων ὁρῶντες εἶναι βουλόμενον, εἰκότως διὰ σοῦ βλάπτομεν ἐκεῖνον. *Nos, Pharnabaze, & cum amici Regis eſſemus amice nos erga ea quæ ipſius erant gerebamus, & nunc cum hoſtes ſimus facti hoſtiliter nos gerimus. Quare cum & tu eſſe velis inter ea quæ Regis ſunt, jure per te illum lædimus.*

Liv. lib. I. Lib. XXXI. Gell. l. XVI. cap. 4. Livius lib. XXXVIII. & alibi. Plut. Ageſ. & Xen. hiſt. Gr. IV.

COMMENTARIUS.

IMo dictat & ipſa ratio, quæ naturali æquitati favet ob rationes jam adductas, ut pro eo quod debet præſtare civilis aliqua ſocietas, aut ejus caput, quod nomine civitatis agit omnia, quæ ejuſdem adminiſtrationem & gubernationem ſpectant, teneantur & obligata ſint bona omnia corporalia & incorporalia eorum, qui ejuſdem membra & partes ſunt, aut capiti ſubjecti. Et magnopere ſocietatis humanæ & cujuſque gentis ac civitatis intereſt, ut ejuſmodi jus vigeat, ne ſemper vi & armis id genus debita exigere & ſtatim in bellum ruere integras gentes, ad reparandum damnum civi illatum, neceſſum foret. Verum, quæri poteſt, an omnia

omnia debita a Principe contracta, cujuſcunque ſint generis & quacunque ex cauſa debeantur, cives & ſubjecti in ſe ſolvenda ſuſcipere teneantur? An vero ea duntaxat, quæ publici commodi & communis defenſionis atque utilitatis promovendæ, vel etiam ſecuritatis tuendæ cauſa contracta? Intereſſe enim videtur, num impenſæ voluptuariæ, vel an utiles & neceſſariæ, in cauſa fuerint debiti contracti. Quemadmodum boni paſtoris eſt, tondere pecus, non autem deglubere; ita poteſt quidem Princeps bona & perſonas civium obligare ad ſolvenda debita ad uſum & ſecuritatem tranquillitatemque Reipublicæ tuendam contracta, ſed dilapidare, & ad animum ſuum ad cujuſvis generis voluptates & luxus pronum explendum neutiquam debet. Non videtur adeo amplum ipſi conceſſum imperium, & proinde debita ob hanc cauſam contracta non tanquam nomine civitatis, cujus repræſentat perſonam, ſed ſuo contracta videri debent, deſtituitur hoc caſu conſenſu populi, qui præſumi nequit eo uſque voluntatem ſuam ſubmiſiſſe voluntati Principis. *Collecta quando de juſtis cauſis, in publica utilitate vel etiam vera jus collectandi habentis neceſſitate fundatis, non apparet, cenſentur eſſe odioſæ, ut ſervitutis ſpeciem habentis, & interpretatio contra eas fieri debet*, ut ait Sixtin. *de Regal. lib.* 2. *cap.* 14. *n.* 56. Verum, monendi cives, ne abutantur hac doctrina, ſi debita illa ob impenſas voluptuarias contracta non multum excedant ærarii vires, præſtat ut ea in ſe ſuſcipiant cives, quam eorum ſolutionem declinando majeſtatem Principis contumeliæ exponerent. *Quando vero certum eſt & manifeſto conſtat, prodige & profuſiſſime vitam a Principe actam fuiſſe, atque debita ab eo contracta inerti luxui ac prodigis epulis inſervuiſſe*, ut de Vitellio tradit Suetonius, cui non minus ſinguli apparatus quadringentis millibus nummûm conſtiterunt. *Non tenentur quidem ſubditi debita iſtiuſmodi in ſe recipere, aut exſolvere*, ut ait Zeigl. *de jur. majeſtat.* Monet tamen, *pie & laudabiliter facturos, ſi & hoc caſu Principi facultatibus ſuis ſubveniant, & debita talia agnoſcant, non minus atque liberi, qui patris prodigi creditoribus ſatisfaciunt, & ipſi obligati non ſunt, & ne teneantur, ab hæreditate paterna ex beneficio Prætoris abſtinere queunt.* Poſſunt itaque ſubjecti conveniri pro debitis ſui Principis & univerſitatis, poteſt in eorum bona & perſonas exſecutio fieri, non repugnante naturali æquitate, ſunt quaſi eodem vinculo ligati, qui quaſi eandem cum Principe & univerſitate perſonam conſtituunt, ob arctiſſimum unionis vinculum, quod civitati vel ejus capiti intercedit cum ſubjectis & civibus, quo rupto diſſolvitur quoque ſocietatis fabrica. *Quemadmodum ex conjunctione in corpus civile factum eſt, ut, quæ uni infertur injuria per extraneos, ea totam civitatem videatur tangere: ita non iniquum viſum, ſingulos veluti in ſubſidium pro debito civitatis obligatos eſſe; cum quod eo nomine illi erogarint, a civitate ſua ipſis ſit refundendum.* Puſend. *lib.* 8. *cap.* 6. Hinc in bellis indicendis non Principi, ſed omnibus civibus atque ſubjectis fit denuntiatio, ut apparet ex denuntiationum formulis, eorundem bona belli jure diripiuntur, devaſtantur, capiuntur, quidquid delirant Reges, plectuntur Achivi. Neque repugnat ejuſmodi juris exſecutio naturali æquitati, cum nulla alia juris perſequendi via inter gentes & nationes, neque de injuria ſibi illata queri poſſunt ſubjecti, utpote qui, dum civitatis commodis fruantur, ut ejuſdem quoque incommoda perferant, non iniquum videtur; idque eo magis, quia eo ipſo, quod ejuſdem civitatis membra fiunt, non ignorant qualis conditio provenit apud eos, qui in eandem ſocietatem coaleſcunt, & proinde tacite in ſe ſuaque jura illa deferunt, quæ neceſſitate & uſu exigente, ratio inter gentes conſtituit. Sed & ubi ad belli plenitudinem non ventum eſt, vel dum violenta juris exſecutione ſive bello imperfecto opus eſt, idem obſervatur.

III. 1. Ejus quam dico exſecutionis ſpecies erat quam Athenienſes vocabant ἀνδροληψίαν, de qua ſic habebat lex Attica; ἐάν τις βιαίῳ θανάτῳ ἀποθάνῃ, ὑπὲρ τούτου τοῖς προσήκουσιν εἶναι τὰς ἀνδροληψίας, ἕως ἂν ἢ δίκας τοῦ φόνου ὑπόσχωσιν, ἢ τοὺς ἀποκτείναντας ἐκδῶσι. Τὴν δὲ ἀνδροληψίαν εἶναι μέχρι τριῶν, πλέον δὲ μή: id eſt, *Si quis morte per vim illata obierit, pro eo proximis ac neceſſariis jus eſto homines prehendendi, donec aut pœna ſumatur de cæde aut homicidæ dedantur: liceat autem tres tantum homines prehendere, non ultra.* Hic videmus pro debito civitatis, quæ obligatur, ſubditos ſuos qui aliis nocuerunt plectere, obligari jus quoddam incorporale ſubditorum, ipſam ſcilicet libertatem morandi ubi velint & agendi quod velint, ita ut in ſervitute interim ſint donec civitas id faciat quod facere tenetur, id eſt puniat ſontem. Quanquam enim Ægyptii, ut ex Diodoro Siculo diſcimus, diſputabant corpus ſive libertatem pro debito obligari non debere, nihil tamen in eo eſt naturæ repugnans; & mos non Græcorum tantum, ſed & aliarum gentium in contrarium valuit.

2. Ari-

2. Ariſtocrates Demoſtheni coævus decretum rogaverat, ſi quis Charidemum occidiſſet eum abripere undecunque liceret; & ſi quis obſiſteret is hoſtium eſſet numero. Hic multa reprehendit Demoſthenes: primum quod non diſtinxerit Ariſtocrates inter cædem juſtam & injuſtam; cum & juſta aliqua eſſe poſſit: deinde quod non exigit ut prius poſtuletur judicium: præterea quod non eos apud quos facta ſit cædes, ſed eos qui homicidam recipiunt teneri velit. Verba Demoſthenis ſunt: Ὁ μὲν νόμος, ἂν μήτε δίκας ὑπόσχωσι παρ' οἷς ἂν τὸ πάθος γένηται, μήτε τοὺς δεδρακότας ἐκδιδῶσι, κελεύει κατὰ τούτων εἶναι τὸ ἀνδρεληψιον κατὰ τριῶν. Ὁ δὲ τούτους μὲν ἀθώους παρῆκε, καὶ οὐδὲ λόγον πεποίηται περὶ αὐτῶν οὐδένα, τοὺς δὲ τὸν ἤδη πεφευγότα, φησὶ γὰρ οὕτω, κατὰ τὸν κοινὸν ἀνθρώπων νόμον, ὃς κεῖται, τὸν φεύγοντα δέχεσθαι, ὑποδεξαμένους ἐκσπόνδους εἶναι γράφει ἐὰν μὴ τὸν ἱκέτην (male editur οἰκέτην) ἔκδοτον διδῶσιν. *Lex, ſi apud quos cædes evenit neque jus reddant neque ſontes dedant, adverſus eos dat trium hominum prehenſionem. At hic hos quidem relinquit intactos, ac ne mentionem quidem eorum facit. At eos qui jam fuga elapſum, ita enim reum ponam, ſuſceperunt ſecundum jus omnium hominum quod fugientes vult poſſe ſuſcipi, hos vult eſſe hoſtium loco ut ſupplicem dedant.* Quarta reprehenſio eſt quod Ariſtocrates rem ſtatim ad plenum bellum deducit, cum lex prehenſione contenta ſit.

3. Ex his primum illud & ſecundum & quartum ratione non caret. At tertium illud, niſi ad ſolum eventum cædis caſu aut ob ſui tutelam factæ reſtringatur, non eſt ut non oratorie magis & argumenti cauſa quam ex vero & jure ſit dictum. Nam jus gentium ut ſupplices ſuſci-
Lib. II. piantur & defendantur, ut ſupra diximus, ad eos tantum, quibus for-
c. XXI. tuna, non crimen, obſtat, pertinet.
§. 7.

4. Cæteroqui par jus eſt eorum apud quos crimen eſt factum, & eorum qui ſontem punire aut dedere recuſant. Atque adeo aut illa ipſa lex, qua ntitur Domeſthenes, interpretationem eam quam dico ex uſu recepit, aut adverſus cavillationes tales expreſſius poſtea adpoſita: horum enim alterum quin ſit non negabit qui attenderit ad il-
Lib. lud Julii Pollucis: ἀνδρολήψιον δὲ ὅταν τις τοὺς ἀνδροφόνους καταφυγόντας ὥς τινας ἀπαι-
VIII. τῶν μὴ λαμβάνῃ, ἔξεστιν ἐκ τῶν οὐκ ἐκδιδόντων ἄχρι τῶν τριῶν ἀπαγαγεῖν. *Hominum prehen-*
c. 6. *ſio eſt, quoties quis homicidas qui ad aliquos confugerunt non recepit cum id poſtulaverit. Nam jus eſt tres homines prehendendi adverſus eos qui dedere recuſant.* Nec aliter Harpocration: ἀνδροληψία τὸ ἁρπάζειν ἄνδρας ἐκ τινὸς πόλεως. Ἐνεχύραζον γὰρ τὴν ἔχουσαν πόλιν τὸν ἀνδροφόνον, καὶ μὴ προϊεμένην αὐτὸν εἰς τιμωρίαν. *Jus hominum prehenſionis eſt jus rapiendi aliquos ex urbe aliqua. Nam in eam civitatem, quæ homicidam teneret, nec pœnæ dederet, pignoratione utebantur.*

5. Simile huic eſt quod ad recuperandum civem injuria manifeſta captum, civitatis apud quam id factum eſt cives retinentur. Sic Car-
Livius thagine quidam impedierunt ne Ariſton Tyrius caperetur, hac addi-
libro ta cauſa: *idem Carthaginienſibus & Tyri & in aliis emporiis, in quæ frequenter*
XXXIV. *commeent, eventurum.*

COM-

COMMENTARIUS.

Repreſaliarum jus antiquis non plane ignotum fuiſſe, nec inſolitum, ex illa executionis ſpecie conſtat, quam Græci ἀνδροληψίαν vocant: erat enim *androlepſia* jus quoddam oppignerandorum hominum, quando cædes patrata erat, & auctor cædis non reddebatur a civitate, in quam refugerat vel ubi erat: tum enim licebat, ut patet ex lege Attica, quam Auctor adducit, ex ejus civitatis civibus tres capere donec reum redderent. Alii exprimunt hoc jus per *clarigationem*, quod reprehendit merito Budæus, melius clarigatio reſpondet per omnia formulis repreſaliarum, ut ſtatim videbimus. Quamvis videantur repreſaliæ ad exemplum *androlepſiæ* inductæ, attamen non eſt per omnia illis ſimilis. *Androlepſia* proprie fiebat auctoritate eorum, qui ultionem necis poſtulabant, neque alio modo, quam ob cædis injuriam. At enim repreſaliæ pro rebus allatis & injuria ſive damno dato debitoque nondum ſoluto concedi ſolent, idque non ex propria, ſed ſuperioris auctoritate, Principis ſcilicet, in cujus dominio eſt is, cui damnum injuſte datum.

IV. Alia executionis violentæ ſpecies eſt ἐνεχυριασμὸς ſive *pignoratio inter populos diverſos*; quod jus repreſaliarum vocant recentioers Juriſconſulti, Saxones & Angli Withernamium, & Galli etiam, ubi a Rege impetrari id ſolet, literas Marcæ. Locum autem habet, ut ajunt Juriſconſulti, ubi jus denegatur.

Bal. III. con. 58. Bart. de repreſ. q. 5. ad tertium n. 9.

V. 1. Quod fieri intelligitur non tantum ſi in ſontem aut debitorem judicium intra tempus idoneum obtineri nequeat, verum etiam ſi in re minime dubia (nam in dubia re præſumptio eſt pro his qui ad judicia publice electi ſunt) plane contra jus judicatum ſit; nam auctoritas judicantis non idem in exteros quod in ſubditos valet. Etiam inter ſubditos non tollit quod vere debebatur: *Verus debitor, licet abſolutus ſit, natura tamen debitor permanet:* inquit Paulus Juriſconſultus: *Et cum per injuriam judicis domino rem quæ debitoris non fuiſſet abſtuliſſet creditor quaſi obligatam ſibi, & quæreretur, an ſoluto debito reſtitui eam oporteret debitori, Scævola reſtituendam probavit.* Hoc intereſt, quod ſubditi exſecutionem etiam injuſtæ ſententiæ vi impedire, aut contra eam jus ſuum vi exſequi licite non poſſunt, ob imperii in ipſos efficaciam: exteri autem jus habent cogendi, ſed quo uti non liceat quamdiu per judicium ſuum poſſint obtinere.

L. 60. D. de cond. indeb. L. Reſcriptum. §. 1. D. de diſtra. pign.

Innocen. & Pan. in c. plerique de immu. Ecc. Soto l. III. q. 4. art. 5. Jac. de Canibus, Anchar. Dominic. Franc. in c. 1. de injuriis in 6. Fulg. & Salic. in auth. C. de act. & obl. Jac. de Bellovis. in Auth. Ut non fiant pignora. Sil. in verbo repreſ. Bart. in tract. de repreſ. Guido Papa q. 32. Gall. de pign. c. 1. n. 5. Vict. de jure belli, n. 41. Covar. c. peccatum. p. II. §. 9.

2. Tali igitur de cauſa aut corpora aut res mobiles ſubditorum ejus qui jus non reddit capi poſſe non quidem natura introductum eſt, ſed moribus paſſim receptum. Vetuſtiſſimum exemplum eſt apud Homerum Iliados Δ, ubi Neſtor narratur ob ereptos patri equos Elidenſium pecora & armenta cepiſſe ῥύσι᾽ ἐλαυνόμενος ut Poëta loquitur, ubi ῥύσια interpretatur Euſtathius τὰ ἀντί τινῶν ῥυόμενα, ὅ ἐστιν ἑλκόμενα καὶ ἀντὶ τῶν προαρπασθέντων ἁρπαζόμενα. Sequitur deinde in narratione, convocari edicto ad jus ſuum perſequendum omnes eos quibus aliquid ab Elidenſibus debebatur, nimirum,

Μή τις οἱ ἀτεμβόμενος κίοι ἴσης.

Ne quis juſta ſibi parte careret.

Liv. l. 11. Aliud exemplum eſt in hiſtoria Romana de Romanorum navibus, quas pro bonis Tarquiniorum Cumis Ariſtodemus Tarquiniorum *Halic. lib. VII.* hæres retinuit. Famulos, jumenta, pecunias retenta dixit Halicarnaſſenſis. Et apud Ariſtotelem Oeconomicôn ſecundo de decreto Carthaginienſium ad prehendendas exterorum naves εἴ τις σύλαν ἔχει, ut ibi loquitur, *ſi quis jus prehendendi haberet.*

COMMENTARIUS.

REpreſaliarum vocis originem deducunt DD. a verbo Gallico *reprendre*, & *repriſe*, quod eſt iterum aliud pro re ſua accipere, & injuriam in damno & facto conſiſtentem poſtulare ut reſarciatur. Eoque nomine licet capere & retinere res & bona eorum, ſive etiam perſonas, apud quos ille, qui damnum dedit vel injuriam intulit, & proinde ad ejuſdem reparationem faciendam obligatus, commoratur & degit, cum, qui ſummæ rerum præſunt, interpellati, juſtitiam denegant, donec ſatisfiat, impetrato prius ſui Principis in eam rem conſenſu: is enim ſolum vi ſummi imperii id concedere poteſt, cum aliquam occaſionem belli præbeat. Vocantur hæ præhenſiones ſive repreſaliæ *clarigationes* apud Livium, id eſt, rerum repetitiones, quarum uſum & ritum alibi ex veterum monumentis annotavimus. Vocantur in Gallia iſtæ clarigationes *droict de marque*, *marq* a voce Germanica *marca* aut *marck*, quæ ſignificat limitem, quia eo jure utimur in limitibus contra extraneos. Hinc olim cum Legati & Feciales clarigatum, id eſt, raptas res, clare repetitum mitterentur, hac formula utebantur: *Audi Jupiter, audite fines, audiat fas.* Quæri ſolet, an jus repreſaliarum æquitati naturali conveniat? Quidam illud acerrime impugnant, verum rationes admodum lubrico nituntur fundamento: iniquum enim exiſtimant & a juſtitia alienum, ob alterius culpam & crimen innocenti pœna infligi, quoniam oportet ut pœna ſuos teneat auctores: jure enim divino vetitum, inſontem & juſtum occidere, atque ſancitum, *quod filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filii. Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro parentibus, ſed unuſquiſque pro peccato ſuo morietur. Deut. cap.* 24. Verum ex iis, quæ paulo ante diſputavimus de ſocietatis civilis fabrica ejuſque arctiſſimo vinculo, quæ inter ſingulos cives & univerſitatem aut civitatem intercedit, ita ut unum quaſi totum conſtituunt, unam eandemque perſonam repræſentare videntur, perſpicimus, non tam ob alienam, quam propriam culpam pœnam pati cives: conſentire enim hac ratione videntur omnes alterius Reipublicæ cives circa factam injuriam & ratum habere damnum, quod datum eſt. Quamobrem non repugnat juſtitiæ, ſi adverſus eam gentem violenta ejuſmodi juris exſecutio uſurpatur, quæ vel vindicare negligit, quod a ſuis improbe factum eſt, vel reddere, quod injuſte ablatum eſt. Cui etiam accedit, quod quandoque ex cauſa, licet abſit culpa, quem puniri poſſe conſtat *c. Quoniam §. ſi vero aut lite non conteſt. diſt. c. Antiquo de privil.* Puer natus Davidi ex illicito coitu, parentis ob crimen a Deo exſtinctus. 2 *Reg.* 12. Sic infantes Sodomæ, abſque ullo proprio peccato, pariter cum adultis peccatoribus eaſdem dedere pœnas, & igne conſumpti ſunt. *Geneſ. cap.* 19. Quæ quidem divina judicia, quamvis hominibus imitari non liceat, ut recte admonent DD. niſi quatenus manifeſtis ex cauſis procedunt, ideoque nulla lege, quacunque ex cauſa, quis debeat corporali pœna affici ob alterius delictum, tamen ex cauſis & propter Reipublicæ utilitatem; quoque magis homines a delictis deterreantur, humanæ leges poterint pœna pecuniaria, publicatione bonorum, vel ſimili punire etiam illos, qui non deliquerunt. Ajala *de jur. & offic. bell. lib.* 1. *cap.* 1. Ut conſtitutum in filiis & nepotibus eorum, qui crimen læſæ majeſtatis divinæ vel humanæ admiſerunt, utpote qui infamia notantur, & plectuntur publicatione bonorum. Verum, antequam repreſaliæ conceduntur, juſtam præcedere cauſam oportet; cauſa autem legitima erit, ſi injuriæ præcedant, vel prædationes, quæ, dum reſarciri poſtulantur, contemnuntur; quippe ob ejuſmodi denegationem juſtitiæ legitimum bellum indici poteſt. Sic olim Romani Illyricum bellum ſuſceperunt, quod Illyrii navigantes, qui Romanæ ditionis erant, infeſtarent, nec conquerentibus illis per Legatos ſatisfacerent, teſte Polybio *lib.* 2. *Hiſt.* Requirunt etiam DD. ut cauſa non legitima duntaxat ſit, ſed etiam ſatis gravis: *Non enim concedenda ſunt repreſaliæ ob modicas privatorum injurias & damna, ſed talis requiritur læſio, quæ vergit in publicum detrimentum. Quemadmodum nec bellum ſuſcipiendum ob modicam læſionem privato illatam, cum plurima uti inter privatos, ita etiam inter gentes ac nationes quotidie committantur, quæ connivenția magis & contemptu, quam aſpera aliqua vindicta tolluntur. Et ſatius quandoque erit, ut de ſuo Princeps ſubjectis ſuis, ab extraneo læſis, ſubveniat, quam ut repreſalias decernendo, per eas hoſtem ſibi concitet.* Zeigler. *de jur. majeſtat. lib.* 1. *cap.* 34. Verum, uti ſtatim notavimus, antequam repreſaliæ concedantur, non requiritur duntaxat ut conſtet de injuria illata & damno dato, verum etiam conſtare debet de juſtitia denegata in judiciis partis adverſæ, ſcilicet, requiſitum fuiſſe dominum loci vel Principem,

qui

qui non cognoſcit ſuperiorem, vel populum aut Rempublicam cui commiſſa hæc, ut jure ſtatuant in civem vel ſubditum, pro ſpoliato vel injuria affecto, qui poſtulat, ſibi non ſatisfactum ad crebram ipſius requiſitionem. Sed quæritur, an tum etiam denegata juſtitia dici poſſit, cum judex ſui quidem copiam facit & actorem audit, reum tamen abſolvit, cum condemnare debuiſſet? Denegari juſtitiam, ait Auctor noſter, *non tantum, ſi inſontem aut debitorem judicium intra tempus idoneum obtineri nequeat, verum etiam in re minime dubia plane contra jus judicatum eſt; nam auctoritas judicantis non idem in exteros, quod in ſubditos valet.* Verum hanc rationem rejicit doctiſſimus Zeigler. *de jur. majeſtat. lib.* 1. *cap.* 34. *Non enim*, inquit, *propter auctoritatem judicantis valida eſt ſententia, & jus facit inter litigantes, ſed propter tacitam conventionem partium, qui hanc litis finiendæ rationem elegerunt, aut etiam propter auctoritatem juris gentium, quod ſententiis judicum iſtam vim dedit, ut jus faceret. Cæterum*, inquit, *in theſi ipſa nihil diſſentio a Grotio, & parum intereſſe puto inter omnimodam juſtitiæ denegationem, & malitioſam contra manifeſta jura ſententiæ pronunciationem.* Exiſtente igitur juſta cauſa & denegata juſtitia, accedente auctoritate Principis, qui bellum ſolus & marcham inferre poteſt, tum homines, tum res & bona capi poſſunt: ceſſant enim jura, quibus prohibetur ne alius pro alterius debito conveniatur & pœna teneatur. Quippe tunc agitur in concives Reipublicæ domini denegantis ut in noxios & debitores, ut dicere incepimus.

VI. Vita autem ſubditorum innocentium ut ex tali cauſa obligetur, forte creditum fuit apud aliquos populos, eo nimirum quod crederent unicuique hominum jus vitæ plenum eſſe in ſe, & id ad rempublicam potuiſſe transferri, quod minime eſſe probabile, nec ſaniori Theologiæ conſentaneum, alibi diximus. Fieri tamen poterit non ex intentione ſed ex accidenti ut occidantur qui juris exſecutionem per vim volunt impedire. Sed id ſi prævideatur, ex caritatis lege omittendam potius juris perſecutionem alibi oſtendimus, cum ex ea lege, Chriſtianis præſertim, pluris eſſe debeat vita hominis quam *Lib.* 11. *c.* 1. ¶. 12. & 13. res noſtra, ut alibi demonſtratum eſt.

COMMENTARIUS.

NOtavimus alibi, poteſtatem, quam quis habet in ſemetipſum, adeo late non patere, ut vitam ſibi ipſe poſſet adimere aut ad adimendam obligare, quamobrem pignorationum ſive repreſaliarum jus non extendendum ad offenſionem perſonarum innocentium, qui omni illati damni culpa vacui, verum bonorum & rerum tantum. *Quemadmodum enim quis ſolo conſenſu ſe poteſt ſubjicere damno bonorum, non autem membrorum vel corporis, ſic quoque lege vel ſtatuto, cui unuſquiſque conſentire præſumitur, poteſt quis ex cauſa, licet ſine culpa affici pœna pecuniaria, non etiam corporali.* Ajala *lib.* 1. *cap.* 4. *Cæterum*, inquit, *quemadmodum in bello non licet ex profeſſo innocentes occidere, fœminas ſcilicet nec infantes, ſic quoque in hiſce pignorationibus quamvis innoxii offendi non poſſint, ſed tantum bona eorum capere liceat, permittit tamen conditio rei, ut ex accidenti occidantur, ſi quidem aliter pignorationes iſtæ exerceri non poſſunt.*

VII. 1. Cæterum non minus in hac materia quam in aliis cavendum eſt, ne confundamus ea quæ juris gentium ſunt proprie & ea quæ jure civili aut pactis populorum conſtituuntur.

2. Jure gentium ſubjacent pignorationi omnes ſubditi injuriam *Dec. conſ.* 352. *Bal. l.* 3. *de off. aſſeſſ.* facientes, qui tales ſunt ex cauſa permanente, ſive indigenæ ſive advenæ, non qui transeundi aut moræ exiguæ cauſa alicubi ſunt. Introductæ enim ſunt pignorationes ad exemplum onerum, quæ pro exſolvendis debitis publicis inducuntur, quorum immunes ſunt qui tantum pro tempore loci legibus ſubſunt. A numero tamen ſubditorum jure gentium excipiuntur legati, non ad hoſtes noſtros miſſi, & res eorum.

3. Aut jure civili populorum ſæpe excipi ſolent perſonæ mulierum

& infantium; eorum vero qui literis operam dant & ad mercatus veniunt etiam res. Jure gentium ſingulis pignorandi jus eſt, ut & Athenis ἐν ἀνδροληψίᾳ. Jure civili multorum locorum peti id ſolet alibi a poteſtate ſumma, alibi a judicibus. Jure gentium ipſo facto dominium rerum captarum acquiritur ad ſummam debiti & ſumptuum, ita ut reſiduum reddi debeat. Jure civili ſolent citari quorum intereſt res publica auctoritate divendi aut addici iis quorum intereſt. Sed hæc atque alia peti debent ab his qui jura civilia tractant, & nominatim in hac materia a Bartolo, qui de repreſaliis ſcripſit.

Æg. Regius de actibus ſupern. diſp. XIII. *du.* 7. *n.* 117. 4. Illud hic addam, quia ad juris hujus ſatis per ſe rigidi emollitionem pertinet, eos qui non ſolvendo quod debebant, aut jus non reddendo cauſam dederunt pignorationibus, ipſo naturali ac divino jure teneri ad reſarcienda damna aliis quibus eam ob cauſam aliquid decedit.

COMMENTARIUS.

PIgnorationi ſubjacent omnes ſubditi injuriam facientes, ſive advenæ, ſive indigenæ; excipiuntur vero peregrinantes, excipiuntur item Legati, atque res eorum. A repreſaliis quoque immunes eſſe eorumque nuntios, dum ad Academias eunt, vel domum revertuntur, juſſit Imperator Fridericus in *Authent. Cod. ne filii pro patr.* Quemadmodum etiam mulieres & infantes; in jure quoque Pontificio cautum expreſſe, repreſaliis non teneri Clericos. Obſervatur etiam in repreſaliis, ut creditor, qui perſonam vel bona alterius negotiatoris repreſaliis ſuppoſiti ceperit, non poſſit ſibi retinere, ſed debeat in publicam cuſtodiam ducere, & bona capta teneatur ejus loci judici exhibere ubi capta ſunt, qui conſignabit repertorio & publica auctoritate vendi & ſatisfieri creditori vel creditoribus jubebit, & ſi quid ſupra debitum ſupereſt, eo minus reddendum erit, deductis impenſis judicialibus & captionis legitimis.

CAPUT III.

De bello juſto ſive ſolenni jure Gentium, ubi de indictione.

I. *Bellum ſolenne juris Gentium eſſe inter diverſos populos.*
II. *Diſtinctio populi quamvis injuſte agentis a piratis & latronibus.*
III. *Mutationem interdum incidere.*
IV. *Requiri ad naturam belli ſolennis ut auctorem habeat eum qui ſummam poteſtatem habeat: quod quomodo intelligendum.*
V. *Requiri & denuntiationem.*
VI. *Quid in denuntiatione ſit juris natura, quid proprium juris Gentium, diſtincte explicatur.*
VII. *Denuntiatio alia conditionata, alia pura.*
VIII. *Quæ in denuntiationibus ſint juris civilis, non Gentium.*
IX. *Bellum alicui indictum ſimul indictum eſſe ejus ſubditis & ſociis qua ipſum ſequuntur:*
X. *Non qua per ſe conſiderantur: quod exemplis illuſtratur.*
XI. *Cauſa cur denuntiatio ad effectus quoſdam requiratur.*
XII. *Hos effectus non reperiri in aliis bellis.*
XIII. *Bellum, an ſimulatque indictum eſt, geri poſſit.*
XIV. *An indicendum ei qui jus legationis violavit.*

I. 1. SUpra dicere incepimus juſtum bellum apud probos auctores dici ſæpe non ex cauſa unde oritur, neque ut alias ex rerum geſtarum magnitudine, ſed ob peculiares quoſdam juris effectus. Quale autem ſit hoc bellum optime intelligitur ex hoſtium definitione apud Romanos Juriſconſultos. *L. Hoſtes de verbor. ſign.* *Hoſtes ſunt qui nobis, aut quibus nos publice bellum decernimus: cæteri latrones aut prædones ſunt*, ait Pomponius: nec aliter Ulpianus: *Ho-*

ſtes ſunt quibus bellum publice populus Romanus decrevit, vel ipſi populo Roma- no; cæteri latrunculi vel prædones appellantur. Et ideo qui a latronibus captus eſt ſervus latronum non eſt; nec poſtliminium illi neceſſarium eſt. Ab hoſtibus autem captus, puta a Germanis & Parthis, & ſervus eſt hoſtium, & poſtliminio ſtatum priſtinum recuperat. Et Paulus: *A piratis aut latronibus capti liberi permanent.* Accedat illud Ulpiani: *In civilibus diſſenſionibus quamvis ſæpe per eas reſpublica lædatur non tamen in exitium reipublicæ contenditur: qui in alterutras partes diſcedent vice hoſtium non ſunt eorum inter quos jura captivitatum aut poſtliminiorum fuerint: & ideo captos, & venundatos poſteaque manumiſſos placuit ſupervacuo repetere a Principe ingenuitatem, quam nulla captivitate amiſerant.* L. Hoſtes. D. de captivis. L. Poſtliminium, §. 2. D. de capt. L. ſi quis ingenuam. §. 1. eod. tit.

2. Illud tantum notandum, ſub exemplo populi Romani quemvis intelligi qui in civitate ſummum imperium habeat. *Ille hoſtis eſt*, ait Cicero, *qui habet rempublicam, curiam, ærarium, conſenſum & concordiam civium, & rationem aliquam ſi res ita tulerit pacis & fœderis.* Philipp. IV.

COMMENTARIUS.

AUctor noſter ſupra *lib.* I. *cap.* 3. §. 4. ſermonem habet de bello publico, quod vel ſolenne eſt ex jure gentium, vel minus ſolenne. Bellum ſolenne bellum juſtum dici ſolet; juſtum, quia habet omnia requiſita, quæ dictat ratio adhibenda, ideoque uſu a gentibus recepta. Duo vero in bello ſolenni ſive juſto eſſentialia requiſita neceſſaria ſunt, ad conſequendum peculiares quoſdam juris effectus. Primo, ut geratur auctoritate & mandato ſummorum imperantium, penes quos in civitate eſt ſumma poteſtas, & proinde belli pacisque arbitrium. Alterum, ut publice decretum atque indictum ſit. Unde hoſtes dicuntur, quibus populus Romanus publice bellum decrevit. Vid. *comment. lib.* I. *cap.* 3. §. 4.

II. 1. Non autem ſtatim reſpublica aut civitas eſſe deſinit ſi quid admittat injuſtum, etiam communiter, nec cœtus piratarum aut latronum civitas eſt, etiamſi forte æqualitatem quandam inter ſe ſervent, ſine qua nullus cœtus poſſet conſiſtere. Nam hi criminis cauſa ſociantur: illi etſi interdum delicto non vacant juris tamen fruendi cauſa ſociati ſunt, & exteris jus reddunt, ſi non per omnia ſecundum jus naturæ, quod multos apud populos ex parte quaſi obliteratum alibi oſtendimus, certe ſecundum pacta cum quibuſque inita; aut ſecundum mores. Sic Græcos, quo tempore mari prædas agere pro licito habebatur, abſtinuiſſe a cædibus & populationibus nocturnis, & a raptu boum aratorum, notat ad Thucydidem Scholiaſtes. Lib. I. Alios etiam populos, itidem ex rapto viventes, ubi ex mari domum ſe receperant miſiſſe ad dominos ut rapta ſi vellent æquo pretio redimerent, memorat Strabo. Ad tales pertinet & ille Homeri locus Odyſſeæ ξ. Lib. XI.

Καὶ μὲν δυσμενέες καὶ ἀνάρσιοι, οἵ τ' ἐπὶ γαίης
Ἀλλοτρίης βῶσιν, καί σφιν Ζεὺς ληΐδα δώῃ,
Πλησάμενοι δέ τε νῆας ἔβαν οἴκονδε ἕκαστος,
Καὶ μὲν τοῖς ὄπιδος κρατερὸν δέος ἐν φρεσὶ πίπτει.

Ipſi etiam raptus avidi, qui aliena pererrant
Littora, conceſſu Superûm ſi præda reperta eſt,

Navibus impletis abeunt, & vela retorquent:
Quippe Deos metuunt memores fandi atque nefandi.

2. Principale autem pro forma eſt in moralibus: & ut recte Ciceroni dictum eſt de Finibus quinto, *ex eo quod maximas partes continet latiſſimeque funditur, tota res appellatur:* cui convenit illud Galeni, ἀπὸ τῶ πλεονεκτοῦντος ἐν τῇ κράσει γίνονται αἱ προσηγορίαι. Idem talia ſæpe vocat ὀνομαζόμενα κατ' ἐπικράτησιν. Quare crude nimis dictum eſt ab eodem Cicerone de republica tertio, ubi injuſtus eſt rex, ubi injuſti optimates, aut ipſe populus, non jam vitioſam ſed nullam eſſe rempublicam: quam ſententiam Auguſtinus corrigens, *Nec ideo tamen*, ait, *vel ipſum non eſſe populum, vel ejus rem dixerim non eſſe rempublicam, quamdiu manet qualiſcunque multitudinis rationalis cœtus rerum quas diligit concordi communione ſociatus.* Corpus morbidum corpus tamen eſt: & civitas, quanquam graviter ægrota, civitas eſt quamdiu manent leges, manent judicia, & quæ alia neceſſaria ſunt ut ibi jus exteri conſequi poſſint non minus quam privati inter ſe. Rectius Dion Chryſoſtomus, qui legem (eam præſertim quæ jus Gentium facit) dicit eſſe in civitate ut mentem in corpore humano: ea enim ſublata civitatem non eſſe amplius. Et Ariſtides, in ea qua Rhodios ad concordiam hortatur; oſtendit etiam cum tyrannide leges multas bonas poſſe conſiſtere. Ariſtoteles quinti de republica capite nono ait, ſi quis nimium intendat vim paucorum aut populi, primo vitioſam fieri rempublicam, poſtremo nullam. Exemplis rem illuſtremus.

De Civ. Dei l. XIX. c. 24.

Boryſthenitica & de lege.

3. A latronibus captos capientium non fieri ſupra dicentem audivimus Ulpianum. Idem captos a Germanis ait libertatem amittere. Atqui apud Germanos latrocinia quæ extra civitatis cujuſque fines fiebant, nullam habebant infamiam, quæ verba ſunt Cæſaris. De Venedis Tacitus: *Quidquid inter Peucinos Fennoſque ſilvarum ac montium erigitur, latrociniis pererrant.* Idem alibi Cattos nobilem Germaniæ populum latrocinia agitaſſe dicit. Apud eundem Garamantes latrociniis fœcunda gens, ſed gens tamen. Illyrici ſine diſcrimine mari prædas agere ſoliti, de iis tamen triumphus fuit: Pompejo de piratis non fuit. Tantum diſcrimen eſt inter populum quantumvis ſceleratum; & inter eos, qui, cum populus non ſint, ſceleris cauſa coëunt.

Lib. VI. De morib. Germ. Annal. XII. Hiſtor. IV. App. Ill.

III. Poteſt tamen mutatio incidere, non in ſingulis tantum, ſicut Jephthes, Arſaces, Viriatus ex prædonum ducibus juſti duces facti ſunt, ſed etiam in cœtibus, ut qui prædones tantum fuerant aliud vitæ genus amplexi civitas fiant. Auguſtinus de latrocinio locutus: *Hoc malum ſi in tantum perditorum hominum acceſſibus creſcit, ut & loca teneat, ſedes conſtituat, civitates occupet, populos ſubjuget, regni nomen aſſumit.*

De Civ. Dei lib. IV. c. IV.

COMMENTARIUS.

Non ſtatim civitas pro cœtu latronum habenda, quæ nonnulla injuſta velut publice recepit. Quemadmodum cœtus latronum civitatis dignationem non ſortitur, licet ipſi inter ſe ſpe-

ſpeciem quamdam juſtitiæ ſervent, ſine qua eorum ſocietas ſubſiſtere non poſſet; quippe ſi in dividendis ſpoliis non ſervarent proportionem, quam juſtitia præſcribit, bellis & præliis facile diſtrahentur, & in mutuam perniciem advolarent. *Populus eſt cœtus multitudinis rationalis, rerum quas diligit concordi communione ſociatus. Quæcunque tamen diligat, ſi cœtus eſt multitudinis non pecorum, ſed creaturarum rationalium & eorum quæ diligit, communione concordi ſociatus eſt, non abſurde populus nuncupatur: tanto utique melior quanto in melioribus; tantoque deterior, quanto eſt in deterioribus concors.* Auguſt. *de civit. Dei lib.* 19. *cap.* 24. Quemadmodum quædam gentes aliis moratiores, ita mores, inſtituta, & vitæ agendæ ratio maxime diverſa, quæ, ſi cum ratione conferatur, ſæpius ab omni æquitate & juſtitia aliena, attamen non deſinunt tamen frui eo jure, quod genti cum gente intercedit. Corpus morbidum corpus tamen eſt, ut inquit Auctor, mores pravi apud gentes quaſdam recepti civilis ſocietatis fabricam non diſſolvunt, quæ conſiſtit in illa conjunctione vel conſociatione, ut ita dicam, liberorum hominum ſub una eademque ſumma poteſtate juris fruendi & communis utilitatis cauſa viventium: Juſtitiæ enim fruendæ cauſa bene moratos Reges olim conſtitutos legimus. Alium longe finem collimat piratarum & latronum ſocietas: hi enim alienas res invadendi cauſa ſociantur, illi ut æquo jure fruantur, honeſte vivant, ſuum cuique tribuant, huic fundamento niti debet omnis civilis ſocietas. Fuerunt gentes, quæ piraticam publice exercuerunt, eo quod opinionis errore hanc vitæ agendæ rationem non prorſus repugnare bonis moribus, ſibi perſuadebant; *ſic Normanni vetuſtiſſimorum temporum opinione piraticam in laude ponebant*, teſte Æmyl. 3. *Franc.* Belli tamen jura non amittebant, quæ inter diverſos populos & gentes belligerantes obtinere ſolent, juſtum cum iſtis bellum, quia bellum indicendi & gerendi facultatem habent; quorum in numero omnes populi ac gentes legitime in unam eandemque ſocietatem juris fruendi cauſa coaliti, ut jam dicere incepimus, cujuſmodi facultas denegata prædonibus & latronibus in exitium generis humani natis, niſi talis fiat mutatio, ut, qui piraticam & latrocinia exercebant, moratiorem & cum ratione magis convenientem vivendi modum amplexi, juſti regiminis formam impoſuerint ſocietati, in quam convenerunt. *Interdum enim ex prædone optimum Regem extitiſſe, & qui pirata omnium maximus antea fuiſſet, in bonum Principem evaſiſſe legimus*, ut inquit Bodin. *lib.* 1. *cap.* 1. *de Repub. Certe quidem*, inquit, *multi graſſatores Regum appellatione digniores habiti ſunt, quam eorum plerique, qui regalia ſceptra tenent, qui ſuæ diritatis ac immanitatis probabilem cauſam nullam habent.*

IV. Summum autem imperium qui habeant diximus ſupra, unde intelligi & hoc poteſt, ſi qui pro parte habeant, pro ea parte juſtum bellum gerere: multoque magis eos qui non ſubditi ſed inæqualiter ſunt fœderati, quomodo inter Romanos & eorum ſocios, quanquam fœdere inferiores, Volſcos, Latinos, Hiſpanos, Pœnos omnia juſti belli exercita ex hiſtoriis diſcimus. *Cajet.* 2. 2. q. 40. *art.* 1.

V. Sed ut juſtum hoc ſignificatu bellum ſit, non ſufficit inter ſummas utrinque poteſtates geri: ſed oportet, ut audivimus, ut & publice decretum ſit, & quidem ita decretum publice ut ejus rei ſignificatio ab altera partium alteri facta ſit, unde promulgata prælia dixit Ennius. Cicero Officiorum primo: *At belli quidem æquitas ſanctiſſime feciali populi Romani jure præſcripta eſt: ex quo intelligi datur, nullum bellum eſſe juſtum niſi quod aut rebus repetitis geratur aut denuntiatum ante ſit & indictum.* *Lib.* 1. Minus plene vetus ſcriptor apud Iſidorum: *Juſtum bellum eſt quod ex edicto geritur, rebus repetitis aut propulſandorum hominum cauſa.* Sic Livius bellum palam & ex edicto gerere dixit, in juſti belli deſcriptione. *Lib.* XXXI. Et cum narraſſet Acarnanas agrum Atticum eſſe populatos: *Irritatio animorum ea prima fuit: poſtea juſtum bellum decretis civitatum ultro indicendo factum.*

COMMENTARIUS.

Belli gerendi facultatem nemini competere, notavimus *lib.* 1. *cap.* 3. §. 4. quam ei, qui in ſocietate civili ſummæ rerum præeſt; quippe, cum bellum præcipuum ſit ex illis negotiis, quibus univerſa civitas periculo poſſet involvi, oportet ut ſuſcipiatur ab eo, cui cura deman-

Digitized by Google

demandata, ne Reſpublica aliquid detrimenti capiat. Quamobrem jure Romano cautum, lege majeſtatis eum teneri, qui injuſſu Principis bellum geſſerit, delectumve habuerit, aut exercitum comparaverit. *l. 3. ff. ad Leg. Jul. majeſt.* Eſt itaque ſummi imperii effectus jus gerendi belli, unde ſequitur, qui non habet ſummam poteſtatem, ei nec belli gerendi facultas competit. Vid. quæ commentati ſumus *lib.* 1. *cap.* 3. §. 4. Ut vero juſtum ſit bellum & ſolenne, duo requiſita, ut paulo ante notavimus, adeſſe oportet: primo, ut geratur inter ſummas utrinque poteſtates; ſecundo, ut publice decretum ſit atque indictum. Huc pertinet ſolennis illa apud Romanos belli indicendi formula, quam alibi deſcripſimus. Quamobrem *nullum bellum juſtum*, ait Cic. 1. *off. niſi quod aut pro rebus repetendis geratur, & ante denuntiatum aut indictum ſit.* Livius ait *lib.* 1. apud antiquos ex conſenſu morem indicendi bellum fuiſſe per Fecialem, haſtam ferratam ſanguine præuſtam ad hoſtium fines ferentem, & non minus quam tribus puberibus præſentibus dicentem: *Quod populi priſcorum Latinorum, homineſque priſci Latini populo Romano Quiritium bellum fecerunt, deliquerunt. Quod populus Romanus Quiritium bellum cum priſcis juſſit eſſe, Senatuſve populi Romani Quiritium cenſuit, conſenſit, conſcivit, ut bellum cum priſcis Latinis fieret; ob eam rem ego populuſque Romanus populo priſcorum Latinorum hominibuſque priſcis Latinis, bellum indico facioque. Quod ubi dixiſſet, haſtam in fines eorum emittebat.* Refert Gellius *lib.* 16. Fecialem populi Romani bellum indicentem hoſtibus, telumque in agrum eorum jacientem, ita loquutum: *Quod populus Romanus, homineſque populi Hermunduli bellum fecere deliquereque, quod populus Romanus Hermundulo, hominibuſque Hermundulis bellum indico facioque.* Ita nec Græcos abſque denuntiatione bellum ſuſcepiſſe, videre eſt apud Euripid. *in Phæniſ.*

VI. 1. Quæ loca & alia de belli promulgatione agentia ut intelligantur, accurate diſtinguenda ſunt quæ jure naturæ debentur, quæ natura non debentur ſed honeſta ſunt, quæ jure gentium requiruntur ad effectus juris gentium proprios, & quæ præterea ex peculiaribus populorum quorundam inſtitutis veniunt.

Naturali jure, ubi aut vis illata arcetur, aut ab eo ipſo qui deliquit pœna depoſcitur, nulla requiritur denuntiatio. Et hoc eſt quod
Lib. 1. Sthenelaidas ephorus dicit apud Thucydidem: οὐ δίκαις οὐδὲ λόγοις διακριτέα μὴ λόγῳ καὶ αὐτοὺς βλαπτομένους: *non eſt quod verbis & judiciis diſceptemus ultra verba*
Lib. 1. *læſi.* Et Latinus apud Halicarnaſſenſem: τὸν ἄρχοντα πολέμου πᾶς ὁ προπαθὼν ἀμύνεται: *bellum inferentem is qui impetitur a ſe repellere ſolet.* Et Ælianus ex Platone ait, quod ad propulſandam vim ſuſcipitur bellum, non a caduceatore ſed a natura indici. Hinc Dion Chryſoſtomus in ea quæ eſt ad Nicomedienſes, πόλεμοι ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον ἀκήρυκτοι γίγνονται. *pleraque bella ſine denuntiatione ſuſcipiuntur.* Nec ob aliam cauſam Livius Menippo præfecto Antiochi objicit quod Romanos quoſdam cæcidiſſet nondum aut indicto bello, aut ita commiſſo ut ſtrictos gladios aut ſanguinem uſquam factum audiſſent: eo ipſo oſtendens ex his duobus alterum potuiſſe ad facti defenſionem ſufficere. Neque magis per naturæ jus indictio neceſſaria eſt, ſi dominus rei ſuæ manum injicere velit.

2. At quoties pro re una res alia, aut pro debito res debitoris invaditur, multoque magis ſi res eorum qui debitori ſubditi ſunt occupare quis velit, interpellatio requiritur, qua conſtet, alio modo fieri nequire ut noſtrum aut nobis debitum conſequamur. Jus enim illud non primarium eſt, ſed ſecundarium & ſurrogatum ut alibi explicavimus. Sic etiam antequam ſummam poteſtatem habens impetatur ex debito aut delicto ſubditi, interpellationem oportet intercedere quæ illum in culpa conſtituat, ex qua aut damnum dare cenſeatur aut & ipſe delinquere, juxta ea quæ a nobis ſupra tractata ſunt.

3. Verum

3. Verum etiam ubi jus naturæ non præcipit talem interpellationem fieri, honeſte tamen & laudabiliter interponitur, puta ut ab offendendo abſtineatur, aut delictum pœnitentia & ſatisfactione expietur, ſecundum ea quæ de tentandis rationibus belli vitandi diximus: quo & illud pertinet,

Extrema primo nemo tentavit loco.

Et præceptum quod Deus Hebræis dedit, ut civitatem oppugnandam *Deu.* xx.
prius ad pacem invitarent: quod cum ſpecialiter illi populo datum 11.
ſit, male a nonnullis cum jure gentium confunditur. Neque enim erat illa qualiſcumque pax, ſed ſub lege ſubjectionis & tributi. Cyrus cum in regionem Armeniorum perveniſſet, antequam noceret cuipiam, miſit ad regem qui debitum ex fœdere tributum & militem exigerent: νομίζων φιλικώτερον εἶναι οὕτως, ἢ μὴ προειπόντα πορεύεσθαι, *humanius id exiſtimans quam ſi ultra duceret nihil prædicens*, ut in ea hiſtoria Xenophon loqui- *Hiſtor.*
tur. Cæterum jure gentium ad effectus illos peculiares omnibus caſi- II.
bus requiritur denuntiatio, non utrinque, ſed ab altera partium.

COMMENTARIUS.

CUm defenſio opponatur alterius invaſioni, nullam denuntiationem jura exigunt, cum natura & res ipſa unicuique arma ad ſalutem in hujuſmodi caſu expediendam concedat. Quemadmodum citatio in foro tolli aliquando poteſt ex cauſa; ita etiam in bello hæc omitti denuntiatio: ſic bellum ob defenſionem ſuſceptum denuntiationem non exigit, nec ea neceſſaria, cum his bellum infertur, qui jam hoſtes habentur: quid enim opus denuntiatione, ſi hoſtes ſumus & habemur, quidquid demonſtratæ rei additur ſatis demonſtratæ, fruſtra eſt. *Alberic. Gentil. de jur. bell. lib.* 2. *cap.* 2. Idem dicendum, quoties contra rebelles & defectores arma ſumuntur: gentium enim jus eum illis non obſervatur; ita Campanis & Fidenatibus, defectoribus, Romani bellum non denuntiarunt. Noo opus quoque eſſe renuntiare amicitiam, tradunt Feciales, cum Legatis repetentibus res pluries eæ nec eſſent redditæ, nec fuiſſet aliter ſatisfactum. Geritur etiam bellum nec indictum, ſi injuriæ durat factio, vel jam fiat, id eſt, ſi in continenti quis ſeſe opponit injuriæ, eamque depellere conatur eo ipſo quo infertur; tum enim defenſio juſta opponitur injuſtæ offenſioni, verum poſtquam illata, & temporis intervallum interceſſerit, mihi videtur requiri naturali jure denuntiationem, antequam vi & armis aggrediamur, qui injuriam nobis intulit, ut ſecum poſſit deliberare adverſarius, an cedere, id eſt, ſatisfacere, & damnum illatum reſarcire velit; an contendere, & bellum exſpectare. *Omnia prius experiri, quam armis uti, ſapientem decet*: tentanda enim prius benigniora & molliora remedia, antequam violenta adhibeantur, &, quantum fieri poteſt, humano ſanguini parcendum. Quemadmodum in foro civili humanitas exigit, ut debitorem aliquoties verbis interpellemus, antequam obtorto collo in jus rapiatur; quod etiam locum habet, ſi quis rei ſuæ, quam alius abſtulit & jam detinet, manum injicere velit, niſi id fiat in continenti. Hinc Deus populo ſuo præceptum dedit, ut civitatem oppugnandam prius ad pacem invitarent, quod jure naturali fundatum, & proinde non Hebræis peculiare, ſed ſummis imperantibus, qui jus belli gerendi habent commune, quod ad ſui obſervantiam alligat qui nullum ſuperiorem agnoſcunt: dictat enim ratio, ut jam dicere incepimus, mollioribus utendum remediis antequam violenta eaque extrema adhibeantur, tum etiam ſocietas atque cognatio naturalis, quæ homini cum homine intercedit, exigit, atque charitas Chriſtiana poſtulat, ut prius moneamus proximum de ſatisfactione, quam jure petimus ob injuriam vel damnum nobis illatum, ante quam vi & armis eum adoriamur, nulla denuntiatione facta, id eſt, nullo deliberandi tempore hoſti dato, num cedere vel contendere velit. *In eum qui jure agere & ſatisfacere paratus eſt, nefas bellum ſumere, tanquam in injurium*, apud Thucyd. *lib.* 1. Quamobrem neminem generoſi & ingenui animi facto Romanorum applauſurum mihi perſuadeo, a quibus Carthagini, ſociæ civitati, tertio bello Punico, ſimul indictum ſimul illatum bellum eſt. Non habenda pro denuntiatione juſta & jure gentium ſive naturali legitima, quæ cum damno illato vel inferendo conjungitur. Quemadmodum in foro civili citato conceditur aliquod ſpatium, ad ſe inſtruendum & de cauſa reſpondendum, ita & æquitati conſentaneum, ne poſt factam denuntiationem, ſtatim ad arma convolemus & bellum actu inchoemus; ſed ſpatium relinquen-

dum ei, cui indictum eſt, ut ſe quoque adverſus vim præparare, vel an cedere malit, deliberare poſſit. Per quas perſonas apud Romanos indicere bellum ſolitum, quaque utebantur denuntiationis formula, & cujuſmodi ſolennitates adhibitæ, alibi dictum, quæ noſtris aliarumque gentium moribus fere in deſuetudinem abierunt: neceſſaria quidem ipſa indictio, ſed nulli certæ perſonæ Fecialium vice fungentes ad bellum denuntiandum neceſſariæ, ut olim apud Romanos; poteſt enim indictio vel per Legatos, vel ſcripto publico fieri, in quibus cauſæ belli ſuſcipiendi ſolent exprimi. Verum notandum, non eſſe neceſſum, ut ipſi Regi, cum quo belligerandum, bellum indicatur, ſed ſatis eſt ad præſidium aliquod denuntiare, ut Feciales conſulti, primum cum Philippo & iterum cum Antiocho bellum denuntiandum eſſet, decreverunt, modo ad notitiam Regis, vel eorum, penes quos ſummum rerum arbitrium, perveniat, vel pervenire potuerit. Quemadmodum in cauſis, quæ foro civili tractantur, ſi non ſit occaſio vel facultas perſonaliter inſinuandæ citationis, ſufficit ſi ea fiat ad domum vel noviſſime per edictum. *l. 4. § 5. ff. de damn. inf.* Hinc aliquando per publicos tibicines indictionem fieri, teſtatur rerum uſus.

VII. 1. Sed hæc denuntiatio aut conditionata eſt aut pura. Conditionata, ubi cum rerum repetitione conjungitur. Rerum autem repetitarum nomine jus feciale comprehendebat non tantum vindicationem ex jure dominii, ſed & perſecutionem ejus quod ex cauſa civili aut criminis debetur, ut recte explicat Servius. Inde illud in formulis, *reddi*, *ſatisfieri*, *dedi;* ubi *dedi*, ut alibi diximus, intelligendum eſt, ni punire ſontem malint ipſi qui conveniuntur. Hanc rerum repetitionem dictam eſſe clarigationem teſtis eſt Plinius. Conditionata eſt denuntiatio apud Livium, *Eam ſe injuriam niſi ab ipſis qui fecerint dematur, ipſos omni vi depulſuros eſſe.* & apud Tacitum, *ni ſupplicium in malos præſumant, uſurum promiſcua cæde:* & vetus ejus exemplum in Supplicibus Euripidis, ubi Theſeus caduceatori hæc dat mandata ad Creontem Thebanum:

Lib. VIII. *Lib. I. Annal.*

Vicina Theſeus qui tenet regni ſola
Humare poſcit mortuos: quod ſi datur,
Sic amica faciet gens Erechtidûm tibi.
Hæc ſi probantur, tum refer retro pedem:
Sin nemo paret, verba ſint hæc altera:
Jam mox ut arma pubis expectent meæ.

Papinius in ejuſdem rei narratione:

Aut Danais edice rogos, aut prælia Thebis.

Polybius hoc vocat ῥύσια καταγγέλλειν, Romani veteres *condicere*. Pura denuntiatio eſt quæ ſpecialiter indictio aut edictum, ubi aut bellum jam alter intulit (& hoc eſt quod apud Iſidorum dicitur bellum propulſandorum hominum cauſa) aut ea deliquit ipſe quæ pœnam merentur.

2. Interdum autem conditionatam pura ſubſequitur, quanquam id neceſſe non eſt ſed ex ſuperabundanti. Hinc illa formula: *Teſtor populum illum injuſtum eſſe, neque jus reddere.* Et altera: *Quarum rerum, litium, cauſarum condixit Pater patratus populi Romani Quiritium Patri patrato populi priſcorum Latinorum, hominibuſque priſcis Latinis, quas res nec ſolverunt, nec fecerunt, quas res dari, fieri, ſolvi oportuit, puro pioque duello quærendas cenſeo, conſentio, conſciſcoque.* Et tertium carmen: *Quod populi priſci Latini adverſus populum Romanum Quiritium fecerunt, deliquerunt, quod Populus*

lus Romanus Quiritium bellum cum priſcis Latinis juſſit eſſe, Senatuſque Romanus Quiritium cenſuit, conſenſit, conſcivit: ut bellum cum priſcis Latinis fieret, ob eam rem ego populuſque Romanus populo priſcorum Latinorum bellum indico, facioque. Hoc autem caſu ita ut dixi non eſſe præciſe neceſſariam denuntiationem ex eo quoque apparet, quod ad proximum præſidium rite fieret, ut feciales in Philippi Macedonis & poſtea in Antiochi cauſa conſulti reſponderunt, cum prima denuntiatio ipſi facienda eſſet qui bello petebatur. Imo & belli in Pyrrhum indictio facta eſt uni militum Pyrrhi, idque in circo Flaminio, ubi is miles locum emere dicis cauſa jubebatur, ut Servius narrat ad nonum Æneidos. *Liv. l. xxxi. & xxxvi.*

3. Supervacuæ obſervationis & hoc argumentum eſt, quod bellum ſæpe utrinque indictum eſt, ut Peloponneſiacum a Corcyrenſibus & Corinthiis, cum ab altera parte indictum eſſe ſufficiat.

COMMENTARIUS.

OMnem denuntiationem conditionatam eſſe vel ex eo liquet, quod ea fit, ut ſtatim notavimus, ut tempus deliberandi relinquatur ei, cui denuntiatio facta, an ſponte præſtare velit, quod præſtare tenetur, vel debet ex contractu vel obligatione, ex maleficio vel quaſi, aut ſi injuriam depellere, vel vitium punire, & ſpes emendandi reliqua eſt, fit ſub conditione denuntiatio, niſi a bello deſtiterint, vel vitium ipſi emendarint. Vid. Felden, Zeigl. *comment.* Quid autem eſt ut renunties amicitiæ, denunties inimicitiam & bellum, nectentes jus æquius primum. *Extrema nemo primo tentavit loco. In vindicando crimino ſa eſt celeritas*, ait P. Syrus. Quamobrem Romani res raptas repetere ſolebant prius, aut alias injurias emendari, quibus ſe affectos exiſtimabant. *Per clarigationem repetitas res raptas*, apud Arnobium. Quid autem ſit *clarigatio*, notavimus *lib.* 2. *cap.* 1. §. 2. Rerum autem raptarum nomine non duntaxat rapinæ crimen, ſed & omne damnum, omnem injuriam contineri, ſtatuunt DD. cum Auctore.

VIII. A more autem & inſtitutis quorundam populorum non a jure gentium ſunt, caduceus apud Græcos, ſagmina & haſta ſanguinea apud Æquicolas primum, & horum exemplo apud Romanos, renunciatio amicitiæ & ſocietatis ſiqua interceſſiſſet, poſt res repetitas triginta dies ſolennes, haſtæ miſſio iterum, & alia id genus, quæ cum his quæ proprie juris gentium ſunt confundi non oportet. Nam & horum magnam partem ſuo tempore uſurpari deſiiſſe docet nos Arnobius: imo jam Varronis ævo quædam omittebantur. Punicum bellum tertium ſimul indictum, ſimul illatum eſt. Et Mecænas apud Dionem quædam horum vult propria eſſe ſtatus popularis. *Arnob. l. II. cont. Gent. Varro l. IV. de lingua Latina.*

COMMENTARIUS.

SOlennitates, quæ ad bellum indicendum adhibentur, pendent a cujuſque populi & gentis arbitrio & voluntate, non ſunt illæ requiſita denuntiationis ſive indictionis eſſentialia, quemadmodum eſſentiale belli ſolennis requiſitum ipſa denuntiatio, & proinde ex jure gentium ſive naturali æquitate promanans, quamobrem omitti nequit in bello juſte & legitime decernendo & ſuſcipiendo, quod ſuos peculiares habet effectus. Cavendum vero, ne in harum ſolennitatum numero collocemus temporis intervallum, quod oportet intercedere antequam bellum actu inchoetur, definitio temporis ſive ſpatii arbitraria quidem videtur, ſed juris gentium eſt, ut aliquod ſpatium atque modicum intercedat, uti paulo ante dictum. Quorſum enim denuntiatio, ſi inter denuntiandum percuſſeris?

IX. Indictum autem bellum ei qui imperium in populo ſummum habet, ſimul indictum cenſetur omnibus ejus non ſubditis tantum ſed & qui ſe ſocios adjuncturi ſunt, ut qui acceſſio ſint ipſius, & hoc eſt *Bald. ad l. 2. C. de ſerv. n. 70.* quod ajunt recentiores Juriſconſulti diffidato principe diffidatos ejus adhærentes. Nam indicere bellum vocant diffidare, quod intelligendum eſt de eo ipſo bello, quod adverſus eum cui indictum eſt, geritur; quomodo bellum Antiocho indictum cum eſſet, Ætolis ſeparatim *Livius libro XXXVI.* indici non placuit, quod ipſi palam ſe Antiocho adjunxiſſent: *Ætolos ultro ſibi bellum indixiſſe*, reſpondebant feciales.

X. At eo bello abſoluto, ſi ob auxilia ſuppeditata populus aut rex alter bello impetendi ſint, ut effectus juris gentium conſequantur, opus erit nova indictione. Jam enim non ut acceſſio ſpectatur, ſed ut principale aliquid. Ac propterea recte dictum, non fuiſſe juſtum jure gentium bellum aut Manlii in Gallogræcos aut Cæſaris in Arioviſtum: non enim jam ut acceſſio alieni belli, ſed principaliter impetebantur, quam ad rem ſicut ex jure gentium indictio, ita ex jure Romano novus populi Romani juſſus deſiderabatur. Nam quod in rogatione contra Antiochum dictum erat: *vellent, juberentque cum Antiocho rege quique ſectam ejus ſecuti eſſent, bellum iniri*: quod & obſervatum in *Livius libro XXXVI. Lib. XLII.* decreto adverſus regem Perſea, videtur intelligi debere quamdiu cum Antiocho aut Perſeo bellum eſſet, & de his qui re ipſa ei bello ſe immiſcerent.

COMMENTARIUS.

DIximus paulo ante, ſocietatem civilem ſeu unitatem conſiderari tanquam unum aliquod totum, cujus partes tam arctiſſimo ſibi vinculo conjunctæ, ut habeatur pro una eademque perſona univerſa civitas, ſive ille qui ſummæ rerum præeſt & proinde civitatem repræſentat, omnia ejuſdem membra feciſſe videtur; ſic etiam quidquid civitas patitur, etiam omnia patiuntur membra, quæ civitatem conſtituunt; unde ſalus civitatis eſt & ſalus ſingulorum, & calamitas ejuſdem quoque communis ſingulis partibus. Quamobrem recte argumentatur Auctor, indicto bello ei, qui ſummum imperium in populo habet, ob arctiſſimum illud unionis vinculum, etiam indictum cenſeri ſubditis: una enim eademque perſona civitas ſeu Princeps & ſubjecti; unde, quidquid fit Principi, fit univerſæ ſocietati & ſingulis ejuſdem membris, & quidquid membro infertur, civitati illatum cenſeri debet, quia totum læditur læſa parte ſua. Nulla hic poteſt fingi partium ſeparatio vel diſtinctio, & proinde nec diverſi actus, quin ſtatim diſſolveretur totum, quo diſſoluto corruit ſocietatis fabrica, & plane interiſſe videtur; quia impoſſibile ut totum ſubſiſtere poſſet, ſublata unione partium, ut alibi notavimus. Alia vero in ratione fundatum, quod eadem indictio effectum quoque ſuum protendit ad ſocios ac adhærentes ejus, qui ſummam in civitate poteſtatem habet: ſemetipſum enim hoſtem declarat, qui hoſti meo fert opem, atque ita ſibi ultro bellum indicit, id eſt, dat mihi facultatem ut adverſus ſe belli jure vi & armis uti poſſim ad meam defenſionem; imo nulla hic indictione opus mihi videtur, quia quoad ſocios & adhærentes defenſionem duntaxat ſuſcepiſſe videor, quæ nullam denuntiationem exigit, uti annotavimus §. 6 Offenſio enim procedit ab illis, qui ſe hoſtibus meis adjungunt, cui opponitur juſta defenſio. Verum alia ratio, ſi bello primario abſoluto, hi, qui auxilia & opem tulere, bello impetendi ſunt: cum enim jam actoris, ut ita dicam, partes ſuſtineamus, & injuriam mihi illatam vindicare animum induxerim, oportet, ut belli præcedat nova denuntiatio. Auctoris quoque non rejicienda ratio.

XI. Cauſa autem cur gentes ad bellum illud quod jure gentium ju- *Alb. Gent. lib. 2. c. 2.* ſtum diximus denuntiationem requirerent, non ea fuit quam adferunt nonnulli, ne quid clam aut dolo agerent, id enim ad fortitudinis

nis præſtantiam magis quam ad jus pertinet; ſicut nationes quædam etiam prælii diem & locum condixiſſe leguntur: ſed ut certo conſtaret non privato auſu ſed voluntate utriuſque populi aut populi capitum geri bellum: nam inde nati ſunt effectus peculiares, qui neque in bello adverſus prædones, neque in eo quod rex gerit in ſubditos locum habent. Ideo Seneca diſtincte dixit: *Indicta bella finitimis, aut geſta cum civibus.* *Lib. III. de ira. c. 2.*

XII. Nam quod notant quidam & exemplis docent, etiam in bellis talibus capta fieri capientium, verum eſt, ſed ex una dumtaxat parte, idque ex jure naturali, non ex jure voluntario gentium, ut quod gentibus tantum proſpicit, non his qui ſine gente ſunt, aut pars gentis. Errant & in eo, quod putant bellum ſui tuendi aut rerum tuendarum ergo ſuſceptum indictione non egere; nam eget omnino: non quidem ſimpliciter, ſed ad eos quos dicere cœpimus, & mox explicabimus effectus. *Ayala. l. 1. c. 5.* *Alb. Gen. d. l. II. c. 2.*

COMMENTARIUS.

ALiam cauſam ſupra allegavimus, quam Auctor ſtatuit, ſcilicet, ut deliberandi tempus habeat ille, cui facta denuntiatio, an ſponte præſtare velit, quod exigitur vel petitur, an vero ultimum velit experiri juris perſequendi remedium, id eſt, cedere, an contendere malit; tum etiam æquitatis naturalis rationem poſtulare diximus, ut molliora prius tentemus remedia antequam violenta atque extrema illa, quæ ſocietatem humanam diſtrahunt ac diſſolvunt, adhibeamus. Præterquam quod non convenit viro bono, id eſt, juſtitiam & æquitatem colenti, facere aliquid clam, quia ſic aufertur quod eſt juris naturalis: utique neceſſaria eſt denuntiatio, quoniam clam fit quod non denuntiatur, quod non ad notitiam perducitur ejus cujus intereſt, ut inquit Alberic. Gentil. *de jur. bell.* Rationem, quam Auctor adfert, mihi non videtur in bene conſtituta Republica vel civitate locum ſibi vindicare poſſe: bellum enim movendi privative, ut ita dicam, competit Principi nullum ſuperiorem agnoſcenti, vel ſummo magiſtratui, quam facultatem nemo ſibi arrogare poteſt ſalva auctoritate & majeſtate ſummi imperantis. Quamobrem ſi quis Dux, penes quem non reſidet ſummum imperium, vel pauci nonnulli cives privato auſu arma capiunt & bellum ſuſcipiunt, juſtum illud ſive ſolenne dici nequit, quia abſque auctoritate & conſenſu ejus ſuſceptum, qui belli gerendi poteſtatem habet; neque etiam bene ordinata & legibus ſuis ſuo imperio fundata Reſpublica dici poteſt, ubi quiſque jura ſummæ majeſtatis audet violare impune, ſed confuſa hominum multitudo; neque etiam ejuſmodi ſocietas diu ſubſiſtere poteſt, ubi quiſque ſummum rerum arbitrium ſibi vindicat, utpote quæ in partes diſtrahitur & ad interitum properat; itaque ſemper præſumptio eſt bellum geri non privata, ſed populi voluntate; idque eo magis, quia vix paucorum facultates ſufficiunt ad belli onera ſuſtinenda: rari enim admodum Craſſi, qui fructibus ſuis exercitum alere poſſunt. Bellum ſui tuendi cauſa ſuſceptum indictione non egere, ſupra annotavimus; & alias ſequeretur, ut inquit Zeiglerus, quod ſi populus aliquis ab alio populo repetente obrueretur, antequam indictio fieri poſſet, quod nullus horum effectuum locum haberet, quod falſum.

XIII. Ne illud quidem verum, non ſtatim atque indictum eſt inferri bellum poſſe; quod Cyrus in Armenios, Romani in Carthaginenſes, ut modo diximus, fecerunt: nam indictio nullum poſt ſe tempus jure gentium requirit. Poteſt tamen fieri ut ex naturali jure tempus aliquod requiratur ex negotii qualitate; puta cum res repetitæ ſunt, aut pœna in nocentem poſtulata, & id negatum non eſt. Tunc enim id dandum eſt tempus quo quod petitum eſt commode fieri poſſit.

XIV. Quod ſi jus etiam legationum violatum ſit, non ideo tamen

 denun-

denuntiatione opus non erit ad eos quos dico effectus, ſed ſufficiet eàm fieri quomodo fieri tuto poteſt, per literas ſcilicet: quomodo & citationes & denuntiationes alias fieri mos habet in locis minus tutis.

COMMENTARIUS.

PAulo ante diximus, poſt factam denuntiationem, non ſtatim ad arma & hoſtilitatem progrediendum; verum naturalem dictare æquitatem, ut intercedat temporis aliquod intervallum, ſi non triginta dierum, modicum tamen, quantum ſufficit ad deliberationem & concipiendam reſponſionem, uti inquit Zeiglerus.

CAPUT IV.

De jure interficiendi hoſtes in bello ſolenni, & alia vi in corpus.

I. B*Elli ſolennis effectus generaliter exponuntur.*
II. *Vox* licere *diſtinguitur in id quod impune ſit nec tamen ſine vitio, & in id quod vitio caret, etiamſi id non facere virtutis ſit alicujus: additis exemplis.*
III. *Effectus belli ſolennis in ſua generalitate conſideratos referri ad licere impunitatis.*
IV. *Cur tales effectus introducti ſint.*
V. *Teſtimonia de his effectibus.*
VI. *Ex hoc jure interfici & offendi omnes qui intra fines hoſtium ſunt.*
VII. *Quid ſi eo ante bellum venerint;*
VIII. *Subditos hoſtium ubique offendi, niſi lex alieni territorii obſtet.*
IX. *Jus hoc offendendi etiam ad infantes & fœminas porrigi:*
X. *Etiam ad captos, & quovis tempore:*
XI *Etiam ad eos qui ſe dedere volunt, nec recipiuntur:*
XII. *Etiam ad deditos ſine conditione.*
XIII. *Perperam id jus ad cauſas alias referri, ut ad talionem, pertinaciam defenſionis.*
XIV. *Porrigi & ad obſides.*
XV. *Jure Gentium vetitum veneno quenquam interimere:*
XVI. *Aut tela, aut aquas aliquas veneno inficere:*
XVII. *Non & aquas aliter corrumpere.*
XVIII. *Percuſſoribus uti an contra jus Gentium ſit, diſtinguitur.*
XIX. *Stupra an ſint contra jus Gentium.*

I. AD illud Virgilii:

Tum certare odiis, tum res rapuiſſe licebit.

Servius Honoratus, cum juris fecialis originem ab Anco Martio & ulterius ab Æquicolis petiiſſet, ſic ait: *Si quando homines aut animalia ab aliqua gente rapta eſſent populo Romano, cum fecialibus, id eſt, ſacerdotibus, qui faciendis præſunt fœderibus, proficiſcebatur etiam Pater patratus, & ante fines ſtans clara voce dicebat belli cauſam, & nolentibus res captas reſtituere, vel auctores injuriæ tradere, jaciebat haſtam, quæ res erat pugnæ principium, & jam licebat more belli res rapere.* Ante autem dixerat: *Veteres lædere res rapere dicebant, etiamſi rapinæ nullum crimen exiſteret: ſimiliter ſatisfacere res reddere dicebant.* Quibus docemur belli inter duos populos eorumve capita indicti effectus quoſdam eſſe proprios, qui bellum ex ſua natura non ſequuntur; quod cum iis optime convenit quæ ex Juriſconſultis Romanis modo attulimus.

II. 1. Sed quod dixit Virgilius *licebit* videamus quo pertineat. Interdum enim licere dicitur id quod rectum ex omni parte piumque eſt, etiamſi forte aliud quid fieri poſſit laudabilius, quale eſt illud
1 Cor. VI. Pauli Apoſtoli: πάντα μοὶ ἔξεστιν, ἀλλ' οὐ πάντα συμφέρει. *Omnia* (illius ſcilicet
17. generis cujus ſunt de quibus agere cœperat & acturus erat) *licent mihi,*

ſed

ſed non omnia expediunt. Sic licet matrimonium contrahere, ſed laudabilior eſt ex pio propoſito cælebs caſtitas, ut ad Pollentium ex eodem *Ad Pollentium* Apoſtolo diſſerit Auguſtinus. Repetere quoque nuptias licet, ſed lau- *lib. 1. c.* dabilius eſt uno contentum eſſe matrimonio; ut recte hanc quæſtio- 15. nem explicat Clemens Alexandrinus. Chriſtianus conjux paganam *Lib. 1.* conjugem licite relinquere poteſt, ut ſenſit Auguſtinus, (quod qui- *c.* 18. bus circumſtantiis verum ſit, diſcutere non eſt hujus loci) ſed & poteſt retinere: itaque addit ille: *Utrumque quidem pariter licitum eſt per juſtitiam quæ coram Domino eſt: & ideo nihil horum prohibet Dominus, ſed non utrumque expedit.* Ulpianus de venditore cui poſt diem præſtitutum vinum li- *L. 1. §.* cet effundere; *Si tamen cum poſſet effundere non effundit, laudandus eſt potius.* *licet D.*

2. Alias vero licere aliquid dicitur non quod ſalva pietate & offi- *de peric. & com.* ciorum regulis fieri poteſt, ſed quod apud homines pœnæ non ſubja- *rei vend.* cet. Sic apud populos multos ſcortari licet: apud Lacedæmonios & Ægyptios etiam furari licebat. Apud Quintilianum eſt, *Sunt quædam* *Lib.* III. *non laudabilia natura, ſed jure conceſſa, ut in* XII *tabulis, debitoris corpus in-* *c.* 8. *ter creditores dividi licuit.* Eſt autem hæc vocis *licere* ſignificatio minus propria, ut recte notat Cicero Tuſculanarum quinta de Cinna loquens: *Mihi contra non ſolum eo videtur miſer quod ea fecit, ſed etiam quod ita ſe geſſit ut ea facere ei liceret: etſi peccare nemini licet, ſed ſermonis errore labimur: id enim licere dicimus, quod cuique conceditur:* Recepta tamen; ut cum idem Cicero pro Rabirio Poſthumo judices ſic alloquitur, *Quid deceat vos non quantum liceat vobis ſpectare debetis: ſi enim quod liceat quæritis, poteſtis tollere e civitate quem vultis.* Sic Regibus dicuntur omnia licere quia ſunt ἀνυπεύθυνοι, *exemti a pœnis humanis*, ut alibi diximus. At Regem ſive Imperatorem informans Claudianus recte ait:

> *Nec tibi quid liceat, ſed quid feciſſe decebit*
> *Occurrat.*

Et Muſonius caſtigat Reges, μὴ τὸ καθήκει μοι λέγειν μεμελημότας, ἀλλὰ τὸ ἔξεστί μοι, *Decl. l.* *qui in more habent dicere hoc mihi licet, non hoc me decet.* III. & V.

3. Eoque ſenſu ſæpe opponi videmus quod licet & quod oportet, ut a Seneca patre in controverſiis non ſemel. Ammianus Mar- *Am. l.* cellinus: *Sunt aliqua quæ fieri non oportet, etiamſi licet.* Plinius in epi- XXX. ſtolis: *Oportet quæ ſunt inhoneſta non quaſi illicita ſed quaſi pudenda vitare.* *Plin. l.* V. Cicero ipſe oratione pro Balbo: *Eſt enim aliquid quod non oporteat etiamſi licet.* Idem pro Milone *fas eſſe* ad naturam, *licere* ad leges refert. Et in de- *Decl.* clamatione patris Quintiliani eſt, aliud eſſe jura ſpectare, aliud juſtitiam. CCLI.

COMMENTARIUS.

Etat quidem jus naturæ, tum etiam ſocietatis humanæ & cognationis naturalis, quæ homini cum homine intercedit, leges dictant, ne alterum lædamus vel in perſona ejus vel rebus, verum perperam illud extenditur ad ejuſmodi læſionem, quæ fit neceſſitate exigente, in qua conſtituti videmur, quoties juris perſequendi cauſa; benignioribus tentatis remediis, nulla alia ejus, quod nobis debetur, conſequendi ratio reliqua, niſi vis & arma, ut alibi notavimus. In ſocietate civili, in qua judicia vigent, judicis interventu, id eſt, per diſceptationem conſequitur quiſque quod ſuum eſt, abſque omni armorum ſtrepitu & vi: verum inter eos, qui nullum judicem agnoſcunt,

ſcunt, ſi qua oriatur controverſia de meo & tuo, Martis arbitrio, id eſt, jure belli componi ac determinari ſolet, quæ tamen non minus juſta & jure naturæ licita juris ſui obtinendi ratio, licet conjuncta cum læſione proximi, atque ea, quæ in foro pro tribunali inſtituitur & ſuſcipitur, ut alibi notavimus. Sibi imputet, qui me ad illam neceſſitatem ſua culpa redegit, ut extremum & violentum ejuſmodi remedium adhibere neceſſum habeam, damnum quod quis ſua culpa ſentit, damnum non eſſe videtur, qui me injuria afficit, ſtatim poteſtatem mihi præbet recuſans reddere vel ſatisfacere, vel præſtare, quod jure exigo, quantum in ſe belli adverſus ipſum ſuſcipiendi, & proinde belli jure utendi facultatem concedit, id eſt, ſe ut hoſtem quocunque damnò, vexatione, injuria, incendio offendere, ut inquir celeberrimus Gronovius. Abſtinendum tamen, Chriſtiana nobis dictat charitas & humanitas ab immani illa ſævitia, quæ feris & belluis potius quam hominibus convenit. In bello etiam uſu venit, ne quid nimis, bellica licentia humanitate temperanda, quamvis ille, qui mihi juſtam belli cauſam præbuit, concedit facultatem vim contra ſe exſerendi in infinitum, aut quantum mihi videatur; ratio tamen dictare videtur, ne humanam prorſus naturam exuamus, ultra modum ſæviendo in eos, qui ejuſdem originis & rationis participes; habet etiam licentia bellica ſuos limites, quibus circumſcribitur in foro conſcientiæ, quos in foro humano non tam ſollicite obſervari rerum uſus docet, in quo hoſtis pro lubitu in hoſtem ejuſque corpus & bona impune graſſatur; impune, quatenus modum excedens nullam pœnam patitur in foro ſoli; quippe cum licentia bellica humana lege ad certum modum non definita, juſtum excedere nequit, qui in infinitum in hoſtem graſſatur, ubi nulla lex, nulla legis tranſgreſſio, & proinde nulli pœnæ locus, cui legis tranſgreſſores ſubjacent. Hoc ſenſu impune quis adverſus hoſtem omnia experitur, quatenus jure belli immunis ab omni pœna, quam, eadem patratus adverſus ſocium, pateretur. *Obſervandum*, inquit Pufendorſius, *quamquam militibus frequenter a ducibus ſolent leges præſcribi, quouſque hoſti debeant nocere, quas ubi tranſgreſſi pœnas dant: id tamen fit non quaſi hoſti injuriam fecerint, ſed ob violatum ducis imperium, & ſervanda diſciplina militari. Sic & qui in bello ſolenni ultra, quam naturali lege conceſſum, cædibus aut rapinis ſævit, pro homicida aut raptore haberi, aut puniri non ſolet, ſi iſte ad tertium pacatum forte delatus fuerit.* Ex quibus perſpicimus, non omnia, quæ in bello licita, reſpondere æquitati naturali & rationis dictamini. Quamobrem recte Auctor diſtinguit vocem *licere in id, quod recte fit, quod ex omni parte pium eſt, & in id, quod impune fit.* Significatio, quæ primo loco deſcripta, referrem ad illa bella, quæ juſta ex cauſa ſuſcepta, altera reſpicit effectus belli ſolennis, quatenus geritur ab eo, qni jus belli habet, & proinde eoſdem effectus habet, qui belli ſolennis proprii. Licitum in bello impune offendere, occidere, diripere, devaſtare, & quocunque damno afficere hoſtem, verum in pio, id eſt, juſta ex cauſa, ſuſcepto bello, omni ex parte licito tum in foro poli, tum etiam ſoli, qualis cauſa talis effectus, cauſa juſta juſtos producit effectus temperata licentia. In bello non juſta ex cauſa ſuſcepto, iidem quidem effectus locum habent, quatenus impune hoſtem lædere licitum tum in perſona, tum in rebus, etiam non repugnante ratione, quia tacitus gentium præcedit conſenſus, verum non caret vitio actus primus, ejuſmodi licentiæ cauſa deſtituitur, quia juſtitia ſcilicet intrinſeca & morali, quæ actus hominum in foro poli coram Deo juſtificat. Actus primus eſt belli denuntiatio vel indictio, quæ juſta ex cauſa fieri debet, dictante ratione, quamvis extrinſeca non careat juſtitia, quatenus & juſtum bellum dicimus, quod auctoritate publica geritur, licet forte non juſta ex cauſa ſuſceptum, & proinde iidem juris effectus ex utroque bello deſcendunt in foro humano. Nam & juſtum bellum, id eſt, ſolenne dici poſſe, quamvis ex Injuſta cauſa ſuſceptum, modo indictum ab eo, qui belli gerendi poteſtatem habet, jus gentium concedit, uti notavimus *lib. 1. cap. 3. §. 4.* Quamobrem Alciatus, *Bellum indictum a Principe, ſive ex cauſa juſta, ſive injuſta, ſemper dicitur juſtum quoad populos & quoad effectus liciti belli.*

III. Hoc ergo modo lædere hoſti hoſtem licet & in perſona & in rebus: id eſt non ei tantum qui ex juſta cauſa bellum gerit, quique lædit intra eum modum quem naturaliter conceſſum initio hujus libri diximus, ſed ex utraque parte & indiſtincte: ita ut eam ob cauſam nec puniri poſſit in alio forte territorio deprehenſus tanquam homicida aut fur; nec bellum ipſi ab alio talis facti nomine inferri. Hoc ſenſu apud Salluſtium legimus: *cui omnia in victoria lege belli licuerunt.*

COMMENTARIUS.

QUoniam bellum, quod publica auctoritate geritur, quamvis ex juſta cauſa ſuſceptum, etiam juſtum & ſolenne eſt jure gentium, ſequitur etiam effectus belli ſolennis in eo

habere

habere locum, & proinde iiſdem gaudent qui militant in bello ſolenni, quatenus impune lædere hoſtem jure belli poſſunt, & in perſona & in rebus: diſtracta enim ſocietate, ſublata amicitia, & commercio interrupto, evaneſcit illa obligatio ad ejuſmodi præſtanda & exhibenda officia, quæ intuitu ſocietatis & amicitiæ ac cognationis naturalis præſtanda cuique naturæ leges impoſuerunt. Et hoc ſenſu dicere poſſumus, in ſtatu belli inter ſtrepitum armorum non exaudiri leges. Occidere, invadere, deripere aliena, vetant leges, imo graviſſimas pœnas conſtituunt in eos, qui id genus admittit facinora. Introducto vero ſtatu belli, non impune quis hoſtem tollit e medio, aliena invadit & devaſtat, verum quo quis plures interemit, majus damnum hoſti intulit, eo majori laude & præmio dignus habetur. Hæc ſunt belli jura & effectus, gentium tacito quaſi conſenſu introducta, quamobrem qui ea patitur nullam querendi juſtam habet cauſam, & proinde nec rationem cur puniret eum a quo damnum paſſus ſuo forte in territorio deprehenſum: ubi enim nullum crimen, ibi nec pœnæ locus; verum qui ejuſmodi facinora in bello juſto & ſolenni committit, ea admittit lege permittente; ergo extra legis pœnam ejuſmodi actus. Sed aliud dicendum, ſi intrinſecam juſtitiam ſpectemus cum relatione ad tribunal divinum, ea non abſolvit ab homicidio, a furto, qui ex injuſta bellum ſuſcipiet cauſa, & auctor eſt, ut tantum ſanguinis humani profundatur, nec etiam culpa vacuum & proinde a pœna homicidii & rapinæ immunem pronunciarem, qui in bello, quod ex cauſa injuſta ſuſceptum non ignorat, militat.

IV. Cauſa cur id gentibus placuerit hæc fuit; quod inter duos populos de jure belli pronuntiare velle periculoſum fuerat aliis populis, qui ea ratione bello alieno implicarentur, ſicut Maſſilienſes in cauſa Cæſaris & Pompeji dicebant, neque ſui judicii neque ſuarum eſſe virium diſcernere utra pars juſtiorem haberet cauſam; deinde, quod etiam in bello juſto vix ſatis cognoſci poteſt ex indiciis externis, quis juſtus ſit ſe tuendi ſua recuperandi aut pœnas exigendi modus, ita ut omnino præſtiterit hæc religioni bellantium exigenda relinquere, quam ad aliena arbitria vocare. Achæi in oratione ad Senatum apud Livium: *Quonam modo ea quæ jure belli acta ſunt in diſceptationem veniunt?* *Libro XXXIX.* Præter hunc effectum licentiæ, id eſt impunitatis, eſt & alius, dominii ſcilicet, de quo poſterius agemus.

COMMENTARIUS.

Quemadmodum in ſtatu naturæ homines ſibi æquales, ita poſtquam mortale genus in gentes & nationes diviſum, quæ in eodem ſtatu viventes ſibi æquales, cum autem par in parem nullum habeat imperium, ſive in perſonam, ſive res, vel actiones, nullo jure quis ſibi arrogare poteſt eum effectu judicium de alterius actionibus, num cum juſtitia & recta ratione conveniant nec ne, atque juxta earundem cum ea convenientiam vel diſconvenientiam peculiares quoſdam juris effectus tribuere vel denegare agenti. Ejuſmodi facultas præſupponit ſubordinationem ſive imperium in alterius perſonam, & proinde quoque in actus, qui ab illo proficiſcuntur, cujuſmodi imperium tollit æqualitatem, & proinde ſimul conſiſtere nequeunt. Quemadmodum itaque quiſque ſui juris eſt & arbiter ac moderator rerum ſuarum, ita etiam actionum, quatenus quid jure ſibi agere vel facere licet ipſe dijudicat, ſibique applicat ejuſmodi effectus, qui vel naturaliter ex natura actus profluunt, ſive iſti effectus immediate actum comitantur, ſive facto & conſenſu expreſſo vel tacito interveniente, peculiares quidam effectus ei aſſignati. Unde liquet, cur gentibus placuit, ut iiſdem belli commodis & effectibus gauderent utrique belligerantes, licet forte ab utraque parte non juſta ex cauſa ſuſceptum: exigit enim ejuſmodi conſenſum & placitum ipſe rerum humanarum ſtatus, ipſaque neceſſitas, æquales pari poteſtate parique jure gaudent, unde ſummarum poteſtatum actus nemini ſunt obnoxii, quia inferiores in ſuperiorem nullum habent imperium, nec par etiam in parem, uti dictum. Recte itaque Maſſilienſes in cauſa Cæſaris & Pompeji dicebant, ſui non eſſe judicii diſcernere utra pars juſtiorem haberet cauſam; præterquam quod ſit admodum periculoſum ſeſe immiſcere rebus alienis. Quemadmodum itaque non ab alterius pendet judicio, num juſte vel injuſte quis alterum ad bellum provocarit, ita nec deſtitui poteſt effectibus juſti belli, ſcilicet ſolennis, & quidem effectu licentiæ, id eſt, impunitatis. Verum nec hanc licentiam infinitam ſtatuo; quippe ſi conſtat ex mera malitia, ex aliena occupandi & invadendi, &

& finitimos debellandi & fines propagandi injuſta libidine Regem vel Principem bella ex bello ſerere, non impunitam ejuſmodi licentiam habendam exiſtimo, & eam ſatis juſtam cauſam puto ad bellum adverſus ejuſmodi invaſorem ſuſcipiendum. Præter hunc effectum impunitatis, eſt & alius, dominii ſcilicet: quæ enim ab hoſte capiuntur, capientis dominio cedunt, quamobrem juſtus dominii acquirendi titulus ac modus bellum quacunque ex cauſa ſuſceptum, de quo infra diſputandi erit locus.

V. 1. Illa autem quam nunc tractare cœpimus lædendi licentia primum ad perſonas porrigitur: de qua multa exſtant apud probos auctores teſtimonia. Græcum eſt proverbium ex tragœdia Euripidis:

Καθαρὸς ἅπας τοι πολεμίους ὃς ἂν κτάνῃ.

Purus profecto eſt quisquis hoſtem occiderit.

Itaque more Græcorum antiquo cum his qui extra bellum occidiſſent hominem, lavare, potum ſumere, multoque magis ſacra facere fas non erat; cum his qui in bello, fas erat. Et paſſim occidere jus belli
Lib. xxvi. vocatur. Marcellus apud Livium: *quicquid in hoſtibus feci, jus belli de-*
Lib. xxi. *fendit.* Apud eundem Alcon ad Saguntinos: *Sed hæc patienda cenſeo potius, quam trucidari corpora veſtra: rapi, trahique ante ora veſtra conjuges ac*
Libro xxviii. *liberos belli jure ſinatis.* Idem alibi cum narraſſet Aſtapenſes occiſos; addit, factum jure belli. Cicero pro Dejotaro: *Tibi vero inimicus cur eſſet a quo cum vel interfici belli lege potuiſſet, regem ſe & filios ſuos conſtitutos eſſe meminiſſet?* Et pro M. Marcello: *Nam cum ipſius victoriæ conditione jure omnes*
Comm. libro vii. *occidiſſemus, clementiæ tuæ judicio conſervati ſumus.* Cæſar Hæduis ſignificat *ſuo beneficio conſervatos quos jure belli interficere potuiſſet.* Joſephus in bello Judaico: καλὸν ἐν πολέμῳ θνήσκειν, ἀλλὰ πολέμου νόμῳ, τοῦτ᾽ ἔστιν ὑπὸ τῶν κρατούντων: *Pulchrum in bello occumbere, ſed belli jure, id eſt vitam adimente victore.* Papinius:

Nec querimur cæſos: hæc bellica jura, viceſque
Armorum.

2. Jure autem belli cum dicunt hi ſcriptores, non tale intelligi quod actum culpa omni liberet, ſed qualem dixi impunitatem, ex
Ann. i. aliis locis apparet. Tacitus dixit *in pace cauſas & merita ſpectari, ubi bel-*
Hiſt. iii. *lum ingruat innocentes ac noxios juxta cadere.* Idem alibi: *Nec illis aut honorare eam cædem jus hominum, aut ulciſci ratio belli permittebat.* Neque aliter ſumendum jus belli quod abſtinuiſſe Achivos Ænea & Antenore memorat Livius, eo quod pacis auctores ſemper fuiſſent. Seneca in tragœdia Troadibus:

Quodcunque libuit facere: victori licet.

Epiſt. xcvi. Et in epiſtolis: *Quæ commiſſa capite luerent, tum quia paludati fecerunt laudamus:* & Cyprianus: *Homicidium cum admittunt ſinguli, crimen eſt. Virtus*
Epiſt. ii. *vocatur cum publice geritur. Impunitatem ſceleribus acquirit non innocentiæ ratio, ſed ſævitiæ magnitudo.* Deinde: *Conſenſere jura peccatis, & cœpit eſſe*
iv. Inſt. c. 9. *licitum quod publicum eſt.* Sic Lactantius Romanos ait legitime injurias
Pharſal. i. intuliſſe. Nec alio ſenſu Lucanus: *Juſque datum ſceleri.*

VI. Late autem patet hoc jus licentiæ, nam primum non eos tantum comprehendit qui actu ipſo arma gerunt, aut qui bellum mo-

moventis ſubditi ſunt, ſed omnes etiam qui intra fines ſunt hoſtiles: quod apertum ſit ex ipſa formula apud Livium, *Hoſtis ſit ille, quique intra præſidia ejus ſunt.* *Lib. XXXVII. & alibi paſſim.* Nimirum quia ab illis quoque damnum metui poteſt, quod in bello continuo & univerſali ſufficit ut locum habeat jus de quo agimus: aliter quam in pignorationibus, quæ, ut diximus, ad exemplum onerum impoſitorum ad luenda civitatis debita introductæ ſunt: quare mirum non eſt, ſi, quod Baldus notat, multo plus licentiæ ſit in bello quam in pignorandi jure. *Ad l. v. D. de juſtitia.* Et hoc quidem quod dixi in peregrinis, qui commiſſo cognitoque bello intra fines hoſticos veniunt, dubitationem non habet.

VII. At qui ante bellum eo iverant, videntur jure gentium pro hoſtibus haberi, poſt modicum tempus intra quod diſcedere potuerant. Nam ſic Epidamnum obſeſſuri Corcyræi peregrinis primum diſcedendi faciebant copiam, denuntiantes alioqui pro hoſtibus futuros. *Thuc. l. 1.*

COMMENTARIUS.

JUre naturæ & gentium permiſſum diximus hoſti hoſtem lædere & in perſona & in rebus. Læſio autem, quæ perſonæ infertur, non tantum ad capturam & vulnera, ſed etiam cædem permittitur. Apud Scythas, qui nullum hoſtem interfeciſſet in acie, libare, id eſt, ſacrificare non licebat. Quamobrem Scævola apud Livium: *Hoſtis hoſtem occidere volui.* Et *Honeſtum nocere hoſti*, pronunciat Cic. 3. *off.* Hoſtis vero nomine non tantum comprehendimus milites, vel eos, qui actu ipſo arma gerunt, aut qui belli moventis imperio parent, ſed omnes qui commorantur vel inveniuntur intra fines hoſtiles, quia non abſque ratione præſumuntur lædendi quoque animum habere occaſione data, unde & ab illis damnum imminens avertere omni ratione jure belli licet: indicto enim bello civitati, indictum omnibus ejuſdem incolis, tam civibus & ſubjectis, quam peregrinis, qui commiſſo cognitoque bello intra fines hoſticos veniunt: hi enim videntur ſeſe immiſcuiſſe & cauſam approbaſſe, ut inquit doctiſſimus Gronovius, & proinde hoſtilem quoque induxiſſe animum; cauſa facit hoſtem, quia quis ſe hoſti aggregaverit, ita ut quantulocunque momento quis in hoſtico ſit, ſi illic apprehendatur, hoſtis erit. Alberic. Gentil. *lib.* 2. *cap.* 22. Idem dicendum qui ante bellum eo iverant: nam & hi impune lædi ac interfici poſſunt; quippe & hi jure gentium pro hoſtibus habentur, poſt modicum ſcilicet tempus, intra quod diſcedere potuerunt: tacite enim ſeſe hoſtes declarare videntur, qui facultatem diſcedendi ipſis conceſſam amplecti recuſant; quam ipſis offerendam antequam tanquam hoſtes habendi, dictare videtur humanitas. Ita Saul Amalecitas hereditarios hoſtes, penitus exciſurus, Kenitas, ut ex eo loco emigrarent, hortatus eſt.

VIII. 1. Qui autem vere ſubditi ſunt hoſtium, ex cauſa ſcilicet permanente, eos offendere ubique locorum jure hoc gentium licet, ſi ipſorum perſonam reſpicimus. Nam cum alicui bellum indicitur, ſimul indicitur ejus populi hominibus, ut ſupra oſtendimus in formula indictionis: ſic & in decreto, *Vellent juberent Philippo regi Macedonibuſque qui ſub regno ejus eſſent bellum indici.* *Livius libro XXXI.* Hoſtis autem qui eſt, ubique ſecundum jus gentium impeti poteſt. Euripides:

Νόμος γὰρ ἐχθρὸν δρᾶν ὅπου λάβῃς κακῶς.

Ubicumque prenſum jura lædi hoſtem ſinunt.

Marcianus Juriſconſultus: *Transfugas licet, ubicumque inventi fuerint, quaſi hoſtes interficere.* *L. 3. in fine D. ad l. Corn. de ſicariis.*

2. Interfici ergo poſſunt impune in ſolo proprio, in ſolo hoſtili, in

in ſolo nullius, in mari. In territorio autem pacato quod eos interficere aut violare non licet, id jus non ex ipſorum venit perſona, ſed ex jure ejus qui ibi imperium habet. Nam civiles ſocietates conſtituere potuerunt in eos qui in aliquo ſunt territorio nihil per vim agi niſi judicio tentato: ſicut ex Euripide citavimus,

Si crimen iſtis aliquod hoſpitibus ſtruis,
Jus impetrabis: vi quidem hinc non abſtrahes.

Ubi autem judicia vigent, ibi perſonarum ſpectantur merita; & ceſſat jus iſtud promiſcuum nocendi quod inter hoſtes introductum dicimus. Narrat Livius ſeptem triremes Pœnorum fuiſſe in portu ejus ditionis cui Syphax imperabat, cui pax eo tempore erat cum Carthaginenſibus Romaniſque; advenitſe eo cum duabus triremibus Scipionem, opprimique a Pœnis potuiſſe priuſquam portum intrarent; ſed vento acriore illatas in portum antequam Pœni anchoras molirentur: tum vero Pœnos nihil auſos in regio portu.

Libro XXVIII.

COMMENTARIUS.

VEre ſubditi dicuntur, qui in hoſtico lares ac penates ſuos conſtituerunt ac jus civitatis habent, eos ubique locorum interficere, eorumque res capere jure gentium licet, ſi ipſorum perſonam reſpicimus: nam de territorio alia quæſtio. Quo vero in loco hoſtem invadere & invaſum intercipere licet, tradit Auctor; nec diſtinguuntur hic loca privata a publicis, profana a ſacris & religioſis. Sic Joabum in tabernaculo Domini juxta altare occidere juſſit Salomon. Huc pertinet illud Euripidis:

Hunc, qui facinorum conſcius, nec legibus
Fidens ad aras volvitur ſupplex Deum,
Trahere ad tribunal nulla relligio mihi.
Mala ſemper æquum ferre, qui facit mala.

Sed quæritur, an idem liceat in territorio alieno? Alienum territorium ſecuritatem præſtat, inquit Albericus Gentilis, quamobrem traditur, quod capta in alieno territorio non efficiantur capientium, itaque reſtituenda ſint domino territorii repetenti, neque movet, quod ubi principium fugæ factum ſit, ibi licebat capere: nam mutato territorio mutatur poteſtas. Sic judicatum, ut Hiſpani a Gallis hoſtibus fugientes in territorium Anglorum, non fierent hoſtium perſequentium. Et exemplum renovatum vidimus in Hiſpanis itidem fugientibus a claſſe Anglica hoſtica in littus Gallicum anno octavo & octogeſimo. Verum recte ſtatuit Zeiglerus, rationem, quam Auctor adfert, veram eſſe, cur non licet eos interficere vel offendere, qui in pacato territorio inveniuntur hoſtes; quippe, ut inquit, fieri poteſt, ut vel ipſa Reſpublica media in territorio ſuo cognitionem renuat, ceſſante vero judicio, recuperat quiſque facultatem ſibi jus dicendi, vel etiam partes belligerantes ſe ejus cognitioni ſubmittere nolint. Potior igitur cauſa eſt jus imperii quod habet dominus pacati territorii, & quod reverenter habere debent partes controvertentes, & in eo civiles ſocietates conveniſſe dicendum, ut cuique Principi in ſuo territorio illæſa & inviolata eſſet majeſtas; maxime vero violaretur, ſi quis auderet publicam ſecuritatem tranquillitatemque perturbare; cum autem ea potiſſimum conſiſtat in eo, ut quiſque ſit tutus ab invaſione & offenſione alterius privati, eidem imperio ſubjecti, ſive ex cauſa permanente, ſive pro tempore quamdiu eodem in territorio commoratur, tanquam perturbator publicæ tranquillitatis & ſecuritatis habendus, qui privata auctoritate in alterum impetum facit & lædit, fundatum in hac tacita conventione, quæ naturali ratione innititur, Pauli Juriſconſulti reſponſio in *l. 176. ff. de. R. J.* ubi ſtatuit, *non eſſe ſingulis concedendum, quod per magiſtratus publice poſſit fieri, ne ſit occaſio majoris tumultus faciendi.* Quamobrem in bene conſtituta civitate nemini ſibi jus dicere licet, & propria auctoritate vim alicui inferre, ubi judicia vigent, præterquam quod ſoli Principi competit, vel quibus demandavit, ſummum imperium, quod jus vitæ & necis comprehendit, tum etiam ſupremum dominium in bona & res non duntaxat ſubditorum, ſed & omnium qui in ſuo territorio morantur, quamobrem nemini privato licet aliquem lædere vel in perſona ſua vel rebus, niſi publica auctoritate munitus.

IX. 1. Cæterum ut ad rem redeam, quam late licentia iſta ſe protendat vel hinc intelligitur, quod infantium quoque & feminarum

cædes impune habetur, & iſto belli jure comprehenditur. Non huc adferam quod Hesbonitarum feminas & pueros Hebræi occiderunt, *Deuter.* & quod idem fieri imperatur in Cananæos, & quorum connexa cum 11. 34. Cananæis cauſa: Dei iſta ſunt opera, cujus in homines jus majus eſt *Deuter.* quam hominum in beſtias, ut alibi diſſeruimus. Illud propius acce- xx. 16. dit ad teſtandum morem communem gentium, quod in Pſalmo bea- *Pſalmo* tus dicitur fore qui Babyloniorum infantes petræ allidet, cui par eſt cxxxvi. Homericum illud:

---- καὶ νήπια τέκνα
βαλλόμενα προτὶ ἄςυ ἐν αἰνῇ δηϊοτῆτι.

Illiſaque corpora terræ
Infantum, ſævus dum concutit omnia Mavors.

2. Thraces olim capta Mycaleſſo feminas quoque & infantes occiderunt, narrante Thucydide. Idem de Macedonibus cum The- *Lib.* 1. bas cepiſſent narrat Arrianus. Romani capta Ilurgi urbe Hiſpaniæ, ἔκτειναν ὁμαλῶς καὶ παιδία καὶ γυναῖκας, *ſine diſcrimine interemerunt etiam mulieres & pueros*, quæ verba ſunt Appiani. Germanicus Cæſar Tacito narratur *Lib. An.* vicos Marſorum (Germaniæ is populus) ferro flammiſque perva- 1. ſtaſſe, additurque: *non ſexus, non ætas miſerationem attulit.* Titus Judæorum etiam pueros & feminas in ſpectaculo feris laniandos propoſuit. Et tamen hi duo ingenio minime ſævo fuiſſe creduntur: adeo ſævitia illa in morem verterat. Quo minus mirum ſi & ſenes interficiuntur, ut a Pyrrho Priamus. *Æn.* 11.

COMMENTARIUS.

Dicendum mihi videtur jus naturale & divinum dictare, *ne inſontem & juſtum occidamus*, *Exod.* 22. 7. tum etiam ſpeciale edictum, quod licentiam in bello limitat & moderatur, exſtat *Deut.* 20. 13. quo vetitum, mulieres atque infantes occidere. Ipſe quoque Auctor licentiam, quam quiſque jure belli habet lædendi omnes qui intra fines hoſtiles ſunt ex metu damni, quod ab illis inferri poſſet, deducit §. 6. vel ſi aliquid damni a fœminis, ſaltem nullum a pueris vel infantibus metuendum, & proinde nec etiam licentiam eos interficiendi adeo late patere dicendum arbitror, uti etiam Auctor *cap.* 11. illis parcendum ſtatuit. Iis itaque parcendum quantum fieri poteſt, recta ratione, & divino jure ſancitum. *Fœmina nomen hoſtis non capit*, inquit Seneca. *Cum captivis & fœminis gerere bellum non ſoleo, armatus ſit oportet quem oderim?* dicebat Alexander Curt. *lib.* 5. *Arma habemus non adverſus eam ætatem, cui, etiam captis urbibus parcitur, ſed adverſus armatos*, inquit Camillus apud Livium *lib.* 5. Excipiendæ vero mulieres, quæ virorum munia agunt, ut de Amazonibus traditum. Verbum itaque *licere* ab Auctore eo ſenſu ſumitur, quatenus impune ſit in foro exteriori & hominum judicio. Evenire tamen poteſt, ut licitum etiam ſit omni jure aliquando innocentes juxta nocentes interficere, ſcilicet, quoties ad eam neceſſitatem redacti belligerantes, ut nec victoriam deportare nec civitatem expugnare atque in poteſtatem redigere alia ratione queant. Salus enim publica anteponenda quorundam innocentium interfectioni. Si innocentium cauſa parcendum eſſet hoſtibus, vix unquam caſtra hoſtium oppugnare licitum foret, cum ſemper nonnulli innocentes immixti ſontibus. Dicendum igitur, aliud eſſe ex intentione & animo occidere innocentes, aliud neceſſitate coactus quaſi invitus ad deportandam victoriam & debellandum hoſtem, vel expugnanda oppida innocentes juxta nocentes interficere. Hoc licitum & permiſſum tum naturali tum divino jure, illud in foro exteriori duntaxat, quatenus pœnæ humanæ non ſubjacet. Verum objici nobis poſſet, quod ſi per ſe vetitum & illicitum parvulos & fœminas tanquam innocentes interficere, neceſſitate non exigente, qui potuit Deus permittere, imo imperare, ut Hesbonitarum fœminas & pueros occiderent Hebræi, eodemque jure in Cananæos ſævirent? Hæc Dei opera ſunt, cujus in homines majus jus eſt, quam hominum in beſtias, quaſi Deus ex jure abſoluti dominii in homines, innocentem perdere & internecioni

 dare

dare pro lubitu poſſet, ſalva juſtitia & ſanctitate divina, quemadmodum homo ex jure dominii, quod habet in beſtias eas occidendi, deſtruendi ſalva conſcientia & illæſa juſtitia facultatem habet. Quemadmodum nulla intercedit homini cum beſtiis juris communio, quatenus ſumpto juris vocabulo eo ſenſu, quo ſignificat regulam & normam agendorum quæ docet & nos informat de iis, quæ facere vel permittere debemus in totius vitæ curſu, id eſt, in naturali vel ſocietate civili degentes, lædere vel injuria affici dici nequeunt, quoties eas occidimus & in uſum noſtrum convertimus, neminem lædere dictat præceptum naturale, reſpiciens animal rationale, ideoque hominem juris ſubjectum capax. Verum quidquid agit Deus, juſtitiæ reſpondet, quemadmodum eſt ipſa juſtitia, ita nihil agit quin conveniat juſtitiæ, nec aliter agere ſalva ſanctitate ſua poſſet. Omnes ejus viæ juſtæ ſunt, voluntas Dei juſtitia ſumma; atqui juſtitiæ repugnat innocentem punire & internecioni dare. Dicendum non ex jure dominii abſoluti, ſed juſtitiæ juſſiſſe, ut omnes iſtos populos ſine ullo ſexus vel ætatis diſcrimine delerentur: graviſſimis enim peccatis inquinati jam dudum acerbiſſimas pœnas promeriti erant, vid. quæ annotavimus *cap.* 20. §. 4. *lib.* 2. Verum notandum, quod juſſa ejuſmodi extraordinaria nobis non tanquam exemplar ad imitandum proponit, quaſi eodem modo cum hoſtibus agendi nobis facultas. Nos jus hominum tractamus, viis hominum hic inſiſtimus. Imo viam illam oſtendimus, quam inire & illi inſiſtere nos voluit Deus. Illa extraordinaria Moyſis facta, Dei juſſa, non ſunt nobis rapienda in conſequentias, inquit Alberic. Gentil. *de jur. bel. cap.* 21. *Viæ meæ non ſunt viæ veſtræ, neque cogitationes meæ cogitationes veſtræ*, ipſe inquit Jehova. Perperam vero pro communi more adducit Auctor Pſalmiſtam: nam & ipſe hunc morem ſatis inclementem pronunciat *comment. ad h. l.* qui odio impiarum gentium pro illo tempore excuſabatur. Recte Oſiander: *Hæc non dicuntur per modum probati uſus gentium, ſed per modum prædictionis & vaticinii. Quod ſcilicet Deus daturus ſit Perſis & Medis ſucceſſum, quibus uſurus ſit ad vindicandas injurias, quas Iſraëlitæ acceperunt a Babyloniis, tum etiam quia juſtum Dei judicium hic exponitur, quod ipſe exerciturus ſit.* Beatum pronunciant ſancti eum populum, quem excitabit Dominus, ut rependat juſtitiam impiis, qui ſummam in populo Dei crudelitatem exercuerant; Beatum quoque populum pronunciant, qui Babyloniorum infantes ſaxo illiſerit. Adjuvare dignetur Dominus illas manus, quæ ſevere vindicabunt vicem noſtram, & ſine miſericordia ſic diſperdant, ut nunquam amplius creſcas, ut ne lactentibus in te parvulis parcere velint, ſed omnia occidant. Alias ſummam redolet crudelitatem in turbam imbellem & innoxiam ſævire.

X. 1. Ne captivi quidem ab hac licentia exempti. Pyrrhus apud Senecam ex recepto tunc more: *Troad.*

Lex nulla capto parcit aut pœnam impedit.

In Cyri Virgiliana belli lex hæc dicitur etiam in feminas captivas. Ita enim ibi Scylla:

At belli ſaltem captivam lege necaſſes.

Sed & illo Senecæ loco de femina, Polyxena nimirum, occidenda agebatur. Hinc illud Horatii:

Vendere cum poſſis captivum, occidere noli.

Adelph. act. 2. ſcen. 1. Ponit enim licere: & Donatus, ſervos dictos qui ſervati eſſent *quum eos occidi oporteret jure belli:* ubi illud oporteret, improprie, pro liceret poſitum videtur. Sic a Corcyræis interfecti captivi ex Epidamno, narrante Thucydide. *Lib. 1.* Sic quinque millia captivorum ab Annibale occiſa. *Ap. Annib. Dion. XLVII.* Apud Hirtium bello Africano Scipionem ſic alloquitur centurio Cæſarianus: *Tibi gratias ago, quod mihi vitam incolumitatemque belli jure capto polliceris.*

2. Nec tempore ullo excluditur poteſtas occidendi tales ſervos, id eſt, bello captos, quantum ad jus gentium pertinet: etſi legibus civitatum hic magis, illic minus adſtringitur.

XI. Quin & ſupplicum occiſorum paſſim occurrunt exempla, ut ab Achille apud Homerum, apud Virgilium Magonis & Turni: quæ ita narrari videmus ut defendantur ſimul illo quod dixi

belli

belli jure. Nam & Auguſtinus laudans Gothos qui ſupplicibus & 1. de Ci-
in templa perfugientibus pepercerant: *Quod belli jure fieri licuiſſe*, ait, vit. Dei.
illicitum ſibi eſſe judicarunt. Nec qui ſe dedunt ſemper recipiuntur, ut 2.
in pugna ad Granicum Græci qui Perſæ militabant: apud Tacitum Ann. xii.
Uſpenſes veniam liberis corporibus orantes: *quod aſpernati*, inquit,
ſunt victores, ut belli potius jure caderent. Nota & hic belli jus.

XII. Sed & acceptos in deditionem ſine conditione ulla legas Dion.
interfici; ut a Romanis Pometiæ principes, a Sulla Samnites, a xlv.
Cæſare Numides, & ipſum Vercingentorigem: imo mos hic fer- Liv. ii.
me perpetuus Romanorum in hoſtium duces, ſive captos ſive de-
ditos, ut triumphi die occiderentur, quemadmodum Cicero nos
docet quinta Verrina, Livius tum alibi tum libro xxviii. Taci-
tus Annal. xii. & alii multi. Eodem Tacito memorante Galba de- Hiſt. i.
cimari juſſit quos deprecantes in fidem acceperat: & Cæcina in de-
ditionem accepto Aventico in Julium Alpinum e principibus, ut
concitorem belli animadvertit: cæteros veniæ vel ſævitiæ Vitellii
reliquit.

COMMENTARIUS.

QUi enim mortem nobis moliuntur, ut morte afficiantur digni ſunt. Quamobrem jure belli & occidi poteſt captivus, niſi vitam ipſi ſervare promiſſum. Ex ejuſmodi promiſſo nova oritur obligatio, qua tenemur fidem ſervare. Quod ſervabantur a Romanis, fructuum percipiendorum cauſa, non legis neceſſitate occidere captivum vetantis factum. Unde Horatius:

Vendere quum poſſis captivum, occidere noli:
Serviet utiliter. Sine paſcat durus, aretque:
Naviget, ac mediis hyemet mercator in undis:
Annonæ proſit: portet frumenta, penuſque.

Ejuſmodi enim promiſſio vel expreſſe vel tacite fieri poteſt. Expreſſe quandoque fit, cum captivo vitæ conſervationem imploranti eam promittimus. Tacite vitam condonaſſe videtur, qui ſervorum numero captivum adſcribit, ejuſque miniſterio utitur. Hinc ſervos a ſervando dictos teſtantur Juriſconſulti. Quamobrem cum ſemel bello captos in ſervos recepimus, ſervare debemus, non occidere, quia, qui vitam ſemel alicui condonavit cum adimere poſſet, eum niſi ex nova ſuperveniente cauſa occidere nequit, uti recte contra Auctorem noſtrum ſtatuit Henninges. Clementia vero & Chriſtiana caritas, quæ etiam in bellis locum habere debet, quæ geruntur inter Chriſtianos, nobis ſuadet, ut in mitiorem ſemper partem inclinemus, nec tam attendamus quid jure belli facere licet, quam quid ſuadente æquitate, clementia & caritate, qua proximum etiam nobis forte inſidiantem, amplecti debemus, facere oportet. Repugnare autem videtur cum clementiæ, tum etiam caritati, ut, cujus vitam ſervare poſſumus ſalva noſtra, eum occidamus. Non eſt magni animi inſultare victis, premere & afflictare afflictos. Imo ſi nimis durum viſum Chriſtianis captos in ſervitutem redigere, quamobrem jus iſtud gentium de captivis in eos non obſervatur, multo magis in captivos ſævire vitamque ipſis adimere nefas habetur; manſit tamen inter Chriſtianos mos captivos cuſtodiendi donec pretio redimantur, de quo convenire ſolent belligerantes, & habita ratione muneris, quo quiſque fungitur in bello, certum pretium, quo ſe redimere poſſunt captivi, pacto definiri ſolet. Idem de iis, qui ſe in deditionem dederunt veniamque petierunt, ſtatuendum. Notat Alciatus in *l.* 239. *ff. de* V.S. non licere hoſtem poſtquam captus eſt, ſeque dedidit, occidere, ſed tantum arma adhuc tenentem, neque ſe volentem dedere. In deditium autem ſævire nefas eſſe, neque id bonos Imperatores unquam permiſiſſe. Sermonem hic habemus de ſupplicibus, qui ſine conditione ſeſe dediderunt: nam iis, qui cum conditione ſeſe dediderunt, ignoſcere fides etiam a nolentibus exigit. Exempla, quæ in contrarium ex profanis hiſtoriis adducuntur, non decet imitari Chriſtianos, quos lex caritatis rectius inſtituere oportet. Auctor etiam habet ſermonem non de eo, quod per ſe juſtum & honeſtum, ſed quod impune facere licet; quippe jus gentium naturali æquitate deſtitutum, ſubnixum pravis moribus, vix juris nomine venire poteſt, neque etiam deſunt exempla & veterum teſtimonia, quæ noſtræ ſententiæ favent. *Omnium tum in cives, tum peregrinos, maximum eſt peccatum, quum peccatur in ſupplices*, inquit Plato 5. *de LL. Par eſt delictum, ſi quis & ſupplicem & hoſpitem malo afficiat*, inquit Heſiodus. Supplices ſacroſanctos & contra eorum violatores iram Dei implacabilem teſtatur Pauſanias.

XIII. 1.

XIII. 1. Solent interdum hiſtorici cauſam interfectorum hoſtium, captorum præſertim aut ſupplicum, referre aut ad talionem, aut ad pertinaciam in reſiſtendo: ſed hæ cauſæ, ut alibi diſtinximus, ſuaſoriæ magis ſunt quam juſtificæ. Nam talio juſta & proprie dicta in eandem perſonam quæ deliquit exercenda eſt, ut intelligi poteſt ex his quæ de pœnæ communicatione dicta ſunt ſupra. Contra vero ex bello plerumque id quod talio dicitur in malum redundat eorum quorum in eo quod accuſatur nulla eſt culpa. Cujus morem ſic deſcribit Diodorus Siculus: οὐ γὰρ ἠγνόουν δι' αὐτῶν τῶν ἔργων μαθόντες, ὅτι τοῖς διαπολεμοῦσι κοινῆς τῆς τύχης ὑπαρχούσης, ἀμφοτέρους κατὰ τὰς ἥττας τοιαῦτα ἀνάγκη παθεῖν, οἷα ἂν αὐτοὶ πράξωσιν εἰς τοὺς ἀτυχήσαντας. *Neque enim ignorabant ipſis rebus edocti, cum bellantium par ſit fortuna, alterutris ſi male rem geſſiſſent id expectandum quod ipſi in victos ſtatuiſſent.* Apud eumdem Philomelus dux Phocenſium, διὰ τῆς κολάσεως τοὺς ἐχθροὺς ἐποίησε μεταθέσθαι τῆς ὑπερηφάνου καὶ δεινῆς τιμωρίας: *pari pœna exacta effecit ut hoſtes a ſuperbo & inſolenti ſupplicio temperarent.*

2. Pertinax vero ſtudium in partes nemo eſt qui ſupplicio di-
1 Goth. gnum judicet, ut apud Procopium Neapolitani Beliſario reſpondent; quod tunc maxime obtinet cum partes illæ aut a natura aſſignatæ aut honeſta ratione electæ ſunt. Imo tantum abeſt ut in eo crimen ſit, ut pro crimine habeatur ſi quis præſidio deceſſerit, præ-
Polyb. lib. I. & VI. ſertim veteri jure militari Romano, quod hic nullam ferme admittebat metus aut periculi excuſationem. *Præſidio decedere apud Roma-*
Lib. XXIV. *nos capitale eſt*, ait Livius. Ob utilitatem ergo ſuam quiſque ſummo illo rigore, ubi viſum eſt, utitur: defenditur autem rigor ille apud homines eo gentium jure de quo nunc agimus.

COMMENTARIUS.

POſſunt aliquando caſus exiſtere, quibus ſeverius in ſupplices & captivos conſulendum ſuadet publica ſalus, nec diſſuadet juſtitia, ſcilicet, ſi nobis bellum ſit cum iis, quibus ſævitia & crudelitas bellandi norma & regula, ut eodem jure in eos, quo in nos uſi, utamur. Non repugnat juſtitiæ, ſed conducit quandoque ſaluti communi ejuſmodi talionis uſus, ut hac ratione avocentur a crudelitate & ſævitia. Sic talionem precatur urbi Chaldeorum Pſalmiſta 137. *Filia Babylonis miſera! beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuiſti nobis.* Summam quippe in populo Dei crudelitatem exercuerant, viciſſim ergo & ipſis vaſtationem multo crudeliſſimam ſancti imprecantur, quam jure talionis pati merebantur. Eamque eo ſignificant, quod beatum pronunciant eum populum, quem excitabit Dominus, ut rependat juſtitiam impiis, eandem menſuram repenſurus tibi, ô Babylonia, qua nobiſcum impie egiſti. Vos illiſiſtis parvulos noſtros ſaxo, nec in te parvulos parcituros hoſtes, ſed omnia occidant precamur. Durum quidem videtur nocentes juxta innocentes eidem pœnæ ſubjici, & alienæ culpæ reos alios agi: talio enim juſta & proprie dicta, ut inquit Auctor, delicti auctorem tenet. Quemadmodum delictum perſonale eſt, ita nec pœna debet egredi perſonam delinquentis, licet lex jubeat, ut quiſque pro ſuo duntaxat, non alterius peccato luat mortem & plagas: exigit enim talio, ut quiſque patiatur quod ipſe fecit; verum an revera culpa talis in bello aliena, dubitare merito licet, inquit Zeiglerus; quippe, ut inquit Albericus Gentilis, non dici hic valet, non illos eſſe ſe, qui crudeliter egerint, adeoque non eſſe tractandos crudeliter. Nam unum corpus ſunt hoſtes, ut unum corpus eſt exercitus. Unum corpus eſt eorum, qui ab una parte faciunt pacem: alterum eorum, qui ab altera parte; & ſic ab una parte qui bellum faciunt; & ſinguli tenentur, etiamſi delictum ab univerſis patratum ſit. Velim tamen, inquit, miſericordiorem erga hos eſſe hoſtem, qui vere alieno laborant vitio. Reſiſtendi vero pertinaciam nonnunquam ſeverius punire, juſtitiæ non repugnare mihi videtur, præſertim ſi urbs, arx vel caſtellum, nec natura, nec arte munitum, toti exercitui vel copiarum magno numero cedere recuſat cui reſiſtere longe impar; ejuſmodi pertinacia ſumma malitia eſt, & ſanguinis huma-

humani profundendi illicitæ libidinis nota, quæ pœnam meretur: *Homini non eſt hominine prodigo utendum*, inquit Seneca *Epiſt.* 86. Alias viris fortibus in pretio magis & honore, quam odio habenda.

XIV. Idem jus & in obſides uſurpatum, nec in eos tantum qui ſe obligaverant quaſi ex conventione, ſed & in eos qui ab aliis traditi. A Theſſalis occiſi olim ducenti quinquaginta, a Romanis Volſci Aurunci ad trecentos. Notandum autem ſolitos obſides dari etiam pueros, ut a Parthis, quod & a Simone Macchabæorum uno factum legimus, & feminas ut a Romanis Porſenæ temporibus, & a Germanis narrante Tacito.

Plut. de claris mulierib. Dionyſ. VI. *Tac. Ann.* XII. 1 *Maccab.* XIII. 17. *Hiſt.* IV.

COMMENTARIUS.

Obſides ſunt, qui fidei publicæ ſervandæ cauſa Principi aut Duci exercitus dantur. Sive illi ſeſe ſponte ex amore erga patriam obtulerint, ſive a civitate ſelecti fuerint, in illud veniunt periculum, ut ſi civitas, fidem hoſti datam, fallat, etiam occidi poſſint, & quidem plures interfectos teſtantur exempla ab Auctore adducta. Verum in eorum pedibus eo ſententiam, qui ab interna morali juſtitia eorundem internecionem alienam ſtatuunt: non enim ipſis imputandum, quod pactum violatum, ſed Reipublicæ. Quamobrem atrox viſum optimis Imperatoribus, in obſides ad internecionem uſque animadvertere, præſertim nihil fraudis occultantes, nihil acerbi committentes. Gothico bello Lucenſibus a pacto deſciſcentibus, *Narſes tamen, ut magni erat animi, obſides domum remiſit, neque pretium libertatis ullum depoſcens, neque per id ullas conditiones civitati extorquens.* Agath. *lib.* 1. *Goth. com.* *Quod ſi ipſi peccarent obſides, tum non foret ſententia atrox, quæ obſides damnaret.* *Quando obſides*, inquit Molina, *dati innocentes ſunt, quia vel non ſunt doli capaces, vel in cauſa non fuerunt, ut Princeps, aut Reſpublica, quæ illos dedit, fidem frangeret, neque ullo dolo uſi ſunt, interfici non poſſe propter peccatum ſui Principis aut Reipublicæ; tametſi retineri ac ſervituti ſubjici poſſint. Si vero nocentes ſint, interfici poſſunt, modo culpa tanta pœna ſit digna.*

XV. 1. Sicut autem jus gentium permittit multa, eo permittendi modo quem jam explicavimus, quæ jure naturæ ſunt vetita, ita quædam vetat permiſſa jure naturæ. Nam quem interficere liceat, eum gladio an veneno interimas nihil intereſt, ſi jus naturæ reſpicias: jus inquam naturæ: nam generoſius quidem eſt ita occidere ut qui occiditur ſui defendendi habeat copiam: ſed non debetur hoc cuiquam qui mori meruit. At jus gentium, ſi non omnium certe meliorum jam olim eſt, ne hoſtem veneno interficere liceat: qui conſenſus ortus eſt ex reſpectu communis utilitatis, ne pericula in bellis quæ crebra eſſe cœperant nimium intenderentur. Et credibile eſt a regibus id profectum, quorum vita ab armis ante alios defenditur, a veneno minus quam aliorum tuta eſt, niſi defendatur juris aliqua religione & metu infamiæ.

2. Clandeſtina ſcelera vocat Livius de Perſeo loquens: nefas Claudianus agens de inſidiis in Pyrrhum a Fabricio rejectis, & Cicero ſcelus eandem hiſtoriam tangens. Communis exempli intereſſe ne tale quid admittatur ajunt Conſules Romani in epiſtola ad Pyrrhum quam ex Cl. Quadrigario recitat Gellius: apud Valerium Maximum eſt, *armis bella non venenis geri debere.* Et Tacito memorante; cum princeps Cattorum Arminii mortem veneno promitteret, rejecit Tiberius, ea ſe gloria æquans priſcis imperatoribus.

Livius libro XLII. *de bello Gild. Off.* III. *L.* III. *c.* 8. *Lib.* V. *c.* 5. *Ann.* ttl.

bus. Quare qui licitum volunt hoſtem veneno occidere, ut ex Ve-
11. *Conſ.* 188. getio Baldus, reſpiciunt merum naturæ jus; illud autem quod a gentium voluntate ortum trahit prætervident.

XVI. 1. Diſtat a tali veneficio nonnihil & ad vim accedit propius, ſpicula veneno inficere & geminare mortis cauſas, quod de Getis tradit Ovidius, de Parthis Lucanus, de Afris quibuſdam Silius, & nominatim de Æthiopibus Claudianus. Sed hoc quoque contra jus eſt gentium non univerſale ſed gentium Europæarum &
Saliſb. VIII. 20. ſi quæ ad Europæ melioris cultum accedunt. Quod recte a Saliſberienſi obſervatum eſt, cujus hæc ſunt verba: *Nec veneni, licet videam ab infidelibus aliquando uſurpatam, ullo unquam jure indultam lego licentiam.* Ideo *ferrum infamare veneno* dixit Silius.

2. Nam & fontes veneno inficere, quod ipſum quoque aut non la-
Lib. 2. tet aut non diu latet, Florus ait eſſe non tantum contra morem majorum, ſed & contra fas Deûm: ſicut jura Gentium Diis aſſcribi auctoribus ſolere alibi quoque a nobis annotatum eſt. Neque vero mirum videri debet, ſi ad minuenda pericula tales ſint quædam bellantium
Strabo l. x. tacitæ conventiones, cum olim Chalcidenſibus & Eretrienſibus manente bello convenerit μὴ χρῆσθαι τηλεβόλοις, *ne miſſilibus uti liceret.*

XVII. Cæterum non idem ſtatuendum de aquis ſine veneno ita
Pauſ. l. ult. *Front. l.* III. *Æſch. de male ob. leg.* corrumpendis ut bibi nequeant, quod Solon & Amphictyones leguntur in barbaros juſtum cenſuiſſe: & Oppianus de Piſcatu, quarto, ut ſuo ſæculo ſolitum commemorat. Id enim perinde habetur quaſi avertatur flumen, aut fontis venæ intercipiantur, quod & natura & conſenſu licitum eſt.

COMMENTARIUS.

QUod quarundam gentium mores introduxerunt, id non ſtatim jus gentium nuncupandum, verum quod præeunte rationis diſcurſu conſtitutum, recte juris gentium nomine venit. Jus gentium & naturale eadem in ratione fundatum, quamobrem ſibi oppoſita eſſe nequeunt. Alibi notavimus jus gentium a jure naturæ non differre, niſi quibuſdam circumſtantiis & intervenientibus mediis, quæ ad illud inducendum adhibentur. Unde quædam immediate ex jure naturali profluentia, quædam mediate, id eſt, neceſſitate humana exigente, duce ratione conſtituta dicuntur. Quamobrem mihi non videtur jus gentium ſano ſenſu dici poſſe, quod pravis quarundam gentium moribus introductum, juri naturali oppoſitum, & proinde rationis dictamine deſtitutum, imo eidem contrarium. Quamobrem jus gentium perperam ab Auctore nuncupari mihi videtur, quod permittit multa, quæ jure naturæ vetita; nullum jus humanum licita & honeſta efficere poteſt, quæ jure naturæ vetita. Sin autem quædam naturæ jure illicita, licite fieri permittunt gentium mores, ſcilicet quoad impunitatem, perperam jus gentium vocatur ejuſmodi licentia non gentium juri in recta ratione fundata, ſed pravæ conſuetudini adſcribenda, uti ſtatim diximus. Quamobrem, quamvis agens in foro humano nulli pœnæ obnoxius, attamen in foro divino conſcientia reum peccati eum facit, & proinde a pœna non immunem pronunciat. Ex quibus perſpicimus quæ jure naturæ vetita, ea nunquam aliquo jure permitti poſſe quaſi licita. Verbo *licere* ea in ſignificatione ſumpto, qua aliquid recte, juſte & honeſte, tum in foro poli, tum etiam ſoli fieri dicimus. Quæ autem permiſſa jure naturali, nullam agendi vel omittendi moralem neceſſitatem continentia, exigente neceſſitate humana, vetari poſſunt impune. Sed vehementer dubito, an in eorum numero, quæ jure naturæ permiſſa, gentium vero vetita ſunt, haberi poteſt exemplum quod adducit Auctor; omne illud quod honeſtati & bonis moribus repugnat, tum etiam inhumanum videtur, nec jure naturæ permiſſum ſtatuo; atqui hoſtem veneno interficere bonis moribus & honeſtati repugnare videtur; ergo nec permiſſum jure naturæ dicendum; quod honeſtati & bonis moribus

bus contrarium probat tot gentium moratiorum conſenſus, quæ hoc genus hoſtem interficiendi improbarunt, ut conſtat ex eorum teſtimoniis ab ipſo Auctore allegatis, proprius occidendi modus in bello per arma, non ea quæ venenata ſunt, adeoque & certam mortem adferunt, quamvis non lethale vulnus; ſed ejuſmodi quæ lethalia quidem vulnera inferunt, ſed non omnia, non inhumanum, nec charitati & naturali cognationi repugnat, quæ non penitus ſublata, indicto bello, quia natura adverſatur ejuſmodi bellum, quod ad humanum genus penitus delendum videtur ſuſceptum. An & honeſtum & viro forti conveniens clandeſtine, nulla ſui defenſione relicta adverſario, veneno hoſtem tollere? bellum enim eſt per vim certatio, venenum vero a vi diſtinguit Ulpianus *l. 1. ff. de S. C. Silan. ſi veneno non per vim necatus, nefas eſſe*, dicit Florentinus *hominem homini inſidiari*, *l. 3. ff. de Juſt. & Jur.* Vim vi repellendam, non inficior quod liceat hoſtem interficere, ſed non quovis modo, *vinci ſatius quam malo more vincere*, inquit Salluſt. Cui etiam accedit, quod omnis intentio directe tendens ad interficiendum hominem & humanum ſanguinem profundendum repugnat juri divino & naturali, quod vitæ hominis parcendum dictat: ſi intentio ejuſmodi mala; ergo & actus, qui intentioni conſequendæ conveniunt, quid aliud intendit quam proximum, ſui ſimilem, e medio tollere, nulla vitæ tuendæ ſpe reliqua. Non inficior in bello juſto id licitum, verum oportet ut illa intentio ſit conjuncta cum defenſione ſui, ſive animo ſe vitamque tuendi, etiam cum internecione adverſarii, ſi nulla ſe ratione aliter tueri poteſt, vim & periculum a ſe depellere quidem intendit, verum ſi vulnus hoſti infligendo ſeſe expedire & periculum evadere poſſet, præſumendum virum juſtum & pium conſcientiæ dictamini obtemperantem, tum etiam generoſum, qui animi magnitudinem non exiguo habet in pretio, vitæ hominis parciturum, intendit hic vitam tueri quacunque ratione & quocunque modo poteſt, alter primario videtur intendere hoſtem occidere, & quidem nulla ſpe evadendi ipſi relicta. Qualis intentio, uti diximus, repugnare nobis videtur tum divino tum juri naturæ, & proinde etiam idem vetat ejuſmodi adhibere media, quæ huic intentioni inſerviunt, tanquam humani generis conſervationi per ſe exitioſa. Non hominis, ſed belluarum natura in alterius exitium prona, homines hominum cauſa generati, ut ſe mutuo adjuvarent, & ſibi invicem prodeſſent; quamobrem homo naturæ obediens homini nocere non poteſt, & proinde naturam humanam exuiſſe oportet, qui belluarum inſtar imminet exitio ſui ſimilis. Fortaſſe quis mihi reponet, hunc eſſe belli effectum, quod, ſi alteri alterius interitum accelerare illicitum; ergo nec ſuſcipiendum bellum, utpote quod ejuſmodi licentiam concedit belligerantibus. Non inficior belligerantes intendere omnibus mediis hoſtem & inimicum debellare, quod fieri nequit, niſi vi & armis, quæ mortem inferunt, verum non unice id intendunt, ſed eo boni Imperatoris intentionis aciem collimare oportet, ut hac ratione inducatur hoſtis, pacem & amicitiam renovare potius, quam manus conſerere & in ſtatu belli vivere, eo animo hoſti damnum inferendum, neceſſitatem non animum ad nocendum & ſæviendum pronum cauſam belli eſſe oportet, quoties vero, neceſſitate exigente, bellum ſuſcipiendum, parcendum, quantum fieri poteſt, humano ſanguini, idque cuique gregario incumbit militi naturæ dictamini obedienti. Si venenis uti permiſſum naturæ jure, quid bellum quam ſanguinolenta carnificina, & latronum ſociata multitudo. Quamobrem apud gentes, ſaltem moratiores deteſtata hæc debellandi ratio, non ob eam duntaxat quam Auctor adfert cauſam, verum quod ratio ipſis dictabat, bella armis, non venenis gerenda. Quamobrem Flor. *lib.* 2. *Mixtis nefas, veneno fontibus infamem fecit victoriam, nam contra fas Deum, moreſque majorum medicaminibus impuris ſacroſancta Romana arma violavit, neque enim ita eſt ad victoriam incumbendum, qui ſceleſte & impie factorum nomen declinas.* Si per ſe nefas id credidere gentes, quî naturæ jure permiſſum dici poteſt? Quamobrem & in eo convenêre & tacito quaſi unanimi conſenſu gentes, ſaltem moratiores, hanc licentiam illicitam duxerunt, uti teſtantur teſtimonia ab Auctore adducta. Laudat Ambroſius factum Fabricii, cujus mentionem hic facit Auctor: *Præclare*, inquit, *ut qui virtutis certamen ſuſceperat, nollet cum fraude vincere, & victoriam ſine honeſtate turpem pronunciabat.* 3. *off.* 14. Et ipſe Pyrrhus de Fabricio: *Ille eſt Fabricius, qui difficilius ab honeſtate, quam ſol a ſuo curſu averti poſſet.* Quod honeſtati contrarium ſimul quoque naturæ jure vetitum oportet. *Vides quantum momenti ſit in modo, ut factum probetur? Adulterum ferro, non veneno, licet occidere: non hoſtem veneno, non malis artibus; nuſquam enim non improbat malitiam lex: tela tincta veneno & in bellis interdicta. Quod lex permittit ut fiat, id non ſtatim qualibet via efficis*, uti diſſerit Eraſmus. Itaque nec ſpiculis aut telis venenatis uti fas eſt, unde de Getis notat Ovid. 1. *de Pont.* quaſi & juri naturæ & gentium meliorum moribus contrarium:

Qui mortis ſævo geminent ut vulnere cauſas
Omnia vipereo ſpicula felle linunt.

Et de Æthiopibus Claudianus.

Æthiopum geminata venenis vulnera.

Infame ſcelus vocat Silius *Syl.* 3. 15.

—— —— ſceleratаque ſuccis
Spicula dirigere, & ferrum infamare veneno.

De fontibus idem dicendum nefas hoc eſſe contraque mores majorum teſtatur Florus, ut ſtatim annotavimus. *Genuit venena tellus: ſed quis invenit illa præter hominem? cum arbore exacuant, limentque cornua elephanti & ſaxo rhinocerotes, & utroque apri dentium ſicas: ſciantque ad nocendum animalia: quod tamen eorum tela ſua, excepto homine, venenis; nos & ſagittas ungimus & ferro ipſi nocentius aliquid damus, nos & flumina inficimus, & rerum naturæ elementa.*

XVIII. 1. An vero hoſtem interficere immiſſo percuſſore per jus gentium liceat quæri ſolet. Sed omnino diſcrimen adhibendum eſt inter percuſſores qui fidem expreſſam vel tacitam violant, ut ſubditi in regem, vaſalli in ſeniorem, milites in eum cui militant, recepti ut ſupplices aut advenæ aut transfugæ in eos qui receperunt, an vero nulla teneantur fide, quomodo Pipinus Caroli Magni pater uno comitatus ſatellite trajecto Rheno hoſtem in cubiculo interfeciſſe narratur: quod & a Theodoro Ætolo in Ptolemæum Ægypti regem ſimili modo tentatum refert Polybius, *ἐκ ἀνανδρου τόλμης*, *virilem audaciam* vocans. Talis & ille laudatus ab Hiſtoricis Q. Mutii Scævolæ conatus,
Liv. lib. II. quem ipſe ſic defendit, *hoſtis hoſtem occidere volui*. Porſena ipſe in hoc
Lib. III. c. 3. facto nihil niſi virtutem agnoſcit. Valerius Maximus pium ac forte propoſitum vocat: laudat & Cicero pro P. Sextio.

2. Nimirum hoſtem occidere ubivis licet, non naturæ tantum ſed & gentium jure, ut ſupra diximus: nec refert quot ſint qui faciant aut patiantur. Sexcenti Lacones cum Leonida caſtra hoſtilia ingreſſi
Juſtin. II. recta tentorium regis petebant. Paucioribus idem licuit. Pauci erant qui Marcellum conſulem ex inſidiis circumventum occiderunt: &
Livius lib. XXVII. qui Petilium Cerialem parum abſuit quin in lecto confoderent.
Tac. Hiſt. V. Laudat Eleazarum Ambroſius, quod elephantem ſupereminentem cæteris adortus eſt, arbitratus ei inſidere regem. Neque tantum
De Off. I. cap. 40. qui hæc faciunt ſed & qui aliis faciendi auctores ſunt jure Gentium inculpati habentur. Scævolæ ad audendum fuerunt auctores illi in
Liv. lib. II. bellis adeo ſancti veteres Romani ſenatores.

3. Neque movere quenquam debet quod deprehenſi tales exquiſitis ſuppliciis affici ſolent: nam id ipſum non eo venit quod in jus gentium deliquerint, ſed quia eodem jure gentium in hoſtem quidvis licet: gravius autem aut levius malum ſtatuit quiſque pro ſua
L. 3. ¶. ult. ad l. Corn. de Sicariis utilitate. Nam ſic & exploratores, quos mittere jure gentium haud dubie licet, quales miſit Moſes, qualis fuit ipſe Joſue, deprehenſi peſſime tractari ſolent; (*ἔθος τοὺς κατασκόπους κτείνειν*, *mos eſt exploratores*
Pun. *interficere*, ait Appianus) juſte interdum ab his qui manifeſte juſtam habent bellandi cauſam: ab aliis vero licentia illa quam dat belli jus. Quod ſi qui reperiuntur qui tali opera oblata uti noluerint, id ad animi celſitudinem & virium apertarum fiduciam, non ad juſti injuſtive opinionem referendum eſt.

4. At de his percuſſoribus quorum facto perfidia ineſt aliter cenſendum, neque enim ipſi tantum contra jus Gentium faciunt, ſed & qui eorum utuntur opera: quanquam enim in rebus aliis, qui malorum opera in hoſtem utuntur, peccare cenſeantur apud Deum, non autem apud homines, id eſt, in gentium jus, quia ea in parte:

Mores leges perduxerunt in poteſtatem ſuam:

Lib. VIII. *Et decipere*, ut Plinius loquitur, *pro moribus temporum prudentia eſt*: tamen

men intra jus interficiendi conſtitit hæc conſuetudo. Nam hic qui alienа utitur perfidia, violaſſe jus non naturæ tantum, ſed & gentium creditur. Hoc docent illa Alexandri ad Darium: *Impia bella ſuſcipitis, & cum habeatis arma, licitamini hoſtium capita.* Et mox: *qui ne belli quidem jura in me ſervaveris.* Alibi: *ad internecionem mihi perſequendus eſt, non ut juſtus hoſtis, ſed ut percuſſor veneficus.* Eodem referendum illud de Perſeo: *Non juſtum apparere bellum regio animo, ſed per omnia clandeſtina graſſari ſcelera latrociniorum & veneficiorum.* Marcius Philippus de iiſdem factis Perſei agens: *Ea omnia quam Diis quoque inviſa eſſent, ſenſurum in exitu rerum ſuarum.* Pertinet huc illud Valerii Maximi: *Viriati cædes duplicem perfidiæ accuſationem recepit, in amicis quod eorum manibus interemtus eſt; in Q. Servilio Cæpione Conſule, quia is ſceleris hujus auctor impunitate promiſſa fuit: victoriamque non meruit, ſed emit.*

Epiſtola ad Ruſinum. *Curt. lib. IV.* *Lib. IV.* *Liv. l. XLII.* *Liv. l. XLIV.* *Lib. IX. c. 7.*

5. Cauſa cur hic aliud quam in rebus cæteris placuerit ea ipſa eſt quam de veneno ſupra attulimus, ne nimium intenderentur pericula eorum maxime qui eminent. Negabat Eumene credere, *ſe, nunquam ducum ſic velle vincere, ut ipſe in ſe exemplum peſſimum ſtatueret.* Apud eundem cum Beſſus Dario manus intuliſſet, dicitur exempli & communis regum omnium eſſe cauſa: & Oedipus regis Laji cædem vindicaturus apud Sophoclem ſic ait:

Juſt. lib. XIV. *Lib. XII.*

Κείνῳ προσαρκῶν οὖν ἐμαυτὸν ὠφελῶ:

Et apud Senecam in ejuſdem argumenti tragœdia:

Regi tuenda eſt maxime regum ſalus.

Conſules Romani epiſtola ad Pyrrhum: *Communis exempli & fidei viſum eſt, ut te ſalvum velimus.*

6. In bello ergo ſolenni, aut inter eos qui belli ſolennis indicendi jus habent, id non licet: extra vero bellum ſolenne habetur pro licito eodem Gentium jure. Sic in Gannaſcum defectorem ſtructas inſidias tales degeneres negat Tacitus. Curtius Spitamenis perfidiam minus ait inviſam eſſe potuiſſe, quia nihil ulli nefaſtum in Beſſum interfectorem regis ſui videbatur. Sic & in latrones & piratas perfidia vitio quidem non caret, ſed apud gentes odio eorum in quos committitur impunita eſt.

An. XI. *Lib. VII.*

COMMENTARIUS.

VEri militis, imo viri generoſi eſſe puto cum Tacito, palam & armatum, hoſtes ſuos ulciſci, & ex condicto cum illis congrediens debellare.

Vir nemo mentis alta clanculum
Velit occidere hoſtem.

Apud Euripidem *in Rheſo.* In ſtatu belli more agendum. Jure querebatur Alexander patrem ſuum ab iis interfectum eſſe, quos ingentis pecuniæ ſpe ad illud facinus patrandum ſollicitaverant, tum etiam percuſſorem in ſe emere voluiſſe Darium, unde illis tanquam probrum objicit, quod impia bella ſuſciperent, & quum tanta haberent arma, licitarentur hoſtium capita. *Curt. lib. 4. cap.* 1. Latrocinia hæc dixit Livius, juſta bella negavit. Sic veteres Romani aſpernati ſunt hanc belli gerendi aſtutiam. Quamobrem laudatum a Senatu factum Fabricii, quod perfugam, qui ipſi pollicitus erat, ſi præmium ſibi proponere vellet, ſe, ut clam veniſſet, ſic clam in Pyrrhi caſtra rediturum eumque veneno necaturum, reducendum ad Pyrrhum curaverat, utpote qui magnum dedecus & flagitium judicabat, qui cum laudis certamen fuiſſet, eum non virtute ſed ſcelere ſuperatum. Cic. *offic.* 3. *cap.* 22. Sic etiam David cum Saule bellum

 gerens,

gerens, cum ipſi occaſio ſemel & iterum facultatem præbuiſſet eum nullo negotio interficere, noluit. Quamvis hoſtem interimere non jura belli duntaxat, ſed etiam jus divinum & naturæ permittat, attamen turpitudinis & ſceleris quid continet inſcium nec opinantem e medio tollere, in bello virtuti locum relinqui oportet, quamobrem aperta vi agere decet fortem & generoſum militem. Q. Servilio vitio datum fuit, quod Viriatum per fraudem & inſidias & domeſticos percuſſores ſuſtuliſſet: quamobrem dicebatur victoriam non tam meruiſſe, quam emiſſe, Valer. Max. *lib.* 9. *cap.* 7. Flor. *lib.* 2: *cap.* 17. Notati Hiſpani a Guicciardino, qui Bartholomæum Alvianum, Paduæ Venetorum urbi olim præfectum, immiſſis percuſſoribus, occidere voluere. *Tanto ſono diſſimili i modi della militia preſent dalla virtu de gli antichi, i quali non che ſubornaſſero i percaſſori, rivelevano al nimico, ſe alcuna ſceleretezza ſi trattava contra lui, confidando ſi di paterlo vincere con la virtu.* Neque turpitudinem & ſcelus atque perfidiam facti tollit Auctoris diſtinctio, quia per ſe & natura ſua turpe mihi videtur nec ſcelere & perfidia omnino vacuum, quamvis turpius & ſceleratius quod cum fidei expreſſæ vel tacitæ violatione conjunctum. Sceleris nec infamiæ expers ejuſmodi facinus notat Cicero, paulo ante ab Auctore adducto, nec ipſi duntaxat qui turpitudinis ſuæ mercedem accipiunt, ſed & eorum conductores eadem nota inſigniri merentur. Non me fugit ejuſmodi facinus alias gentes, & quidem Romanos adprobaſſe, ut exempla demonſtrant ab Auctore adducta; verum non exemplis, ſed rationibus juſtitiam & honeſtatem metiri oportet. Recte Hieronymus: *Nihil omnino nos agimus, qui nos per multitudinis exempla defendimus.* Quid ratio dictat, quid viro generoſo & magnanimo conveniat ſpectandum. *Non a veteri mea ſententia, contra Scævolam diſcedo*, inquit Albericus Gentilis, *injuſtitia eum condemno. Condemnati late in hiſtoriis ſunt ſicarii illi, qui propriumque fecere hoc infame nomen ſibi, qui hoſtem publicum occidere quomodocunque perſuaſiſſimum licitum opinabantur. De publica inimicitia fit privata, dum caput unum ſic petitur. Nam ſi in acie ſic fit, ſi in expeditionibus extra caſtra, & per occaſiones & per pugnas etiam in caſtris: tum nihil imputabitur hoſti, qui ducem hoſtium a caligato non diſcernit.* Et paulo poſt: *Non eſt probandum illud Baldi*, hoſtis bene interficitur ubique. *Non ſane ubique, quemadmodum nec omni modo.* Cur autem ejuſmodi ſicarii deprehenſi exquiſitis ſuppliciis affici ſolent, niſi quod ejuſmodi facinus juri gentium, quod ratione & æquitate fundatum, repugnat, & proinde exoſum, qui rationis dictamini obtemperant; quippe eo jure interdictum paulo antea ſtatuimus, in hoſtem ultra modum ſævire, habet etiam licentia bellica ſuos limites, ultra quos tranſilire nefas habetur, eos definit ratio, quam & gentium juris fundamentum diximus. Quamobrem David acerbe animadvertit in percuſſores Iſchboſchethi filii Saulis inimici ſui. 2. *Sam.* 4.

XIX. 1. Stupra in feminas in bellis paſſim legas & permiſſa & impermiſſa. Qui permiſerunt, ſpectarunt injuriam ſolam in alienum corpus, cui ſubjacere quicquid hoſtile eſt juri armorum non incongruens judicabant. Melius alii, qui non ſolam injuriam ſed ipſum efferatæ libidinis actum hic conſiderarunt, & quod is neque ad ſecuritatem pertineat, neque ad pœnam, ac proinde non bello magis quam pace impunitus eſſe debeat; atque hoc poſterius jus eſt gen-
Auguſt. de Civ. Dei, libro II. tium non omnium, ſed meliorum. Sic Marcellus antequam Syracuſas caperet legitur geſſiſſe curam pudicitiæ etiam in hoſte ſervandæ.
Lib. XXVI. Scipio apud Livium & ſua & populi Romani intereſſe ait, *ne quid quod uſpiam ſanctum eſſet apud ipſos violaretur.* uſpiam, id eſt, apud moratiores populos. Diodorus Siculus de Agathoclis militibus: οὔτε τῆς εἰς γυναῖκας ὕβρεως καὶ παρανομίας ἀπέσχοντο, *ne a mulieribus quidem vim nefariam abſtinebant.*
Libro VI. *Var. hiſt.* Ælianus cum narraſſet a Sicyonis victoribus feminarum ac virginum Pellenæarum pudicitiam proſtitutam, ſic exclamat: ἀγριώτατα ταῦτα, ὦ θεοὶ ἑλλήνιοι, καὶ οὐδὲ ἐν βαρβάροις καλά, κατά γε τὴν ἐμὴν μνείαν. *Crudelia hæc per Deos Græciæ, & quantum memoria complector ne ipſis quidem barbaris probata.*

2. Atque id inter Chriſtianos obſervari par eſt, non tantum ut diſciplinæ militaris partem, ſed & ut partem juris Gentium: id eſt ut qui pudicitiam vi læſit, quamvis in bello, ubique pœnæ ſit obnoxius.
Deut. XXI. 10. Nam nec Hebræa lege impune quiſquam id tuliſſet, ut intelligi po-

teſt

teſt ex ea parte quæ de captiva ducenda, neque vendenda poſtea, conſtituit. Ad quem locum Becchai magiſter Hebræus: *Voluit Deus ut caſtra Iſraelitarum ſint ſancta, non projecta in ſcortationes & abominationes cæteras ut caſtra gentium.* Arrianus cum narraſſet captum Roxanes amore Alexandrum, οὐκ ἐθελῆσαι ὑβρίσαι καθάπερ αἰχμάλωτον, ἀλλὰ γῆμαι γὰρ οὐκ ἀπαξιῶσαι, *noluiſſe ea ut captiva per libidinem abuti, ſed matrimonio dignatum*, adjicit facti laudationem. Plutarchus de facto eodem: οὐχ ὕβρισεν, ἀλλ' ἔγημε φιλοσόφως, *non per libidinem abuſus ea eſt, ſed uxorem duxit, ut dignum philoſopho.* Et Torquatum quendam, quod hoſtili virgini vitium obtuliſſet, Romanorum decreto in Corſicam deportatum annotavit Plutarchus. *Parall.*

COMMENTARIUS.

QUamvis vita hominis & pudicitia æquo jure munita tum divino, tum etiam naturali & poſitivo adverſum omnem vim & injuriam, quam homines improbi ei inferre meditantur, attamen majorem licentiam circa illam, quam hanc jura concedunt, licet vitam adimere hoſti, pudicitiæ vero vim inferre vetat jus gentium: cauſa enim juſta & finis cum honeſtati conveniens & homini facultatem tribuens próximum interficiendi concurrit cum violentia, quæ eſt vitæ rerum tum defenſio, tum recuperatio, quæ omni jure permiſſa. At vero honeſtatem mulierum attaminare per ſe & ſua natura injuſtum fuit ſemper: quid enim peccavit pudicitia, ut in hoſte vim patiatur, neque cauſa juſta neque finis honeſtati convenit: cauſa enim libido illicita, & finis ei ſatisfaciendi cupido. Omnis enim coitus illicitus nulla præcedente conjugali pactione. Si pueris & fœminis parcendum dictat naturalis æquitas, eaſque occidere prohibet, eadem quoque vetat earum pudicitiæ vim inferre, quam fœmina honeſta non vitam juxta duntaxat æſtimat, verum ejus damnum majus exiſtimat vitæ amiſſione. Alexander victi hoſtis uxorem, facie inclyta mulierem vetuit in conſpectum ſuum deduci, ut eam ne oculis ſuis quidem contingeret, Gell. *lib.* 6. *cap.* 8. Cujus exemplum Beliſarium imitatum fuiſſe tradit Procopius, etiam tutatus captivas eſt: quæ violatores pudicitiæ ſuæ victores dominos peremerunt. Captivarum pudicitiæ curam, captis Syracuſis, habuit Marcellus, teſte Plutarcho in ejus vita. Totila Gothus capta Urbe vetuit, ne ulla vitiaretur fœdareturque fœmina, teſte Procopio; imo nec impunitam ejuſmodi facinus voluere; miſſus enim in exilium fuit Valerius Torquatus, qui captivam ſtupro compreſſerat. Tradit Appianus *lib.* 1. *bell. civ.* Sertorium integram cohortem, quamvis Romanam, infamem id genus flagitiis concidiſſe. Cujuſmodi exempla nos docent non duntaxat apud Chriſtianos, ſed gentes quoque moratiores, quamvis non imbuti Chriſtianorum doctrina, ex rationis attamen lumine edoctas, nefas eſſe pudicitiæ vim inferre, & fœminas ullo pacto lædere. Lege Hebræa olim etiam vetitum, ne quis captivam comprimeret, niſi ſolenniter conjux facta eſſet, ut videre eſt *Deut.* 21. 10. Tradit vero Seldenus fuiſſe etiam Hebræos, qui ſtatuunt, captivæ gentilis unicæ, quam Ebræus quis in ſua prædæ ſorte, bello ultroneo feliciter geſto, acceptam ſtatim deperiret, domumque duceret, concubitum unicum fuiſſe permiſſum, ita tamen ut ſine nuptiis eundem non omnino iteraret, neque aliter poſtea ac in lege præſcriptum eſt, eam, tametſi jure belli ancilla fuiſſet, haberet. Verum cum ejuſmodi permiſſio nullibi exſtat in Sacra Scriptura, ſine ejuſmodi auctoritate loqui erubeſcimus.

CAPUT V.

De rebus vaſtandis eripiendiſque.

I. *Res hoſtium corrumpi & rapi poſſe.*
II. *Etiam ſacras: quod quomodo intelligendum.*
III. *Et religioſas; addita itidem cautione.*
IV. *Doli quatenus hic permiſſi.*

I. NOn eſſe contra naturam ſpoliare eum quem honeſtum eſt necare, dixit Cicero. Quare mirum non eſt ſi jus gentium *Offic.* corrumpi ac rapi permiſerit res hoſtium quos interficere III. permiſerat. Polybius itaque Hiſtoriarum quinto, jure belli comprehendi

hendi ait ut munitiones hoſtium, portus, urbes, viri, naves, fructus, & ſi qua ſunt ſimilia, aut eripiantur aut corrumpantur. Et apud
Lib. XXII. Livium legimus, *eſſe quædam belli jura, quæ ut facere ita pati ſit fas: ſata exuri, dirui tecta; prædas hominum pecorumque agi.* Ipſas urbes totas dirutas, aut mœnia ſolo æquata, populationes agrorum, incendia, ſingulis ferme paginis apud hiſtoriarum ſcriptores invenias. Et no-
Ann. XIII. tandum licere hæc & in deditos. *Oppidani*, inquit Tacitus, *portis ſponte patefactis ſe ſuaque Romanis permiſere, quod ſalutem ipſis tulit: Artaxatis ignis immiſſus.*

COMMENTARIUS.

SI vita hominis eſt res inæſtimabilis, eaque hoſtem privare poſſimus jure belli, multo magis licet res hoſtium, quæ vitæ tuendæ & beate & ſecure tranſigendæ inſerviunt, rapere, deripere, corrumpere & devaſtare, aliaque his ſimilia facere, per quæ hoſtium vires debilitari ſuæ vero confirmari poſſunt, ſata uruntur, arbores exſcinduntur, urbes evertuntur, prædia ruunt, naves igne conſumuntur, fructus devaſtantur, hæ ſunt calamitates belli, quas pati fas eſt. Verum & hic modum ſervandum æquitatis & humanitatis ratio dictare mihi videtur, non quid ſummo jure, ſed æquitate temperato licet ſpectandum. Quamobrem iis, quæ ad hominum commoditates & uſus natura largita eſt, ſi aliter militiæ ratio expediri potuit, parcendum. Aliter dicendum, ſi tanquam medium neceſſarium ad hoſtem debellandum atque hac ratione pacem obtinendam ejuſmodi vaſtationes adhibentur; verum ſæviendi libido & aliena deripiendi ſceleratus amor nil moderabile ſuadet, hac ſatisfaciendi cupidine cum imperantes tum etiam gregarii milites inflammati, quaſi furibundi advolant ad devaſtandos agros, domos evertendas, comburendas, & cætera id genus agere, quæ furor ac rabies ſuadet. Cicero *pro domo*, bellum hoc horrificum, nefarium, omni imbutum odio dicit, quod parietibus, tectis, columnis, poſtibus infertur. Jus divinum Hebræis moderamen utile docet & præcepit, quamobrem non omnis generis arbores exſcindere permittit, *Deut.* 20: 19, 20. Vetat enim ſic in homines ſævire, ut ad urbium expugnationes, arbores quoque fructiferas diſperdant ad valla machinaſque parandas, in exitium civium & poſterorum. Non præter neceſſitatem quandoque utile deſtruendum: nec ſine cauſa damnum alicui inferendum. *Injuſtum eſt iram in homines conceptam effundere in ea quæ nulli malo cauſam dant*, inquit Philo *libro de humanitate.* Talio vero, tum etiam hoſtis pertinacia ſæpe fuit in cauſa, quod arma non ſervant modum, nec temperari vel reprimi poteſt ſtricti enſis ira. Malum pro malo reddere juſtum & laudabile, ut inquit Ariſtoteles. *Inexpertus belli, qui non intelligit, quod qui alium malo afficit, etiam, ut ferat, rationis eſt*, ait Pindarus. *Quæ acerbitas, ſi idem fiat in te, quod tu in alio feceris*, inquit Sex. Cæcilius apud Gellium; hac ratione ſæpius cruentiſſimi hoſtes debellati. Tradit de Thracibus Flor. *lib.* 3. *cap.* 4. cruentiſſimis hoſtibus, quod ſuis moribus domiti, quippe in captivos igne, ferro ſævitum.

II. I. Neque jus gentium merum, ſepoſita officiorum aliorum conſideratione, de quibus dicemus infra, ſacra excipit, id eſt, quæ
L. cum loca. D. de religioſis. Deo aut diis dicata ſunt. *Cum loca capta ſunt ab hoſtibus, omnia deſinunt ſacra eſſe*, ait Pomponius Juriſconſultus. *Sacra Syracuſarum victoria profana fecerat*, ait Cicero Verrina quarta. Cauſa hujus eſt, quod quæ ſacra dicuntur, revera non eripiuntur humanis uſibus, ſed publica ſunt: ſacra autem nominantur a fine cui deſtinata ſunt. Signum ejus quod dico eſt, quod cum quis populus alteri populo aut Regi ſe dedit, tum etiam ea dedit quæ divina dicuntur, ut ex formula apparet quam
Lib. I. cap. III. ¶. 8. citavimus alibi ex Livio: cui convenit illud in Amphitruone Plauti:

Urbem, agrum, aras, focos, ſeque uti dederent.

Deinde:

Deduntque ſe, divina, humanaque omnia.

2. Et

2. Et ideo Ulpianus publicum jus etiam in ſacris ait conſiſtere.
Pauſanias Arcadicis ait morem fuiſſe Græcis barbariſque communem,
ut res ſacræ arbitrii eorum fierent qui urbes cepiſſent. Sic Jovis Her-
cæi ſimulacrum Troja capta conceſſum Sthenelo, multaque alia ejus
moris exempla commemorat Thucydides lib. IV.: τὸν νόμον τοῖς Ἕλλησιν εἶναι,
ὧν ἂν ᾖ τὸ κράτος τῆς γῆς ἑκάστης, ἤν τε πλέονος, ἤν τε βραχυτέρας, τούτων καὶ τὰ ἱερὰ ἀεὶ γίγνεσθαι.
*Jus hoc apud Græcos eſſe, ut qui imperium obtineant in terra aliqua magna aut
parva, eorum ſint & templa.* A quo non diſcrepat illud apud Tacitum: *Ann. XII.*
*Cunctas cæremonias Italicis in oppidis, templaque, & numinum effigies, juris at-
que imperii Romani eſſe.*

3. Quare & populus ipſe mutata voluntate poteſt ex ſacro profa-
num facere: quod non obſcure indicant Juriſconſulti Paulus & Ve- *L. inter*
nulejus: & temporum neceſſitate videmus res ſacras ab his qui ſacra- *ſtipulantem.*
verant, in belli uſus converſas, ut a Pericle ſub pollicitatione reſti- *§. ſacrum. &*
tuendi tantundem, a Magone in Hiſpania, a Romanis bello Mithri- *l. continuus. ¶.*
datico, a Sulla, Pompejo, Cæſare, atque aliis factum legimus. *cum quis.*
Apud Plutarchum Tiberius Gracchus: ἱερὸν καὶ ἄσυλον οὐδὲν οὕτως ἐστὶν, ὡς τὰ τῶν *D. de*
θεῶν ἀναθήματα. Χρῆσθαι δὲ τούτοις καὶ κινεῖν καὶ μεταφέρειν ὡς βούλεται τὸν δῆμον οὐδεὶς κεκώλυκε. *verb.*
Nihil tam ſacrum ſanctumque eſt quam quæ Deorum honori dicantur. Et his tamen *oblig.*
uti populum, hæc tranſmovere nemo prohibet. In controverſiis Senecæ patris
legimus, *Pro republica plerumque templa nudantur, & in uſum ſtipendii do-
na conflamus.* Trebatius Juriſconſultus temporum Cæſaris: *profanum* *Macr.*
quod ex religioſo vel ſacro in hominum uſum proprietatemque converſum eſt. Hoc *Sat. III.*
ergo gentium jure uſus Germanicus in Marſos, narrante Tacito, *pro-* *Ann. I.*
*fana ſimul & ſacra, & celeberrimum illis gentibus templum, quod Tranſanæ vo-
cabant, ſolo æquantur.* Pertinet huc illud Virgilii,

Colui veſtros ſi ſemper honores,
Quos contra Æneadæ bello fecere profanos.

Deorum donaria capi a victoribus ſolere notavit Pauſanias: & Cicero *Lib. VIII.*
belli legem id vocat de P. Servilio loquens, *Signa*, inquit, *& ornamen-* *Verr. III.*
ta ex urbe hoſtium vi & virtute capta, belli lege atque imperatorio jure ſuſtulit.
Sic Livius templorum ornamenta quæ Syracuſis Marcellus Romam *Lib. XXV.*
advexit *parta* ait *belli jure*. C. Flaminius pro M. Fulvio: *Signa ablata &* *XXXIX.*
cætera facta quæ captis urbibus ſoleant. Fulvius quoque in oratione belli
jus hoc ipſum appellat. Et Cæſar in oratione apud Salluſtium referens *Sall. Cat.*
quæ victis ſolent accidere, ponit, & fana ſpoliari. *cap. 51: 6.*

COMMENTARIUS.

SAcra, Deorum templa, & loca ſacris faciundis deſtinata apud nonnullas gentes tanta in veneratione habebantur, ut iis quoque parcendum in bello exiſtimaverint. Sic Alexander cavit, ne templa, ne luci Thebis violarentur exciſis, ut tradit Suidas. Sic Brutus ſacras ædes, quotquot potuit, ab incendio belli conſervavit, teſte Appiano. Dolet Horatius bellorum civilium, quibus ſua ætate concutiebatur Reſpublica, calamitates, a quibus nec intacta Deorum templa & aræ, *od. 35. lib. I.*

Eheu cicatricum & ſceleris pudet,
Fratrumque; quid nos dira refugimus
Ætas? quid intactum nefaſti
Linquimus? unde manus juventus
Metu Deorum continuit? quibus

Pepercit aris?

Verum ejuſmodi reverentia magis quarundam gentium ſuperſtitione, quam ſolida ratione niti videtur, quamobrem nec etiam univerſalis quaſi innata, quemadmodum religio. Unde quandoque nec templis, nec aris pepercerunt Ægyptii, Aſſyrii, Perſæ, Babylonii, imo nec ipſi Romani, quamvis eorum ſumma erga Deos reverentia & pietas, quamobrem gloriabantur ſola religione, & in Deis colendis reverentia orbis imperium obtinuiſſe. Hinc *quot ſacrilegia Romanorum tot trophæa, tot Dii quot de gentibus triumphi.* Sermonem habemus de gentilium templorum fortunis: templum enim Hieroſolymitanum Craſſum pacis tempore ſpoliaſſe, Pompejum jure victoriæ ingreſſum, Titum belli jure deleviſſe, neminem fugit, qui in veterum monumentis non plane hoſpes. Sacra dicuntur templa, ædificia, loca cultui divino atque ita quaſi ſummo Numini dicata, ſacra a fine cui deſtinata appellantur, quia ſacris inſerviunt, revera autem, quod ejuſmodi qualitas iis imponitur, non uſibus humanis eximuntur, verum in commercio privatorum eſſe deſinunt, non eo quaſi intrinſeca qualitate mutata nefas eſſet privatorum attactu contaminari; verum quia ei, qui ſummæ rerum præeſt, placuit, locum illum privatorum commercio eximere & publico uſui deſtinare, cujuſmodi placitum imperii cujuſque finibus terminatur. Subjacet tamen dominio & commercio Principis ſive ſummi imperantis, itaque humani juris eſſe non deſinit, ſed privati. Quamobrem, quemadmodum ex impoſitione imperantis conſecratio, ita ex ejuſdem arbitrio pendet exauctoratio: nihil enim magis naturale quam ut unumquodque eodem modo diſſolvatur quo colligatum, juxta juris regulam. Hinc profanum appellatum quod ex religioſo, vel ſacro in hominum uſum proprietatemque converſum eſt, Macrobius *lib.* 3. *cap.* 3. *Profanum eſt, quod cum ſanctum eſſet, poſtea in uſum hominum & extra fanum venit*, ut inquit Aggenus Urbicus *in comment. ad Jul. Frontinum de limitibus agrorum.* Sin autem ejuſmodi diſpoſitio ſalva manet ſummo imperanti, quodnam juris vinculum ligaret hoſtem, rebus ſacris parcere, vel tanquam profana eorundem proprietatem ac uſum ſibi acquirere, & pro lubitu de iis diſponere, ſi manent in commercio ac diſpoſition hominis ſubjecta, ut res cæteræ cedunt dominio victoris, & ejuſdem in poteſtatem redigi poſſunt. Subjectorum & civium dominio & proinde commercio exemptæ non univerſitatis, non hoſtis, quemadmodum extra territorium jus dicenti impune non paretur, ita ejuſmodi qualitatis impoſitio, ab eo, qui ſummo ornatus imperio, profecta, non mutat rei naturam quoad modum acquirendi dominii jure gentium ſive naturali introductum, qualis eſt occupatio in bello. Quæ ex hoſtibus capimus abſque diſcrimine jure gentium ſtatim noſtra fiunt, inquit Juriſconſultus §. 17. *Inſt. de Rer. Diviſ.* Verum alii ſtatuunt per conſecrationem Deo jus peculiare in res conſecratas acquiri, utpote qua renunciatum juri & dominio, quod quiſque vel privatus vel Reſpublica in eam habebat, atque ita humanis juribus eximi. Quamobrem nullius eſſe dicitur, quod donatur Deo, divinique juris fit, quia ad Deum rediit, quaſi nunquam fuerit hominis. Hinc Moyſes *Levit.* 27. *Omne*, inquit, *quod Domino conſecratur, ſive homo, ſive animal, ſive ager, non vendetur, neque redimi poterit. Quicquid ſemel fuerit conſecratum ſanctum ſanctorum erit Domino.* Et ſcriptum Ezechiel 48. *Et non venundabunt ex eo, neque mutabunt, neque transferentur primitiæ terræ, quia ſanctificata ſunt Domino.* Et Ulpianus: *Res ſacra non recipit æſtimationem.* Et Paulus in *l.* 83. §. 4. *ff. de V. O. Sacram vel religioſam rem inutiliter ſtipulor.* Verum reſpond. quod Deus habet ſummum ac ſupereminens & æquale jus ac dominium tum in homines, tum etiam res in uſum hominis creatas, cui ex facto vel opera humana nihil poteſt accedere. Quamobrem conſecratio nihil juris confert Deo in rem conſecratam, quod antea non habuit, ſed tantum ſecernit rem a commercio & poſſeſſione, promiſcuoque uſu privatorum, quamdiu inſervit fini, cui deſtinata; quod teſtimonia ex Sacris paginis adducta attinet, reſponderi mihi poſſe videtur, quod diſtinguendum inter conſecrationem per votum factam, & ſimplicem rei ad ſacra obeunda deſtinationem. Qui rem devovit Deo, eam omnino abdicat eo animo, ut ſemper Deo conſecrata maneat; ita ut nihil omnino juris in eam ſibi reſervet. At noſtro caſu non tam rei dominium abdicatur, quam ejus uſus, manente proprietate penes Rempublicam vel civitatem, cujus uſui inſervit, quatenus ſacrorum peragendorum cura incubuit ei, qui ſummæ rerum præeſt. Unde populus vel Princeps populi nomine mutata voluntate poteſt ex ſacro profanum facere, modo proſpiciat, ne quid detrimenti capiat eccleſia, & habeat, quæ ad divinum cultum neceſſaria; cui etiam accedit, quod hic conſtat de expreſſa Dei voluntate, rem ſibi conſecratam hominum commercio eximere volentis. Quamobrem quemadmodum Deus in peculiarem ſibi populum adſciverat Iſraëlitas, ita & ſuis fundavit legibus Rempublicam, quæ ejuſdem propriæ, quarum ad exemplar ſuas quidem componere alii quoque populi facultatem habent, verum neceſſitatis non eſt eaſdem obſervare, niſi quatenus cum rectæ rationis dictamine habeant convenientiam. Multas Hebræi habebant leges ceremoniales, cultum divinum ſpectantes, quæ cum Reipublicæ interitu evanuerunt. Neque etiam res ſacras uſibus humanis & poteſtati ac arbitrio ſummi imperantis omnino exemptas dicendum jure divino; quippe exigente neceſſitate in commercio iterum recipi poterant. Hinc etiam ſacra abalienarunt Reges. Sic Joël Itazaëli Regi Syriæ tulit omnia ſanctificata, & univerſum aurum quod inveniri potuit in theſauris templi Domini, ut conſtat 2 *Reg.* 12. *verſ.* 18. Sic quoque Hiſaia dedit omne argentum, quod repertum fuerat in domo Domini, Regi Aſſyriorum, ut a ſe recederet, *cap.* 18. *verſ.* 15. Et

Deus

Deus ipſe tradidit vaſa ſacra Nebucadnezari. *Dan.* 1. *verſ.* 2. Non vero putandum, Reges optimos theſauros ſacros fuiſſe contrectaturos, ſi eorum poteſtati & arbitrio exemptos agnoviſſent. Verum notandum, quod quamvis negari nequeat, res ſacras ſubeſſe Principum imperio, & proinde ab eo juſtam ob cauſam alienari & in uſum profanum converti poſſe, tum etiam cedere victori devicto Principe vel populo, cujus in poteſtate ſunt, exinde non ſequi, quod etiam vaſtari & diripi, & incendio deleri jure poſſunt. Uſus enim non conſiſtit in devaſtatione & deſtructione rei, ſed applicatione ad finem, cui inſervire poteſt. Quemadmodum ſuperſtitionem redolet ſtatuere rerum ſacrarum Deo devotarum & conſecratarum dominium plane amitti, atque adeo extra omne commercium conſtitui, ut ne quidem ſumma exigente neceſſitate imperanti liceret eas vendere, oppignerare, vel alio modo alienare, & in publicum uſum convertere ſuadente communi ſalute & utilitate. *Pro Republica plerumque templa nudantur & in uſum ſtipendii dona conflamus*, ait Seneca *controv. lib.* 4. Ita rabioſi hominis ac plane furentis eſt, ea devaſtare, quæ nec propriis rebus emolumenti, nec hoſtibus detrimenti quidquam adferunt, quorum in numero templa; in mitiorem hic potius partem inclinare, quam ſtricto belli jure uti æquitatis & humanitatis rationi magis conſentaneum exiſtimo, niſi juſta exiſtat cauſa, ut cum templa hoſtibus ſunt pro arcibus & caſtellis: tum enim eodem modo, quo cætera munimenta, tractari licitum. De Hieroſolymitano Titum cum præcipuis ducibus deliberaſſe, apud Zonaram legimus, atque alios cenſuiſſe, belli jure uti oportere, nec ulli rei parcendum eſſe; alios vero ſic diſtinxiſſe, ut, ſi Judæi de templo bellarent, combureretur, nec jam templum haberetur, ſed caſtellum. Idem quoque licitum ſtatuunt publici juris periti, quando hoſtes non ante pepercerunt talionis jure, ſi jam uſui profano inſerviunt, jam ſunt impedimenta ad victoriam reportandam.

4. Illud tamen verum eſt, ſi quo in ſimulacro numen aliquod ineſſe credatur, id violari aut corrumpi nefas ab iis qui in ea perſuaſione conveniunt: & hoc ſenſu impietatis aut læſi etiam gentium juris accuſantur interdum qui talia commiſerunt, nimirum ex talis opinionis poſitione. Aliud eſt ſi hoſtes non idem ſentiant: ſicut Judæis non permiſſum tantum ſed & præceptum eſt gentium ſimulacra abolere; nam quod ſibi accipere vetantur, id eam cauſam habet quo magis Hebræi ſuperſtitiones gentium deteſtarentur, impuritatis admoniti ipſo contactus interdicto; non quaſi alienis ſacris parceretur, quomodo Joſephus exponit, Romanis haud dubie blandiens; ſicut & in expoſitione præcepti alterius, de non nominandis gentium diis: quod ille ita explicat quaſi illis obloqui vetarentur, cum revera honoris cauſa aut ſine abominatione eos nominare lex non ſineret. Sciebant quippe Hebræi Dei certiſſimo monitu in ſimulacris illis non habitare, aut Dei ſpiritum, aut bonos Angelos, aut vim aſtrorum, ut deceptæ gentes exiſtimabant, ſed pravos & humano generi infeſtos Dæmonas: ita ut recte dixerit Tacitus in Judæorum inſtitutis deſcribendis, *profana illis omnia quæ apud nos ſacra*. Non mirum ergo eſt ſi templa profani cultus a Maccabæis incenſa non ſemel legimus. Sic & Xerxes cum ſimulacra Græcorum corrupit nihil fecit contra jus gentium, etſi multum id ad invidiam exaggerant Græci ſcriptores. Nam Perſæ non credebant in ſimulacris eſſe ulla numina, ſed Deum eſſe Solem, & portionem ejus aliquam ignem. Lege Hebræa, ut idem Tacitus recte, *templi limine præter Sacerdotes arcebantur*.

Deut. VII. 5. — *Hiſt.* 5. — 1 *Macc.* v. & x. — *Aſc. Ped. in Ver.* III.

5. At Pompejus, eodem auctore, *templum jure victoriæ ingreſſus eſt*: aut, ut Auguſtinus rem eandem narrat, *non devotione ſupplicis ſed jure victoris*: bene ille quod templo pepercit, & rebus templi, quanquam ut Cicero diſerte ait, pudore & obtrectatorum metu, non religione: male

De Civ. Dei lib. XVIII. *c.* 45. — *Pro Flacco.*

male quod ingreſſus eſt, quippe contempto vero Deo, quod & Chaldæis exprobrant Prophetæ: quam etiam ob cauſam quidam factum arbitrantur ſingulari Dei providentia, ut is quem dixi Pompejus quaſi in conſpectu Judææ trucidaretur ad Caſſium Ægypti promontorium; at ſi ſpectes opinionem Romanorum, nihil in eo factum contra jus gentium. Sic idem Templum excidio datum a Tito Joſephus memorat, additque factum τῷ τοῦ πολέμου νόμῳ.

Dan. v. 23.

Bell. Jud. lib. VI. c. 2. 4. & 34.

COMMENTARIUS.

Subſcribo Auctoris opinioni, ſtatuentis, ſi quo in ſimulacro numen ineſſe credatur, abſtinendum eſſe ab illius corruptione, quia cum contemptu & vituperio divini Numinis conjunctus ejuſmodi actus, quamvis opinionis errore ſeductus ſibi fingat numinis præſentiam, peccat tamen, ſi contra conſcientiam erroneam agat. Dictat nobis conſcientia omni reverentia & veneratione dignum, quod ſummum Numen vocamus, quali modo nobis illud repræſentamus, nihil refert: in mente enim & perceptione conſiſtit idea Dei, quæ innata animo, ſimul quoque homini quaſi ingenerat metum & reverentiam erga illud, quod numen eſſe credit. Qui numinis exiſtentiam & præſentiam ſibi perſuadet, ſtatim convictus, honorem & reverentiam ipſi exhibere ſeſe alligatum, iſta obligationis perſuaſio adeo connexa opinioni, quæ cuique innata de numinis alicujus exiſtentia & præſentia, ut ſemper pari paſſu ambulent, imo poſito uno & alterum poni neceſſum. Ipſe argumentatur alibi ſummus Jehova, ſi Deus ſum, ubinam honor & reverentia mihi debita. Ita quidquid quis pro numine colat, tenetur venerari. Miſerrimus quidem qui ſibi opinionis errore fingit Deum, qui Deus non eſt, attamen quia credit verum eſſe Deum, tenetur ei exhibere honorem & reverentiam debitam. Et hoc ſenſu recte Auctor ſtatuit, ſi quo in ſimulacro numen ineſſe credatur, id violari & corrumpi nefas ab iis, qui in ea perſua-ſione conveniunt. Aliud eſt, ſi hoſtes aliter ſentiunt; qui verum Deum norunt, ejuſque eſſentiam & naturam in Sacra Scriptura tanquam in tabella delineatam atque depictam intueri poſſunt, eumque nil niſi ſpiritum eſſe ſciunt, & proinde nec oculis intueri, nec manibus palpari poſſe, aut loco aliquo circumſcribi vel includi; quamobrem non aſpectu nobis alioque fragili ſenſu comprehendendus, ſed mentis oculis intuendus, ut ait Lactantius. Hinc non certo loco, templis vel delubris ejuſdem præſentiam circumſcriptam credendum, ſed diffuſam per univerſum terrarum orbem perſuaſum nobis. Sin autem oculis videri nec manibus palpari poſſit, quia ſpiritus, qui ex imagine diſci poſſet, quomodo ſimulacris includi, quod nonnulli inter Gentiles agnoverunt. *Effigiem Dei formamque quærere, imbecillitatis humanæ*, putavit Plinius *Hiſt. nat. lib. 2. cap. 7.* Nihil magis exoſum Deo, quam ejuſmodi ſuperſtitio, utpote quæ divinam eſſentiam in humanam mutabat, & proinde quam obnoxiam exiſtimabat iiſdem imbecillitatibus & vitiis, quibus inquinatum humanum genus, ut de Diis ſuis finxere gentes, a veri Dei notitia aberrantes. Quamobrem ne impunita ejuſmodi idololatria foret, Deus præcepit, ut extirparentur qui ea contaminatiſſimi populi, & quidquid idololatriæ inſerviebat, delendum & ſubvertendum decernit. Hinc Judæis non permiſſum, ſed etiam præceptum gentium ſacra abolere *Deuter. 7:25, 26.* aras ſubvertendo, confringendo ſtatuas, lucos ſuccidendo, ſculptilia comburendo, *Deuter. loc. cit. &* 12:2, 3. Conſulere volens omnipotens beningiſſimus populo ſuo peculiari, procul abjicere omnibus modis præcepit, ne iis contaminaretur. Recte Auctor reprehendit Joſephum, quod Diis alienis non maledicendum exiſtimaverit, quaſi iis aliqua debeatur reverentia. Vetat quidem Moyſes, ne quis Diis maledicat, vel detrahat, ut interpretatur Hieronymus *Exod.* 22:28. verum per Deos intelligendi Judices & Sacerdotes, apud quos lex erat. Tremell. intelligit Magiſtratus, penes quos eſt adminiſtratio civilis & eccleſiaſtica. Senſus itaque eſt, neque Principi populi, neque Magiſtratibus, qui ab eo poteſtatem habent, maledicas aut detrahas; eis quippe honor debetur & reverentia, quia Dei vice funguntur, a quo omnis poteſtas, unde & Dii appellantur. Et hoc ſenſu Deorum nomen occurrit *cap. præced.*

III. Quod de ſacris diximus idem & de religioſis intelligi debet, nam hæc quoque non mortuorum ſunt ſed viventium, ſive populi alicujus ſive familiæ. Quare ſicut ſacra loca ab hoſtibus capta, ita & religioſa talia eſſe deſinere ſcripſit dicto loco Pomponius, & Paulus Juriſconſultus: *Sepulchra hoſtium religioſa nobis non ſunt, ideoque lapides inde*

L. Sepulchra. D.

de ſublatos in quemlibet uſum convertere poſſumus: quod ita tamen intelligendum ne ipſa mortuorum corpora male tractentur, quia id contra jus eſt hominum ſepeliendorum, quod jure gentium introductum alibi demonſtravimus. *de ſepulchro violato.*

COMMENTARIUS.

Religioſa apud Romanos, quæ humationi & ſepulturæ deſtinantur, hæ nullius eſſe dicebantur; religioſus autem fiebat locus illatione mortui, quamobrem monumentum per ſe nihil religionis habet, planeque profani juris eſſe intelligitur, priuſquam eo mortuus ſit illatus. Unde venire & donari poſſe D. Fratres reſcripſerunt *l. 7. ff. de R. D.* Quemadmodum vero per illationem mortui locus fit religioſus, itaque effoſſis & alio translatis oſſibus & reliquiis, locus religione ſolvitur. *l. 44. §. 1. ff. de relig.* Antiqui privata ſepulchra habuere extra urbem in agris: in urbe quippe mortuos ſepelire lege vetitum erat, teſte Cic. *de LL. lib. 3.* Unde Paulus *lib. 5. receptar. ſententiar. Corpus in civitatem inferre non licet: ne funeſtentur ſacra civitatis; & qui contra fecerit, extra ordinem punitur.* Sic & Antoninus Pius quoque intra urbes mortuos ſepeliri vetuit, teſte Julio Capitolino, *in vita Antonini.* Quæ quiſque ſibi vel familiæ ſepulchra conſtituebat familiaria, quæ ſibi vel heredibus ſuis, vel quæ paterfamilias jure hereditario acquiſivit, hereditaria dicebantur *l. 5. l. 6. ff. de relig. & ſumpt. fun.* Hæc loca religioſa ab antiquis habebantur, ita ut non in commercio eſſent, utpote nullius in dominio vel patrimonio, capta tamen ab hoſtibus, religioſa eſſe deſinebant, ob rationes paulo ante adductas. Hodie locis publicis ad ſepulturam utimur, a Magiſtratibus condendis mortuis deſtinatis: cæmiteriis aut ipſis eccleſiis: niſi quod iis in locis, ubi Romana religio prædominatur, hoc humanitatis & caritatis officium ex vana & omni ratione deſtituta ſuperſtitione denegatur iis, qui non ejuſdem doctrinæ profeſſionem faciunt. Apud nos ejuſmodi loca in commercio ſunt, ac etiam in patrimonio, unde & vendi ac alienari poſſunt, & ad heredes una cum hereditate tranſeunt. Grot. 2. *introd. cap. 1.* Quamobrem & hoſti jure belli cedere, nulla vetant jura. Verum humanitatis ratio, tum etiam jus gentium exigit, ne in mortuos ſæviamus, eorumque corpora & oſſa indecenter tractemus, ne ea quaſi terræ tegumento indigna nudemus. Nullum enim cum mortuis, qui nec pacem nec bellum morantur, diſſidium, nullum cum umbris prælium. Exſecrabilis Cambyſes habetur, qui Amaſis Regis Ægyptiorum corpus humo effoſſum, flagris & alia ignominia affecit. Herodotus *lib. 3.* Hinc ſepulcri violati actio jure Romano prodita. Horribile ſpectaculum videre hominem inſepultum, & pium ac humanum ſepelire, ſi memores mortalitatis ſumus, quod lex Attica demonſtrat, jubens: *Si quis in inſepultum cadaver incidat, omni parte id terra obruat, & ſepeliat ad occaſum ſpectans.* Ælian. *lib. 5. Hiſt. cap. 14.*

IV. Illud hic breviter repetam, non vi ſola res hoſtium hoſtibus eripi ex jure gentium, ſed & dolos qui perfidia careant permiſſos cenſeri, imo alienæ perfidiæ incitationem. Nimirum ad minora & frequentia hæc delicta ita connivere cœpit jus gentium, ſicut leges civiles ad meretricium & improba fœnora.

COMMENTARIUS.

Quando dolis & ſtratagematibus aliquando in bello uti licitum, ſupra annotavimus, ſalva veritate & fide. Nulli enim homini mentiendum, & hoſti quoque ſervanda fides; ergo nec hoſtem fallere & fraude decipere licet. Verum de ejuſmodi fraude & fallacia ſermonem habemus, quæ alterius jus non violat, quod quiſque habet ad veritatis elocutionem & fidei datæ exſecutionem ab altero exigendam ſibique præſtandam. Vide quæ *cap. 1. & 4.* notavimus. Sin autem non licet perfide agere cum hoſte; ergo nec etiam aliena uti perfidia ad circumveniendum hoſtem, eique damnum inferendum. Viro juſto & honeſto incumbit ſocium avocare a malo. Non repugnat juſtitiæ nec honeſtati alterius opera uti in hoſtis documentum & perniciem, verum vetat naturalis ratio, alicui peccandi occaſionem dare vel præbere, ipſe peccati particeps fit, alium qui ad peccandum incitat. Ipſe Auctor §. *praced.* negat aliena perfidia ad percuſſorem immittendum uti licitum, cur itaque nec hoc in caſu: fidem enim fallere per ſe & ſua natura illicitum, quamobrem nunquam virum bonum & honeſtum hoc medium ad conſequendum finem ſibi propoſitum adhibere decet. Quod per ſe malum, ſemper eſt malum,

malum, nec circumſtantiarum interventu bonum effici poteſt, quamobrem nec ullo jure permitti, ut in actum deducatur. Majus & minus non mutant peccati vel delicti naturam, verum pœnæ inflictionem vel augent, vel minuunt. Quamobrem juſtitia exigit utriuſque punitionem. Quod jus gentium minora & frequentia delicta connivere cœpit, non juris, ſed pravi moris eſt, & permiſſio illicita, quamvis impune fiat in foro humano, conſcientia tamen teſte mali conſcius, & peccati reus fit actor.

CAPUT VI.

De jure acquirendi bello capta.

I. *Circa acquiſitionem rerum bello captarum, quale jus naturæ.*
II. *Quale jus gentium: cujus teſtimonia adduntur.*
III. *Quando res mobilis capta cenſeatur ex Gentium jure:*
IV. *Quando agri.*
V. *Res quæ non ſunt hoſtium non acquiri bello.*
VI. *Quid de rebus repertis in navibus hoſtium?*
VII. *Jure gentium noſtra fieri quæ hoſtes noſtri aliis bello eripuerant, quod teſtimoniis probatur.*
VIII. *Refellitur ſententia ſtatuens res captas ab hoſtibus omnino ſingulorum capientium fieri.*
IX. *Naturaliter & poſſeſſionem & dominium per alium acquiri.*
X. *Diſtinctio actuum bellicorum in publicos & privatos.*
XI. *Agros acquiri populo aut ejus cujus eſt bellum.*
XII. *Res mobiles & ſe moventes actu privato captas ſingulorum capientium fieri;*
XIII. *Niſi lex civilis aliud ſtatuat.*
XIV. *Captas actu publico fieri populi aut ejus cujus eſt bellum:*
XV. *Arbitrium tamen in res tales aliquod ſolere imperatoribus concedi:*
XVI. *Qui aut res referunt ad ærarium;*
XVII. *Aut dividunt militi: & quomodo?*
XVIII. *Aut direptionem permittunt:*
XIX. *Aut aliis concedunt:*
XX. *Aut factis partibus aliud atque aliud ſtatuunt: & quomodo?*
XXI. *Peculatum circa prædam committi.*
XXII. *Lege aut alio voluntatis actu de jure hoc communi aliquid immutari poſſe.*
XXIII. *Sic ſociis prædam concedi:*
XXIV. *Sæpe & ſubditis: quod variis exemplis terreſtribus & maritimis illuſtratur.*
XXV. *Uſus antedictorum.*
XXVI. *An capta extra territorium utriuſque partis bellantium acquirantur belli jure.*
XXVII. *Jus hoc quod diximus quomodo belli ſolennis ſit proprium.*

I. 1. PRæter quorundam actuum in homines impunitatem, de qua egimus hactenus, eſt & alius effectus bello ſolenni ex jure gentium proprius. Ac jure naturæ quidem bello juſto ea nobis acquiruntur quæ aut paria ſunt ei quod cum nobis ſit debitum aliter conſequi non poſſumus, aut etiam quæ nocenti damnum inferunt intra æquum pœnæ modum, ut alibi dictum eſt. Hoc jure Abrahamus de ſpoliis, quæ a quinque regibus acceperat, decimam Deo dedit, ut hiſtoriam quæ exſtat Gen. XIV. explicat divinus Scriptor ad Hebræos VII: 4. quo more Græci quoque, Carthaginenſes, & Romani diis ſuis, ut Apollini, Herculi, Jovi Feretrio decimam de præda ſacraverunt. Jacobus autem Joſepho præ fratribus præcipuum relinquens legatum, *Do tibi*, inquit, *partem unam ſupra fratres tuos, quam a manu Amorrhæi cepi gladio meo & arcu meo*, Geneſ. XLVIII: 22. Quo in loco illud *cepi* prophetico loquendi genere pro *certo capiam* ſumi videtur, & Jacobo attribui, quod poſteri ab ejus nomine dicti facturi erant, quaſi eadem eſſet progenitoris & liberorum perſona. Id enim rectius, quam cum Hebræis verba hæc trahere ad illam expilationem Sicimorum, quæ jam ante a filiis Jacobi facta erat. Nam eam ut cum perfidia conjunctam Jacobus pro

pro ſua pietate ſemper improbavit, ut videre eſt Gen. xxxiv: 30. xlix: 6.

2. Probatum autem a Deo jus prædæ inter eos quos dixi naturales terminos aliis quoque locis apparet. Deus in lege ſua de civitate poſt *Deut. xx: 14.*
pacem repudiatam expugnata loquens ſic ait: *Omnia ejus ſpolia diripies tibi: & frueris præda hoſtium quam tibi Deus dederit.* Rubenitæ, Gadi- *1 Par. v. 20, 21, 22.*
tæ, & pars Manaſſitarum dicuntur viciſſe Ituræos & eorum vicinos,
multamque prædam ab iis abſtuliſſe, hac ratione addita, quod in bello Deum invocaſſent, & Deus eos propitius exaudiſſet: quomodo & rex pius Aſa narratur, Deo invocato, de Æthiopibus, injuſto bel- *11 Paral. xiv. 13.*
lo ſe laceſſentibus, & victoriam & prædam reportaſſe: quod eo magis notandum, quia arma illa non ex ſpeciali mandato, ſed ex communi jure ſumebantur.

3. Joſue autem eoſdem quos dixi Rubenitas, Gaditas, & Manaſ- *Joſ. xxii. 8.*
ſis partem ſecundis ominibus proſequens: *participes*, inquit, *ſitis prædæ hoſtium cum fratribus veſtris.* Et David cum ad Senatores Hebræos mitteret parta de Amalecitis ſpolia pretium dixit muneri: *Ecce donum hoc eſto vobis de præda hoſtium Domini.* Nimirum, ut Seneca dixit, mi- *111 Beneſ. 37.*
litaribus viris ſpecioſiſſimum eſt divitem aliquem ſpoliis hoſtilibus facere. Exſtant & divinæ leges de præda dividenda Num. xxxi: 27. Et *De diris.*
Philo inter diras legis eſſe ait ut ager ab hoſtibus demetatur, unde ſequi λιμὸν μὲν φίλοις, ἐχθροῖς δὲ περιουσίαν, *in ſuos famem, copiam hoſtibus.*

COMMENTARIUS.

ALter belli ſolennis effectus, cujus paulo ante mentionem fecimus, conſiſtit in acquiſitione dominii earum rerum, quæ in bello capiuntur. Belli ſolennis nomine intelligimus bellum ſuſceptum ab eo, qui ſummo imperio in Republica vel civitate ornatus, belli gerendi & indicendi facultatem habet, quamvis ejuſmodi bellum non ſemper juſta ex cauſa indictum, producit tamen eoſdem effectus, qui juſti belli proprii, ſcilicet in foro humano: quippe in foro conſcientiæ ea nobis juſte acquiſita jus naturæ dictare videtur, quæ in bello juſta ex cauſa ſuſcepto capta, ut alibi notavimus; & proinde jus gentium a jure naturæ quid diverſum ſtatuit juxta Auctoris mentem; verum toties diximus, juris nomine haud poſſe venire, quod jure naturali ſimul eodem titulo appellari nequit; quod jure gentium etiam jure naturali juſtum eſſe oportet, imo quod jure gentium receptum, naturali ratione niti debet, & ea de cauſa jure gentium introductum: quod enim naturalis ratio inter homines conſtituit, §. 1. *Inſt. de jur. nat. & gent.* id eſt, quod præeunte lumine naturali ſive dictante ratione gentes receperunt vel conſtituerunt tacite vel expreſſe, neceſſitate vel rerum humanarum ſtatu illud exigente, quibus ex præmiſſis ſequitur, quod nihil juſtum, licitum jure gentium cenſeri debeat, quin duce ratione & introductum & proinde in jure naturæ fundatum: mali enim pravique quarundam gentium mores, & abſque ratione receptæ conſuetudines non faciunt jus gentium, ut alibi annotatum, & proinde juris effectus legitimos in foro conſcientiæ nullos habere poſſunt, qui animum tranquillant & auctorem omni culpa & vitio vel peccato vacuum pronunciant. Quod enim ex jure profluit & naſcitur, effectus appellatur; iſte autem debet eſſe ejuſdem naturæ, cujus eſt cauſa a qua producitur, quod igitur ex jure provenit, juſtum eſſe oportet; quod vero juſtum eſt, omni modo juſtum eſſe debet, id eſt, nulla vitii vel peccati aut injuſtitiæ macula adſperſum & contaminatum; quod vero jure gentium juſtum, non vero jure naturali, ex omni parte juſtum non eſt, & proinde juris effectus vocari nequit. Suppono autem, quidquid dictante ratione, cum relatione ad certum rerum humanarum ſtatum, receptum & introductum, juſtum eſſe omni ex parte, & proinde cum jure naturali habere convenientiam. Sunt pacis, ſunt belli jura, quæ ſibi invicem maxime contraria, ex eodem tamen juris fonte proveniunt, ſcilicet jure gentium ſive naturali pro conditione ſtatus eadem introduci ſuadente. Cum natura homines ſibi æquales,

les, æquali gaudent poteſtate, eaque ſumma, tum in ſe tum bona, quæ ſibi ſua quæſiverunt induſtria, in civitatem coaliti eam conferre voluere in unum vel plures, quem ſocietati tuendæ præfecerunt, cœperunt integræ civitates eodem in ſtatu conſtitutæ conſiderari, in quo; antequam cœtus celebrarunt, ſinguli homines ſive potius ſingulæ familiæ vivebant. Unde quaſi tot civitates quot familiæ, quæ ſibi æquales, ita ut altera alterius imperium nec venerari, nec eidem obtemperare vel juriſdictioni parere neceſſum habebant, verum ſi qua inter eaſdem controverſia vel lis orta, vel per diſceptationem, vel certationem per vim neceſſitate exigente definiebatur: cum enim par in parem non habeat imperium, cedere recuſabat diſceptationi, invitus non poterat cogi in alterius judicio acquieſcere, quamobrem ad ſuum jus conſequendum vi opus erat, unde ſtatus belli, qui, quamvis repugnet naturæ juri quatenus ſocietatis conſervationem fovet & tuetur, attamen ab altera parte jus ſuum cuique tribui præcipiens, non vetat ea adhibere media, quæ neceſſaria ſuum cuique non tribuentem invitum cogere huic legi obtemperare, quamobrem unicuique facultatem dedit propria auctoritate ſibi jus dicere & exſequi, quod in civitate fit per magiſtratus. Quum vero hanc ſibi poteſtatem intactam & illibatam quæque gens vel civitas velit ſervare, tacite quaſi convenerunt cuique eam integram fore, ſcilicet, ut quiſque ſui juris & arbiter ac moderator eſſet rerum ſuarum, & ſi læſus, vel damnum aut injuriam paſſus in rebus vel perſona, ejus recuperationem propria auctoritate & propriis viribus quærere poſſet. Quamobrem jus belli quemadmodum quiſque ſibi arrogaret, etiam aliis concederet, & proinde quemadmodum jura belli in eum, quem vi aggreſſus exerceret, ita nec eadem in ſe uti inimico denegaret facultatem, & eodem gauderet effectu, quem ſibi competere exiſtimat. Conditionis & ſtatus æqualitas parem poteſtatem utrique tribuit ratione dictante, quam excipit gentium conſenſus & conventio tacita, in ratione fundata. Atqui effectus belli ſolennis conſiſtit in acquiſitione dominii earum rerum, quæ ab hoſte, durante ſtatu belli, capiuntur; ergo conceſſa cuique genti facultate gerendi belli, neceſſum eſt, ut eodem omnes effectu gaudeant, quum belli jure quiſque ſibi vindicat, nulla habita ratione cauſæ ex qua bellum ſuſceptum, an ea juſta vel injuſta; quippe acquiſitio illa cum fundatur in conſenſu gentium & tacita earundem conventione, juſta eadem dici debet, quia dum belli gerendi facultatem & jus cuique integrum, etiam effectibus belli ſolennis propriis frui oportere dictat ratio. Itaque bellum ſolenne juſtus eſt titulus ácquirendi rerum dominii, quamobrem & in foro ſoli non duntaxat, ſed etiam poli juſtus poſſeſſor & dominus; atque hac ratione jus naturæ cum jure gentium convenit, quatenus quiſque liber arbiter & moderator eſt jure naturæ rerum ſuarum, earumque dominium eo, quo velit modo, transferre. Notanda tamen eſt quædam differentia, merum naturæ jus dominium tribuit earum rerum, quæ in bello juſta ex cauſa ſuſcepto, capiuntur abſque tacito conſenſu in compenſationem debiti, & ita quaſi ſolutionem, ſive ex contractu exigatur, ſive ex maleficio ad pœnam vindicativam vel emendativam agatur, at gentium jus idem tribuit capienti, quin pari jure gaudeant, id eſt, belli ſolennis gerendi facultatem omnes habent civitates, quamobrem etiam eoſdem effectus ſibi invicem concedere voluiſſe præſumuntur, ſcilicet, ut *omnia eorum, qui vincuntur, bona vincentium fierent*, ut ait Plato 1. *de LL.* quamvis nullum præceſſerit debitum ab altera parte, vitæ tamen periclitatione damnum datum compenſatur. Quemadmodum vero in omnibus, quæ ſuſcipiuntur negotiis & actibus humanis, modus ſervandus, ita quoque in bello obſervandum, ut paria damno illato repoſcamus, nec pœnæ modum excedamus. Verum probe obſervandum monet Puſendorſius, ſcilicet, *per apprehenſionem bellicam acquiri tantum jus, quod valeat adverſus quemvis tertium pacatum. Sed ut raptor acquirat dominium valiturum etiam adverſus eum, cui res erepta fuit, neceſſum eſt, ut accedat hujus cum altero pacificatio & tranſactio. Citra hanc enim priori domino jus remanere intelligitur ad rem iſtam, quandocunque vires ſuperfuerint, hoſti iterum extorquendam.* Non tanquam injuſto poſſeſſori & prædatori, verum quia durante belli ſtatu, integra cuique manet facultas res hoſtium ſibi acquirendi, quamobrem non tanquam rei dominus; quippe videtur potius illud amiſiſſe quam ſibi reſervaſſe, verum facultatem habet eodem jure belli ſibi iterum recuperandi, quæ jam alterius dominio jus belli adjecit. Quippe dicendum puto gentes conveniſſe, ut res jure belli captæ, capienti cederent, imo jus naturæ citra conſenſum domini, neceſſitate exigente, illud transfert in capientem, ſi jure belli res captæ capientium fiunt, ejus in dominio remanſiſſe dici nequeunt cui ereptæ, quod ſubſecuta pace priſtino domino reſtituantur, eſt nova acquiſitio ex conventione, pacto, vel tranſactione originem habens. Probatum vero a Deo hoc jus prædæ: alioqui enim devictarum civitatum prædam capientibus, tanquam belli laborum fructum, diripiendam fruendamque non conceſſiſſet ſummus Jehova, nec ſibi quingenteſimam e ſpoliis Medianiticis ad tabernaculi functionem ſacrandam ſelegiſſet, nec etiam ad ſibi devotorum virorum hoſtiles exuvias conniviſſet.

11. 1. Cæterum jure gentium non tantum is qui ex juſta cauſa bellum gerit, ſed & quivis in bello ſolenni & ſine fine modoque dominus fit eorum quæ hoſti eripit, eo ſenſu nimirum ut a gentibus omnibus

bus & ipſe & qui ab eo titulum habent in poſſeſſione rerum talium tuendi ſint. Quod dominium quoad effectus externos licet appellare. Cyrus apud Xenophontem: νόμος ἐν πᾶσιν ἀνθρώποις ἀΐδιός ἐστιν, ὅταν πολεμούντων πόλις ἁλῷ, τῶν ἑλόντων εἶναι τὰ χρήματα. *Lex eſt ſempiterna inter homines, capta hoſtium urbe, eorundem res atque pecunias victori cedere.* Plato dixit, πάντα τῶν νικωμένων ἀγαθὰ τῶν νικώντων γίγνεσθαι, *bona quæ victus habuit omnia victoris fieri*: qui & alibi inter genera quaſi naturalia acquiſitionis ſtatuit πολεμικὴν, quam & ληϊστικὴν, ἀγωνιστικὴν & χειρωτικὴν vocat, aſſentientem hac in re habens eum quem dixi Xenophontem, apud quem Euthydemum Socrates interrogando eo perducit ut ſpoliare non ſemper injuſtum fateatur, ut ſi in hoſtem id fiat.

Xenoph. v de inſt. Cyri. *De Legibus.* *Sophiſt.* *Comm. IV.*

2. Sed Ariſtotele quoque auctore: ὁ νόμος ὁμολογία τίς ἐστιν ᾗ τὰ κατὰ πόλεμον κρατούμενα τῶν κρατούντων εἶναί φασι. *Lex velut pactum quoddam commune eſt quo bello capta capientium ſunt.* Eodem reſpicit dictum illud Antiphanis: ὅτι τοῖς πολεμίοις εὔχεσθαι δεῖ τἀγαθὰ παρεῖναι χωρὶς ἀνδρείας. Γίνεται γὰρ οὕτως οὐ τῶν ἐχόντων, ἀλλὰ τῶν κρατούντων. *Optandum ut hoſtibus bona adſint ſine virtute: Sic enim fiunt illa non eorum qui habent ſed eorum qui capiunt.* Apud Plutarchum in vita Alexandri: τὰ τῶν ἡττωμένων εἶναί τε δεῖ καὶ προσαγορεύεσθαι τοῦ κρατοῦντος, *ea quæ victi fuerant, & eſſe & appellari debent victoris.* Idem alibi: τὰ τῶν ἡττωμένων ἐν ταῖς μάχαις ἀγαθὰ, τοῖς νικῶσιν ἆθλα πρόκειται: quæ verba ſunt ex Xenophonte ſecundo de Cyri inſtitutione. Philippus in Epiſtola ad Athenienſes: πάντες τὰς πόλεις οἰκοῦμεν ἢ τῶν προγόνων παραδόντων, ἢ κατὰ πόλεμον κύριοι καταστάντες. *Omnes tenemus oppida a majoribus relicta, aut poſſeſſa belli jure.* Æſchines: εἰ μὲν πρὸς ἡμᾶς πολεμήσας δοριάλωτον τὴν πόλιν εἷλες, κυρίως ἔχεις τῷ τοῦ πολέμου νόμῳ κτησάμενος: *Si bello in nos ſuſcepto armis cepiſti urbem, jura eam poſſides belli lege.*

1 Polit. *De male obita legatione.*

3. Marcellus apud Livium quæ ademit Syracuſanis ademiſſe ſe ait belli jure. Romani legati Philippo de Thraciæ & aliis civitatibus dicebant, ſi Philippus bello cepiſſet, eas præmium victoriæ belli jure habiturum: & Maſiniſſa quem agrum pater ſuus Carthaginenſibus bello ademiſſet habere ſe jure Gentium ajebat. Sic & apud Juſtinum Mithridates: *non Cappadocia filium eductum quam jure gentium victor occupaverat.* Cicero Mitylenas air populi Romani factas belli lege ac jure victoriæ. Idem privata aliqua eſſe cœpiſſe ait aut occupatione vacuorum aut bello, eorum ſcilicet qui victoria potiti ſunt. Dion Caſſius: τὰ τῶν ἡττημένων τοῖς κρατοῦσι προσγίνεται. Etiam Clemens Alexandrinus ait res hoſtium rapi & acquiri belli jure.

Livius libro XXXIX. Lib. XL. *Libro XXXVIII.* *II. contra Rullum.* *Off. 1.* *Strom. 1.*

4. *Quæ ex hoſtibus capiuntur jure gentium ſtatim capientium fiunt*, ait Cajus Juriſconſultus. Naturalem hanc acquiſitionem φυσικὴν κτῆσιν appellat Theophilus in Græcis inſtitutionibus, ſicut & Ariſtoteles dixerat, πολεμικὴν φύσει κτητικὴν, *rem militarem ſecum ferre naturalem acquirendi modum.* Nimirum quia non cauſa aliqua ſed ipſum nudum factum ſpectatur, & ex eo jus naſcitur: ſicut & Nerva filius, referente Paulo Juriſconſulto, dominium rerum ex naturali poſſeſſione cœpiſſe ajebat, ejuſque rei veſtigium remanere de his quæ terra, mari, cœloque capiun-

L. naturalem §. ult. D. de acq. rerum dom. *tit. de rer. diviſ.* *Ariſt. 1. de rep. c. 8.* *L. 1. ¶.*

D. de acq. poſſ. tur. Item de bello captis, quæ omnia protinus eorum fiunt qui primi poſſeſſionem apprehenderunt.

Hiſt. Gr. III. 5. Hoſti autem eripi cenſentur & quæ ſubditis hoſtium eripiuntur. Sic Dercyllides argumentatur apud Xenophontem, cum Pharnabazus hoſtis eſſet Lacedæmoniorum, Mania autem ſubdita Pharnabazo, Maniæ bona in ea eſſe cauſa ut a jure belli recte occupentur.

COMMENTARIUS.

STatim annotavimus belli ſolennis jure gentium alterum effectum conſiſtere in acquirendo dominio earum rerum, quæ ab hoſtibus capiuntur, cauſam hic non attendi, ſed belli gerendi poteſtatem, ſummo imperanti ex tacito quaſi conſenſu gentium conceſſam, & proinde iiſdem effectibus fruitur qui belli ſolennis proprii, quamobrem quamvis bellum forte non juſta ex cauſa indictum, attamen quia ſuſceptum ab eo, qui belli gerendi poteſtatem habet, juſtum & ſolenne, cujus effectus, ut quivis fiat dominus eorum, quæ hoſti eripit, etiam mero naturæ jure, quo cuique genti competit facultas ejuſmodi dominii acquirendi modum introducere, qui ſibi placuit, quoniam quiſque ſui juris jure naturæ eſt liber arbiter & moderator rerum ſuarum. Quamobrem non duntaxat fit dominus in foro ſoli, quatenus habetur pro juſto poſſeſſore, a quo vindicari nequit, ſed etiam in foro poli, quia gentium conſenſu ejuſmodi effectus nititur, nec etiam conſenſus in quo fundatum jus gentium ratione deſtituitur hoc in caſu, quia rerum humanarum ejuſmodi facies juris conſtitutionem efflagitat, & proinde neceſſitate exigente ſuadet illam ratio. Poſſet nobis objici, quod effectus ejuſdem naturæ eſt cujus cauſa a qua producitur, & ſi cauſa injuſta, nec effectus licitus, ſi bellum injuſtum, nec etiam effectus juſti, & proinde bello injuſto rerum quæ hoſti eripiuntur dominium juſto non acquiritur titulo, quamobrem in foro poli malæ fidei poſſeſſor, licet in foro humano tutus. Verum huic forte quis reponet, quod merum jus naturæ vetat quidem bellum ſuſcipere niſi juſta ex cauſa, verum non prohibet ut accedente conſenſu gentium in omni bello etiam injuſta ex cauſa ſuſcepto, cedat dominium rerum capienti: eo enim ipſo quod liceat cuique de rebus ſuis pro arbitrio ſtatuere, facultatem nactus etiam acquirendi earum dominii modum quemlibet introducere; bellum injuſtum præbet quidem occaſionem dominii acquirendi, verum rei bello captæ juſta poſſeſſio nititur conſenſu, id eſt, jure gentium, imo etiam ratione naturali ſuadente pro rerum humanarum ſtatu ejuſmodi juris conſtitutionem; nemini autem injuriam infert, qui jure ſuo utitur, belli tamen jure acquirit dominium, quatenus jure gentium quiſque ſummus imperans bellum ſolenne gerendi facultatem habet, quamvis actus primus, qui eſt belli denunciatio non juſta ex cauſa procedat, & proinde repugnet juri naturæ, ac deſtituatur juſtitia intrinſeca, attamen effectus ea non deſtituuntur, quia alia nituntur ratione, belli ſuſcipiendi arbitrium penes quemque ſummum imperantem reſidet, & proinde iſtius actus bonitas vel malitia pendet a voluntate agentis temere injuſtum bellum ſuſcipientis; verum quod bellum ſolenne ſuſceptum quamvis injuſtum eoſdem producat effectus, qui dictante ratione juſta ex cauſa belli ſuſcepti proprii, gentium juri adſcribendum, jure naturæ approbatum, quia exigente neceſſitate introductum. Neceſſitati vero cedere eique inſervire rationi neutiquam repugnat, ſcilicet in iis, quæ diſpoſitioni hominis ſubjacent, & ab eorum conſenſu & voluntate pendent. Quæcunque enim natura ſua mala & turpia, nullo facto humano licita fieri poſſunt, & proinde permitti ut in uſum deducantur: quamvis in foro humano impune quandoque fiant, agentem tamen peccati vel maleficii reum conſtituunt, & proinde conſcientiam gravant actus. Quamobrem notavimus, pravos quarundam gentium mores non facere jus gentium, ſed uſus & conſuetudo ratione innixa, quæ proinde apud omnes fere gentes, moratiores ſaltem, invaluit & peræque cuſtoditur. Et in hoc jure fundata videtur acquiſitio rerum ab hoſtibus captarum in bello ſolenni, id eſt, jure gentium juſto, ob rationem paulo ante adductam. Huc pertinent exempla ab Auctore deſcripta, quibus plura addere ſupervacaneum foret.

III. 1. Cæterum in hac belli quæſtione placuit gentibus, ut cepiſſe rem is intelligatur qui ita detinet ut recuperandi ſpem probabilem alter amiſerit, ut res perſecutionem effugerit, ut loquitur in ſimili quæſtione Pomponius. Hoc autem in rebus mobilibus ita procedit, ut capta dicantur ubi intra fines id eſt præſidia hoſtium perducta fuerint.

fuerint. Eodem enim modo res amittitur quo poſtliminio redit. Redit autem ubi intra fines imperii eſſe cœpit, quod alibi explicatur intra præſidia. Imo & aperte Paulus de homine dixit, amitti eum ubi fines noſtros exceſſit: & Pomponius captum bello explicat eum quem hoſtes ex noſtris ceperunt, & intra præſidia ſua perduxerunt: antequam enim in præſidia perducatur hoſtium, manere civem.

2. Hominis autem & rei in hoc gentium jure eadem fuit ratio. Unde facile intellectu eſt quod alibi dicuntur capta ſtatim capientium fieri cum conditione aliqua, continuandæ ſcilicet eo uſque poſſeſſionis, debere intelligi. Cui conſequens eſſe videtur, ut in mari naves & res aliæ captæ cenſeantur tum demum, cum in navalia aut portus, aut ad eum locum ubi tota claſſis ſe tenet, perducta ſunt. Nam tunc deſperari incipit recuperatio, ſed recentiori jure gentium inter Europæos populos introductum videmus, ut talia capta cenſeantur ubi per horas viginti quatuor in poteſtate hoſtium fuerint.

L. Pomponius. D. de acq. rer. dom. L. Poſtliminium. ¶. poſtliminio, D. de captiv. l. ult. ibid. l. Poſtlimin. ¶. in bello. d. tit. Inſt. de rer. diviſ. ¶. item ea. Inſt. d. loco L. naturalem ¶. item de acq. rer. dom. Conſulatu maris c. 283. & 287. Conſt. Gallica lib. xx. tit. 13. art. 24. Corn. de Lapide in Gen. c. xiv. Molina diſput. 118. L. quod meo. D. de acq. vel amitt. poſſ. Livius lib. xxvi.

IV. 1. At agri non ſtatim capti intelliguntur ſimul atque inſeſſi ſunt, nam quamquam verum eſt eam agri partem quam cum magna vi ingreſſus eſt exercitus ab eo interim poſſideri, ut a Celſo notatum eſt, tamen ad eum quem tractamus effectum non ſufficit qualiſcunque poſſeſſio, ſed firma requiritur. Itaque Romani agrum extra portam quem Annibal caſtris inſidebat, adeo non amiſſum judicabant, ut eo ipſo tempore nihilo minoris venierit quam ante veniſſet. Is ergo demum ager captus cenſebitur, qui manſuris munitionibus ita includitur, ut niſi iis expugnatis parti alteri palam aditus non ſit.

2. Et hæc non minus probabilis videtur nominis territorii origo a terrendis hoſtibus a Siculo Flacco allata, quam illa Varronis a terendo, aut Frontini a terra, aut Pomponii Juriſconſulti a terrendi jure quod habent magiſtratus. Sic Xenophon libro de Vectigalibus, agri poſſeſſionem belli tempore ait retineri per munimenta quæ τείχη καὶ ἐρύματα ipſe appellat.

C O M M E N T A R I U S.

IN eo quidem omnes DD. conveniunt, ut, ſi quid ab hoſte capimus, noſtrum fiat jure gentium, ac recte intra legitimos acquirendi dominii modos collocetur. *Sunt enim privata nulla natura, ſed aut veteri occupatione, ut qui quondam in vacua venerunt, aut victoria, ut qui bello potiti ſunt*, &c. Verum quæritur, an ſtatim fiant capientis, an temporis aliquod intervallum requiratur? Reſpondet Auctor, tum demum rem cepiſſe eum intelligi, qui rem ita detinet, ut recuperandi ſpem probabilem alter amiſerit; amiſiſſe autem fingitur ſcilicet rerum mobilium, quoties res capta intra præſidia hoſtium perducta. Requiritur itaque continuatio poſſeſſionis, quamobrem non ſtatim tranſit in dominium capientis, verum ſi tam diu tenuerit, donec intra præſidia perduxerit. Videtur enim lex deſiderare, ut & capta ſit, & perducta intra præſidia, hæc duo requiſita conjungit Juriſconſultus *l. 5. ff. de captiv.* Fruſtra enim lex dixiſſet, *ceperunt & intra præſidia perduxerunt*, ſi cenſebat ſatis eſſe cepiſſe. Omnia verba legis utique impleta eſſe debent. Et copula exigit concurſum copulatorum. Lex vult rem in tuto eſſe, ut ſit effecta capientium. Ideoque vult, deductam eſſe intra præſidia, ubi demum tuta eſt, ut argumentatur Alberic. Gent. *Hiſpan. Advocat. dict. loc.* ubi & citat aliorum Juriſconſultorum teſtimonia, idem ſentientium, quorum in numero Angelus, Ripa, Salycetus, & Ayala *de jur. bel. lib. 1. cap. 5. Dico ergo*, inquit Angelus, *quod tunc præda capta hoſtium facta eſt, ſi condu-*

cta eſt in hoſtium capientium præſidia. Idem Salycetus, *Attende*, inquit, *quod non efficiuntur capientium, niſi poſtquam ducti ſunt intra præſidia capientium. Et idem de rebus aliis mobilibus omnibus, quod antequam ſunt ducta intra præſidia hoſtium, non efficiuntur eorum, ſed remanent ſub dominio eorum, ſub quo erant ante capturam.* Et Ayala *dict. loc. Illud tamen ſciendum eſt, prædam tum demum fieri hoſtium ut primum intra præſidia delata eſt, ante nondum facta eſt hoſtium; neque deſiit eſſe ejus, cujus fuit.* Alii vero probabilius ſtatuunt, confeſtim ſtatim atque capta bona tranſire in dominium capientis, quemadmodum res quæ dominio vacuæ ſtatim atque adprehenſæ cedunt occupanti abſque ulla temporis intercapedine; atqui res hoſtium veluti dominio vacuæ in eorum numero collocantur a Juriſconſultis Romanis, ut patet *l.* 1. §. 1. *ff. de acquir. poſſeſſ.* quæ per occupationem acquiruntur; ergo eo ipſo quo captæ & apprehenſæ cedunt capienti. arg. §. 12. *Inſt. de rer. diviſ.* Quamobrem Paulus *l.* 1. §. 1. *ff. dict. tit. Protinus* eorum fieri, quæ bello capta, affirmat. Hinc §. 17. *Inſt. de rer. diviſ. Item ea quæ ex hoſtibus capimus, jure gentium ſtatim noſtra fiunt.* Statim, id eſt, in continenti, mox, abſque ullo temporis intervallo. *Quod enim ſtatim fit*, inquit doctiſſimus Zeiglerus, *id omnem excludit temporis tractum, aut alium actum novum*, ſive, ut Grotius loquitur, *continuationem poſſeſſionis, uſque dum in præſidia perducta res fuerit.* Non me fugit etiam Salycetum & Angelum verbum *ſtatim* cum conditione illa intelligere, ſcilicet, *ſi bona capta fuerint redacta intra præſidia.* Verbum *ſtatim* interpretandum eſſe putant ſecundum legem illam, *quæ & deductionem intra præſidia deſiderat.* Verum repugnat vocis ſignificatio fictæ interpretationi DD. quæ nulla auctoritate nititur, apud Latinos auctores *ſtatim* idem quod *mox*, *ilico*, *confeſtim*, *e veſtigio*, *repente*, *ſine ulla mora*, *ſine intermiſſione temporis.* Innumera poſſent adduci exempla ex Cicerone aliiſque ſcriptoribus omni exceptione majoribus. In Verrem: *Statim ad Meſſanam litteras dedit.* Et in Orat. *Ante enim circumſcribitur mente ſententia, confeſtimque verba concurrunt, quæ mens eadem, quæ nihil celerius ſtatim admittit*, &c. *Itaque hoc ſum aggreſſus ſtatim, Catone abſoluto.* Nec procedit argumentum Auctoris noſtri, quod res eodem modo amittitur, quo poſtliminio redit; quia, ut optime reſpondit Zeiglerus, ſi quid bello captum in præda eſt, non poſtliminio redit, ut docet Labeo *l.* 28. *ff. de captiv.* Quod de reditu intra fines imperii dicitur in *l. ult. ff. eod.* non de quavis re, ſed de illa intelligendum, quæ eundi & redeundi facultatem habet, ut eſt ſervus, equus vel equa, quibus poſtliminium eſt. Nec poteſt dici eandem eſſe rationem prædæ & hominis in hoc gentium jure, quia in homine animus conſideratur, ſcilicet, animus revertendi & hoſtibus ſe ſubducendi, quem non depoſuiſſe creditur, antequam intra præſidia hoſtium fuerit: tum enim incipit deſperari reditus. At talis animus ſe ſubducendi in aliis rebus non invenitur. Zeigler. *dict. loc.* Vid. & Amaya *obſerv. jur. lib.* 2. *cap.* 2. Recentiori Germanicarum gentium jure temporis aliquam moram, puta civilis diei requiri, tradunt ejuſdem juris periti. Quemadmodum & apud Batavos obtinuiſſe annotat Auctor, ut in mari naves & res aliæ tum demum captæ cenſerentur, ubi per horas viginti quatuor in poteſtate hoſtium fuerint. Atque hanc conſuetudinem per totam fere Europam receptam tradit Marquard. *de jur. mercat.* Verum perperam jus gentium dici mihi videtur quod apud nonnullas gentes receptum, non in naturali ratione vel æquitate, ſed quarundam gentium opinione fundatum. Annotavit Zeiglerus poſtea Ordines Fœderati Belgii anno 1632. publico edicto ei, qui navem ab hoſtibus occupatam recuperat, ejuſdem navis & bonorum, quæ in ea inventa, beſſem indiſtincte addixiſſe, nullo habito reſpectu temporis, quo navis in hoſtium poteſtate fuerit, dum tamen intra præſidia hoſtium deducta non fuerit; ac ita quidem obtinet in rebus mobilibus; at immobiles, ut agri hoſtiles, non ſtatim capti intelliguntur ſimul atque inſeſſi ſunt, ſed oportet manſuris munitionibus adeo incluſos eſſe, ut, niſi iis expugnatis, alteri parti amplius aditus non pateat. Quamobrem inepte Athenienſes lacum, quem in agro Thebano non ſatis firmo præſidio tenebant, ut ſuum vindicabant: nuda enim inſeſſio in re immobili, ut agro, non eundem, quem in rebus mobilibus occupatio, producit effectum; itaque quamvis Hannibal agrum antemœnianum Romæ caſtris fixis inſidebat, non adeo amiſſum judicabant, quin tanti venditum, quanti ante ejus adventum valebat. Diſputant tamen alii, & ſtatuunt ſufficere, ut ager captus dici poſſit ab hoſtibus, qualemcunque naturalem poſſeſſionem arg. *l.* 1. *ff. de acquir. poſſeſſ.* ubi Paulus Juriſconſultus juxta Labeonem, poſſeſſionem appellatam teſtatur a ſedibus quaſi poſitione: quia naturaliter tenetur ab eo, qui ei inſiſtit, atque ſubjungit dominium rerum ex naturali poſſeſſione cœpiſſe, ejuſque rei veſtigium remanere de his, quæ terra, mari, cœlo itemque bello capiuntur. Unde inferri poſſe videtur, qualicunque naturali poſſeſſione & occupatione dominium ad hoſtes tranſlatum eſſe. Huc pertinet illud Celſi *l.* 18. *ff. de acquir. vel amitt. poſſeſſ. Si cum magna vi ingreſſus eſt exercitus*, ait, *eam tantummodo partem, quam intraverit, obtinet.* Neque obſtare putant exemplum Hannibalis ab Auctore noſtro adductum: huic enim reponunt, quod ex vendentis venditione probandum dominium, nec ſequatur, agrum illum ſi vendentis fuerit, remanſiſſe Romanorum in poteſtate, cum juris ſit, non tantum rem propriam, ſed & alienam vendi poſſe, *l.* 28. *ff. de contrahend. empt.* & validam ad pretium conſequendum actionem naſci, ſi emptor non ignoraverit emptæ rei conditionem. *l.* 57. §. 1. 2. *ff. eod.* Vel etiam reſponderi poteſt, legitimam fuiſſe agri caſtris fixis inſeſſi & occupati venditionem, propter ſpem poſtliminii, ut inquit Ayala *lib.* 1. *cap.*

cap. 5. §. 36. *de jur. bell.* Certum enim eſt, etiam circa ea, quæ reditura ſperantur ab hoſtibus, contractum poſſe celebrari. *l.* 22. §. *fin.* *l.* 23. *ff. famil. erciſc. Notandum autem*, inquit Puſendorſius, *rerum bello captarum dominia ultimam firmitatem adquirere, quando is cui illa erepta fuerunt, per pacem prætenſioni ad easdem renunciat.*

V. Liquet & hoc, ut res aliqua noſtra belli jure fiat requiri ut hoſtium fuerit: nam quæ res apud hoſtes quidem ſunt, puta in oppidis eorum aut intra præſidia, ſed quorum domini nec hoſtium ſint ſubditi, nec hoſtilis animi, eæ bello acquiri non poſſunt, ut inter cætera Æſchinis dicto jam loco oſtenditur Amphipolim, quæ urbs eſſet Athenienſium, Philippi bello in Amphipolitanos ipſius Philippi non potuiſſe fieri. Nam & ratio deficit, & jus hoc mutandi per vim dominii odioſius eſt, quam ut produci debeat.

VI. Quare quod dici ſolet hoſtiles cenſeri res in hoſtium navibus repertas, non ita accipi debet quaſi certa ſit juris gentium lex, ſed ut præſumptionem quandam indicet, quæ tamen validis in contrarium probationibus poſſit elidi. Atque ita in Hollandia noſtra jam olim, anno ſcilicet cIɔ ccc xxxviii. flagrante cum Anſiaticis bello, frequenti Senatu judicatum & ex judicato in legem tranſiiſſe comperi. *Conſul. maris, c.* 273.

COMMENTARIUS.

QUæritur ab Interpretibus, quænam diverſitatis ratio, cur res, quæ quidem apud hoſtes, non vero hoſtium ſunt, belli jure cedunt in prædam, perſonæ vero, quæ ſunt intra fines hoſtiles, hoſtium in numero habentur, & proinde belli jure tanquam hoſtes tractare licet, ſecundum ea, quæ tradit Auctor noſter *cap.* 4. §. 6. 7. Rationem, cur omnes, qui hoſtium intra fines ſunt & degunt, hoſtium in numero habentur, adducit Auctor noſter, eamque in metu damni, quod inferre poſſunt, fundatam aſſerit, verum res & bona animos hoſtium erigit, eoſque fortiores & audaciores reddit. Verum mihi videtur dicendum, omnes, qui intra fines hoſtiles ſunt, hoſtilem præſumuntur animum induxiſſe, & proinde idem damnum, quod hoſtibus, id eſt, ſubditis vel civibus ejus, quicum bellum geritur, nobis inferre meditari perſuaſi, hoſtium numero habemus, quamobrem non iniquum, ut eodem jure in eos quam in hoſtes utamur. Quod autem regerit Zeiglerus, ſolum metum non ſufficere, ut quis hoſtium in modum trucidetur, verum quidem eſt, ſi metus inanis, qui non ſolet vel oportet cadere in virum fortem & conſtantem. Verum metus, de quo nobis ſermo, eſt juſtus & ſatis gravis, qui juſtam ſatis cauſam trucidandi præbet; quippe ſupponit Grotius ejuſmodi peregrinum non ignarum belli, quod inter utrumque geritur, intra fines hoſticos veniſſe: quid enim inde aliud præſumendum, quam ejuſmodi advenam vel peregrinum hoſtium partibus addictum, ſeſe eò contuliſſe, & idem dicendum puto cum Auctore noſtro de iis, qui ante bellum quidem eò iverant, verum recuſarunt diſcedere, modico tempore ipſis dato, intra quod aliò lares ac penates ſuos transferre potuiſſent. Eſt hic admodum fortis præſumptio, quæ factis confirmatur, & proinde metus ſat gravis, quo avertendi a nobis damni cauſa, omnes, quos intra fines hoſtiles obviam habemus, tanquam hoſtes belli jure tractare impellimur. Nihil vero damni metuendum a rebus inanimatis, quæ tantum uſui hominis inſerviunt, & per ſe nihil valent efficere, niſi ad certum actum vel uſum ab homine applicentur. Itaque perſona quidem, at non res tertii cauſa damni eſt, & proinde rei dominus, qui apud hoſtes non eſt, cenſeri poteſt aliquid conferre, ſed hoſtis per res alienas. Cui etiam accedit, quod jus gentium tribuat facultatem diripiendi & acquirendi res hoſtium duntaxat, non vero ejus, qui hoſtium numero haberi nequit: ejuſmodi enim licentia e diametro repugnaret juri naturali, quod vetat alienis ſpoliis aliquem locupletiorem fieri abſque juſta cauſa, & proinde etiam jus gentium, quod rationis dictamine nititur, ejuſmodi licentiam, quæ per ſe illicita, concedere nequit. Sunt autem res acceſſorium perſonæ & ejuſdem conditionis cum perſona, cujus in dominio: acceſſorium enim ſequitur conditionem ſui principalis; atqui dominus rerum intra fines hoſtiles non degit, ergo nec hoſtium numero haberi poteſt; & proinde jure belli res quoque ejus diripi nequeunt, ſi internoſci poſſunt; deficit itaque hic ratio, ut inquit Auctor, & jus hoc mutandi per vim dominii odioſius eſt, quam ut produci debeat: odioſa enim reſtringenda. Quare quod dici ſolet, hoſtiles cenſeri res in hoſtium navibus repertas, adeo

verum, quia fortem admodum præſumptionem indicat, quæ admittit probationem in contrarium, & facile elidi quandoque poteſt, ut optime argumentatur Auctor.

VII. 1. Illud vero extra controverſiam eſt ſi jus gentium reſpicimus, quæ hoſtibus per nos erepta ſunt, ea non poſſe vindicari ab his qui ante hoſtes noſtros ea poſſederant & bello amiſerant: quia jus gentium hoſtes primum dominos fecit dominio externo, deinde nos:
Jud. XI. 23, 24, 27. quo jure inter alia tuetur ſe Jephthes contra Ammonitas, quia ager ille quem Ammonitæ vindicabant belli jure ab Ammonitis, ut & pars alia a Moabitis ad Amoræos, ab Amoræis ad Hebræos tranſiiſſet.
1 Sam. XXX. 20. Sic & David quod ipſe Amalecitis, Amalecitæ antea Palæſtinis eripuerant, pro ſuo habet ac dividit.

Lib. VI. 2. Titus Largius apud Dionyſium Halicarnaſſenſem in Senatu Romano cum Volſci olim poſſeſſa repeterent, ſententiam ſic dixit: ὅτι Ῥωμαῖοι καλλίστας ὑπολαμβάνομεν κτήσεις εἶναι καὶ δικαιοτάτας, ἃς κατάσχωμεν πολέμῳ λαβόντες καὶ νόμῳ, καὶ οὐκ ἂν ὑπομείναιμεν μωρίᾳ τὴν ἀρετὴν ἀφανίσαι. Κοινωνητέον τε πᾶσι καὶ τοῖς ἐκ τούτων γενομένοις καταλιπεῖν ἀγωνιούμεθα, νῦν δὲ ὑπαρχόντων ἤδη στερησόμεθα καὶ ἑαυτοὺς ὅσα πολεμίους βλάψομεν; *Romani nos honeſtiſſimas eas atque juſtiſſimas credimus poſſeſſiones quas belli lege captas habemus: neque vero induci poſſumus ut ſtulta facilitate deleamus virtutis monumenta, ſi eas illis reddamus quibus ſemel perierunt. Imo vero tales poſſeſſiones non tantum cum his qui nunc vivunt civibus noſtris communicandas, ſed & poſteris relinquendas cenſemus: tantum abeſt ut parta relinquendo in nos ipſos ea conſtituamus quæ in hoſtes conſtitui ſolent.* Et in reſponſo Romanorum Auruncis dato: ἡμεῖς οἱ Ῥωμαῖοι δικαιοῦμεν ὅσα κτᾶταί τις ἀρετῇ πολεμίους ἀφελόμενος ταῦτα τοῖς ἐγγόνοις ὡς οἰκεῖα παραδιδόναι: *nos Romani ita arbitramur, quæ quis hoſtibus erepta virtute quæſivit, ut optimo jure propria ad*
Lib. VII. *poſteros tranſmitti.* Alibi in reſponſo ad Volſcos ſic Romani: ἡμεῖς δὲ κρατίστας ἡγούμεθα κτήσεις ἃς ἂν πολέμῳ κρατήσαντες λάβωμεν, οὔτε πρῶτοι καταστησάμενοι νόμον τόνδε, οὔτε αὐτὸν ἀνθρώπων ἡγούμενοι εἶναι, μᾶλλον ἢ οὐχὶ θεῶν, ἅπαντάς τε καὶ Ἕλληνας καὶ βαρβάρους εἰδότες αὐτῷ χρωμένους, οὐκ ἂν ἐνδοίημεν ὑμῖν μαλακὸν οὐδέν, οὐδ᾽ ἂν ἀποσταίημεν ἔτι τῶν δορυκτήτων. Πολλὴ γὰρ ἂν εἴη κακότης, εἴ τις ἃ μετὰ ἀρετῆς καὶ ἀνδρείας ἐκτήσατο, ταῦτα ὑπὸ δειλίας τε καὶ μωρίας ἀφαιρεθείη: *Nos autem optimum judicamus poſſeſſionis genus, quod belli jure captum quæſitumque eſt. Cumque non a nobis hoc jus ſit inſtitutum, ſed a Diis verius quam ab hominibus profectum, omniumque gentium tam Græcorum quam barbararum uſu probatum, nihil vobis per ignaviam concedemus, nec bello partis abſiſtemus. Maximum enim id probrum foret, quæ virtute ac for-*
In exc. legat. *titudine quæſita ſunt ea per formidinem aut ſtuporem amittere.* Sic & in reſponſo Samnitum: πολέμῳ κρατησάντων ἡμῶν ὅπερ ἐστὶ νόμος κτήσεως δικαιότατος. *Cum armis hæc quæſierimus, quæ lex acquirendi juſtiſſima eſt.*

Lib. XLI. 3. Livius cum narraſſet agrum prope Lucam a Romanis diviſum, eum agrum ſic notat: *De Ligure captus is ager fuerat; Etruſcorum antequam Ligurum fuerat.* Hoc jure a Romanis retentam Syriam Appianus no-
Mithrid. tat, nec redditam Antiocho Pio, cui eam eripuerat Tigranes hoſtis
Civil. I. Romanorum: & Juſtinus ex Trogo ſic reſpondentem facit eidem An-
Lib. XL. tiocho Pompejum *ut habenti regnum non ademerit, ita quo ceſſerit Tigrani,*

non

non daturum quod tueri neſciat. Sed & eas Galliæ partes, quas Gallis eripuerant Cimbri, Romani pro ſuis habuere.

C O M M E N T A R I U S.

SI ea, quæ bello capta, juſto dominii acquirendi titulo non jure gentium duntaxat, ſed & civili comprobato poſſidentur; ergo quæ hoſtibus eripiuntur, non poſſunt vindicari vel peti ab iis, qui ante hoſtes noſtros ea poſſederant, & bello amiſerant, quia jus gentium dominium earum rerum, quæ hoſtibus erepta ſunt, transfert in victorem. Eodem ergo modo & titulo, quo hoſtes domini facti, & ego dominium nanciſcor. Recte autem addit Auctor: *Et bello amiſerat.* Quippe ſi hoſtes quarundam rerum dominium injuſto titulo ſibi acquiſiviſſent, nec ad me, quamvis juſto bello ceperim, earum dominium tranſit, quamobrem priori domino, rem ſuam vindicanti, reſtituere dictat juris gentium tenor. Injuſtus enim titulus dominium transferre nequit, quorum in numero furtum, rapina; iſtiuſmodi enim res jure gentium acquiruntur, quæ hoſtium ſunt; atqui hoſtium fieri nequeunt, quæ furto & rapina ablata, quia injuſti dominii acquirendi modi; ergo nec earum dominium belli jure ad me tranſit, quia nec earum domini hoſtes, & proinde nec plus juris in me transferre valent quam ipſi habent, domini vero non ſunt; ergo nec ab iis dominium nanciſci poſſum. Hinc Scipio ſigna, Siculis quondam per vim belli erepta, Carthagine abducta antiquis poſſeſſoribus reſtituit.

VIII. Gravior diſputatio eſt, cui in bello publico ac ſolenni res hoſtium acquiratur, ipſine populo an ſingulis qui de populo aut in populo ſunt. Valde enim hic variant recentiores Juris interpretes; *Bart. ad*
quorum plerique cum in jure Romano legiſſent capta capientium *l. Si quid bello D.*
fieri, in Canonum autem corpore diſtribui prædam publico arbitrio; *de capt.*
alii poſt alios, ut fieri ſolet, dixerunt, primo ac jure ipſo fieri capta *Alex. &*
ſingulorum qui manu capiunt; attamen duci aſſignanda qui inter *Jaſ. l. 1. D. de acq.*
milites diſtribuat: quæ ſententia cum recepta non minus quam falſa *poſſ. Aug.*
ſit, hoc accuratius a nobis refutanda eſt, ut ſpecimen ſit quam pa- *Inſt. de rer. diviſ.*
rum tuto in hoc controverſiarum genere tali auctoritati credatur. *¶. Item*
Enimvero dubitandum non eſt quin gentium conſenſu utrumvis po- *quæ ex hoſtibus.*
tuerit conſtitui, aut ut capta populo bellum gerenti aut ut cuivis qui *Pan. ad*
manu caperet in dominium cederent. Sed quid voluerint quærimus, *c. ſicut de*
& dicimus gentibus placuiſſe ut res hoſtium hoſtibus eſſent non alio *jurejur. n. 7. Th.*
loco quam quo ſunt res nullius, ut ex Nervæ filii dicto jam antea *Gram.*
apertum fecimus. *deciſ. Neap.*

IX. 1. At res quæ nullius ſunt fiunt quidem capientium, ſed tam *71. num.*
eorum qui per alios quam qui per ſe capiunt. Ita non ſervi tantum aut *17. Mart. Laud. de*
filii, ſed & liberi homines qui in piſcando, aucupando, venando, *bello q. 4.*
margaritas legendo operam ſuam addixerunt aliis, ſtatim quod acceperunt acquirunt ipſis quibus operam navant. Modeſtinus Juriſcon- *L. ea quæ D. de acq.*
ſultus recte dixit: *quod naturaliter acquiritur, ſicuti eſt poſſeſſio, per quem-* *dom.*
libet volentibus nobis poſſidere acquirimus: & Paulus receptis: *poſſeſſionem* *Lib. v. tit. 2. L.*
acquirimus animo & corpore: animo utique noſtro, corpore vel noſtro vel alieno. *1. ¶. per*
Idem ad edictum: *Per procuratorem, tutorem curatoremve poſſeſſio nobis ac-* *procur. D. de*
quiritur, quod explicat ſi id ea mente faciant ut operam nobis ac- *acq. poſſ.*
commodent. Sic apud Græcos, qui in Olympiis certabant præmia acquirebant iis a quibus mittebantur. Ratio eſt, quia natu-

raliter

raliter homo hominis alterius volens volentis inſtrumentum eſt, ut & alibi diximus.

2. Quare diſcrimen quod traditur inter liberas perſonas & ſerviles circa acquiſitiones, juris eſt civilis & ad civiles acquiſitiones proprie pertinet, ut ex dicto Modeſtini loco apparet: & tamen has ipſas Severus Imperator poſtea ad naturalium exemplum admovit propius, non utilitatis tantum, ut ipſe profitetur, ratione, ſed & Juriſprudentiæ. Semoto ergo civili jure locum habet quod dicitur per alium facere quem poſſe quid per ſeipſum poteſt; & perinde eſſe per ſe quis faciat an per alium.

acq. poſſ. L. quacunque D. de oblig. l. ſtipulatio, ¶. alteri de verb. ſignif. L. 1. C. per quas perſ. c. poteſt &c. qui facit. de reg. jur.

COMMENTARIUS.

NOn una eademque circa hanc quæſtionem definiendam D. D. ſententia. Opinantur nonnulli juris gentium periti capientibus res eas acquiri, nullam facientes diſtinctionem, an mobiles ſint vel immobiles, publicone an privato in miniſterio. Aſſerunt vero alii res bello captas capientium quidem fieri antiquo jure gentium, ſi mobiles ſint; verum debent tradi Duci exercitus, ut is prædam dividat inter milites juxta juſtitiam attributricem, quamobrem in hac diviſione proportio Geometrica locum habet, dum dignitas & merita cujuſlibet militis ſpectari ſolent. Covarruv. *ad c. peccatum. de R. J. in* 6. §. 11. *part.* 2. Diſplicet vero aliis hæc ſententia, atque res omnes, ſive mobiles ſive immobiles, indiſtincte illius faciunt, cujus auſpiciis bellum geritur, ſcilicet ejus, qui jus belli gerendi habet, qui ſummæ rerum præeſt, ſive Rex ſit, ſive Princeps, vel Dux, modo ſuo, non alieno nomine bellum gerat. Juriſconſultus ſummus Hugo Donellus abſque ulla diſtinctione affirmat, omnia ea capientium fieri, quæ capiuntur ex hoſtibus, juxta §. 17. *Inſt. de rer. diviſ.* Diſcrimen tamen facit ex perſona capientium: videndum enim, inquit, quis capiat ex hoſtibus. Et ſic ſe res habet, ut alias privati capiant: alias Imperator & Dux belli, penes quem belli ſumma eſt. Quæ privati capiunt ex hoſtibus, privata ſunt, *l. 51. ff. de acquir. rer. dom.* quæ Imperator & Dux belli, ſunt publica: quoniam is bellum non gerit ſibi, ſed Reipublicæ: ut, quæcunque ex ea adminiſtratione ad eum pervenerunt, ea cedant Reipublicæ aut Principi, cujus negotium geritur, non privatim Duci, qua de cauſa fiunt publica & fiſci, tanquam Reipublicæ quæſita, & fiſco per Ducem belli. Excipit vero quædam, quæ nemo ex hoſtibus capere poteſt, niſi Dux belli, ſive per hunc Princeps aut Reſpublica. Ea duo eſſe, ait, agrum hoſtilem & prædam, quo nomine veniunt ea, quæ reportantur ex hoſte: non tamen omnia, ſed quæ capiuntur devictis hoſtibus: quæcunque enim jure belli capientium fiunt, ea oportet ex hoſtibus capi, atqui id non fit in præda, quæ ſimulatque devictis hoſtibus præda eſſe cœpit, deſiit eſſe hoſtium; ita ut jam non poſſit dici hinc capi aliquid ex hoſtibus, quod jam hoſtium non fuit. Sed merito hæc ſententia diſplicet Zeiglero, propterea quod Ducis conditionem *deteriorem facit, quam cujuſque militis gregarii, & quod ita militibus privatis cederent omnia hoſtium impedimenta in medio conflictu a manipulo quodam occupata, quippe quæ eo tempore, quo nondum fuſi fugatique ſunt hoſtes, præda dici nequeat.* Non ambigendum, quin gentium conſenſu circa rerum bello captarum acquirendum dominium, ejuſmodi jura, conſuetudines, ac mores conſtitui ac recipi potuerint, quales ipſis placuere, quum vero gentium jus in æquitate & rationis dictamine potiſſimum fundatum, earundem voluntatem interpretamur, ut quam minime recedat ab eo, quod æquum & bonum eſt, & ratio, ſive ipſa rei vel negotii natura dictare videtur, ut ſæpius notavimus. Quid vero hic dictat ratio & ſuadet æquitas, inſpiciendum mihi videtur. Ea dictat, ut, quæ nullius ſunt, primo occupanti cederent; quippe cum omnia in uſum hominis creata, fruſtra vero uſus concederetur, niſi pariter ſingulis hominibus omnium rerum Auctor, eorum, quæ nullius ſunt, & in uſum hominis deſtinata, occupando ſive apprehendendo proprietatem & dominium ſibi acquirendi facultatem largitus fuiſſet, ſequitur naturam dictare, ut res, quæ nullius ſunt, transſeant in dominium primi occupantis; atqui gentibus placuerit, ut res hoſtium non alio loco eſſent, quam quo res nullius; ergo conveniens rationis dictamini, ut cedant dominio eaſdem ex hoſtibus capientis. Verum examinandum, an ejuſmodi placitum conveniat cum æquitate vel rationis dictamine? Notandum primo, quod res hoſtium non eo ſenſu nullius dicantur, quo mundi primordio, antequam diſtincta fuere dominia; res in naturali ſtatu dominio vacuæ nullius dicebantur, & proinde primi occupantis dominio cedebant, vel quæ interjecto tempore introductis jam rerum dominiis, nondum occupatæ fuere, aut abjectæ a domino & pro derelicto habentur, & proinde quaſi in primævo ſtatu iterum poſitæ primi occupantis fiunt; quippe eo ipſo quo res hoſtium dicuntur, apparet dominio vacuas non eſſe; verum res hoſtium

non

non alio loco ſunt, quam quo res nullius; *Quia*, ut inquit Puſendorfius, *per ſtatum hoſtilem uti cætera jura pacifica, ita & dominii effectus adverſus hoſtem abrumpantur hactenus, ut non amplius quis teneatur ab iſtius rebus manus abſtinere, niſi qua humanitas ſuaſerit. In bello ergo res hoſtium in ordine ad alium hoſtem redduntur velut dominio vacuæ; non quod hoſtes per bellum ipſo jure rerum ſuarum domini eſſe deſinant, ſed quia illorum dominium non obſtat hoſti, quo minus eas res auferre, ſibique habere poſſit.* Nec repugnat rationis dictamini, ut ejus bona per vim & arma mihi acquiram, cui vitam, rem inæſtimabilem adimendi mihi jure belli natura facultatem tribuit. Cum enim bona & res ſint media ſine quibus vitam tueri nequimus, nihil iniqui habet ejuſmodi gentium conſenſus, quo conſtitutum, ut res hoſtium adinſtar earum rerum, quæ nullius ſunt, primi capientis dominio cederent. Cur non eodem jure in acceſſorium, quo in ejuſdem principale uti liceret. Verum ſi jure gentium conſtitutum, ut res hoſtium non alio loco eſſent, quam quo ſunt res nullius, ſequitur eodem modo earundem acquiri dominium, quo acquiruntur res cæteræ, quæ revera dominio vacuæ, id eſt, per occupationem, primo occupanti, abſque ullo diſcrimine perſonæ acquirentis, ejuſmodi facultatem ſingulis hominibus natura tribuit; quamobrem dicendum videtur, in bello ſingulos quoque milites res hoſtium capientes ob rationis paritatem eodem jure gaudere, & proinde quidquid in bello ex hoſtibus capiunt, eorundem fieri jure gentium. Verum recte reſpondet Auctor, quod res, quæ nullius ſunt, fiant quidem capientium, & proinde quoque res hoſtium, quia gentibus placuit, ut eodem loco eſſent, quo res nullius. Verum exinde non ſequitur, quod ſinguli milites rerum, quas ex hoſtibus in ſtatu belli capiunt, dominium ſibi acquirant. Rei nullius dominium cedit jure naturæ primo occupanti, poſitis terminis habilibus, ut ita dicam, ſcilicet qui facultatem habet & gaudet jure dominium rei occupatæ ſibi acquirendi, atqui cuique integrum eſt juri ſuo renunciare, & in alterum transferre; caſus nonnulli poſſunt incidere, quibus earundem, quas per occupationem acquirere mihi potuiſſem, alii acquiro, quoties mihi illam neceſſitatem impoſui vel ipſe, vel aliunde impoſita, atque hoc modo non ſervi tantum aut filii, ſed & liberi homines, qui in piſcando, aucupando, venando, margaritas legendo operam ſuam addixerunt aliis, ſtatim quod acceperunt acquirunt ipſis, quibus operam navant; illi quippe non ex ſua, ſed ejus, cui ſerviunt pro tempore, perſona conſiderantur, eum repræſentant, ita ut in eo negotio ſuſtineant alienam perſonam, qui ipſe feciſſe videtur, quod egit alter, quod rationibus, legibus & exemplis ſatis illuſtrat & adſtruit Auctor noſter.

X. Diſtinguendum ergo in noſtro negotio inter actus vere publicos belli, & inter actus privatos qui fiunt occaſione belli publici: per hos actus privatis res quæritur primo ac directe: per illos actus populo. Ex hoc gentium jure Scipio agit cum Maſiniſſa apud Livium: *Syphax populi Romani auſpiciis victus captuſque eſt. Itaque ipſe, conjux, regnum, ager, oppida, homines qui incolunt, quicquid denique Syphacis fuit, præda populi Romani eſt.* Nec aliter Antiochus Magnus argumentabatur Cœlen Syriam Seleuci factam non Ptolemæi, eo quod Seleuci bellum fuiſſet, cui Ptolemæus navaſſet operam. Hiſtoria eſt apud Polybium quinto. *Liv. xxx.*

COMMENTARIUS.

NOn puto hanc Auctoris noſtri diſtinctionem in ratione vel jure fundatam, nec convenire cum rationibus & exemplis ſtatim allegatis. Quippe ſi illi, qui operam ſuam aliis addixerunt, non ſibi, ſed illis acquirunt, quibus operam navant, ſequitur, quod ea, quæ milites ex hoſtibus capiunt, non ſibi, ſed Reipublicæ acquirunt, cui militant, cui ad debellandum hoſtem operam ſuam addixerunt, atque publica hac auctoritate muniti, licite hoſti nocent, ac damnum inferunt, vitam eripiunt, bona auferunt; quod ſi ejuſmodi auctoritas deficeret, nihil horum facere ſuo liceret nomine; ut ſtatim videbimus.

XI. 1. Res ſoli niſi publico actu, inducto exercitu, impoſitis præſidiis, capi non ſolent: ideo ut reſpondit Pomponius, *publicatur ager qui ex hoſtibus captus ſit:* id eſt, ut ibidem exponit, *prædæ non cedit:* prædæ nomine ſtricte accepto. Salomo prætorii præfectus apud Procopium:

copium; ὡς τὰ μὲν ἀνδράποδα καὶ τὰ ἄλλα πάντα χρήματα τοῖς στρατιώταις εἰς λάφυρα ἰέναι οὐκ ἀπεικὸς εἶναι· γῆν μέν τοι αὐτὴν βασιλεῖ τε καὶ τῇ ῥωμαίων ἀρχῇ προσήκειν. *Captivos ſane & res alias militibus prædæ loco cedere ratione non caret:* (accipiendum hoc ut fiat publico conceſſu, quemadmodum infra exponemus) *agros autem ad Principem & imperium Romanum pertinere.*

L. Luc. Titius. de evictionibus. L. item ſi verb. ¶. 1. de rei vind.

2. Sic Apud Hebræos & Lacedæmonios ager manu captus ſortito diviſus eſt. Sic Romani captos agros aut locandos retinuerunt, interdum modico veteri poſſeſſori honoris gratia relicto, aut diſtraxerunt, aut aſſignarunt colonis, aut fecerunt vectigales: quarum rerum paſſim in Legibus, hiſtoriis, & agrimenſorum commentariis teſtimonia exſtant. Appianus libro primo belli civilis: Ῥωμαῖοι τὴν Ἰταλίαν πολέμῳ χειρούμενοι, γῆς μέρος ἐλάμβανον: *Romani cum Italiam armis ſubegiſſent, victos parte agri mulctarunt*; & ſecundo libro: τῶν δὲ πολεμίων ὅτε κρατήσαιεν οὐδὲ τούτων ἅπασαν τὴν γῆν ἀφῃροῦντο ἀλλ᾽ ἐμερίζοντο. *Etiam victis hoſtibus terram non omnem adimebant, ſed partiebantur.* Notat Cicero oratione pro Domo ſua Pontifices, conſecratos interdum ab Imperatore agros de hoſtibus captos, ſed populi juſſu.

COMMENTARIUS.

JUxta menem Auctoris noſtri res ſoli populo bellum gerenti ſive Reipublicæ acquiruntur, quia niſi publico actu inducto exercitu, & impoſitis præſidiis, capi ſoleant; quod autem per actus publicos acquiritur, cedit populo, ut ex *præced.* §. patet. Quamobrem publicari ſolebant agri, qui ex hoſtibus capti. *l.* 20. §. 1. *ff. de captiv. Publicatur enim ager ille, qui ex hoſtibus captus eſt*, id eſt, cedit Reipublicæ, publicus fit ſeu populi Romani, ut inquit Gloſſ. ejuſque cedit arbitrio, teſte Heigino *de limitib.* & Appian. *lib.* 1. *de bello civili.* Hujuſmodi agrorum alii in victorem populum partiebantur; alii per Quæſtores laterculis limitibus aptis dividebantur Sic Alexander Severus agros captos ab hoſtibus limitaneis ducibus ac militibus donavit: ita ut eorum eſſent, ſi heredes quoque militarent, neque ad privatos transferrentur, &c. Lamprid. *in vita Alex. Severi.* Alexandrum Magnum prædæ partem poſt admiſſum prælium militibus in congiarium dediſſe tradit Curtius *lib.* 4. *cap.* 14. alii militibus in præmium aſſignabantur; alii per Cenſores locabantur; aliis certum vectigal imponebatur, quod ſtipendium vocabatur: unde agri tributarii & ſtipendiarii dici cœperunt.

L. transfugam. ¶. 1. D. de acq. rer. dom. L. in bello. D. de capt. & poſtl.

XII. 1. At res mobiles & ſe moventes aut in miniſterio publico capiuntur aut extra illud. Si extra miniſterium publicum, fiunt ſingulorum capientium. Et huc referendum eſt Celſi illud: *quæ res hoſtiles apud nos ſunt, non publicæ ſed occupantium fiunt.* Quæ apud nos ſunt, id eſt bello orto apud nos deprehenduntur. Nam idem & in hominibus obſervabatur, quo tempore homines hac in parte rebus captis accenſebantur. Inſignis eſt in eam rem Tryphonini locus, *Verum in pace qui pervenerunt ad alteros, ſi bellum ſubito exarſiſſet, eorum ſervi efficiuntur apud quos jam hoſtes ſuo fato* (ita legendum, non facto aut pacto, ut habent libri) *deprehenduntur.* Fato hoc aſcribit Juriſconſultus, quia nullo ſuo merito in ſervitutem deveniunt: nam talia fato aſcribere tralatitium eſt. Tale illud Nævii: *Fato fiunt Romæ Metelli conſules*, id eſt ſine ſuo merito.

2. Indidem venit quod ſi quid milites capiunt non in procinctu, aut in eo quod facere jubentur, ſed in eo quod promiſcuo jure aut ſolo permiſſu faciunt, id ſtatim ſibi acquirunt: capiunt enim non ut miniſtri.

ſtri. Talia ſunt ſpolia quæ detrahuntur hoſti in dimicatione ſingulari: talia etiam quæ procul ab exercitu (extra decem millia paſſuum dicebant Romani, ut mox videbimus) in liberis & injuſſis excurſibus capiunt: quod genus prædæ Itali hodie corrariam vocant, & a butino diſtinguunt.

Salic. in l. ab hoſtibus. C. de poſtl. rer.

XIII. Sed quod diximus jure gentium talia ſingulis directe acquiri, intelligendum eſt ut id juris gentium ſit ante omnem ea de re legem civilem. Nam populus quiſque inter ſuos aliter poteſt conſtituere, & dominium ſingulorum antevertere, ſicut multis in locis de feris & avibus factum videmus. Sic enim introduci etiam lege poteſt, ut quæ apud nos reperiuntur hoſtium res, publicæ fiant.

Tho. Gram. Deciſ. Neap. 71. n. 18.

COMMENTARIUS.

Recte alii Interpretes hanc diſtinctionem rejecerunt, propterea quod quidquid faciunt milites, id agunt qua milites, & proinde non ſuo, ſed publico nomine: nam ut recte inquit Henniges, *bellum*, de quo nobis ſermo, *juſtum, ſolenne & publicum eſt, publica auctoritate ſuſceptum indictumque, cui gerendo milites tanquam idonea adhibentur inſtrumenta. Hi quidquid in bello agunt, juſſu publico agunt, privatos actus, qui quidem aliquem effectum juris habent, nullos agnoſco. Egrediuntur limites officii, ſi quid ſuo arbitrio facere volunt, nec beneficio ſed pœna digni ſunt. Quod hoſtem ubique offendere, ejus res rapere, trahere licet privatis etiam, id ab auctoritate & conſenſione Reipublica deſcendit. Hac quamprimum bellum hoſti indixit, omnibus civibus hoſtiliter agendi facultatem dat, qui publico deinde non ſuo nomine acquirunt, quacunque capiunt. Utcunque miles aliquid non in procinctu, ſed jure promiſcuo aut procul ab exercitu facit, ſemper meminiſſe debet, ſe in publico eſſe miniſterio, & Principi ſtipendio operam ſuam addixiſſe, eidemque per ſe omnia acquiri. Si placuit gentibus ut res hoſtium hoſtibus non eſſent alio loco, quam ſunt res nullius, ſequitur, quod miles, qui privatum actum exercet, non poſſit eas acquirere, quia res hoſtium hoſtibus, ut hoſtibus, non ut privatis ſunt nullius. Eſt vero miles hoſtis non privato, ſed publico nomine, nec ſibi, ſed Reipublica militat, quo ſimul conficitur, non ſibi ſed Reipublica acquirere. Hoc certum eſt, niſi Reſpublica bellum haberet, jus privato ad res alienas nullum eſſe. Siquod igitur eſt, non tam ſuum eſt, quam Reipublica, quod per eum exercetur. Quare fieri non poteſt, ut privatum aliquem actum miles in bello habeat, quia illicitus ſtatim omnis ſit, qui conſenſu ſuperioris deſtituitur; publicus autem continuo vocatur, quem ille conſenſus animat.* Eodem modo argumentatur Doctiſſimus Zeiglerus, *Utrobique*, inquit, *Reipublica inſervit, utrobique ergo verſatur in miniſterio publico: nec enim occideret, aut bona ejus diriperet juſtè, niſi id voluiſſet & hoſtem illum pronunciaſſet Reſpublica. Singulis igitur adverſus ſingulos non minus pugnare licet, ſemel bello indicto, quam integro exercitu acie inſtructa. Quandoquidem igitur nemo ſibi primario militat, ſed Reſpublicæ, facile hinc patet, nullas res capi extra miniſterium.* Quibus motus rationibus, facile hanc opinionem amplector. Qualitas enim, quæ militi inhæret, quamdiu nondum ſacramento militari ſolutus, efficit, ut quidquid agat vel in procinctu vel extra, habeatur tanquam actus publicus, quia publico quaſi munere indutus, ſuſtinet perſonam ejus, cui operam addixit, vel ipſi munus illud impoſuit, atque hac ratione, ut paulo ante dicere incepimus, ipſe feciſſe videtur, quod ſuo nomine agit alter, quamobrem alteri non ſibi quidquid cepit ex hoſtibus, dicendum. Oportet militem ſua ſorte contentum eſſe, ultra ſtipendium ſi quid accipit, ex liberalitate & conceſſione tenet Reipublicæ. Opinionem hanc impugnat Textor, atque ſtatuit, omnia, quæ ab hoſtibus capta, fieri ſingulorum capientium, abſque ulla diſtinctione an per publicos an privatos actus capta: *utitur enim*, inquit, *Reſpublica miniſterio ſingulorum militum ad finem victoria, non vero ex directa intentione ad finem promiſcua captura rerum hoſtilium; quidquid enim capiunt fit mere occaſionaliter, ſi hoſtes aliquas res vel in acie & conflictu, vel urbibus habuerint, quarum capiendarum datur facultas.* Verum dicendum mihi videtur, Principem, cui belli gerendi jus eſt, miniſterio militum uti ad debellandum hoſtem, quod fit potiſſimum atterendo ejus vires, & proinde cuique militiæ operam navanti, facultatem dediſſe omni ratione & quibuſvis mediis utendi, quæ ad finem illum conſequendum conducere poſſunt; ſunt autem nulla magis idonea media, quam ea, quæ quotidie in bello adhibentur, quorum in numero rerum hoſtilium ſubtractio, ut ad inopiam redactus hoſtis, eo facilius ad pacem petendam cogatur, vel ad victoriam pateretur aditus; quamobrem prædas agere non modo in procinctu, ſed & dimicatione ſingulari, in excurſionibus, milites ſolent, permiſſu ducis, qui eam facultatem eo ipſo militi tribuere videtur, quod auctorati ſunt & ſacramento militari obſtricti; quamobrem captura ejuſmodi non tanquam actus privatus, ſed publicus habetur,

tur, ut ſtatim annotatum. Cui datur facultas conſequendi finem, ipſi quoque eadem conceſſa videri debet utendi ejuſmodi mediis, ſine quibus finis obtineri nequit; atqui ejuſmodi facultas proficiſcitur & conceditur ab eo, qui belli gerendi jus habet, militi, non qua privato, ſed operam Reipublicæ addicenti ad hoſtem debellandum; ſequitur, quidquid lucratur & acquirit ex hoſtibus, non ſibi, ſed Reipublicæ acquirere, cui operam navat, ut ſtatim annotavimus: publico enim ſemper verſatur in miniſterio, & proinde omnis actus militis publicus: qualitatem enim illam deponere nequit, quamdiu manet ſacramento alligatus. Omnes hæ rationes fluunt ex ipſa negotii natura, quamobrem non eget ulteriori probatione, vel confirmatione. Sed inſtat contrariæ ſententiæ patronus Textor, quod res hoſtiles capi ſoleant per ſpeciem violentiæ, & ut plurimum non abſque capientium periculo; ſicut ergo periculum ad eos pertinet quâ ſingulos, ita & commodum pertinere æquum eſt, ut videlicet ſinguli res captas ſibi acquirant. *arg. l.* 10. *ff. de R. J.* Hæc vero regula noſtræ opinioni magis, quam contrariæ favere videtur. Dictat naturalis ratio commoda rei eum ſequi oportere, quem ſequuntur incommoda; atqui onera & ſumptus belli ſuſtinet Rex vel Reſpublica; ergo æquitatis dictat ratio, ut etiam prædæ commodum ſentiat; nec æquitati aut rationis dictamini repugnat, quod milites in compenſationem periculi, quod ipſis imminet, ejuſdem non fiant participes, niſi quatenus permiſſu Principis liceat; quippe præterquam quod naturalis obligatio cives & ſubjectos obligat, ut pro defenſione patriæ vel Reipublicæ quæcunque perferant incommoda ac onera, imo & vitam profundant, inſuper ſtipendium ac mercedem pro opera accipiunt, qua ratione incommodum commodo hoc compenſatur, quamobrem ſive conducti ſint milites, ſive proprii ſubditi, perfecta obligatione tenentur belli incommoda ſubire, illi pro ſtipendio & mercede ex quaſi contractu, hi ex naturali obligatione, qua Reipublicæ devincti etiam gratis operam ſuam eidem addicere, ad depellendam omnem vim armatam, & debellandos hoſtes, etiam cum vitæ periculo & ſortunarum jactura, hanc officii præſtationem Reſpublica a civibus ſuis tanquam debitum naturale exigere jure poteſt; quamobrem nihil pro ejuſdem impletione debet ſubditis: peregrini vero in compenſationem periculi ſtipendium merentur, quo contenti eſſe debent: dum enim militiæ nomen dant, ac ſacramento militari ſeſe obſtringunt, non ignari conditionis quam ſibi ſponte ſua imponunt, ultra id quod ſtipendii nomine ipſis debetur, nihil petere jure poſſunt. Quod attinet Celſi reſponſum *l.* 51. *ff. de acquir. rer. dom.* id recte ad Romanorum mores & conſuetudinem accommodatum; verum jus gentium in eo fundari nequit: populus enim quiſque inter ſuos ejuſmodi jura & leges conſtituere poteſt, quæ ſibi placent.

XIV. 1. At de his quæ quis actu bellico capit alia eſt ratio. Ibi enim ſinguli reipublicæ perſonam ſuſtinent, ejuſque vice funguntur, ac proinde per eas populus, ſi lex civilis aliud non ſtatuat, ut poſſeſſionem ita & dominium nanciſcitur, & id in quos vult transfert. Quod quia directe pugnat cum vulgari opinione, probationes nobis video ſolito largius admetiendas nobilium populorum exemplis.

2. Incipiam a Græcis, quorum morem Homerus non uno loco deſcribit:

> Ἀλλὰ τὰ μὲν πολίων ἐξεπράθομεν, τὰ δέδασται.
>
> *Omnia jam diviſa quibus ſpoliavimus urbes.*

Apud eundem Poëtam Achilles, de urbibus agens quas ipſe expugnaverat,

> Τάων ἐκ πάσεων κειμήλια πολλὰ καὶ ἐσθλὰ
> Ἐξελόμην, καὶ πάντα φέρων Ἀγαμέμνονι δόσκον
> Ἀτρείδῃ, ὁ δ᾽ ὄπισθε μένων παρὰ νηυσὶ θόῃσι
> Δεξάμενος δὴ παῦρα δασάσκετο, πολλὰ δ᾽ ἔχεσκε.
> *Omnibus his ingens pretio numeroque ſupellex*
> *Noſtra rapta manu: regi ſed victor Atridæ*
> *Cuncta tuli, celeres reſidens qui pone carinas*
> *Divideret cum pauca aliis, ſibi multa tenebat.*

Spectandus enim hic Agamemnon, partim ut totius Græciæ eo tempore princeps, atque ita populi gerens vicem: quo jure ipſe ſed cum Senatu prædam dividebat: partim ut munere fungens imperatorio;

ac

ac proinde de communi partem cæteris majorem ferens. Eum ipſum Agamemnonem ſic alloquitur idem Achilles:

Οὐ γάρ σοί ποτε ἶσον ἔχω γέρας, ὁππότ' Ἀχαιοὶ
Τρώων ἐκπέρσωσ' εὖ ναιόμενον πολίεθρον.

Nam neque me tecum prædæ pars æqua ſequetur,
Si Danaûm virtus Trojanam everterit urbem.

Et alibi Achilli offert Agamemnon de conſilio publico navem plenam æris & auri, & viginti mulieres, quæ præcipiat de præda. Troja jam capta, Virgilio narrante,

Cuſtodes lecti Phœnix & dirus Ulyſſes *Æn. II.*
Prædam aſſervabant: huc undique Troïa gaza
Incenſis erepta adytis, menſæque Deorum,
Crateresque auro ſolidi, captivaque veſtis
Congeritur.

Sic poſterioribus temporibus prædam Marathoniam aſſervat Ariſtides. Poſt prælium ad Platæas ſevere edictum ne quis de præda privatim quicquam tolleret: deinde præda pro populorum meritis diſtributa. Athenis poſtea devictis in publicum relata a Lyſandro præda. Et publici officii nomen apud Spartanos, λαφυροπῶλαι *prædæ venditores.* *Plut. Ariſtide. Herod. l. IX. Plut. Lyſandro.*

3. Si ad Aſiam venimus, Trojani ſoliti, ut docet nos Virgilius, *prædæ ducere ſortem*, ut in rebus communibus dividendis fieri ſolet. Alias arbitrium ejus dividendæ penes imperatorem, quo jure Hector Doloni id expreſſe ſtipulanti promittit equos Achillis, ut intelligas jus acquirendi dominii in captura ſola non fuiſſe. Ad Cyrum Aſiæ victorem, nec minus ad Alexandrum poſtea, perlata præda. Si Africam reſpicimus, idem mos occurrit. Sic quæ Agrigenti capta, quæque in pugna Cannenſi, & alibi, Carthaginem miſſa. Apud Francos veteres, ut ex Gregorii Turonenſis hiſtoria apparet, quæ capta erant, ſorte dividebantur: neque rex ipſe aliud habebat de præda quam quod ſors ipſi addixiſſet. *Homer Il. K. Eurip. Rheſo. Plinius libro XXXIII. c. 3. Plut. Alex. Curt. Diod. libro XVII. Strabo l. XV.*

4. Sed quanto re militari Romani cæteris præſtiterunt, tanto ſunt digniores quorum exemplis immoremur. Dionyſius Halicarnaſſenſis morum Romanorum diligentiſſimus obſervator, ita nos hac de re docet: τὰ ἐκ τῶν πολεμίων λάφυρα, ὅσον ἂν ἡμῖν ὑπάρχῃ τυχεῖν δι' ἀρετὴν, δημόσια εἶναι κελεύει ὁ νόμος, καὶ τῦτο ὐχ ὅπως τις ἰδιώτης γίνεται κύριος, ἀλλ' ὐδὲ αὐτὸς ὁ τῆς δυνάμεως ἡγεμών· Ὁ δὲ ταμίας αὐτὰ παραλαβὼν ἀπεμπολεῖ, καὶ εἰς δημόσιον ἀναφέρει. *Quæcunque ex hoſtibus per virtutem capta ſunt, ea lex jubet publica eſſe, ita ut non modo privati eorum domini non fiant, ſed ne ipſe quidem imperator exercitus. Verum quæſtor illa accipit, & vendita in publicum refert.* Verba hæc ſunt eorum qui Coriolanum incuſant, nonnihil ad invidiam compoſita. *Diod. libro XIII. Liv. l. XXIII. Greg. Tur. l. II. c. 17.*

COMMENTARIUS.

EX iis, quæ paulo ante diſputavimus, perſpicimus, militem, ſive in exercitu ſit, ſive non, ſemper ſuſtinere Reipublicæ perſonam, cui operam addixit, & ſacramento militari obſtrictus eſt. Quamobrem omnia quæ capit ex hoſtibus, non ſibi acquirit, ſed Reipublicæ, cujus

Digitized by Google

cujus vice fungitur, quæ ſuo pro arbitrio de præda diſponit. Huc ſpectat, quod Ambroſius dicit, diſciplinam militarem docere, ut Regi ſive populo ſerventur omnia, exemplo Abrahæ, qui ceſſit omnem prædam Regi Sodomorum. Aliquando vel Imperatori vel Duci exercitus, tum etiam militibus prædæ pars aſſignabatur pro bene navata opera, & ut eo alacriores ad debellandum hoſtem fierent, ut ex exemplis ab Auctore & nobis adductis patet.

XV. Nam populum dominum eſſe prædæ verum erat: ſed illud non minus verum, ejus diſpenſandæ arbitrium imperatoribus libera republica permiſſum fuiſſe, ſed tale ut actus ſui rationem populo deberent. [*Libro XXXVII.*] L. Æmilius apud Livium: *captas non deditas diripi urbes, & in his tamen arbitrium eſſe imperatoris, non militum.* Sed hoc arbitrium quod mos deferebat imperatoribus, ipſi interdum, quo longius ab omni ſuſpicione eſſent, rejiciebant ad Senatum, ut Camillus, & qui retinebant, [*Liv. lib. V.*] prout religioni, famæ, ambitioni ſerviebant, diverſo modo uſi reperiuntur.

XVI. 1. Qui ſanctiſſimi eſſe aut credi volebant, prædam non attingebant omnino, ſed ſive pecunia erat in præda, eam jubebant a quæſtore populi Romani percipi; ſive res aliæ, eas per quæſtorem ſub haſta venumdari: ubi redactam pecuniam manubiarum nomine [*Lib. XIII. c. 23.*] ſignificatam Favorinus apud Gellium ſenſit. Hæc pecunia per quæſtorem in ærarium deferebatur, prius tamen, ſi res triumphi eſſet, oſtentata publice. Livius libro IV. de C. Valerio Conſule: *Prædæ ex aſſiduis populationibus, quod omnia in locum tutum congeſta erant, fuit aliquan-* [*Lib. II.*] *tum: venditum ſub haſta Conſul in ærarium redigere quæſtores juſſit.* Idem fecit Pompejus de quo hæc ſunt Velleji verba, *Pecunia Tigranis, ſicut* [*Lib. II.*] *Pompejo moris erat, redacta in quæſtoris poteſtatem ac publicis deſcripta literis.* [*Epiſt. 7.*] Ita & M. Tullius qui ſic de ſe ipſo in literis ad Salluſtium, *De præda mea præter quæſtores urbanos, id eſt, populum Romanum, teruntium nec attigit: nec tacturus eſt quiſquam.* Atque id antiquis & melioribus temporibus fuit maxime uſitatum, quo Plautus reſpiciens ſic ait:

Nunc hanc prædam omnem jam ad quæſtorem deferam.

Et de hominibus captivis ſimiliter:

Quos emi de præda de quæſtoribus.

2. Sed alii ſine quæſtore ipſi prædam vendebant & referebant in ærarium, quod & ex Halicarnaſſenſi ſequentibus verbis colligere eſt. [*Liv. lib. I.*] Sic a Tarquinio rege jam olim victis Sabinis prædam & captivos Romam miſſos legimus. [*Liv. l. III.*] Sic Romulus & Veturius conſules narrantur prædam vendidiſſe ob ærarii penuriam, ægre id ferente exercitu. Sed cum paſſim id occurrat, quantum ducum quiſque ex triumphis Italicis, Africanis, Aſiaticis, Gallicis, Hiſpanicis in ærarium per ſe aut quæſtorem retulerit, exempla congerere nihil eſt opus. Illud magis notandum, datam prædam aut ejus partem interdum diis, interdum [*Dion. Halic. lib. II.*] militibus, interdum & aliis. Diis aut res ipſæ datæ, ut ſpolia quæ Romulus Jovi Feretrio ſuſpendit; aut redacta inde pecunia, ut ex Po- [*Liv. l. I.*] metinis manubiis Tarquinius Superbus templum Jovis in monte Tarpejo ſtatuit.

COMMENTARIUS.

APud Romanos libera Republica prædam omnem arbitrio Ducis fuiſſe certum eſt, ſcilicet, permiſſu & conſenſu populi; quamobrem ægre tulit Scipio, quod ab eo rationem pecuniæ prædatriciæ Pætilius quidam Tribunus plebis poſcere vellet. Gell. *lib.* 4. *cap.* 18. Vid. Liv. *lib.* 5. & 37. Hoc arbitrium poſteriorum Imperatorum tempore ad Magiſtros Militum tranſlatum. *l.* 36. *Cod. de donat.* *Simili etiam modo a geſtorum abſolvimus ordine donationis rerum mobilium, vel ſeſe moventium, quas viri glorioſiſſimi Magiſtri Militum fortiſſimis præbent militibus, tam ex ſua ſubſtantia quam ex ſpoliis hoſtium, ſive in ipſa bellorum occupatione, ſive in quibuſcunque locis degere noſcuntur.* Ubi Gloſſ. Dux belli, urbe aliqua capta, vel hoſte devicto, militibus ſuis prædam ſeu diripienda hoſtium ſpolia donare poteſt: & eo quidem effectu, ut ne quidem a Principe retractari ſeu revocari ea poſſet donatio. Solebant quandoque Imperatores prædam totam vel partem ejus per Quæſtores in ærarium referre. Tradit Liv. *lib.* 31. L. Furium Prætorem, cum de Gallis triumpharet, trecenta viginti millia æris in ærarium detuliſſe. Idem teſtatur de M. Helvio & Q. Minucio ex præda Hiſpanienſi. Et Camillo duce fuſis Faliſcis, captis eorundem caſtris, præda omnis ad Quæſtores redacta eſt, non abſque magna militum ira. Liv. *lib.* 6. Solebant non nunquam, ut victoria potirentur, Romani vel totam prædam vel partem ejus Diis vovere. Sic Camillus, cum ad expugnandam & delendam urbem Vejos pergeret, decimam partem prædæ Pythico Apollini vovit, teſte Livio *lib.* 5.

XVII. 1. Militibus prædam dare priſcis Romanis ambitioſum videbatur: uti Sextus Tarquinii Superbi filius, ſed Gabiis profugus, *Liv. d. lib.* prædam militi dilargitus dicitur, ut eo modo potentiam ſibi conciliaret. Appius Claudius in Senatu ſimilem largitionem arguit ut novam, *Liv. d. l. v.* prodigam, inconſultam.

Præda autem militi conceſſa aut dividitur aut diripitur. Dividi poteſt aut ratione ſtipendiorum aut ratione meritorum. Stipendiorum *D. loco.* ratione dividi prædam Appius Claudius volebat, ſi illud obtinere non poſſet ut redacta inde pecunia in ærarium deferretur. Totum autem dividendi ordinem accurate explicat Polybius; nempe in dies aut vi- *Lib. x.* gilias partem exercitus alteram aut minorem ad comportandam prædam mitti ſolitam: & quod quiſque reperiſſet id juſſum in caſtra perferre ut per tribunos æqualiter divideretur, vocatis ad partem etiam his qui caſtra ſervarent, (quod & apud Hebræos regi Davidi pla- *1 Sam. xxx. 24.* cuiſſe, & inde in legem tranſiiſſe legimus) quique per valetudinem aut delegata miniſteria aberant.

2. Interdum non ipſa præda ſed redacta inde pecunia prædæ loco *Liv. l. xiv. Ibid. Ibid.* militibus donata, quod ſæpe in triumpho fiebat. Proportionem hanc invenio, ſimplex pediti, duplex centurioni, triplex equiti datum. Interdum ſimplex pediti, equiti duplex. Alias ſimplex pediti, duplex centurioni, tribuno & equiti quadruplex. Meritorum etiam ſæ- *Suet. Cæſ. c. 38. & App. 11. Civil.* pe habita ratio, ſicut Marcius quod fortiter feciſſet ex præda Corioliana donatus eſt a Poſthumio.

3. Utrovis modo fieret diviſio licebat imperatori ἐξαίρετον, hoc eſt *Liv. d. lib.* præcipuum ſibi accipere quantum vellet: id eſt, quantum æquum arbitraretur: quod & aliis interdum virtutis ergo conceſſum. Euripides Troadibus de nobilioribus feminis Trojanis agens, ait:

Τοῖς πρώτοισιν ἐξῃρημέναι
Στρατῷ.

Quæ

Quæ principibus eximiæ datæ
Erant Achivis:

Et de Andromacha,

Καὶ τὴν δ' Ἀχιλλέως ἔλαχε παῖς ἐξαίρετον,
Accepit illam Pyrrhus eximiam ſibi.

Aſcanius de equo apud Virgilium:

Ipſum illum clypeum, criſtaſque rubentes
Excipiam ſorti.

Pauſaniæ poſt in Platæis prælium eximia data, mulieres, equos, camelos, narrat Herodotus. Sic Ocriſiam Corniculanam præcipuam Lib. IV. accepit rex Tullius. Fabricius apud Halicarnaſſenſem in oratione ad Pyrrhum: ἐκ λαφύρων δορυκτήτων ἐξόν μοι λαβεῖν ὁπόσα βουλοίμην: *ex his quæ bello erant capta licebat mihi quantum vellem excipere:* Iſidorus huc reſpiciens ubi de jure agit militari, *prædæ*, ait, *deciſio*, *& pro perſonarum qualitatibus ac* Lib. I. *laboribus juſta diviſio, ac principis portio.* Tarquinius Superbus, ut apud Liv. l. XLV. Livium eſt, & ipſe ditari volebat, & delinire præda popularium animos. Servilius in oratione pro L. Paulo ait eum præda partienda locupletem ſe facere potuiſſe. Et hanc imperatoris portionem, ſunt qui III Ver. potius ſignificatam volunt manubiarum nomine, quos inter eſt Aſconius Pedianus.

4. Sed laudatiores illi, qui jus ſuum remittentes nihil ſibi de præda ceperunt, qualis is quem dixi Fabricius, τὸν ἐκ δικαίου πλοῦτον ὑπεριδὼν ἕνεκα δόξης, *etiam juſte partas divitias præ gloria contemnens*: quod ipſe ſe facere Plut. M. Catone. ajebat Valerii Publicolæ & aliorum paucorum exemplo: quos M. Porcius Cato imitatus eſt in Hiſpanienſi victoria, negans quicquam ad ſe perventurum e bello captis, præter ea quæ in cibo ac potu inſumſiſſet: addens tamen, non a ſe culpari imperatores qui conceſſas utilitates ſumerent, ſed malle ſe de virtute cum optimis quam de pecunia cum ditiſſimis certare. Proxime ad hanc laudem accedunt qui prædam modice delibarunt, ut Pompejus apud Lucanum a Catone laudatur, qui

Plura retentis
Intulit.

5. In diviſione interdum & abſentium habita ratio, ut capto Au- Liv. lib. IV. xure conſtituit Fabius Ambuſtus: interdum ob cauſam quorundam Idem l. III. quamvis præſentium non habita, ut Minutiani exercitus dictatore Cincinnato.

6. Quod autem jus vetere republica imperatores habuerant, id poſt occupatam rempublicam ad magiſtros militum tranſlatum ex l. 36. §. 1. C. de donat. Codice Juſtinianeo apparet, ubi a geſtorum inſinuatione abſolvuntur donationes rerum mobilium vel ſe moventium quas magiſtri militum militibus præſtant ex ſpoliis hoſtium, ſive in ipſa bellorum occupatione, ſive in quibuſcumque locis degere noſcerentur.

7. Sed hæc diviſio jam olim ſæpe in calumniam patuit, quaſi duces

ces ea ratione privatam gratiam captarent, quo nomine accuſati Servilius, Coriolanus, Camillus, quaſi amicis & clientibus de publico largientes. Ipſi contra ſe tuebantur publico bono, ἵνα οἱ συναράμενοι τοῦ ἔργου τὸν πόνων καρπὸν κομισάμενοι προθύμως ἐπὶ τὰς ἄλλας στρατιὰς ἀπαντῶσιν: *ut qui operi adfuerant, fructu laboris percepto ad alias expeditiones fierent promtiores*, quæ Halicarnaſſenſis in hanc rem verba ſunt.

Dion. l. VI. & VII. Liv. lib. V. Dion. Halic. lib. VIII.

COMMENTARIUS.

NOnnunquam Imperatores, ut paulo ante dicere incepimus, prædam ipſam vel pecuniam inde redactam militibus dividebant, donatis ante alios iis, qui ſtrenue ſe in prælio geſſiſſent, & quorum virtus inter alios commilitones enituiſſet: habita quoque ratione dignitatis cujuſque & ordinis, ut annotatum ſupr. Sic Julius Cæſar in Gallia militibus pro labore & tolerantia ducenos ſeſtertios, Centurionibus duo millia nummûm prædæ nomine condonanda pollicitus eſt, uti teſtatur A. Hirt. *de bell. Gall. lib. 6.* M. Valerius Corvinus Samnitibus devictis, & C. Junius Boviano capto, prædam omnem militi dederunt. *Liv. lib. 7. 9.* Sic Senatus prædam Epiri civitatum, quæ ad Perſea defecerant, exercitui dedit. Itaque ſi quo ad diripiendas urbes dato tanta præda fuit, teſte Livio *lib. 45.* ut in equitem CCCC denarii, peditibus duceni denarii dividerentur. Qualis diviſio etiam divino jure probata: conſtat enim ex Sacris Litteris, Dominum præcepiſſe Moyſi, ut ipſe & Eleazar tollerent omnem prædam, factam ex Madianitis, quos Iſraëlitæ debellaverant, & ex æquo eam dividerent inter eos, qui pugnaverant: & ut quinquageſima pars daretur Levitis, qui excubabant in tabernaculis Domini. *Num. 31.* Sic David prædam, quam acceperant ab Amalechitis, qui exſpoliaverant Sicelech, diviſit militibus, non ſolum pugnantibus, ſed qui remanſerant laſſi ad ſarcinas; quod deinceps pro lege ſervatum fuit in Iſraël. 1 *Reg. 30.* Quod & apud Romanos obſervatum, ut videre eſt apud Polybium *lib. 10. Nunquam*, inquit, *diſcriminis aliquid Romanis avaritiæ vitio contigit, eo quod ad ſigna in commune prædam omnem, vel in captione urbis, vel exercitus deferunt: Sic dum alii prædantur, alii conſtanter in acie permanent: quia non ideo fraudantur. Jurant enim egreſſuri ad militiam, nihil ſe ex præda defraudaturos, ſed fidem ſecundum datum ſacramentum ſervaturos.* Huc ſpectat, quod C. Fabius Ambuſtus, cum ad Auxur oppugnandum acceſſiſſet, collegis ſuis Cornelio Coſſo, & Valerio Potito cum parte exercitus ad devaſtandos fines, ut diſtinerent Volſcos, profectis, capta urbe a præda militem continuit, donec collegæ cum ſuis exercitibus venirent, ab illis quoque captum Auxur dictitans eſſe, qui cæteros Volſcos a præſidio ejus loci avertiſſent. Liv. *lib. 4.* Hoc fundamento Thebani Corinthiique Legatos ad Lacedæmonios miſerunt, portionem prædæ ex manubiis communis belli geſti periculique contra Athenienſes petentes. Juſtin. *ex Trogo lib. 5.* Cæterum præda militibus conceſſa Imperatori ſua portio debetur, qui ſibi accipere, quantum ipſi æquum videbatur, poterat, ut confirmant exempla ab Auctore adducta.

XVIII. 1. Venio ad direptionem; ea militi conceſſa aut in populatione, aut poſt prælium oppidive expugnationem ut ſigno dato diſcurreretur: quod antiquis ſæculis rarius, nec tamen exemplis caruit. Nam Sueſſam Tarquinius militi diripiendam dedit: caſtra Æquorum Q. Servilius Dictator: Vejos urbem Camillus: caſtra Volſcorum Conſul Servilius. Permiſit & direptionem L. Valerius in agro Æquorum, Q. Fabius fuſis Volſcis, captaque Ecetra, mox alii ſæpe. Victo Perſeo Paulus Conſul ſpolia jacentis exercitus peditibus, equitibus prædam circumjacentis agri conceſſit. Idem ex Senatuſconſulto diripiendas dedit militi Epiri urbes. Lucullus victo Tigrane militem a ſpoliis legendis diu inhibuit, mox certa jam victoria jus ſpoliandi hoſtes indulſit. Cicero de inventione primo inter modos acquirendi dominii ponit, ſi quid ex hoſtibus captum ſit, cujus prædæ ſectio non venierit.

Dionyſ. l. IV. Liv. lib. IV. Dionyſ. l. IV. VI. IX. X. Liv. l. XLV. Ap. Mithr.

2. Qui morem hunc improbant, ajunt avidas in direptiones ma-

nus præripere fortium bellatorum præmia, cum ita ferme eveniat, ut qui ſegnior ſit prædetur, at fortiſſimus quiſque laboris periculique
Lib. VI. præcipuam partem petere ſoleat, quæ ſunt verba Appii apud Livium: unde non longe abit Cyri illud apud Xenophontem: ἐν τῇ ἁρπαγῇ εὖ οἶδ'
Ibid. ὅτι οἱ πονηροὶ πλεονεκτήσειαν ἄν. Sed contra dicitur, gratius id fore lætiuſque quod ſua quiſque manu ex hoſte captum domum retuliſſet, quam ſi multiplex accepiſſet alterius arbitrio.

Lib. VI. 3. Interdum quoque conceſſa direptio quod impediri non poſſet. In expugnatione Cortuoſæ Hetruſcorum oppidi, narrante Livio, *publicari prædam tribunis placebat, ſed imperium quam conſilium ſegnius fuit. Jam*
Livius libro XXXVIII. *militum præda erat, nec niſi per invidiam adimi poterat.* Sic & Gallogræcorum caſtra a C. Helvii agmine direpta legimus contra ducis voluntatem.

XIX. Quod dixi, aliis interdum extra milites prædam aut pecuniam e præda redactam concedi ſolere, id ferme ita contigit ut his
Dion. Hal. lib. V. qui tributum ad bellum contulerant tantundem redderetur. Ludos quoque ex manubiis interdum inſtructos notes.

COMMENTARIUS.

Direptione militi conceſſa edici ſolet, ut non, niſi debellatis hoſtibus, & caſtris eorum expugnatis, arce vel oppido in poteſtatem redactis, ad prædam diſcurrere liceat, nec antequam ſignum prius ab Imperatore datum fuerit; ne prædæ aviditate hoſtis e manibus elabatur, aut prælium reſtauretur; quod experti olim Samnites, qui, cum in noctem æquo marte cum Romanis dimicaſſent, tandem prædæ aviditate, impetum in impedimenta Romanorum facientes, a Marco Fabio Magiſtro Equitum imperio Cornelii Arvinæ Dictatoris diſſipati, miſere cæſi ſunt, & occaſionem dederunt victoriæ, quam Romani deportabant. Liv. *lib.* 8. Ita Vejis captis, quorum prædam Senatus militi conceſſerat, non tamen, niſi permiſſu Camilli Dictatoris, ad prædam diſcurrere licuit, uti teſtatur Liv. *lib.* 5. Carthagine quoque Nova in poteſtatem redacta, urbe demum dedita, ſigno dato, victores ad prædam verſi ſunt. Liv. *lib.* 26.

XX. 1. Neque vero diverſis tantum bellis aliter atque aliter uſurpatum, ſed eodem bello eadem præda ſæpe in uſus diverſos impenſa,
Liv. l. V. aut partibus diviſis aut rerum generibus diſtinctis. Sic Camillus decimam ex præda Apollini Pythio dedit, Græcorum exemplo, ſed quod primitus ab Hebræis venerat; quo tempore ſub decima prædæ vota, non res moventes tantum, ſed & urbem, & agros venire a pontifici-
Ibid. bus judicatum eſt. Eodem victore prædæ de Faliſcis pars maxima ad quæſtorem redacta eſt, haud ita multum militi datum. Sic & L. Man-
Lib. XXXVIII. lius *prædam aut vendidit, quod ejus in publicum redigendum erat, aut cum cura ut quam æquiſſima eſſet per milites diviſit.* Quæ Livii verba ſunt.

2. Genera in quæ præda dividi poteſt ſunt hæc: homines captivi, armenta, & greges, quæ Græci, cum proprie loquuntur λείαν vocant,
Dionyſ. pecunia, res mobiles aliæ, pretioſæ aut viliores. Q. Fabius Volſcis
lib. VIII. devictis λείαν & ſpolia per quæſtorem vendi jubet: argentum ipſe de-
Idem. l. X. fert. Idem Volſcis & Æquis devictis captivos extra Tuſculanos militi donat, & in agro Ecetrano homines ac pecora diripienda concedit.
Ibidem. L. Cornelius Antio capto aurum, argentum, æs in ærarium defert:

capti-

captivos & prædam per quæſtorem vendit: militi ea permittit quæ ad victum & veſtem pertinebant. Nec diſſimile huic Cincinnati inſtitutum, [*Liv. lib.* x.] qui Corbione Æquorum oppido accepto pretioſiora prædæ Romam miſit, cætera centuriatim diviſit. Camillus captis Vejis præter [*Liv. lib.* v.] pecuniam ex venditione captivorum nihil in publicum redegit; Hetruſcis devictis, [*Dionyſius fragm. Lib.* VI.] captiviſque venditis, ex ea pecunia aurum matronis quod contulerant perſolvit, pateras tres aureas in Capitolio poſuit. Coſſo dictatore, ex Volſcis præda omnis præter libera corpora militi conceſſa eſt.

3. Fabricius ſuperatis Lucanis, Brutiis, Samnitibus, militem ditavit, [*Livius libro* XXXVII.] tributa civibus reddidit, quadringenta talenta in ærarium retulit. Q. Fulvius & Appius Claudius cum Hannonis capta eſſent caſtra [*Liv. l.* XXV.] prædam vendiderunt, diviſeruntque, donatis quorum opera fuerat ſingularis. Scipio capta Carthagine quæ in urbe erant dedit diripienda [*App. Pun. Livius libro* XXXVII.] militi, excepto auro, argento, donariis. Acilius capta Lamia partim diviſit, partim vendidit prædam. Cn. Manlius victis Gallogræcis, [*Idem libro* XXXVIII.] concrematis ex Romana ſuperſtitione hoſtium armis, cæteram prædam conferre omnes juſſit, & aut vendidit, quod ejus in publicum redigendum erat, aut cum cura, ut quam æquiſſima eſſet, in milites diviſit.

COMMENTARIUS.

Cum permiſſu & conſenſu populi prædæ diſpenſandæ arbitrium nonnunquam penes Imperatores & Duces fuerit, evenit, ut diverſis bellis aliter atque aliter uſurpatum, teſtimoniis & exemplis luculentiſſime Auctor confirmavit, quibus aliquid addere ſupervacaneum foret, nec etiam ſubjecta materia efflagitat.

XXI. 1. Ex his quæ diximus apparet, non minus apud Romanos quam apud alias gentes pleraſque prædam fuiſſe populi Romani, ſed ejus diſpenſandæ arbitrium aliquod imperatoribus conceſſum, ita tamen ut, quod ante diximus, rationem actus ſui populo deberent, quod inter alia docet exemplum L. Scipionis, qui damnatus eſt peculatus judicio, ut loquitur Valerius Maximus, quadringenta octoginta [*Lib.* v. *c.* 3. & *Liv. lib.* XLV.] argenti plus accepiſſe quam in ærarium retuliſſet: & aliorum quos ante retulimus.

2. M. Cato in oratione quam de præda ſcripſit, vehementibus atque illuſtribus verbis, ut ait Gellius, de impunitate peculatus atque licentiæ conqueſtus eſt: ex qua oratione hoc exſtat fragmentum: *Fures privatorum furtorum in nervo atque compedibus ætatem agunt. Fures publici in auro atque purpura.* [*Lib.* XI. *c.* 18. *Priſc. libro* VII.] Idem alibi dixerat, *mirari ſe, audere quemquam capta bello ſigna pro ſupellectile domi ſtatuere.* Ita & Verri peculatus invidiam auget Cicero, quod ſignum ſuſtuliſſet, & quidem captum de [*Verr.* IV.] præda hoſtium.

3. Nec imperatores tantum ſed & milites peculatus prædæ nomine tenebantur, ſi nempe eam in publicum non detuliſſent: adigeban-

tur enim omnes ſacramento, ut ait Polybius. Περὶ τοῦ μηδένα νοσφίζεσθαι μηδὲν τῶν ἐκ τῆς διαρπαγῆς, ἀλλὰ τηρεῖν τὴν πίϛιν κατὰ τὸν ὅρκον: *nihil quemquam ex præda interverſurum, ſed fidem ſervaturos ex religione ſacramenti.* Quo forte referri poteſt formula jurisjurandi apud Gellium, qua militi imperatur ne quid tollat in exercitu decemque millia paſſuum prope, quod pluris ſit nummi argentei, aut ſi ſuſtulerit ad Conſulem proferat, aut triduo proximo profiteatur. Hinc intelligi poteſt quid ſit quod Modeſtinus dicit: *Is qui prædam ab hoſtibus ſurripuit peculatus tenetur:* quod vel unum ſatis eſſe debuit ut juris interpretes moneret, ne ex hoſtibus capta ſingulis acquiri crederent, cum conſtet peculatum non eſſe niſi in re publica, ſacra, aut religioſa. Hæc omnia eo pertinent, ut appareat, quod ſupra diximus, ſemota lege civili, & primo, in bellicis actibus capta populi aut regis bellum gerentis fieri.

Lib. xvi. c. 4.

L. penult. ad l. Jul. pecul.

L. 1. eod. tit.

COMMENTARIUS.

QUæ de præda huc uſque diſputavit Auctor, ad ejuſmodi prædam pertinent, cujus populus dominus eſt, quia actu bellico, id eſt, fuſo fugatoque exercitu hoſtili, occupatur, & proinde ad populum victorem pertinet, ſed cujus diſpenſandæ arbitrium populus Imperatoribus concedere aliquando voluit; ea tamen conditione, ut rationem actus ſui populo deberent. Nos vero, ut ex iis, quæ commentati ſumus, patet, ad populum indiſtincte omnem prædam pertinuiſſe, quæ vel in actu bellico vel dimicatione ſingulari, capitur, ob rationes ſuo loco allegatas. Moribus tamen & conſuetudine quarundam Rerumpublicarum vel res quædam vel quidam eas parandi modi excipi poſſunt, quibus ex conſenſu & publica populi auctoritate milites ſibi acquirendi facultatem nacti ſunt. Sic conceſſa militi direptione ſtatim ejus, quod capit, dominium ſibi acquirit, quam ad exercitandos militum animos ſolebant Imperatores nonnunquam concedere, & rati habere quod ſors belli cuique gregario dediſſet militi, cujuſmodi conceſſio ab Imperatore quidem tanquam cauſa proxima, ſed cauſa remota & quidem principalis erat conſenſus & auctoritas Senatus, ſive populi, a quo diſpenſandæ arbitrium in Imperatores transferebatur; non ſummum & abſolutum, ſed ſubordinatum, tale ſcilicet, ut actus ſui rationem populo deberent. Liberâ Republicâ decretum Senatus præcedebat aliquando, uti de præda Vejorum decrevit Senatus ex ſententia P. Licinii, gratius id fore, dicentis, quod quiſque ſua manu ex hoſte captum, domum retuliſſet, quam ſi multi ex alterius arbitrio, (id eſt, per diviſionem Imperatoris factam) acciperent. Liv. *lib.* 5. Verum quæri hic poſſet, quî peculatus judicio damnari potuit L. Scipio, quod minus in ærarium detuliſſet, quam accepiſſe conſtabat, penes quem arbitrium diſpenſandæ prædæ ex hoſtibus captæ? Sed facile reponi poteſt, quod cum omnis præda ad populum victorem pertinebat, ejus diſpenſandæ arbitrium Imperatori quidem conceſſiſſe, neceſſitate tamen ipſi impoſita, qua tenebatur rationem reddere actus ſui, id eſt, ut ego interpretor, populo demonſtrare quid factum fuiſſet de præda: conſtare enim oportebat, quid, quantum ex hoſtibus captum, & an militi diviſum, & quem in uſum verſum. Quippe cum legibus populo addicta præda, & non conceſſa militi, Quæſtoris erat eam pecuniam inde redactam in ærarium deferre; atqui Scipio non conceſſiſſe videtur prædam militi; Ergo oportuiſſet ut eam detuliſſet in ærarium, quod quidem fecit, ſed pro parte tantum, quamobrem peculatus judicio damnatus: cum enim in eam nullum jus haberet, quo ejus ſibi dominium poterat vindicare abſque conſenſu populi, cui prædæ acquiſitum dominium, videbatur reliquum ſurripuiſſe, & proinde peculatus crimen admiſiſſe, *l. 13. ad leg. Jul. pecul.* Eadem lege & milites tenebantur, qui non in publicum detulerant omnem prædam ab hoſtibus captam. Huc pertinet ſacramentum militare, ſupra a nobis annotatum. Ex quibus patet, ex hoſtibus capta populo acquiri, cum conſtet *l. 1. ff. ad leg. Jul. pecul.* peculatum non eſſe niſi in re publica, ſacra aut religioſa.

XXII. 1. Addidimus ſemota lege civili & primo, ſive directe: illud quia de rebus nondum actu quæſitis lex ad utilitatem publicam poteſt imperare, ſive lex illa lex populi eſt ut apud Romanos, ſive regis ut apud Hebræos & alibi. Sub legis autem nomine etiam conſuetudinem

tudinem recte introductam volumus comprehendi. Alterum illud eo pertinet, ut ſciamus ſicut res alias ita & prædam poſſe a populo aliis concedi, nec tantum poſt acquiſitionem, ſed & ante eam, ita ut ſubſecuta captura conjungantur actiones brevi manu, ut loquuntur Juriſconſulti: nec tantum ea conceſſio nominatim fieri poteſt ſed & in genere, ut viduis, ſenibus, & egentibus pupillis pars prædæ data eſt temporibus Maccabaicis, ut etiam perſonis incertis ad exemplum miſſilium quæ Romani Conſules capientium faciebant. *II Mac. VIII. 28, 30.*

2. Neque vero hæc juris translatio quæ lege aut conceſſu fit ſemper mera donatio eſt, ſed interdum contractus, interdum aut ſolutio ejus quod debetur, aut remuneratio ob damna quæ quis paſſus eſt, aut ob id quod ipſe bello impendit, ſive ſumtu ſive opera, ut cum ſocii aut ſubditi nullo ſtipendio militant, aut non tali quod operæ reſpondeat. Nam ex his cauſis prædam aut omnem, aut ejus partem concedi ſolitam videmus.

COMMENTARIUS.

Dominium rerum ex hoſtibus captarum populo acquiri indiſtincte, ſupra annotavimus, & quidem naturaliter; verum quemadmodum populus ſeu Rex ejus nomine, juxta regiminis formam penes quem ſummum rerum arbitrium, de iis, quæ ad Rempublicam pertinent, poteſt diſponere prout arbitratur ejus utilitatem & commodum efflagitare. Quemadmodum quiſque privatus eſt dominus & liber moderator ac arbiter rerum ad ſe pertinentium, ita quoque populus, ſive nomine populi Rex vel Princeps, idem jus ac dominium habet in res, quæ ſunt ejus in dominio, vel quarum acquirendi dominii jus habet ac facultatem. Cujus generis res hoſtiles vel jam captas ex hoſtibus vel capiendas. Rem enim ipſam habere videtur, qui jus ad ejus dominium, caſu habili exiſtente, acquirendum quæſitum. Demonſtravimus paulo ante, natura & æquitatis ratione dictante, prædam ex hoſtibus captam indiſtincte naturaliter acquiri populo vel Principi, cujus nomine bellum ſuſceptum & geritur, idque rationibus adſtruere elaboravimus, niſi aliter ſtatuere placuerit populo vel Principi ejus nomine, quemadmodum quiſque privatus, ita & populus juri ſuo in alterius favorem renunciare poteſt, & rerum, quarum dominium acquiſivit, vel jus habet ad illud, caſu exiſtente, acquirendum, aliis concedere. Cujuſmodi voluntatem & placitum declarat vel per legiſlationem, vel conſuetudinem, quæ & legis vim habet; nihil enim intereſt, ſuffragio populus, id eſt, lege lata, voluntatem ſuam declaret, an verbis ipſis & factis, *l. 31. ff. de legib.* quemadmodum autem liberam habet facultatem circa acquirendum eorum dominium, quæ ex hoſtibus capta, ejuſmodi jura conſtituere, quæ ſibi placuerunt, & proinde eorundem dominium vel jus ad illud acquirendum vel ſibi retinere & integrum ſervare, vel aliis cedere; ita quoque ab ejuſdem pendet arbitrio, quibus velit ea concedere, an certis quibuſdam civibus, puta militibus duntaxat & qui bello actu operam navant, an etiam omnibus civibus, quibus onera belli ſuſtinere incumbit, ſive etiam viduis, ſenibus, egentibus pupillis, aut etiam perſonis incertis, exemplo miſſilium, quæ ſpargebantur in vulgus diebus ſolennibus, nulla habita perſonæ ratione; neque hæc juris tranſlatio ſemper mera donatio eſt, ſed fit ſæpius in ſolutionem ejus quod debetur, aut compenſationem damni quod quis paſſus eſt, vel alias ob rationes ab Auctore adductas, eum in finem forte, ne populus vel Princeps videretur admodum negligens paterfamilias, dum aliis concedit lucrum quod ipſe capere potuiſſet, imo oportuiſſet, utpote qui publicæ utilitati promovendæ potiſſimum inſervire debet. Imperium enim cura ſalutis alienæ eſt; nec etiam facile concederem, Principem ex poteſtatis plenitudine quæ Reipublicæ ſunt, abſque juſta cauſa aliis donare, quod perdere eſt, niſi conſentiente univerſo populo.

XXIII. Et illud quidem tacita conſuetudine ubique ferme inductum Juriſconſulti noſtri notant, ut ſua faciant quæ capiunt aut ſocii aut ſubditi qui ſine ſtipendio & ſuo ſumtu ſuoque periculo bellum gerunt. Ratio in ſociis eſt evidens, quia naturaliter ſocius ſocio tenetur ad reparationem damnorum quæ ob negotium commune aut publicum *Cald. conſ. 85. Job. Lupus de bello. ¶. ſi bene advertat. Jaſ. in l.*

quod apud hoſtes: de Legatis 1. *Franc. a Ripa in l.* 1. *de acq. poſſ. n.* 5. *Covar. ad C. peccatum, p.* 2. §. 11. *Bon. fin. l.* IV. *dec.* V. IV *de Benef.* 15. *Ann.* 12.

cum eveniunt. Adde quod opera quoque gratis præſtari vix ſolet. *Sic medicis*, ait Seneca, *pretium operæ ſolvi quod deſerviunt, quod a rebus ſuis avocati nobis vacant.* In oratoribus idem æquum judicat Quintilianus, quia hæc ipſa opera tempuſque omne alienis negotiis datum facultatem aliter acquirendi recidunt: quod Tacitus dixit, *omitti curas familiares ut quis ſe alienis negotiis intendat.* Credibile ergo eſt, niſi cauſa alia appareat, puta aut beneficentia mera, aut contractus antecedens, ſpem ex hoſtibus lucrandi ſpectatam in damni & operæ compenſationem.

COMMENTARIUS.

NOtavimus §. 12. naturaliter prædæ dominium indiſtincte, ſive in miniſterio publico, ſive extra illud ab hoſtibus capiatur, cedere non ei qui actu capit, ſed populo vel Reipublicæ, cui miles operam addixit, neque illud repugnare æquitati; quippe ſive civis quis ſit, & ut olim apud Romanos ſine ſtipendio ſuo ſumptu ſuoque periculo bellum gerit, ſive peregrinus qui ſtipendium meretur, niſi lex vel conſuetudo aliter ſtatuat, præda illius eſt, cujus nomine bellum geritur; quippe naturalis obligatio civem & ſubjectum obſtringit, & fortunas & vitam ipſam abſque ulla remunerationis ſpe pro defenſione patriæ profundere atque in commune deferre; peregrinus vero ſtipendio contentus eſſe debet, ſin autem ſine eo militiæ nomen dederit, imputet ſibi quod aliam ſibi non ſtipulatus eſt conditionem; attamen nec æquitatis rationi repugnat, ut in compenſationem damni & periculi, quibus ſe exponunt, prædæ etiam participes fiant. Quamobrem ſumma æquitate & ratione nititur ejuſmodi conſuetudo, qua inductum, ut ſua faciant quæ capiunt aut ſocii aut ſubditi, qui ſine ſtipendio & ſuo ſumptu ſuoque periculo bellum gerunt; verum hæc æquitatis ratio non adeo valida, ut abſque ejuſmodi conſuetudine intervertere vel auferre queat dominium prædæ vel partis ejus, naturaliter belligerantibus quæſitum, & abſque eorundem conſenſu transferre in eos, qui ejus damni & periculi participes: fortior enim eſt ratio, quæ ex naturali dominii acquirendi modo deducitur. Putat Auctor, quod ratio ſit evidens in ſociis, quia naturaliter ſocius ſocio tenetur ad reparationem damnorum, quæ ob negotium commune vel publicum eveniunt; cui etiam accedit & altera ratio, quod operam quoque gratis vix præſtare ſolent. Non inficior, quod in hac ratione introducta conſuetudo potiſſimum fundari debet; verum, cum ejuſmodi reparatio abſque culpa vel facto meo dato jure perfecto a ſocio exigi nequeat, nec jure perfecto petere poteſt, ut in partem prædæ admittatur, eo quod ejuſdem damni & periculi particeps, nullo contractu, vel pacto aut conventione interveniente, qua ſibi jus perfectum exigendi prædæ partem facultatem ſtipulatus eſt; quippe ſibi imputet, quod a me in belli ſocietatem pertractus non convenerit mecum de præda ex hoſtibus pro æquis portionibus dividenda in damni compenſationem; ſaltem qui ad damni reparationem ex æquitate tenetur, non tenetur ad ejus reparationem partem prædæ ipſi cedere, nec alter eo nomine abſque conſenſu ejus, cujus auſpiciis bellum geritur, ſibi prædæ partem jure vindicare poteſt. Nullam diverſitatis video rationem, cur non gratis operam ſuam mihi præſtare voluiſſe præſumendum, ſi nullo facto contractu vel conventione interpoſita de prædæ inter nos diviſione mentionem faciente, quam, quod præſumendum Auctor velit, eo animo mihi operam ſuam addixiſſe & veniſſe in auxilium, ut damni quod pateretur reparationem facerem, & proinde in prædæ partem ipſum admitterem, ex ſuo arbitrio pependit, an voluerit in belli ſocietatem pervenire, & tales conditiones ſibi ſtipulari, quas ſibi convenire arbitraretur; atqui nihil horum fecerit, cenſendum, gratis mihi operam ſuam præſtare animum habuiſſe. Sed quidquid ſit, id ſaltem verum, quod eo nomine nihil juris ſibi vindicare poſſit in ea quæ capiuntur ex hoſtibus, quamobrem lege vel conſuetudine introducere gentibus placuit ejuſmodi obſervantiam juris de quo ſermo. Attamen non inficior, æquitatem dictare, ut ſocium indemnem præſtet ille, & proinde quam non jure perfecto exigere poteſt, ex æquitate & humanitate ipſi damni reparatio præſtetur; quamobrem non abſque ratione conſuetudine receptum, ut ſua faciant quæ capiunt ex hoſtibus ſocii; quod intelligendum de rebus mobilibus, non territorio, ſive regionibus, vel oppidis aut arcibus expugnatis & in poteſtatem redactis vel redigendis. Hæc enim, ut patet ex hiſtoriis, illi cedere ſolent, qui ſuo nomine bellum gerit. Quamobrem conſcriptis conditionibus, quibus in amicitiam ſocietatemque populi Romani Ætoli venirent, additum: *Urbium Corcyra tenus ab Ætolia incipienti ſolum tectaque & muri cum agris, Ætolorum: alia omnis præda populi Romani eſſet.* Liv. *lib.* 26. *cap.* 24.

XXIV. 1. In ſubditis id non æque evidenter procedit: quia hi operam

operam civitati ſuæ debent: ſed contra occurrit quod ubi non omnes ſed aliqui militant, his ipſis a corpore civitatis retributio debetur ejus quod plus cæteris operæ aut ſumptus impendunt, multoque magis damnorum, in cujus retributionis certæ locum ſpes prædæ totius aut partis incertæ facile, nec ſine ratione, conceditur. Sic Poëta,

Præda ſit hæc illis quorum meruere labores. Propert.

2. De ſociis exemplum eſt in fœdere Romano, quo Latini in prædæ partem æquam admittuntur in iis bellis quæ populi Romani auſpiciis gerebantur. Sic in bello quod Ætoli gerebant adjutoribus Romanis, Ætolis quidem urbes & agri, Romanis autem captivi & res mobiles cedebant. Poſt victoriam de rege Ptolemæo partem prædæ Athenienſibus dedit Demetrius. Ambroſius hiſtoriam tractans Abrahami moris hujus æquitatem oſtendit: *Sane his qui ſecum fuiſſent, in adjumentum fortaſſe ſociati, partem emolumenti tribuendam aſſerit, tanquam mercedem laboris.*

Liv. l. IV. & XXIV. *Dionyſ. l.* VI. *Polyb. l.* XI. *Plut. Demetrio. Livius l.* XXVIII. *Lib.* 1. *de Abrah. c.* 3.

3. De ſubditis exemplum eſt in populo Hebræo, apud quem pars prædæ dimidia cedebat his qui in procinctu fuerant. Sic & Alexandri miles prædam privatis ereptam ſuam faciebat, niſi quod eximia quædam ſolitus eſſet ad regem referre: unde accuſatos eos videmus qui ad Arbela conſpiraſſe dicebantur, de præda omni ita ſibi vindicanda ut nihil in ærarium deferrent.

Num. XXXI. 27, 47. 1 *Sam.* XXX. 22. & *deinceps.*

4. At quæ publica hoſtium aut regis fuerant, exemta erant huic licentiæ. Ita legimus Macedonas cum Darii caſtra ad Piramum amnem irrupiſſent ingens auri argentique pondus diripuiſſe, nec quicquam reliquiſſe intactum præter regis tabernaculum: *tradito more*, inquit Curtius, *ut victorem victi regis tabernaculo exciperent*: unde non abit mos Hebræorum, qui victi regis coronam regi imponebant victori: eidemque aſſignabant (quod in Thalmudicis Digeſtis legitur) regiam ſupellectilem bello captam: & quod in rebus geſtis Caroli Magni legimus, cum is Hungaros viciſſet, privatas opes militi, regias ærario ceſſiſſe. At apud Græcos λάφυρα erant publica ut ante oſtendimus, σκῦλα ſingulorum. Vocant autem σκῦλα ea quæ durante certamine eripiunt hoſti, λάφυρα quæ poſt certamen: quod diſcrimen & aliis gentibus nonnullis placuit.

II *Mac.* VII. 28, 29. *Plut. Apopht.* II *Samuel.* XII. 30. *Tit. de Rege. Arius de bello n.* 162.

5. At apud Romanos veteri quidem republica non tantum fuiſſe conceſſum militibus, ſatis apparet ex his quæ ſupra diximus. Pluſculum indulgeri cœpit militi in bellis civilibus. Ita a Sullano milite Æqulanum direptum legas. Et Cæſar poſt pugnam Pharſalicam caſtra Pompejana militi dat diripienda cum hoc dicto apud Lucanum:

Supereſt pro ſanguine merces,
Quam monſtrare meum eſt; nec enim donare vocabo
Quod ſibi quiſque dabit.

Bruti & Caſſii caſtra diripuerunt Octaviani & Antoniani milites. Bello civili alio Flaviani ad Cremonam ducti, quanquam inſtabat nox, colo-

Bellin. p. 2. *tit.* 18. *n.* 3. *Donell. l.* IV. *Com. C.* 21. *Sylv. in verbo bellum* 1. *inpr. ex Roſoll. Weſem. ad* §. *item ex Inſt. de*

rer. diviſ. coloniam divitem feſtinant impetu capere; veriti alioqui ne opes
App. civil. I. Cremonenſium in ſinu præfectorum legatorumque eſſent, gnari ſci-
Lib. VII. licet, ut Tacitus loquitur, *expugnatæ urbis prædam ad militem, deditæ ad*
App. civil. IV. *ducem pertinere.*

Tac. Hiſtor. III. 6. Atque id langueſcente diſciplina eo libentius conceſſum militi,
ne manente periculo omiſſis hoſtibus præda manus impediret, quod
Tac. plurimas ſæpe victorias corrupit. Cum caſtellum Volandum in Arme-
Ann. nia Corbulo expugnaſſet, *Imbelle vulgus*, narrante Tacito, *ſub corona ven-*
XIII. *ditum, reliqua præda victoribus ceſſit.* Apud eundem ſcriptorem in præ-
Ann. XIV. lio Britannico Suetonius ſuos hortatur, ut cædem continuent prædæ
immemores: addens parta victoria cuncta ipſis ceſſura: qualia & ali-
bi paſſim invenias. Adde quod ex Procopio jam modo attulimus.

COMMENTARIUS.

NOn inficior quoque æquum eſſe, ut ſubditis, ſi non omnibus, ſaltem hiſce qui militant, licet naturali obligatione teneantur operam ſuam pro defenſione patriæ gratis præſtare, cui vitam & fortunas omnes debent, ad damni reparationem & in ſumptus compenſationem, ſpes prædæ totius aut partis incertæ concedatur. Verum me fugit ratio, cur his a corpore civitatis debeatur retributio ejus quod plus cæteris operæ aut ſumptus impendunt, multoque magis damnorum; quippe debitum cum debito compenſatur: civitati enim ſuæ debent operam, debent vitam & fortunas, exigente neceſſitate. Verum dum foris pro patriæ conſervatione, pro laris ac focis in procinctu ſunt, domeſtica negotia curare nequeant, unde ſe ſuoſque ſuſtentare & tueri debent, æquitas ſuadet, ut aliunde ipſis ſubminiſtrentur vitæ tuendæ ſubſidia, & proinde vel ſtipendia e publico, vel pars prædæ eorum loco, concedatur. Cui etiam accedit, quod æqualitas, quæ inter cives æquo jure in unam eandemque ſocietatem civilem coalitos obſervari debet, aliquam damni & ſumptuum compenſationem efflagitat; perfecto tamen jure eam exigere nequeunt, niſi lex vel tacita conſuetudo ipſis ejuſmodi retributionem conceſſerit. Quod Latini, quod Ætoli in partem prædæ admiſſi, non jure tacitæ conſuetudinis, ſed fœderis & conventionis factum, ut videre eſt apud Livium; atque etiam hodie ſpecialibus pactis ſuper his convenire ſolent ſocii. Quæ publica hoſtium aut Regis fuerant, non ſolebant militibus in prædam dari; ut teſtantur exempla ab Auctore adducta. Verum enim eſt non æqualia ſingulis tribuenda, ſed præſtantiſſimos quoſque magis etiam præ cæteris cum honoribus tum donis augendos. Sic caſtris Aſſyriorum captis Cyro pulcherrimum ſelegerant tabernaculum, apud Xenophontem. Apud Hebræos idem obſervabatur, nec apud Græcos præda in totum militi cedebat, quædam ſingulis acquirebantur, alia publica erant. Ita nec apud Romanos veteri Republicâ militi tantum conceſſum, quam quidem interjecto tempore, cum Reſpublica Romana bellis civilibus laborabat, aucta quoque militum in diripiendo licentia, ut eo audaciores atque animoſiores fierent milites, tum etiam ſibi ad obediendum promptiores redderent ab utraque parte duces, atque magis devincirent.

Lib. XVI. c. IV. 7. Sunt autem quædam tam exigua ut publicari digna non ſint;
hæc ubique ſolent capientes ſequi populi conceſſu. Talia erant vete-
Conſt. Gall. lib. XX. tit. re Romana republica, haſta, haſtile, ligna, pabulum, uter, follis,
facula, & ſi quid minoris eſſet nummi argentei. Nam has exceptio-
XIII. art. 10. & 16. nes ſacramento militari additas apud Gellium legimus. Cui non diſſi-
mile eſt quod nautis etiam ſtipendio militantibus conceditur. Galli
Leg. Hiſp. lib. IV. diſpoliationem aut pilagium vocant, & eo comprehendunt veſtem,
aurum quoque & argentum intra decem ſcutatos. Alibi pars aliquota
tit. XXVI. p. 2. prædæ militibus datur, ut in Hiſpania, modo quinta, modo tertia,
alias dimidia penes regem manet: & ſeptima, interdum decima pe-
nes ducem exercitus: cætera ſunt capientium: exceptis navibus belli-
cis quæ totæ regi cedunt.

8. Eſt

8. Eſt & ubi operæ, periculi, ſumtuumque habita ratione partitio inſtituitur, ut apud Italos captæ navis pars tertia cedit domino navis victricis, tantundem ferunt quorum merces in navi erant, tantundem hi qui pugnaverunt. Nec non & illud accidit, ut qui ſuo periculo ac ſumtu bellum miniſtrant, non totam prædam auferant, ſed partem debeant publico, aut ei qui ex publico jus ſuum trahit. Sic apud Hiſpanos ſi in bello naves privatis ſumtibus inſtruantur, de præda pars regi, pars & maris præfecto debetur. Galliæ moribus decimam fert maris præfectus: ſic & apud Hollandos; ſed hic quinta prius prædæ pars a republica deducitur. Terra verò paſſim nunc uſurpatur, ut in direptionibus oppidorum & præliis ſuum quiſque faciat quod cepit: in excurſibus vero capta communia fiant eorum qui in comitatu ſunt, inter ipſos pro dignitatis ratione partienda.

Conſulatus Maris cap. CCLXXXV.

Lib. XIX. tit. XXVI. p. 2. l. 14.

Conſt. Gall. l. XX. tit. 14. art. 1.

Inſtruct. rei marit. c. XXII.

COMMENTARIUS.

MIlitibus etiam ſtipendium merentibus, per liberalitatem aliquam rebus bene geſtis, vel ad excitandos animos, populi conceſſu, capere ex hoſtibus licet, & ſua facere quædam tam exigui pretii, ut publicari non digna ſint, cujus generis ea, quæ ab Auctore enumerantur, juxta diverſarum gentium conſtitutiones & mores. Apud nonnullos oppida, arces, caſtella, vici ac pagi, munimenta expugnata, & cum tormentis majoribus, pulvere pyrio commeatuque Regi, cætera militibus cedunt. Apud nos præda hoſtibus capta intra tres horas ſummo Duci indicari debet, quæ annotatur ac publicatur poſtea. Si quis reticet quædam ac vendit, ipſe capite plectitur; vid. *jus milit. art.* 63, 64. Atque ita varium jus militare circa prædæ acquiſitionem apud diverſos populos introductum. In remuneratione vero facienda, iis, qui ſuo ſumptu ac abſque ſtipendio, ſuoque periculo hoſtem oppugnant, &, quantum vires ferunt, debellare ſuſcipiunt. Varia quoque apud varias gentes ac nationes jura conſtituta, & vel jure ſcripto, vel moribus & conſuetudine introducta. Sic ſi navalis ſit militia inter eos, qui rebus maritimis præſunt, ſive qui, ut nos vocare ſolemus, Societatem vel Collegium Admiralitatis conſtituunt, & ei, qui ex publico jus ſuum trahit, fit partitio.

XXV. Hæc autem eo pertinent, ut ſciamus ſi apud populum bello non permixtum controverſia oriatur de re bello capta, addicendam rem ei cui favent leges aut mores populi a cujus partibus res capta eſt: quod ſi ejus nihil probetur, ex jure gentium communi rem ipſi populo adjudicandam, ſi modo ea res in actu bellico capta eſt. Nam ex his quæ dicta jam ante a nobis ſunt ſatis apparet non omnino verum eſſe id quod pro Thebanis adfert Quintilianus, eo quod in judicium deduci poteſt nihil valere jus belli, nec armis erepta niſi armis poſſe retineri.

Lib. V. c. 4.

COMMENTARIUS.

PAulo ante notavimus, quod jus gentium & ſana ratio dictat, rem ex hoſtibus captam non fieri ejus, qui actu eam capit, ſed populi, utpote qui ejus dominium per militem acquirit ſibi eo modo, quo per procuratorem, tutorem, curatorem poſſeſſio nobis acquiritur; quippe, quidquid agunt, ejus nomine agunt, cui addixerunt operam, quamobrem non propriam, ſed ejus perſonam ſuſtinent, cujus ſunt in miniſterio, vel cui operam navant, a quo militiæ adſcripti, ab eodem quoque & agendi facultatem nanciſcuntur per ejuſmodi qualitatis ſive functionis vel muneris impoſitionem, & proinde eorundem actus conſiderantur tanquam profecti ab eo, cui jus gentium dominii acquirendi hanc facultatem tribuit, & ipſe agens tanquam inſtrumentum gerit vicem, quo alii utuntur ſuo compendio. Ex quibus præmiſſis ſanæ rationi innixis non alia poteſt deduci ratiocinatio vel concluſio, atque ea, quam ſupra annotavimus,

ſcilicet, res omnes, quæ ex hoſtibus capiuntur, ſive in miniſterio publico, ſive extra illud, populo indiſtincte acquiri, ſive immobiles, ſive mobiles vel ſeſe moventes, ſemota lege civili; quiſque enim populus poteſt ejuſmodi jura conſtituere, quæ ſibi placent, circa prædæ ex hoſtibus captæ vel capiendæ acquirendum dominium, illudque aliis concedere, quemadmodum vix inveniri populum exiſtimo, qui non militibus conceſſerit facultatem quædam e rebus hoſtium ſua certo modo faciendi; verum abſque ejuſmodi conceſſu omnia indiſtincte jus gentium populo victori addicit, quæ capiuntur ex hoſtibus ſive immobilia ſive mobilia. Aliter autem ſtatuit Auctor, ut patet ex iis quæ in hoc capite de jure acquirendi bello capta. Atque in hoc §. inhæret diſtinctioni antecedenti, dum ſtatuit, quod ſi apud populum bello non permixtum controverſia oriatur de re bello capta, rem addicendam ei, cui favent leges aut mores populi, a cujus partibus res capta eſt. Quamobrem ſummopere intereſt cujuſque populi mores, leges & conſuetudines noſſe. Quod ſi ejus nihil probetur, ex jure gentium communi ipſi populo res adjudicanda eſt, ſi modo ea in actu bellico capta ſit; quippe in actu belli ſive publico in miniſterio non capta ſingulorum capientium fieri jure gentium ſtatuit Auctor. Non videtur mihi juxta hanc diſtinctionem controverſiam definiri oportere, quia illam non admittit recta ratio, nec proinde jus gentium, quod ratio inter gentes conſtituit.

Hoc cap. §. 5. XXVI. 1. Quæ vero res hoſtium non ſunt, etſi apud hoſtes reperiantur, capientium non fiunt: id enim, ut jam ante diximus, nec naturali juri congruit, nec jure gentium introductum eſt. Sic *Liv. lib. XLV.* Romani Pruſiæ dicunt: *Si is ager Antiochi non fuiſſet, eo ne populi quidem Romani factum apparere.* Si quod tamen in illis rebus jus habuit hoſtis quod poſſeſſioni connectatur, puta pignoris, retentionis, ſervitutis, id quominus capientibus acquiratur nihil obſtat.

2. Solet & hoc quæri, an extra territorium utriuſque partis bellum gerentis capta fiant capientium: quod & de rebus & de perſonis ſolet in controverſiam vocari. Si jus ſolum gentium reſpicimus, puto locum hic non conſiderari, ſicut & hoſtem ubique recte interfici diximus. Sed qui in eo loco imperium habet poteſt lege ſua prohibere ne id fiat, & ſi contra legem factum ſit, de eo tanquam de delicto poſcere poteſt ut ſibi ſatisfiat. Simile eſt quod in agro alieno capta fera, dicitur capientium fieri, ſed a domino agri prohiberi poſſe acceſſum. *L. quod. enim. D. de acq. rer. dom.*

COMMENTARIUS.

Supra §. 5. notavimus, ab æquitate & ſana ratione alienum, ut res, quæ hoſtium non ſunt, ſed apud hoſtes tamen inveniuntur, capientium fierent. Verum non repugnat rationis dictamini, quamobrem nec juri gentium, ut ſi quod in illis rebus jus habuit hoſtis, puta pignoris, retentionis vel ſervitutis, illud transferatur jure belli in victorem, quemadmodum per bellum rerum dominium & poſſeſſio jure acquiritur, quamobrem nec etiam jura, quæ rei poſſeſſioni cohærent, eodem modo acquiri & in alium transferri poſſunt: bene enim diſtingui poſſunt a vero dominio ejuſmodi jura; non poſſumus plus juris in rebus, quæ apud hoſtes ſunt, acquirere, quam hoſtis ipſe habuit, cujus in locum jure belli ſuccedimus, quamobrem res illas noſtras non facimus, ſed jura, quæ hoſtis habuit, conſequimur. Verum quæritur, cujus fiunt ea, quæ extra territorium utriuſque partis bellum gerentis capta? Et dicendum cum Auctore mihi videtur, jus gentium locum hic non conſiderare, ſed perſonam cujus res eſt; atqui jus gentium capienti addicit rem ex hoſtibus captam, nulla territorii vel loci ubi capitur facta diſtinctione, dicendum etiam extra territorium capta capienti cedere. Locus enim non hoſtem facit, ſed animus atque ejuſdem hoſtilis declaratio, quæ fit per belli denunciationem, quamobrem quocunque in loco hoſtem cum rebus invenio, eum tanquam hoſtem & res tanquam hoſtiles tractare mihi licitum, & proinde jure belli in eum uti concedit jus gentium, ejuſdemque effectu gaudere. Poteſt vero, qui in eo loco imperium habet, lege vetare ac prohibere, ne vis inferatur vel perſonæ vel rebus; verum ejuſmodi prohibitio impedire nequit quominus res fiat ejus, qui contra prohibitionem eam cepit, eodem modo quo quis alienum fundum ingrediens prohibente domino, venandi aut aucupandi gratia, feram captam ſuam facit. Quod enim nullius eſt, cedit naturali ratione occupanti; atqui res hoſtium eodem loco habentur, ac ſi nullius eſſent; ergo & idem jus circa earundem occupationem, quæ fit

ſit jure belli, jus gentium concedit; prohibitio hoc tantum operatur, ut a contumace ſatisfactio peti queat, quemadmodum injuriarum actione conveniri poteſt, qui prohibente domino fundum ejus ingreſſus, quemadmodum prohibitio ejuſmodi conditionem animalis, ita nec hoſtis, vel rerum hoſtilium, quamvis alieno in territorio exiſtant & inveniantur, mutare poteſt, & proinde efficere ne capiens gaudeat effectu juris gentium ſive naturalis, rei, quæ nullius eſt, dominium primo occupanti addicentis.

XXVII. Jus autem hoc externum acquirendi res bello captas ita proprium eſt belli ſolennis ex jure gentium ut in aliis bellis locum non habeat, nam in bellis aliis inter exteros res non aciquiritur vi belli, ſed in compenſationem debiti, quod aliter obtineri non poteſt. In bellis autem inter cives, ſive magna ea ſive parva ſint, nulla fit dominii mutatio niſi auctoritate judicis.

L. 16. D. de ſerv. præd. ruſt. Sylv. in verb. bellum. 1. §. 3. & §. 11. verſ. 8.

COMMENTARIUS.

Auctor noſter bellum, quod publicum dicitur, in ſolenne vel minus ſolenne partitus eſt *lib.* 1. *cap.* 3. §. 4. Solenne vocatur, quod ſuſcipitur & geritur utrimque auctore eo, qui ſummum imperium habet in civitate, & proinde ſuperiorem nullum habet, cujus majeſtatem veneratur, illudque ſuos habet ritus, tum etiam juris effectus peculiares. Vid. quæ notavimus *dict. loc.* De variis effectibus belli ſolennis paſſim & hoc libro agit Auctor, quorum in numero acquiſitio dominii rerum, quæ ex hoſtibus capiuntur. Jus autem hoc externum acquirendi res bello captas ita proprium belli ſolennis ex jure gentium ſtatuit Auctor, ut in aliis bellis minus ſolennibus locum habere nequeat, de quo dubitandum. Nam & ipſe Auctor *lib.* 1. *cap.* 3. §. 5. concedit in iis etiam licite res auferri obſiſtentibus, ac militibus etiam concedi: *Nam*, inquit, *id belli ſolennis non ita proprium eſt, ut non alibi etiam locum habeat.* Quoniam enim tale bellum gerere licet, effectum ſane aliquem & vim habere debet, quamvis is non adeo licentioſe extendendus ſit, uti inquit Henninges, *neque tantum ad ſolam debiti compenſationem privatum bellum gerere poſſumus, ſed ad puniendum eum qui deliquit, ad petendam ſatisfactionem non tantum rei, de qua controvertimus, ſed & ejus quod intereſt, & poſt bellum ſuſceptum acceſſit. Item de cavendo nobis ſuper offenſione vel damno, quam probabiliter timemus.* Alibi notavimus, in ſtatu naturali, id eſt, antequam mortales in gentes & diverſos cœtus coaluerunt, penes quemque patremfamilias ſupremum imperium reſediſſe, & proinde habuiſſe poteſtatem bellum ſuſcipiendi, vel ad ſui & familiæ defenſionem, vel rerum vindicationem & recuperationem, vel injuriæ reparationem, vel delicti admiſſi ſatisfactionem. In ſocietatem vero coalitis hanc poteſtatem transferre neceſſum habuere in eum, quem ſummæ rerum præeſſe voluerunt, ita ut, ſi qua orta inter ejuſdem gentis vel ſocietatis membra controverſia, non vi & armis, ſed per diſceptationem coram judice dirimebantur, manente per vim certandi jure inter gentes ſuperiorem non agnoſcentes, quemadmodum ante coalitionem ejuſmodi inter ſingulas familias controverſias definire ſolitum. Ceſſantibus autem judiciis, reviviſcit jus priſtinum, & per diſceptationem jus ſuum conſequi ſublato remedio per vim certatio inſtituenda, cujuſmodi bellum privatum & minus ſolenne vocari ſolet, reſpectu publici belli, quod inter eos geritur, qui, ſuperiorem nullum agnoſcentes, ſibi jus dicunt, quod peculiares ſuas habet ſolennitates, tum etiam juris effectus, qui tamen non adeo ejuſdem proprii, quin etiam & in bello minus ſolenni locum habeant. Sed hiſce nou immoremur, utpote quæ alibi ſatis prolixe explicavimus.

CAPUT VII.

De jure in captivos.

I. *Omnes captos bello ſolenni jure gentium ſervos fieri:*
II. *Et eorum poſteros.*
III. *In eos quidvis impune fieri.*
IV. *Res captorum, etiam incorporales, dominum ſequi.*
V. *Cauſa cur id conſtitutum.*
VI. *An ita captis licitum ſit fugere?*
VII. *An & domino reſiſtere?*
VIII. *Jus hoc non apud omnes gentes ſemper obtinuiſſe:*
IX. *Nec nunc obtinere inter Chriſtianos; & quid ei ſit ſurrogatum.*

L. Libertus §. 1. D. de ſtatu hominum.

I. 1. Servi naturâ quidem, id eſt, citra factum humanum aut primævo naturæ ſtatu, hominum nulli ſunt, ut & alibi diximus: quo ſenſu recte accipi poteſt quod a Juriſconſultis dictum eſt, contra naturam eſſe hanc ſervitutem: ut tamen facto hominis, id eſt pactione aut delicto, ſervitus originem acciperet, juſtitiæ naturali non repugnat, ut alibi quoque oſtendimus.

L. poſtliminii. ¶. 1. D. de captivis. L. in bello. D. de capt.

2. At eo de quo nunc agimus gentium jure aliquanto latius patet ſervitus, tum quoad perſonas tum quoad effecta. Nam perſonas ſi ſpectamus, non ſoli qui ſe dedunt aut ſervitutem promittunt pro ſervis habentur, ſed omnes omnino bello ſolenni publico capti, ex quo ſcilicet intra præſidia perducti ſunt, ut ait Pomponius. Neque delictum requiritur, ſed par omnium ſors eſt, etiam eorum qui fato ſuo, ut diximus, cum bellum repente exortum eſſet, intra hoſtium fines deprehenduntur.

3. Polybius hiſtoriarum ſecundo: τί δὴ ἂν παθόντες οὗτοι δίκην δόξαιεν ἁρμόζουσαν δεδωκέναι; τυχὸν ἴσως εἴποι τις ἂν πραθέντες μετὰ τέκνων καὶ γυναικῶν ἐπεὶ κατεπολεμήθησαν. Ἀλλὰ τοῦτό γε καὶ τοῖς μηδὲν ἀσεβὲς ἐπιτελεσαμένοις κατὰ τοὺς τοῦ πολέμου νόμους ὑπόκειται παθεῖν. *Quid*, inquit, *patiendum his eſt ut juſta ſupplicia pendant? Dicat forte aliquis vendendos cum liberis & uxoribus quando armis victi ſunt. At hæc belli lege etiam illis ferenda ſunt qui nihil impii commiſerunt.* Atque eo fit quod Philo notat his verbis: πολλοὶ πολλάκις καιροῖς ἀβουλήτοις τῶν σφόδρα ἀστείων τὴν ἐκ γένους ἀπέβαλον ἐλευθερίαν: *Multi viri boni variis caſibus nativam amiſerunt libertatem.*

Libro: omnem virum bonum eſſe liberum. Orat. XV.

4. Dion Pruſæenſis cum modos acquirendi dominii quoſdam recitaſſet: τρίτος δὲ κτήσεως τρόπος, ὅταν ἐν πολέμῳ λαβὼν αἰχμάλωτον τοῦτον τὸν τρόπον ἔχῃ καταδουλωσάμενος, *ubi quem quis bello nactus captivum hoc modo ſervum factum poſſidet.* Sic pueros bello captos abducere πολέμου νόμον vocat Oppianus de piſcatu II.

L. Et ſervorum ¶. 1. D. de ſtatu hominum. Ann. I.

II. Neque vero ipſi tantum ſervi fiunt ſed & poſteri in perpetuum, nempe qui ex matre ſerva poſt ſervitutem naſcuntur. Et hoc eſt quod jure gentium ſervos noſtros fieri dixit Martianus, qui ex ancillis noſtris naſcuntur. Servitio ſubjectum uterum dixit Tacitus, agens de Germani ducis uxore.

COMMENTARIUS.

ANnotavimus *lib.* 2. *cap.* 22. homines natura naſci liberos, id eſt, ſui juris, quatenus ſibi æquales, ita ut nemo in alterum eitra antegreſſum factum aut pactum humanum poteſtatis quid habeat; ſed quilibet ſui juris ſibi imperat, & pro regula ac norma agendi propriam voluntatem habet, quiſque in naturali ſtatu actionum & virium ſuarum liber moderator eſt & arbiter. Verum quamvis natura cuique hanc libertatem largita ſit, non vetuit tamen eandem cum ſervitute commutare: atque ejuſmodi commutatio vel ſpontanea vel violenta. Spontanea eſt, cum quis alieno imperio & poteſtati ſponte ſe ſubjicit; eaque eſt vel ſtrictior vel amplior. Vid. quæ annotavimus *lib.* 2. *cap.* 22. §. 11. quippe ejuſmodi licentiam eo ipſo quod quiſque liber moderator ſit actionum ſuarum, atque ſummum imperium in ſe bonaque ſua obtinet, quoque ab eadem natura nactus, liber enim moderator dici nequit, niſi pariter diſponendi de bonis ſuis, tum etiam de ſe ipſo, facultatem liberam habeat. Unde quemadmodum quiſque juri ſuo renunciare poteſt & bona ſua aliis cedere, ita quoque libertatem abjicere, & imperium quod habet in ſemet ipſum in alium transferre, atqoe ejuſmodi ſervitus vocatur ſpontanea, cujus exempla allegavimus *dict. cap.* Eſt alia ſervitus perſonalis, quæ violenta dicitur, de qua nobis jam ſermo, atque ex eodem jure promanans, a quo bella introducta, ſcilicet jure gentium. *l.* 4. 5. *ff. de Juſtit. & Jur.* Omnia enim victori cedunt tum perſonæ, tum res hoſtiles, ut *cap. præced.* annotavimus. Perſonalem ſervitutem dicimus, quam victor in captivos nanciſcitur ad diſtinctionem ſervitutis quæ rebus quandoque impoſita, cum res rei ſervit, non eo, quaſi hæc ſervitus perſooam non egrediatur; quippe deſcendit quoque ad poſteros & ſeros oepotes non interveniente manumiſſione, ut ait Auctor, nec videtur rationi repugnare, ut ad natos ex matre ſerva hoc dominium porrigatur, quia, ſi ſummo jure victor uteretur, illi ipſi naſcituri non erant, utpote qui captos occidere potuiſſet jure belli. Unde ſequitur, ut nati ante calamitatem, niſi & ipſi capiantur, ſervi non fiant.

III. 1. Effecta vero juris infinita ſunt, ita ut in ſervum domino nihil non licere dixerit pater Seneca. Nulla perpeſſio eſt quæ non im- *1 Contr.* 5.
pune illis imponatur, nulla actio quæ non quovis modo imperetur aut extorqueatur: ita ut etiam ſævitia dominorum in ſerviles perſo- *L.* 1. *D.*
nas impunita ſit, niſi quatenus lex civilis ſævitiæ modum pœnamque *d his qui*
ponit. *Apud omnes peræque gentes*, ait Cajus, *animadvertere poſſumus do-* *ſui ſunt juris.*
minis in ſervos vitæ neciſque poteſtatem fuiſſe. Addit deinde, fines huic po- *Inſtit. de*
teſtati poſitos ex lege Romana, in ſolo ſcilicet Romano. Huc pertinet *his qui ſui vel alien.*
illud Donati ad Terentium, *Quid non juſtum domino in ſervum?* *juris ſunt.*

2. Sed & res omnes quæ captæ fuerant cum perſona acquiruntur *Andriæ actu* 1.
domino. Ipſe ſervus qui in poteſtate alterius eſt, ait Juſtinianus, ni- *ſcen.* 1.
hil ſuum poteſt habere. *Inſt. per*

IV. Unde refellitur aut certe reſtringitur eorum ſententia qui di- *quas perſ. cuique*
cunt incorporalia belli jure non acquiri. Nam verum eſt non primo *acq.* ¶.
ac per ſe acquiri, ſed media perſona cujus ea fuerunt. Excipienda ta- *item vobis.*
men ſunt ea quæ ex ſingulari perſonæ proprietate fluunt ac proinde inalienabilia ſunt, ut jus patrium. Hæc enim ſi manere poſſunt manent penes perſonam: ſi non, exſtinguuntur.

COMMENTARIUS.

SErvitus, quæ jure gentium introducta, neutiquam ad ſævitiam & crudelitatem protrahenda. Jus gentium enim, quod ratio naturalis inter homioes introduxit, nihil permittere poteſt, quod rationi repugnat; atqui vetat ratio, ne homines ferarum inſtar ſæviant in ſe mutuo, Hinc nec jure gentium licet ultra modum & humanitatem ſervos tractare. Superius notavimus, licite aliquid fieri aliquando dici de impunitate, quia in foro ſoli impunitum ejuſmodi factum,

quod illicitum in foro poli, in quo jus naturale agendi nobis norma & regula eſt, atque fundamentum eſt juris gentium, quamobrem nec eo licite aliquid fieri poſſe dicendum, quod fieri naturalis ratio non ſinit. *In mancipio*, ait Seneca 1. *de clem.* 18. *cogitandum, non quantum illud impune pati poſſit, ſed quantum tibi permittat æqui bonique natura, quæ parcere etiam captivis & pretio paratis jubet.* Atqui ſæpius contingit, ut corrupta & ad vitia prona, tum etiam erroribus obnoxia hominis natura, quandoque & erroribus ſeduci & a recto juris naturæ tramite paulatim naturam ſequens deviare & aberrare poteſt, unde pro regula & norma juri gentium conſentanea agendi amplecti ſolent quandoque, quæ nec naturalis ratio, nec ei innixum gentium jus, ſed quarundam gentium pravi mores, vel error induxit, Leges civiles nonnunquam corrigere neceſſum, quod errore receptum, & pravis moribus ſua debet cunabula. Quamobrem etiam dominorum in ſervos poteſtatem Romani limitarunt & ſuis cancellis circumſcripſerunt, cum Reipublicæ interſit, ne quis re ſua male utatur, & dominorum quoque ne auxilium ſervis contra illorum ſævitiam denegetur. *l.* 1. & 2. *de iis qui ſunt ſui vel alieni juris.* Et conſtitutione Pii Cæſaris ſtatutum, ut qui ſine cauſa ſervum ſuum occidiſſet, eadem pœna puniretur, ac qui alienum necaſſet; habet quidem jus vitæ & necis in ſervos dominus, nec naturali jure vetitum, ſed juſtam oportet cauſam ſubeſſe. Adrianus vero Cæſar ſervos a dominis occidi vetuit, eoſque juſſit damnari per Judices, ſi quid admiſiſſent, quod ultimo ſupplicio expiari dignum eſſet, teſte Spartiano *in Adriano.* Atque Umbriciam quandam matronam in quinquennium relegavit, quod ex leviſſimis cauſis ancillas atrociſſime tractavit. *l.* 2. §. *fin. ff. eod.* Homo ſtatu libertatis cum ſervili commutato, rerum omnium quoque & bonorum, quæ poſſidet, dominium amittit, & quæcunque acquirit, domino cedunt: res enim ſunt tantum ſequela & acceſſorium hominis, cujus conditionem ſequuntur. Unde refellitur, ut inquit Auctor, eorum ſententia, vel certe reſtringitur, qui perperam ſtatuunt, incorporalia belli jure non acquiri: acquirunt enim non per ſe, ſed cum ſubjecto cui inhærent. Quod ſubjectum ſunt vel perſonæ, vel res. Habet Auctor ſermonem de rebus incorporalibus, ſive juribus & commodis, quæ perſonæ competunt, illa autem tendunt vel in alias perſonas, vel in res. *Jura quæ perſonæ competunt in aliam perſonam, cum non niſi hujus conſenſu ſint quæſita (qui conſenſus non promiſcue quemlibet ſpectavit, ſed certum duntaxat hominem) haud quidquam ſimul acquiſita intelliguntur, ubi perſona, cui iſta competebant, in hoſtium manus pervenerit. Sic Rege ab hoſtibus capto, non ſtatim hoſti regnum quoque fuit acquiſitum.* Quod intelligendum de regno conſenſu civium delato. *Marito aut patre capto, non ſtatim poteſtas in uxorem & liberos acquiritur. Quando autem quis uxorem ſimul cum marito cepit, jus in uxorem captivam, non ex eo quod maritum ſimul cepit, ſed unice ex eo, quod iſtam cepit. Circa jura autem in res diſtinguendum eſt, utrum aliquis vivat in civitate, an vero extra civitatem in ſtatu mere naturali. Si in hoc vivat, qui perſonam cepit, omnes ſimul ipſius res cepiſſe intelligitur, aut ſaltem facultatem nactus eſt eaſdem quoque capiendi: quia nemo amplius obſtat, qui iſtarum occupationem prohibere jure poſſit. Verum in civitatibus receptum, ut non cum perſona res quoque ipſius pereat; ſed ut iſtius jus ad alias perſonas ejuſdem civitatis devolvatur, aut his non extantibus, publicis bonis accreſcat.* Pufend. *lib.* 8. *cap.* 6.

V. 1. Atque hæc omnia jure gentium de quo agimus non aliam ob cauſam introducta ſunt, quam ut tot commodis deliniti captores libenter abſtinerent a ſummo illo rigore quo captos & ſtatim, & poſt moram interficere poterant, ut ante diximus. *Servorum appellatio*, inquit Pomponius, *ex eo fluxit, quod imperatores captivos vendere ac per hoc ſervare nec occidere ſolent.* Dixi, ut libenter abſtinerent; neque enim quaſi pactio eſt ut abſtinere cogantur, ſi jus hoc gentium ſpectes, ſed modus perſuadendi ab eo quod eſt utilius.

L. Pupillus. §. 1. *D. de V. S.*

2. Eademque ex cauſa hoc jus etiam in alios tranſcribitur, perinde ut rerum dominium. Ad natos autem dominium hoc porrigi ideo placuit, quia alioqui, ſi ſummo jure captores uterentur, illi ipſi naſcituri non erant. Cui conſequens eſt ut nati ante calamitatem, niſi ipſi capiantur, ſervi non fiant. Ideo autem natos maternæ eſſe conditionis placuit gentibus, quia ſerviles concubitus nec lege nec certa cuſtodia erant conſtricti, ita ut nulla ſufficiens præſumptio patrem indicaret. Atque ita capiendum Ulpiani illud; *Lex naturæ hæc eſt, ut qui naſcitur ſine legitimo matrimonio matrem ſequatur*, id eſt lex conſuetudinis gene-

L. lex naturæ. D. de ſta-

generalis ab aliqua ducta ratione naturali, quomodo juris naturalis vocem abuſione quadam interdum ſumi alibi quoque demonſtravimus. *ſu homi-num. Lib. 11.c.xiii. ¶.26.*

3. Non fruſtra autem a gentibus introducta hæc jura, exemplo bellorum civilium intelligi poteſt, in quibus plerumque videmus captos interfectos, quia in ſervitutem redigi non poterant: quod & Plutarchus notavit vita Othonis; & Tacitus hiſtoriarum ſecundo. 1

4. Cæterum populine an ſingulorum fiant qui capiuntur, ex his quæ de præda diximus definiendum eſt. Nam homines hac in re jus gentium rebus æquavit. Cajus Juriſconſultus libro 11. Rerum quotidianarum: *Item quæ ex hoſtibus capiuntur jure gentium ſtatim capientium fiunt, adeo quidem ut & liberi homines in ſervitutem deducantur.* *L. natu-ralem & l. adeo: D. de acq. rer. Dom.*

COMMENTARIUS.

HUjus juris introducti cauſam Auctor adfert, ne ſcilicet ſummo jure uteretur in captivum; jure enim belli hoſti vitam eripere licet; ſed an etiam captivo, cui nocendi nobis facultas adempta eo ipſo, quod in poteſtatem noſtram redactus, quæritur? Affirmat Auctor. Quod in ipſa dimicatione & fervore prælii concedo, poſt moram vero parcendum ei, jus gentium & æquitatis ratio dictare videtur. Quid quod hoſtes liceat interficere, id favor defenſionis permittit, nec repugnat juri naturæ vim vi repellere, vel ei vitam eripere, qui mihi inſidiatur, & me e medio tollere animum induxit; atqui periculum ejuſmodi non imminet mihi ab eo, quem in poteſtatem meam redegi. Nec videtur mihi rationi conſentaneum, ut licentia in captivum tam late, quam in hoſtem, ad mortem uſque extendatur; verum ad deliniendam iram, qua hoſtes erga ſe invicem æſtuare ſolent, ne in excidium captivorum erumpatur, quæ nihil moderabile ſuadet, optime jure gentium ſervitus introducta, ut humano ſanguini parceretur. Cum enim vita ſit res inæſtimabilis, maxime invigilandum ejus conſervationi. Dominium autem, quod jure belli in captivos capienti acquiritur, adinſtar cæterarum rerum hoſtilium, quæ bello capiuntur, in alios quoque transferri poteſt. Sic ut liceat de ſervo cuique, quemadmodum de cæteris rebus dominio ſuo ſubjectis, pro lubitu diſponere, poteſt eum vendere, vel donare, vel relinquere teſtamento, vel alio modo jure civili introducto alienare; ad natos etiam jus hoc porrigi, paulo ante notavimus. Sed inſpiciendum quo tempore nati; quippe ante calamitatem nati libertatem retinent, niſi & ipſi capiantur, ut ibidem annotatum: ſequuntur enim ſtatum matris jure gentium, dictante ratione, quod ex re mea naſcitur, meum eſt. Quæ ratio potior mihi videtur, atque ea quam tradit Auctor: *Implantata enim ſolo cedunt: cæterum nec ipſi prolique ex ſervili ventre naſcitur, injuriam non facit dominus, ſi & ipſam ſervili eſſe conditione velit. Nam cum ipſius parens nihil haberet proprii, nulla ratio eandem alienandi ſupererat, niſi ex bonis herilibus. Cum autem dominus ejuſmodi proli alimenta & quæ ad vitam ſunt neceſſaria, cogatur præbere diu ante, quam ipſius opera utilis eſſe queat, & ſequentes operæ ſui temporis alimenta, ſaltem initio, non multum excedant.* Puſend. *lib. 5. cap. 3.* Populine an ſingulorum fiant, qui capiuntur, ex his, quæ de præda *præced. cap.* diſputavimus, definiendum.

VI. 1. Quod tamen Theologi nonnulli ſentiunt, qui bello injuſto capti ſunt aut ex captis nati iis fas non eſſe fugere niſi ad ſuos; in eo eos falli non dubito. Id quidem intereſt, quod ſi ad ſuos fugiant bello manente, libertatem conſequuntur ex poſtliminii jure: ſi ad alios aut etiam pace facta ad ſuos, vindicanti domino reddendi ſunt. Sed non ideo ſequitur animo quoque injici religionis vinculum; cum multa ſint jura quæ tantum exterius judicium ſpectant, qualia ſunt hæc belli jura quæ nunc exponimus. Nec eſt quod objiciat aliquis, ex dominii natura talem in animo obligationem ſequi. Reſpondebo enim, cum multæ ſint dominii ſpecies, poſſe & dominium dari quod tan- *Leſſ. l. 1. c. 5. dub. 5.*

tantum in judicio humano & quidem coactivo valeat. Quod & in aliis juris generibus occurrit.

2. Tale enim aliquatenus & jus eſt teſtamenta nulla dicendi ob deliquium ſolennitatis alicujus quam jura civilia præſcribant. Probabilior enim ſententia eſt etiam, quod tali teſtamento relictum eſt retineri ſalva pietate poſſe, ſaltem quamdiu ei non contradicitur. Nec longe abit dominium ejus qui ſecundum leges civiles mala fide præſcripſit: nam & hunc civilia judicia ut dominum tuentur. Et hac diſtinctione facile ſolvitur nodus ille quem Ariſtoteles nectit de cavillationibus libro II. c. 5. ἆρα δίκαιον τὰ αὐτοῦ ἔχειν ἕκαστον; ἃ δ' ἄν τις κρίνει κατὰ δόξαν τὴν ἑαυτοῦ, ἂν ᾖ ψευδῆ, κύρια ἐστιν ἐκ τοῦ νόμου. Τὸ αὐτὸ ἄρα δίκαιον καὶ οὐ δίκαιον. *Nonne jus eſt ut ſua quisque habeat? At quæ ex animi ſui ſententia judex judicaverit, ex lege rata ſunt. Erit ergo idem jus & non jus.*

Soto de juſt. & jure l. IV. qu. 4. art. 3. Leſſ. lib. 2. c. 14. dub. 3.

3. In noſtra vero quæſtione nulla cauſa fingi poteſt cur gentes aliud ſpectaverint quam externum illud. Nam facultas vindicandi ſervum, & cogendi, imo & vinciendi, & res ejus habendi, ſufficiebat ut captis captores vellent parcere: aut ſi tam feri eſſent ut iſtis utilitatibus non moverentur, certe nec moturum eos fuerat vinculum aliquod animis injectum, quod ipſum tamen ſi omnino ſibi neceſſarium crederent, poterant exigere fidem aut jusjurandum.

4. Neque vero temere in lege quæ non ex æquitate naturali, ſed majoris mali vitandi cauſa lata eſt, ea ſumenda eſt interpretatio quæ peccato obnoxium faciat actum cæteroqui licitum. Florentinus Juriſconſultus: *nihil intereſt, quomodo captivus reverſus eſt: utrum dimiſſus, an vi vel fallacia poteſtatem hoſtium evaſerit.* Nimirum quia hoc jus captivitatis ita jus eſt ut alio ſenſu plerumque & injuria ſit, quo nomine & a Paulo Juriſconſulto nominatur: jus, quoad effectus quoſdam: injuria, ſi id quod rei intrinſecum eſt ſpectetur. Unde & hoc apparet, ſi quis bello injuſto captus in poteſtatem hoſtium venerit, ab eo non attaminari furti crimine animum, ſi res ſuas ſubducat, aut laboris ſui mercedem ſi quam ſupra alimenta præſtari æquum eſt; modo ipſe neque ſuo, neque publico nomine quicquam debeat domino, aut ei cujus jus dominus acceperit. Nec refert quod fuga talis & ſubductio deprehenſa graviter puniri ſoleant. Nam & hæc & alia multa faciunt potentiores, non quia æqua ſunt, ſed quia ipſis expedit.

L. Nihil. D. de capt. L. poſtliminium eſt jus, in princ. eod. tit. Bannes 2. 2. quæſt. 40.

5. Quod vero prohibent canones nonnulli, ſuadere ſervo miniſterium domini ſui deſtituere, ſi ad ſervos referas qui pœnam juſtam ferunt, aut voluntaria pactione ſe addixerunt, præceptum eſt juſtitiæ; ſin ad eos qui bello injuſto capti ſunt, aut ex captis nati, oſtendit Chriſtianos Chriſtianis auctores potius patientiæ eſſe debere quam rei talis, quæ quamvis licita animos tamen a Chriſtianiſmo alienos aut alioqui infirmos poſſet offendere. Similemque in modum accipi poſſunt Apoſtolorum ad ſervos monita, niſi quod illa magis videntur obedientiam a ſervis exigere dum ſerviunt; quod naturali

C. ſi quis ſervum. 17. q. 4. & cap. ſeq.

turali æquitati conſentaneum eſt. Nam alimenta & operæ ſibi mutuo reſpondent.

COMMENTARIUS.

Diſputat hic Auctor contra Leſſium, qui *lib.* 2. *cap.* 5. dubitationem movet, *utrum ſervi ita tranſeant in dominorum poteſtatem ut non poſſint fugere?* Atque aſſerit quod injuſto bello captis non liceat duntaxat fugere ad ſuos, ſed etiam ad alios, quia religionis vinculum non injiciatur animo ex juribus, quæ externum judicium ſpectant. At vero Leſſius ſtatuit, quod ſervi bello capti licite poſſint fugere ad ſuos; verum non poſſint dominis perſequentibus vi reſiſtere. Alibi notavimus, bellum ſolenne, id eſt, ſuſceptum & indictum ab eo, qui ſumma majeſtate ornatus belli gerendi poteſtatem habet, juſtum vocari, etiamſi non juſta ex cauſa ſuſceptum, attamen eoſdem producit juris effectus, qui ex bello juſto, id eſt, cauſa intrinſece juſta ſuſcepto profluunt. De ejuſmodi bello, quod primo loco deſcripſimus in hoc §. ſermonem habet Auctor, nempe cauſæ juſtitia deſtituto, eoſdem tamen juris effectus producente, quos bellum intrinſece juſtum producit, modo ſolenne; quamobrem res hoſtium in bello ſolenni captæ, tum etiam ipſi hoſtes tranſeunt in dominium capientis, uti annotavimus. Quod autem cedit alterius dominio, invito domino ad alium tranſire nequit, conſenſu itaque domini opus rem ſuam in alium transferentis; & quamvis in bello vi omnia gerantur, ejuſmodi tamen vis bellica jure gentium probata, & eatenus nec omni penitus conſenſu deſtituitur ejuſmodi violenta dominii acquiſitio. Præterquam quod gentium conſenſu res hoſtium habentur acſi eodem loco eſſent, quo res nullius, & proinde primo occupanti cederent. Quod itaque quiſque jure belli capit, ita habendum acſi conſenſu poſſeſſoris dominium acquiſiviſſet, qui tacite approbaſſe videtur, quod jus gentium introduxit; atque hoc jacto diſputationis noſtræ fundamento, ejuſmodi rationes ei inædificari poſſe mihi videtur. Qui nomen dat militiæ, non ignarus eſſe debet juris, quod in bello agendi cuique norma eſſe debet, imo eo ipſo quod quis ſibi induit militis characterem & perſonam, ſubjicitur juri gentium, quod belli gerendi formam præſcribit, cui obtemperare ſeſe obſtringit, non ſecus atque ille, qui ſe Reipublicæ civem profiteri velit, ſeſe ſubjicit obtemperaturum legibus civitatis, ex voluntario ejuſmodi actu quis ſeſe obligat non in foro ſoli, ſed etiam poli, quia eſt quaſi tacita quædam promiſſio, & tacitum pactum, quod per ſe profluit ex natura actus & negotii geſti. Jam vero examinandum atque inſpiciendum quid dictat jus gentium, quod naturalis ratio inter homines conſtituit; quippe nullum aliud gentium jus agnoſco, quod juris vocabulo venire poteſt: pravi enim gentium quarundam mores vel errores jus gentium nentiquam conſtituunt, nec cum definitione convenit. Dictat autem jus gentium, quod ea, quæ belli jure acquiruntur, tranſeunt juſto dominii acquirendi titulo & modo in dominium capientis; atqui jus hoc conſenſu gentium omnium tacito introductum; ergo quicunque bello operam navat, tenetur in ſe approbare, quod tanquam pars & membrum ſocietatis humanæ, quaſi ipſe quoque introduxiſſe videtur, atque propterea conſenſiſſe, ut dominium rei a ſe captæ cederet capienti, imo non tantum res, ſed & perſona ſua. Cui etiam accedit, quod nihil magis æquitati conveniens, ut, quod quiſque juris in alterum ſtatuit, eodem utatur; atqui id juris ſibi in hoſtem vindicaret jure gentium; ergo ut tantundem patiatur æquum, ſcilicet, ut eodem jure hoſtes in ſemetipſum utantur. Quamobrem duplici quidem juris vinculo obſtrictus, ea quæ belli fortuna ſibi incommoda imponuntur pati. Primo tanquam pars & membrum ſocietatis humanæ tum etiam gentis; deinde quia proprium factum intercedit: qui enim antecedens cupit, etiam conſequens velle debet. Qui bello operam addixit, etiam cenſetur velle pati incommoda, quæ ſunt belli jure gentium introducti ſequela, tanquam membrum ſocietatis humanæ, tum etiam gentis vel civitatis, & invitus tenetur, non in foro ſoli duntaxat, ſed etiam poli obtemperare juri naturali & gentium, cui & gens ſive populus ſubjectus; quamobrem & effectus iſtiuſmodi juris pati æquo animo, ad majus damnum evitandum minus introduxit jus gentium, ut vitæ parceretur, ſervitutem, alia commoda quæ ex jure ſervitutis ad dominum perveniunt, induxit. Quatenus autem membrum ſocietatis humanæ ſinguli homines tenentur, quam poſſint, conſervationi ejus inſervire; conſervatur autem integris partibus; ergo & naturalis ratio quemque obligat ea media adhibere, quæ huic fini conſequendo idonea; atqui ſervitus a jure gentium introducta partium conſervationi inſervit; ergo & eam pati, fortuna volente, æquo animo, dictat ratio, & jus gentium quod inde profluxit. Ex quibus præmiſſis concludimus, in conſcientia ſervum obligatum domino, cujus jure belli in dominium tranſiit, omni fidelitate & obſequio operas ſuas præſtare, nec fas ei eſſe abſque domini conſenſu aufugere & ad ſuos revertere: naturalis enim inter dominum & ſervum intercedit obligatio tum ex ſuo quaſi conſenſu, tum etiam conditionis & ſtatus natura deſcendens, ut jam demonſtravimus, injiciens animo religionis vinculum. Cui etiam accedit, quod alterutrum verum eſſe debet, ſcilicet dominium ſervi adinſtar aliarum rerum tranſiiſſe ad capientem vel non; atqui Auctor ipſe affirmat jure gentium dominium in ſervum acquiri capienti; ergo ſequitur ex

natura dominii, quod eo privari dominus nequit abſque ſuo conſenſu, quin furtum committat, quia invito domino rem auſert, vel ſe ipſum auſert ſervus, idque eo magis, quia quaſi ex ſervi conſenſu idem nactus videtur, ut ſtatim notavimus. Nonne autem & jus divinum & naturale & humanum furtum vetat? Imo nonne vetat fidem fallere? Utrumque crimen admittit ſervus, invito domino aufugiens. Quis vero eo proceſſit audaciæ, ut negaret jus divinum & naturale, imo & humanum religionis vinculum conſcientiæ injicere, niſi omnem divini Numinis ſenſum abjecerit. Eſto bellum ex injuſta cauſa ſuſceptum, non eo omnes actus, qui occaſione belli ſuſcipiuntur, injuſti. Et quamvis bellum injuſtum reſpectu cauſæ, juſtum tamen quatenus auctore eo ſuſceptum, qui belli gerendi habet poteſtatem, idque gentium jure; quamobrem eodem jure introductum, ut eoſdem haberet juris effectus, tanquam ex juſta cauſa ſuſceptum, & proinde dominii acquirendi juſtus titulus. Præterquam quod juſtitia cauſæ non ad ſervum, ſed ad dominum pertinet. Fruſtra reſpondet Auctor, quod cum multæ ſint dominii ſpecies, poſſet & dominium dari, quod tantum in judicio humano & quidem coactivo valet; quippe ſtatuit nobiſcum Auctor, inter modos dominii acquirendi etiam recte recenſeri occupationem, quæ fit in bello rerum hoſtilium, ſi legitimus modus & juſtus titulus, oportet ut etiam verum dominium transferat, atque veri dominii effectum juris producat, quo dominus ſibi facultatem acquirit, eam rem retinendi quamdiu velit, & cuique extraneo neceſſitatem imponit, ne id invito domino eripiat, atqui iſtiuſmodi effectus diſtinctis rerum dominiis ex jure divino neceſſario & naturali deſcendit, injicit vinculum religionis animo. Quamobrem dum ſervus aufugiendo domino ſemetipſum eripit, furtum committit, ac proinde tranſgrediendo legem naturalem mortaliter peccat. Cui etiam accedit, quod ipſe hanc tranſlationem domino factam approbaſſe dicendus, in compenſationem vitæ ſervatæ, ſervitium promiſiſſe & ſibi per tacitum quaſi pactum ſtipulatus videtur victor; imo corpus ſuum domino addixiſſe, ac ſummum ipſi ſit beneficium, dum rem inæſtimabilem hac ratione redimere ipſi conceſſum. Nullum externum jus agnoſcimus, ſive univerſale ſive ſpeciale, cujus obligatio non ligat conſcientiam ejus, qui huic obtemperare tenetur; quippe quemadmodum jura & leges præſupponunt ſuperiorem poteſtatem, a qua proficiſcuntur & vim obligandi habent, tum etiam ſubjectum, cui leges præſcribuntur, ſimul quoque præſupponi debet obligatio indiſpenſabilis, quia ex naturali & divino jure deſcendit, qua ſubjecti in conſcienda obligantur leges & jura ſibi pro agendi norma amplecti: debemus enim obſequium poteſtatibus & magiſtratibus, & proinde leges & jura, quia eorundem placita ſunt, ſequi: ita enim placuit ſummo legiſlatori, quamobrem in conſcientia obſequi ipſis devincti. Poſſet objici, quod jus gentium non a ſuperiore, ſed ab ipſis gentibus, quæ ſibi æquales, profectum; verum ex conſenſu naturali naſcitur obligatio, fundata in conventione & pacto tacito, qua gentes ſibi devinxiſſe videntur, ut ea, quæ juris gentium ſunt, eandem haberent vim & efficaciam in humanis negotiis gerendis, ut cætera jura: imo quia ratio inter homines conſtituit ait Juriſconſultus, tanquam a ſuperiore legiſlatore profectum, a nobis idem exigit obſequium, & animo injicit religionis vinculum. Fallitur autem Auctor, dum ſtatuit legem ſervitutis non ex æquitate naturali profectam, ſed majoris mali vitandi cauſa latam, & proinde eam non ſumendam interpretationem, quæ peccato obnoxium faceret actum cæteroqui licitum: ſubeſt enim, ut inquit Zeiglerus, naturalis æquitas hæc, quod in comparatione melius ſit ſervum facere, quam occidere, ſi quidem alterutrum eligendum fuerit. Sic ſacras evolventi paginas conſtabit, diſerte Petrum hoc jus dominii aſſerere, & vinculum religionis, *Epiſt.* 2. *cap.* 2. *com.* 19. Idem Canones, *nec neceſſe eſt, Grotio talem limitationem concedere, quæ ejus opinioni utcunque inſerviunt, quandoquidem, quæ indiſtincte proferantur, cum limitatum debeant habere ſenſum, cauſa nulla ſubeſt. Quod autem profitetur Grotius, ſe in hoc* 5. *de iis, qui bello juſto capti ſunt, agere, nihil facit pro ejus ſententia, quandoquidem ita nemo captorum bello juſte ſe captum profitebitur. Unuſquiſque enim penes ſuam partem juſtitiam cauſa conſiſtere cauſabitur, unuſquiſque hoſtem injuſte bellum gerere pronunciabit*, inquit Zeiglerus. Præterquam quod non ſit penes ſingulos, qui militant, arbitrium judicandi de belli juſtitia.

VII. Cæterum ab iiſdem quos indicare cœpi Theologis illud dictum recte arbitror, ſervum domino jus illud externum exſequenti reſiſtere illæſo juſtitiæ officio non poſſe. Eſt enim inter hoc & ea quæ diximus manifeſta diſcrepantia. Externum jus, quod quidem non ſola agendi impunitate ſed & judiciorum tutela conſtat, inane erit ſi ex adverſo reſiſtendi jus maneat. Nam ſi domino vi reſiſtere licet, licebit & magiſtratui dominum tuenti, cum tamen magiſtratus ex jure gentium dominum in illo dominio ejuſque uſu defendere debeat. Eſt ergo hoc jus ſimile ei quod ſummis in quaque civitate poteſtatibus alibi

biti tributum eſt a nobis, ut vi illis reſiſtere licitum piumque non ſit. Ideo & Auguſtinus utrumque conjunxit cum dixit: *Ita a plebibus principes & a ſervis domini ferendi ſunt, ut ſub exercitatione tolerantiæ ſuſtineantur temporalia, & ſperentur æterna.*

COMMENTARIUS.

PEr jus externum Auctor intelligit facultatem quid impune faciendi in foro humano, quod leges non puniunt nec vindicant, etiamſi quis excedat æquitatis rationem, imo patrocinantur potius & agentem conveniens huic juri externo & ab omni pœna liberant; atqui domino in ſervum bello captum jus dominii competat; ergo & poteſt eum tractare pro ſuo arbitrio, quia nihil non licet domino in ſervum, nulla perpeſſio, quæ non impune illis imponitur; hinc ſervos in omnia obnoxios dicit Florus 3. 20. Dum enim jure ſuo utitur dominus, nulla injuria fit ſervo, & proinde nec domino jus illud externum exſequenti illæſo juſtitiæ officio reſiſtere nequit. Verum ſupra notavimus, ſervitutem introductam a jure gentium, ne domini ſummo illo rigore uterentur, quo captos ſtatim interficere poterant, & proinde in eorundem qui caperentur jure belli favorem. Unde ſervorum appellatio ex eo fluxit, quod Imperatores captivos vendere ac per hoc ſervare nec occidere ſolent, concedit dominium in ſervum ad uſum, non vero ad abuſum. Jus gentium, quod æquitatis ratione tanquam baſi ac fundamento ſuo ſubnixum, ita interpretandum, ut quam minimum ab ea recedat; quippe ſubverſo fundamento jus gentium evaneſcit. Dum vero ſervitutem in favorem introduxit, non ad ſævitiam & crudelitatem trahi debet, ut paulo ante notavimus. Dum enim eſt res maxime odioſa, reſtringi, non vero extendi potius debet, neque ulla ratio juris aut æquitatis benignitas patitur, ut, quæ ſalubriter pro utilitate hominum introducta ſunt, ea nos duriore interpretatione contra ipſorum commodum producamus ad ſeveritatem. Itaque non infinitam, ſed temperatam æquitate facultatem largitum eſt domino gentium jus, qua utenti non licet ſervo domino reſiſtere, nec etiam excedenti limites & terminos æquitatis naturalis ſtatim ei reſiſtendi facultatem nactus ſervus; quippe non modo iis, a quibus benigne ac humaniter habentur, ſed & iis qui injuſtitia ſua eorum iram provocant, obſequendum docet Apoſtolus Petrus 1 *Epiſtol. cap.* 2. Chriſtiana enim religio patientiam commendat. Verum ſi ultra modum dominus ſævire in ſervum, atque adeo crudeliter eum tractat, ut vita ipſi potius ſupplicium, mors ſolatium videatur, nullam rationem video, cur domino jure ſuo abutenti ad defenſionem corporis ſui ac vitæ tutelam reſiſti non poſſit ſalva conſcientia, & illæſo juſtitiæ officio: e diametro enim repugnat ejuſmodi licentia juri gentium, quo ſervitus introducta ad ſervandum hominem, & proinde in ejus favorem, non ad ipſi imponendam conditionem morte longe pejorem. Et quanquam abuſum illum leges non puniunt, jus tamen naturæ concedit ſervo ſui defenſionem, quæ jure gentium nemini poteſt eripi, quia ea quæ naturalia facto hominis tolli nequeunt. Præterquam quod juris nomine venire nequeunt ejuſmodi conſtitutiones & leges ſeu mores ac conſuetudines, quæ ab æquitate & rationis dictamine recedunt, ut alibi notavimus. Quod & nonnunquam magiſtratui & ſummo imperanti eandem ob cauſam reſiſtere licet *lib.* 1. diſputavimus.

VIII. Sed & hoc ſciendum eſt, jus iſtud gentium de captivis nec ſemper receptum fuiſſe, nec apud gentes omnes: quanquam Romani Juriſconſulti univerſaliter loquuntur, partem notiorem indigitantes totius nomine. Sic apud Hebræos; qui ſpecialibus inſtitutis ab aliorum populorum communitate ſegregabantur, perfugium erat ſervis, nimirum, ut recte notant interpretes, his qui nulla ſua culpa in eam calamitatem devenerant: quaſi ex cauſa videri poteſt ortum jus quod in ſolo Francorum ſervis datur proclamandi in libertatem, quanquam id nec quidem nunc tantum bello captis ſed & aliis qualibuſlibet ſervis videmus dari.

Deuteron. XXIII. 15.

Bodin. de rep. lib. 1. *c.* 5.

COMMENTARIUS.

CAptos in ſervitutem redigendi facultas deſcendit quidem ex jure gentium, ſed permiſſivo, quamobrem non fuit neceſſitatis ut idem jus apud omnes gentes reciperetur: introducta enim ſervitus, ut ſtatim annotavimus, ad deliniendum hoſtilem animum ira & odio æſtuan-

tem,

tem, ne ſummo illo rigore uterentur, quo captos interficere poterant. Sin autem quibuſdam gentibus nimia dura hæc libertatis cum ſervitute viſa fuerit commutatio, atque ſummum illum rigorem benignioribus remediis temperare placuit, potuerunt hanc conſuetudinem rejicere, & alia commoda captoribus concedere, quibus deliniti abſtinent libenter a ſummo illo rigore. Sic apud Hebræos perfugium fuit ſervis, qui nulla ſua culpa in eam calamitatem devenerant; atque huc pertinere videtur præceptum quod exſtat *Deut.* 23:15. ubi vetat Moſea tradere ſervum domino ſuo, qui ab ipſo ad Hebræos confugerat. Verum non placet quibuſdam ejuſmodi legis interpretatio, tum quod hac ratione ſervorum protervia confirmata fuiſſet in Republica optimis legibus fundata, tum etiam quia juri gentium contrarium quid apud Hebræos receptum fuiſſe probari nequit, tum quia ipſe Gentium Apoſtolus Paulus, ex Hebræorum gente oriundus, Oneſimum ſervum remiſit domino ſuo, uti perſpicimus ex *Epiſtola ad Philemonem verſ.* 12. Quamobrem ut ſatisfiat objectionibus, legem illam interpretantur de ſervo gentili, qui a domino Ethnico ad Iſraëliticum populum confugit, & quidem ut iiſdem initiaretur ſacria, hic non erat tradendus domino ſuo. Florentiſſimus Theologus quidam legem hanc intelligit de ſervis Cananæorum, qui non ob crimen vel delictum ab ipſis admiſſum, ſed crudelis ac ferocis domini ſævitiam ad Iſraëliticum populum confugerant, & eo quidem animo ut ſe ad ſummi ac veri Numinis cultum converterent, ne tamen damnum pateretur dominus, ei pretium ſervi ex communi ærario perſolvebatur. Ex quo conſtat, ſi ſervus ob delictum metu pœnæ ad Hebræos confugerat abſque animo amplectendi Judaiſmum, tutum ipſi terram Hebræorum nec refugium nec aſylum fuiſſe, ſed reddendum ſervum perſequenti. Quæri itaque poſſet, an illæſo juſtitiæ officio ſervis, qui ad noſtras terras vel alias gentes, ubi illud gentium jus de bello captis aut etiam aliis ſervis receptum non eſt, veniunt, jus datur in libertatem proclamandi, atque hac ratione domino jus ipſi quæſitum jure gentium auferre, non perſoluto ipſi ſervi pretio. Sic etiam ſervi, qui in Hiſpania empti cum dominis in terras Batavicas veniunt, poſſunt ibi in libertatem proclamari & liberi fieri; quippe licet idem jus non receptum apud nos, tamen juris naturæ vinculo obſtricti ſumus domino rem ſuam vindicanti reſtituere, & proinde ſervum ſuum apud nos profugum perſequenti reddere. Quippe cum ſervum eſſe neutiquam adverſetur legi divinæ, & proinde non vetat religio Chriſtiana ſervum recipere, atque antiquo domino reddere. 1 *Corint.* 5. *verſ.* 21. Docet enim ibidem Apoſtolus, ut quamvis quis ad Chriſtianiſmum converſus eſſet, quod tamen in eadem vitæ conditione maneat, in qua fuit cum Chriſtianorum ſacris initiaretur. *Servus vocatus es? non ſit tibi cura.* Nec *putet minus ſe eſſe Chriſtianum quod etiamnum ſervias, neque de mutanda conditione propterea conſilia agites. Sed ſi potes fieri liber, magis utere.* Definirem hanc quæſtionem juxta naturalem æquitatem, & proinde jus quod apud Hebræos receptum ſtatim annotavimus. Aliud dicendum ſi cum ipſo domino in illas terras advenerit, imputet ſibi dominus quod non ignarus juris Batavici, eo ſervos ſecum duxerit, damnum, quod quis ſua culpa ſentit, damnum non eſſe, jura dictant.

IX. 1. Sed & Chriſtianis in univerſum placuit bello inter ipſos orto captos ſervos non fieri, ita ut vendi poſſint, ad operas urgeri, & alia pati quæ ſervorum ſunt: merito ſane; quia ab omnis caritatis commendatore rectius inſtituti erant aut eſſe debebant quam ut a miſeris hominibus interficiendis abduci nequirent, niſi minoris ſævitiæ conceſſione. Atque hoc a majoribus ad poſteros pridem tranſiiſſe inter eos qui eandem religionem profiterentur, ſcripſit Gregoras, nec eorum fuiſſe proprium qui ſub Romano imperio viverent, ſed commune cum Theſſalis, Illyriis, Triballis, & Bulgaris. Atque ita hoc ſaltem, quanquam exiguum eſt, perfecit reverentia Chriſtianæ legis, quod cum Græcis inter ſe ſervandum olim diceret Socrates nihil impetraverat.

2. Quod autem hac in parte Chriſtiani idem & Mahumetiſtæ inter ſe ſervant. Manſit tamen etiam inter Chriſtianos mos captos cuſtodiendi donec perſolutum ſit pretium, cujus æſtimatio in arbitrio eſt victoris, niſi certi aliquid convenerit. Jus autem hoc captos ſervandi ſolet concedi ſingulis qui ceperunt, extra perſonas eximiæ dignitatis: in has enim reipublicæ aut ejus capiti jus dant plerarumque gentium mores.

Bart. in l. hoſtes. D. de capt. Covar. in c. peccatum, p. II. ¶. 11. n. 6. Vict. de jur. belli, n. 42. Boer. deciſ. 178. Silv. in verbo bellum. 1. num. 1. Lib. IV. Plat. 5. de rep. Bart. in l. nam & ſervus, D. de neg. geſtis. Boer. deciſ. 178. Conſtit. reg. Hiſp. l. VIII. tit. 26. part. 2.

COM-

COMMENTARIUS.

Diximus ſervitutem introductam jure gentium, ad ſervandum hominem, qui jure belli occidi poterat, cum autem vita homini nil carior, ita ut pro ejuſdem conſervatione quidvis potius pateretur incommodum, & proinde ſervitutem ſibi imponi malit, quam in ſtatu libertatis interſici & mori. Attamen dura admodum eſt ſervorum conditio, & ſervitutis cum libertatis ſtatu commutatio, idque eo magis, quia hominis naturæ innati ſtimuli, quibus adeo ad libertatem, quam a natura habet, tuendam impellitur, ut generoſus & bonæ indolis vir eam, niſi cum anima ſimul amittere cupiat. Cum autem Chriſtiana religio nihil magis commendet quam diligere proximum, tum vero maxime eos, qui iiſdem ſacris initiati ſunt. Cui e diametro repugnat, ejuſdem fidei ſocium in ſervitutem, qua nihil ipſi durius videtur, rapere, & eam vitæ degendæ conditionem imponere, a qua natura maxime abhorret. Quamobrem inter Chriſtianos laudabili & antiqua conſuetudine introductum, ut capti hinc inde utcunque juſto bello non fierent ſervi: merito ſane, inquit Auctor, quia ab omnis caritatis commendatore rectius inſtituta erant, aut eſſe debebant, quam ut a miſeris hominibus interficiendis abduci nequirent, niſi minoris ſævitiæ conceſſio, ſed liberi ſervantur, donec ſolvant pretium redemptionis, quod Græci λύτρον vocant, de quo conveniri ſolet inter belligerantes, illud habita perſonæ qualitate & dignitate definiri ſolet.

CAPUT VIII.

De imperio in victos.

I. *Acquiri bello & imperium civile, tum ut eſt in rege, tum ut eſt in populo, & ejus acquiſitionis effecta.*
II. *Acquiri & imperium herile in populum qui tum civitas eſſe deſinit:*
III. *Interdum hæc miſceri.*
IV. *Acquiri & res populi etiam incorporales, ubi tractatur quæſtio de chirographo Theſſalorum.*

I. 1. Qui ſibi ſingulos ſubjicere poteſt ſervitute perſonali, nihil mirum eſt ſi & univerſos, ſive illi civitas fuerunt ſive civitatis pars, ſubjicere ſibi poteſt ſubjectione, ſive mere civili, ſive mere herili, ſive mixta. Hoc argumento quidam utitur in controverſia de Olynthio apud Senecam: *Servus eſt meus quem ego emi belli jure. Vobis, Athenienſes, expedit, alioqui imperium veſtrum in antiquos fines redigitur quicquid eſt bello partum.* Itaque imperia armis quæri, victoriis propagari dixit Tertullianus. Quintilianus *Apolog.* jure belli regna, populos, fines gentium atque urbium contineri. Alexander apud Curtium leges a victoribus dici, accipi a victis. Minio *Livius l. xxxv.* in oratione ad Romanos: *Cur Syracuſas atque in alias Siciliæ Græcas urbes prætorem quotannis cum imperio & virgis & ſecuribus mittitis? Nihil aliud profecto dicatis, quam armis ſuperatis vos iis has leges impoſuiſſe.* Arioviſtus apud Cæſarem *jus eſſe belli*, ait, *ut qui viciſſent iis quos viciſſent quemadmodum vellent imperarent*: Item, *populum Romanum victis non ad alterius præſcriptum, ſed ad ſuum arbitrium imperare conſueſſe.* *De bello Gallico l. I.*

2. Narrat Juſtinus ex Trogo, qui ante Ninum bella geſſerant, *non imperium ſibi ſed gloriam quæſiſſe, & contentos victoria abſtinuiſſe imperio.* Ninum primum fuiſſe qui fines imperii proferret, alioſque populos bello ſubigeret; & ex eo id abiiſſe in morem. Bocchus apud Salluſtium: *Ob regnum tutandum arma ſe cepiſſe: nam Numidiæ partem, unde Jugurtham expulerit, jure belli ſuam factam.* *Lib. I, I.* *De bello Jug.*

3. Poſt autem imperium victori acquiri vel tantum ut eſt in rege aut alio imperante, & tunc in ejus duntaxat jus ſucceditur, non ultra; vel etiam ut in populo eſt, quo caſu victor imperium habet ita ut & alienare poſſit, ſicut populus poterat. Et ſic factum ut regna quædam in patrimonio eſſent, diximus alibi.

Lib. I. cap. III. ¶. II.

COMMENTARIUS.

Quemadmodum juſto bello acquiri poteſt imperium ac dominium in ſingulos qui bello capiuntur, ita quoque belli jure dominium & imperium acquiritur in univerſos, vel integram gentem ac nationem, vel partem ejus. Quod quamvis latius pateat, id eſt, magis arbitrarium imperio, quod ex conſenſu originem habet, quia nullis legibus aut conditionibus circumſcribitur vel limitatur, quam quas victor ſibi ipſe ſtatuere placet, attamen non infinitum eſt, verum ad æquitatis & rationis dictamen attemperandum. Non inficior victorem habere facultatem populo ſibi jure belli ſubjecto eam regiminis formam imponendi, quam velit, & plus vel minus libertatis concedere, verum non licet imperio quod ad tutelam ſubjectorum introductum in eorundem exitium abuti; quin ſubjecti recuperent facultatem priſtinam, qua ad ſui ſuorumque defenſionem vim vi repellere poſſunt, & importunæ dominationis jugum abjicere. Concedit quidem jus gentium victori ad ſuum arbitrium victis imperandi facultatem; verum non permittit eadem abuti, & imperium civile in tyrannidem tranſmutare. Quemadmodum vero incorporalia belli jure acquiri poſſunt, non quidem primo ac per ſe, ſed media perſona cujus ea fuerunt, annotavimus *cap. præced.* Ita quoque imperium acquiritur jure belli Rege devicto; quod de ejuſmodi imperio intelligendum puto, quod eſt in patrimonio Regis; quippe alibi annotavimus, ſummum imperium penes Principem reſidere diverſo modo, ad ſimilitudinem aliarum rerum, quæ cadunt in commercium, & diverſis juris titulis ac modis acquiruntur, tum etiam poſſidentur. Sic res quaſdam jure pleno proprietatis, alias tantum jure uſufructuario poſſidemus. Ita & modus habendi imperii vel plenus eſt, vel magis vel minus diminutus. Quidam Reges imperium pleno jure proprietatis habere dicuntur, ut qui bello juſto imperium quæſiverunt; quidam illud tantum utiliter, id eſt, jure uſufructuario poſſidere dicuntur, neque vel ad tempus vitæ, vel ad poſteros tranſmittendi jure; quidam jure temporario id habent, quo elapſo, ipſo jure evaneſcit imperium. Imperium quod jure uſufructuario tum etiam temporario poſſidetur, victori acquiri nequit, niſi univerſus populus jure belli ſubactus; quippe cum Rex illud habet beneficio & conſenſu populi, in alium transferri nequit niſi eodem modo quo illud accepit: non enim radicaliter in Rege eſt, ſed populo tanquam ſubjecto ſuo, penes Regem duntaxat jus illud exercendi populi nomine. Quamobrem Rege devicto eum ipſo imperium non acquiritur, ſed quaſi conſolidatur cum proprietate, quæ penes populum. Incorporalia quidem media perſona tranſeunt, ſed ejus eſſe oportet propria, & alienabilia eſſe; atqui inalienabile imperium conſenſu populi delatum; ergo nec victoria acquiritur. Aliud ſtatuendum de Rege capto & devicto regnum in patrimonio habente: tum enim imperium radicaliter penes eum reſidens ſimul cum perſona tranſit ad victorem, utpote quod alienabile & tranſmiſſibile, ut ita dicam; ac idem dicendum, ſi populus ſubactus, in quo tanquam ſubjectum commune imperium in univerſam Rempublicam omnia cedunt arbitrio victoris, quæ populi ſunt: acceſſorium enim ſequitur conditionem ſui Principalis, ſive ejuſdem ſubjecti imperio. Contrarium ſtatuit Zeiglerus: *Subditi enim*, inquit, *non perinde habentur atque res aliæ, quæ in dominio noſtro ſunt. Deinde non in eum tantum finem educuntur milites, ut Regem ſuum defendant, ſed etiam ut totam & integram provinciam, ſacra & profana, & quilibet proprium ſuum patrimonium pro virili tueatur. Et ſequeretur alias Rege in ipſo conflictu capto deſiſtendum eſſe a pugna, & omittendam victoriam jam pene partam.* Verum cum jus regendi, ſive imperandi civibus & ſubjectis facultatem quam habet in patrimonio, ut cætera jura in alium transferri poteſt invitis civibus; victoria tanquam juſto & jure gentium rerum non duntaxat, ſed etiam juris acquirendi titulo & modo etiam acquiri poſſe dicendum videtur. Quemadmodum juri huic renunciare poteſt, & transferre in alium, ita quoque eidem renunciaſſe & tranſtuliſſe videri debet victus in victorem, quia jus gentium, quod & ipſe recepit, dictat etiam incorporalia, quæ ejus generis ſunt, ut alienari & transferri poſſunt, victori cedere. Si cuilibet extraneo poteſt imperium concedi, cur non etiam illud victoria alteri poſſit acquiri. Non inficior, milites non eum in finem educi, ut Regem duntaxat, ſed etiam ſe, ſuos lares ac penates defendant. Verum inde non ſequitur, Rege capto, ſimul acquiri imperium in cives & ſubjectos; utrumque defendunt, verum hoc non impedit, quominus alterutrum victoria acquirunt. Capto Rege ſingulorum bona capta cenſeri

ſeri nequeunt, nec ſubjecti eo ipſo privari dominio, quod armis adhuc tueri poſſunt, uſque dum ſibi ſecuritatem a victore impetrarint; quoniam defenſio ſit juris naturalis quæ nemini eripi poteſt. Non poteſt plus juris in victorem transferri quam Rex captus habuit, qui quidem habuit in patrimonio imperium, non vero dominium eminens in bona ſingulorum, quod ob ſalutem publicam tuendam, ipſi tribuit facultatem diſponendi, neceſſitate exigente, de bonis civium, idque delationi imperii adhæret: illud tranſit, manente penes ſingulos dominio privato rerum & bonorum, quæ quiſque poſſidet. Cujus effectus eſt, quod ſubjecti ſeſe opponere nequeunt imperio ejus, qui victoria ſibi illud acquiſivit, poſita ſibi cautione a victore, ſe ſuaque ſalva fore. Egregie fallere mihi videntur, qui ſtatuunt, populum Regem habentem imperio deſtitui, Regemque etiam reſtricte imperantem facultatem alienandi habere. Vid. quæ *lib.* 1. *cap.* 3. & *lib.* 2. *cap.* 6. diſputavimus.

II. 1. Poteſt & amplius fieri, nempe ut quæ civitas fuit, civitas eſſe deſinat; ſive ita ut acceſſio fiat alterius civitatis, ut Romanæ provinciæ; ſive ut nulli civitati adhæreat, ut ſi Rex ſuo ſumptu bellum gerens populum ſibi ita ſubjiciat ut eum regi velit non ad populi ſed ad regentis præcipue utilitatem, quod herilis eſt imperii non civilis. Ariſtoteles libr. VII. de republica: ἔστι δὲ ἀρχὴ ἡ μὲν τοῦ ἄρχοντος χάριν, ἡ δὲ τοῦ ἀρχομένου, τούτων δὲ τὴν μὲν δεσποτικὴν εἶναί φαμεν, τὴν δὲ τῶν ἐλευθέρων: *Imperium aliud eſt ob utilitatem regentis, aliud ob utilitatem ejus qui regitur: hoc inter liberos habet, illud inter dominos & ſervos.* Qui ergo tali tenetur imperio populus, in poſterum non civitas erit ſed magna familia. Bene enim dictum ab Anaxandrida:

Οὐκ ἔστι δούλων ὠγαθ' οὐδαμοῦ πόλις.

Vir bone ſervorum nulla eſt uſquam civitas.

2. Et Tacitus hæc inter ſe ſic opponit: *non dominationem & ſervos; ſed* An. XII. *rectorem & cives cogitaret.* De Ageſilao Xenophon: ὁπόσας δὲ πόλεις προσαγάγοντο, ἀφαιρῶν αὐτῶν ὅσα δοῦλοι δεσπόταις ὑπηρετοῦσι, προσέταττεν ὅσα ἐλεύθεροι ἄρχουσι πείθονται: *quaſcunque civitates in ſuam redigebat poteſtatem, has immunes habens ab his quæ ſervi dominis præſtant, ea tantum imperabat in quæ liberi homines rectoribus parent.*

III. Atque hinc intelligi poteſt quale ſit mixtum illud imperium quod dixi ex civili & herili, nempe ubi ſervitus miſcetur cum aliqua perſonali libertate. Sed populis legimus arma adempta, imperatum ne ferri quid haberent extra quam ad agriculturam; alios coactos ſermonem & vitæ genus mutare.

COMMENTARIUS.

Civitatis definitionem tradidit Auctor *lib.* 1. *cap.* 1. §. 14. *Civitas*, inquit, *eſt cœtus perfectus liberorum hominum, juris fruendi & communis utilitatis cauſa ſociatus.* Sed addendum mihi videtur, *ſub uno eodemque ſummo imperio ſociatus*; quippe civitas abſque ejuſmodi ſummo imperio ſubſiſtere nequit: imperium enim eſt ſocietatis civilis vinculum, quo diſſoluto, corruit civitatis fabrica. Atque civitatis vocabulo ejuſmodi ſocietatem intelligit Auctor, quæ ſui juris eſt, ſuoque imperio regitur, penes quam ſumma majeſtatis jura, & quaſi una eademque perſona, ſuo vivit arbitrio, ſibi condit leges & jura dat: atque illud imperium quemadmodum penes ſingula membra, quæ coetum componunt, ita jam poſtquam in unum corpus coaluerunt, ut quaſi unam perſonam conſtituerent, ſubſiſtit in civitate tanquam ſubjecto communi, ſalva cuique parti libertate naturali, quatenus cum ſocietatis civilis fabrica convenire poteſt. Deſinit autem civitas eſſe, ſublatis illis partibus, ex quibus compoſita totum aliquod per ſe ſubſiſtens repræſentat. Quamobrem dum fiat acceſſio alterius civitatis, non per ſe ſubſiſtit, non ſui juris manet, ſuoque imperio gaudet, atque propriam voluntatem pro lege & norma vivendi habet, quales populi in provinciæ formam redacti; neminem fugere poteſt, qui extremis tantum labiis humaniores guſtavit literas, provincias regiones fuiſſe bello ſubactas, &

pro-

proinde victoris imperio parere neceſſum habebant, ad quas adminiſtrandas olim populus Romanus ſolebat mittere magiſtratus cum imperio & poteſtate, qui in iis jus dicebant. Vid. quæ annotavimus *lib.* 2. *cap.* 9. Sic etiam non civitas, ſed magna familia potius eſſe videtur populus, quem Rex ſuo ſumptu bellum gerens, ita ſibi ſubjiciat, ut eum regi velit non ad populi, ſed ad regentis præcipue utilitatem: civitas enim eſt cœtus, (uti ex definitione ſtatim deſcripta patet,) communis utilitatis cauſa ſociatus, atque imperium civile eo tendit, ut communis utilitas promoveatur. Vid. quæ diſputavimus *lib.* 1. *cap.* 3. & alibi. *Non Rempublicam Principis, ſed Principem Reipublicæ*, ait Seneca *lib.* 1. *de clement.* Vid. Vaſq. *illuſtr. controv. cap.* 1.

IV. 1. Sicut autem res quæ ſingulorum fuerant jure belli iis acquiruntur qui eos ſibi ſubjiciunt, ſic & res univerſitatis eorum fiunt qui ſibi ſubjiciunt univerſitatem ſi ipſi velint. Nam quod de deditis dixit Livius, *ubi omnia ei qui armis plus poteſt dedita ſunt, quæ ex iis habere victor, quibus mulctari eos velit, ipſius jus atque arbitrium eſt:* idem in bello ſolenni victis locum habet. Nam deditio ſponte permittit, quod alioqui vis eſſet ereptura. [*Lib.* III.] Scaptius apud Livium: *Agrum de quo ambigitur finium Coriolanorum fuiſſe, captiſque Coriolis jure belli publicum populi Romani factum.* [*Lib.* XXI.] Annibal in oratione ad milites apud eundem: *quicquid Romani tot triumphis partum congeſtumque poſſident, id omne noſtrum cum ipſis dominis futurum eſt.* [*Lib.* XLIII.] Antiochus apud eundem, *quo victo cum omnia quæ illius fuiſſent jure belli Seleuci facta ſint, exiſtimare ſuæ ditionis eſſe.* Ita Pompejus, [*Strabo l.* XII.] quæ Mithridates bello capto imperio ſuo adjecerat, populi Romani fecit.

2. Ergo & incorporalia jura quæ univerſitatis fuerant fient victoris quatenus velit. Sic Albâ victâ quæ Albanorum jura fuerant ſibi vindicarunt Romani. [*Dionyſ.* III.] Unde ſequitur omnino liberatos Theſſalos obligatione centum talentorum, quam ſummam cum ipſi Thebanis deberent, Alexander Magnus Thebarum dominus factus jure victoriæ ipſis donaverat: neque verum quod pro Thebanis apud Quintilianum adfertur, id demum victoris eſſe quod ipſe teneat: jus quod ſit incorporale apprehendi manu non poſſe: aliam conditionem eſſe hæredis, aliam victoris, quia ad illum jus, ad hunc res tranſeat. Nam qui dominus eſt perſonarum, idem & rerum eſt, & juris omnis quod perſonis competit. [*L. Qui in ſervitute eſt de reg. jur.*] Qui poſſidetur non poſſidet ſibi, nec in poteſtate habet qui non eſt ſuæ poteſtatis.

3. Imo etiam ſi quis populo victo jus civitatis relinquat, poteſt quædam quæ civitatis fuerant ſibi ſumere. [*L. Sic eveniet D. ad l. Jul. de adult.*] In ipſius enim arbitrio eſt quem velit eſſe ſui beneficii modum. Imitatus fuit factum Alexandri Cæſar, donato Dyrrachinis ære alieno, quod neſcio cui adverſarum partium debuerant. [*Cic. Epiſt. ad Brutum* 6.] Sed hic objici poterat bellum Cæſaris non ex eo eſſe genere, de quo jus hoc gentium conſtitutum eſt.

COMMENTARIUS.

EX formula deditionis, quam alibi deſcripſimus, patet, ea comprehendi omnes res, omnes ditiones ac urbes, omnia jura corporalia & incorporalia, quæ populi dedititii fuere, tranſire ad victorem, penes quem arbitrium eſt, quæ ex iis habere, quibus mulctari eos velit. Dum enim populus in ſe & quæ ejus ditionis atque imperii ſunt idem jus habeat, quod cuique privato competit in ſemetipſum, ita quemadmodum quiſque privatus ſeſe alicui ſubjicere

vel

vel addicere, ita & cœtus aliquis hominum ſive populus aut univerſitas ſe alteri cœtui vel populo ſubjicere poſſunt. Sic Campani olim neceſſitate ſubacti populo Romano ſe ſubjecerunt in hunc modum: *Populum Campanum, urbemque Capuam, agros, delubra Deûm, divina humanaque omnia, in veſtram P. C. ditionem dedimus.* Eodem modo Syriæ Meſopotamiæ, Lybiæ & Ciliciæ populi ſe & res ſuas conceſſerunt Nabuchodonoſori, ſimili fere deditionis formula utentes: *Omnis*, inquiunt, *civitas noſtra, omnes montes, colles & campi, & armenta boum, gregeſque ovium & caprarum, & equorum & camelorum, & univerſæ facultates noſtræ & familiæ ſunt in conſpectu tuo, ſint omnia noſtra ſub lege tua, nos etiam & filii noſtri ſervi tui ſumus.* Quis autem ambigere poteſt, quin ejuſmodi deditione omnia, tum quæ privatorum, tum etiam quæ populi ſunt, ſubjiciantur juri, dominio & arbitrio ejus, cui ſe dedunt. Idem jus eademque facultas, quam per deditionem ſibi acquirit populus vel Rex in deditos, eorum bona ac jura, jure belli defert victori in victos. Deditio enim, ut inquit Auctor, ſponte permittit, quos vis eſſet erepturа. Verum in arbitrio victoris eſt, an velit recipere, & prout ipſi dedita uti in formula expreſſa. Hinc in deditionis formula: *Dedimus, & ego recipio.* Quamquam vero omnia cedunt imperio & arbitrio victoris, non tamen neceſſitatis eſt, ut eo modo quo ipſi dedita vel jure belli acquiſita recipiat, poteſt juri ſuo quantum velit detrahere, & in victos mitiori vel acerbiori imperio uti. Poteſt ſibi omnia vindicare corporalia & incorporalia, jura ac commoda, poteſt quædam cedere victis & intacta relinquere. In victoris enim arbitrio eſt quem velit beneficii ſui eſſe modum. Et hoc jure Alcibiades, bona devictorum Chalcedonenſium dedi ſibi petiit a Bythiniis, qui ea ſervabant. Xenoph. 1. Et Romani etiam corpora Regum Demetrii & Mithridatis, & alios victos profugos ab eis, ad quos profugerunt. Atque ſic eſt in victoria univerſali, ut affirmat Alberic. Gentilis, &c. Sane a ſubmiſſione capitis ſequitur ſubmiſſio membrorum & rerum, quia, ſerviente capite, membra ſervire neceſſe eſt, uti argumentatur Alberic. Gentil. *de jur. bell.* Et civitas, quæ de Principe in Principem tranſierit, cenſetur cum omnibus ſuis qualitatibus tranſiiſſe. Etiam feudatarii recognoſcere victorem debent. Sic etiam qui alium vincit, & ejus redigit omnia ſub poteſtatem, is & jura victi vindicare mox poſſit adverſus alios, adverſus quos victus vindicabat antea, vel juſte vindicare poterat. Et Romani ſic cenſebant Alba victa ſe in Latio jus idem habere oportere, quod habebant Albani antea. Unde ſequitur omnino liberatos Theſſalos obligatione centum talentorum, cum omnia Thebanorum in dominium venerint Alexandri, & hic potuerit tanquam ſucceſſor univerſalis in jus & bona Thebanorum creditum illud exigere. Everſæ enim Thebæ, itaque & mortem paſſæ erant, inquit Albericus Gentilis.

C A P U T IX.

De Poſtliminio.

I. *Origo vocis poſtliminii.*
II. *Quibus in locis poſtliminium ſit.*
III. *Poſtliminio quædam reverti, quædam recipi.*
IV. *Jus poſtliminii eſſe in pace & in bello, & quid ſi nihil in pace dictum ſit?*
V. *Liber homo bello manente quando poſtliminio redeat:*
VI. *Quæ jura recipiat, quæ non recipiat.*
VII. *Jura & in ipſum reſtitui.*
VIII. *Cur qui ſe dedant jus poſtliminii non habeant.*
IX. *Populus quando poſtliminii jus habeat.*
X. *Quæ in his qui poſtliminio redeunt ſint juris civilis.*
XI. *Servi poſtliminio quomodo recipiantur; etiam transfugæ: quomodo qui redempti ſunt.*
XII. *An ſubditi poſtliminio recipiantur.*
XIII. *Agros poſtliminio recipi.*
XIV. *Circa res mobiles quod diſcrimen olim obſervatum.*
XV. *Quid circa res mobiles hodie juris?*
XVI. *Quæ res recipiantur, ita ut poſtliminio non egeant.*
XVII. *Mutationes ex lege civili, quoad ſubditos ſuos.*
XVIII. *Poſtliminium quomodo obſervatum inter eos qui hoſtes erant:*
XIX. *Quando id hodieque locum habere poſſit.*

I. 1. SIcut de his quæ ex hoſtibus capiuntur, ita & de poſtliminii jure nihil ferme ſani prodiderunt hi qui retroactis ſæculis juris cognitionem profeſſi ſunt. Accuratius hæc res a veteribus Romanis tractata eſt, ſed ſæpe confuſe nimis, ita ut quæ juris gentium, quæque civilis Romani eſſe vellent, lector nequiret diſtinguere.

2. De voce poſtliminii rejicienda Servii ſententia, qui partem ejus

poſteriorem productionem putat eſſe verbi ſine ſignificatu: ſequendus Scævola, qui junctum docebat eſſe verbum a *poſt*, quod reditum notat, & *limine*. Nam *limen* & *limes* exitu & flexionis modo differunt, cum alioqui origine (veniunt enim ab antiqua voce *limo*, quæ *tranſverſum* ſignificat) & primitiva notione idem ſint; ſicut materia & materies, pavus & pavo, & contagio & contages, cucumis & cucumer, quanquam uſu ſeriore factum eſt ut *limen* magis ad privata, *limes* ad publica referretur. Sic veteres eliminare dicebant e finibus ejicere, & exilium nominabant eliminium.

Cicero Top. & ibidem Boetius.

COMMENTARIUS.

Rejiciendam putat Auctor Servii ſententiam, & merito. Sed & rejiciendam Auctoris ſententiam tanquam falſiſſimam & deridendam ſtatuit Salmaſius in ſuis *ad jus Att. & Rom. obſervat. cap.* 26. Sed pace tanti viri dixerim, nimium contradicendi ſuæ libidini indulgere voluiſſe, dum maxime ridiculum pronunciat, limitem & limen tantum flexionis modo differre. Non abſque auctoritate in hanc opinionem adductus Auctor noſter. Eundem enim *liminis* & *limitis* prope eſſe uſum, olim Siculus Flaccus ſentiebat, unde *limites* a *liminibus* dici exiſtimabat. *Limites*, inquit, *ab liminibus vocabula acceperunt: quomodo limina introitus, exituſque locis præſtant, limites agris ſimiliter introitus exituſque; qui in agris diverſis & aſſignatis pervii eſſe debebunt, tam itineribus quam & menſuris agendis.* Atque eodem modo *limina* quaſi limites quoſdam volebant eſſe, Juſtinianus §. 5. *Inſt. quib. mod. jus patr. poteſt. ſolv. Limina ſicut in domibus finem quendam faciunt, ſic & imperii finem limen eſſe veteres voluerunt. Hinc & limes dictus eſt, quaſi finis quidam & terminus.* Ex quibus perſpicimus *limen* & limitem origine & primitiva notione idem eſſe.

L. Poſtlimini ¶. 1. D. de capt. L. poſtliminium. ¶. poſtlimini. ib.

II. 1. Eſt ergo poſtliminium jus quod naſcitur ex reditu in limen, id eſt fines publicos. Sic Pomponius reverſum poſtliminio ait qui intra præſidia noſtra eſſe cœpit: Paulus cum in fines noſtros intraverit. Sed ex paritate rationis conſenſus gentium rem eo perduxit, ut poſtliminium locum haberet etiam ſi quis homo, aut res ejus generis in quo poſtliminium eſſe placuerat, perveniſſet ad amicos noſtros, ut loquitur dicto loco Pomponius, aut, ut Paulus exempli cauſa explicat, ad regem ſocium vel amicum. Quibus in locis amici aut ſocii intelligendi ſunt non ſimpliciter quibuſcum pax eſt, ſed qui partes in bello eaſdem ſequuntur; ad quos qui venerunt, ut Paulus loquitur, nomine publico tuti eſſe incipiunt. Nihil enim intereſt homo aut res ad hos aut ad ſuos pervenerit.

Polyb. III.

Plut. Flaminio.

2. Apud eos vero qui amici ſunt, ſed non earundem partium, bello capti ſtatum non mutant niſi ex ſpeciali pacto; quomodo in ſecundo fœdere icto inter Romanos & Carthaginenſes convenerat, ut qui a Carthaginenſibus capti e populis amicis Romanorum in portus Romanis ſubditos veniſſent, in libertatem vindicari poſſent: utque Carthaginenſium amicis par jus eſſet. Ideo qui Romanorum bello Punico ſecundo capti in Græciam commercio pervenerant, jus ibi poſtliminii non habuerunt, quia Græci in eo bello neutras ſecuti fuerant partes: ac propterea opus fuit eos redimi ut liberarentur.

rentur. Quin & apud Homerum non uno in loco videmus bello captos in locis pacatis venditos, ut Lycaonem Iliados φ. Eurimeduſam Odyſſeæ η.

COMMENTARIUS.

DEfinitionem juris poſtliminii quam tradit Auctor noſter, oppugnat vir omni eruditionis genere florentiſſimus Salmaſius; verum ejus defenſionem ſuſcepit vir eruditiſſimus Deſiderius Heraldus in ſuis *obſervationibus ad jus Atticum & Romanum*. Non ingratum fore lectori exiſtimo, ſi argumenta, quæ hinc inde ad opinionem quiſque ſuam tuendam auctores adduxere, hiſce noſtris commentariis inſeramus. *Eſt igitur poſtliminium*, inquit Auctor noſter, *jus quod naſcitur ex reditu in limen, id eſt, fines publicos*. Salmaſius contra, cujus verba exſcribenda duxit Heraldus, ne quis ei imponi putaret. *Eſt ergo*, inquit Salmaſius, *poſtliminium ſecundum vim ac proprietatem nominis, jus, ex quo naſcitur reditus ad limen, id eſt, domum. Si limen de finibus publicis interpretamur, ut voluit vir eruditiſſimus* (de Auctore noſtro ſermonem habens) *nullum erit poſtliminium ſervorum. Non enim aliter poſtliminio ſervus rediiſſe cenſebatur, niſi cum domum domini reverſus foret, & in ejus poteſtate eſſet, ut conſtat ex l. ult. ff. de capt. & poſtl. Cum ſervus, inquit Paulus, civis noſtri ab hoſtibus captus inde aufugit, & vel in urbe Roma ita eſt, ut neque in domini ſui poteſtate ſit, neque ulli ſerviat, nondum poſtliminio rediiſſe exiſtimandus eſt. Qui poſtliminio redeunt, domum redire eos, ac revenire omnes auctores dicunt. Cicero lib. 1. de Oratore. Similique in genere ſi quis apud nos ſerviſſet ex populo fœderato, ſeque liberaſſet, & poſtea domum reveniſſet, quæſitum eſt, num is apud majores poſtliminio rediiſſet, & amiſiſſet hanc civitatem. Nec aliter Juriſconſulti ipſi loquuntur. Florentinus l. 26. ff. eod. Nec enim ſatis eſt corpore domum quem rediiſſe, ſi mente alienus eſt. Vim nominis ita explicat Cicero in Topicis ad Trebatium ex Scævola; ut quæ a nobis alienata ſunt, cum ad hoſtem pervenerint, & ex ſuo tanquam limine exierint, dein cum redierint poſt ad idem limen, poſtliminio videantur rediiſſe. Quod non de limite ſive de finibus intelligendum eſt, ſed de limine domus. Nam ſuum limen cuique eſt propria domus, non imperii limes. Boëtius ad illa Topicorum; quæcunque enim a nobis abalienata ad hoſtem pervenerint, cum e noſtro limine exierint, ſi poſt ad idem limen revertantur, poſtliminio redeunt. E limine noſtro, id eſt, domo noſtra, non e finibus imperii.* Hæc ille. E quibus colligitur poſtliminium non eſſe, niſi quis domum ſuam revenerit, id eſt, ad proprios lares ac penates revenerit. Sed non contra ſtatim ac patriæ ſuæ fines attigit, ſervitutis jugum excuſſit, & patriæ ſuæ redditus eſt. *Poſtliminio rediiſſe videtur*, inquit Paulus *l. 19. §. 3. ff. de capt. & poſtl. cum in fines noſtros intraverit, ſicuti amittitur, ubi fines noſtros exceſſit.* Quod & Juſtinianus Imperator affirmat *Inſtit. §. 5. Dictum autem eſt poſtliminium a limine & poſt. Unde eum, qui ab hoſtibus captus, in fines noſtros pervenit, poſtliminio reverſum recte dicimus.* Quare? Quia fines illi, & patriæ limites, ejuſdem patriæ limen efficiunt, quando quis peregre revertitur, ante venit. Recte igitur Grotius poſtliminium naſci dixit a reditu in limen, ut inquit Heraldus. Sed Paulus Labeonem notavit *l. ult. ff. de capt.* qui cum dixiſſet, *ſi id, quod noſtrum, hoſtes ceperunt, ejus generis eſt, ut poſtliminio redire poſſit, ſimulatque ad nos redeundi cauſa profugit ab hoſtibus, & intra fines imperii noſtri eſſe cœpit, poſtliminio rediiſſe exiſtimandum eſſe.* Notavit Paulus; *Imo eum ſervus civis noſtri ab hoſtibus captus, inde aufugit, etſi Romæ ſit, ſi tamen in domini poteſtate non eſt, neque alii ſervit, nondum poſtliminio rediiſſe exiſtimandus eſt.* Nec mirum, inquit Heraldus: *Cum enim ſervi poſtliminio reverſi intelligantur, cum domino redditi ſunt, cum domini poteſtati ſunt reſtituti, certe etſi in urbem ipſam reverſi ſunt, ubi dominus habitat, non dicuntur tamen poſtliminio reverſi, niſi in domini ſint poteſtate. Nam cum cives non ſint, non poſſunt dici in patriam reverſi, quam nullam habuerunt. Ergo ut dicantur poſtliminio reverſi, in domini poteſtate eſſe debent, aut alii ſervire, quo modo recuperat dominus quod amiſerat. Nam ſi nemini ſerviunt, nec ſunt in domini manu, non poſſunt dici domini poteſtati redditi.* Homo liber ab hoſtibus captus, ſtatim atque in patrios fines reverſus eſt, etſi procul a loco, ubi lares habebat, poſtliminio rediiſſe intelligitur, quia jam in priſtinum ſtatum reſtitutus eſt, liberatus ab hoſtium poteſtate & ſui juris factus, patriæque redditus. *l. 10. C. de poſtl. reverſ.* At ſervus donec domino ſit redditus, aut in ejus poteſtate eſt, domini non eſt, cujus cauſa *poſtliminium ſervorum*, ut Salmaſiii verbis utar, *eſt introductum.* Atqui, inquit Salmaſius, *domum redire & revenire dicunt, qui poſtliminio redeunt.* Niſi igitur in ædes, quas ante captivitatem colebat, reſtituti ſint, non dicentur poſtliminio rediiſſe. Quid ſi nullas proprias ædes habeant? Quid ſi dirutæ, incenſæ, aut chaſmate abſorptæ? Sanuſne es, Salmaſi, qui te ejuſmodi tricis impendias, & alios intricare velis? Domum in his & ejuſmodi locis patriam dici, quis puer eſt, qui ignoret. Exemplis, quæ paſſim occurrunt apud Plautum, Terentium, Ciceronem, & quoſlibet alios ſcriptores, probare id velle, pudor eſt. Domum rediiſſe dicuntur poſtliminio, qui e ſervitute, quam ſerviebant peregre, ad ſuos reverſi ſunt. Ita loquitur Pomponius *l. 5. §. ult. ff. de capt. & poſtl.* Honor. ac Theodoſ. *ad propria* dicunt *l. 2. C. eod.* Hi

 ſtatim

ſtatim ac patriæ fines penetrarunt reduces ſunt in libertatem. Quo modo loquitur Plautus in captivis. Sic infinitis locis domi eſt apud ſuos, in ſua patria. Et apud Ciceronem pluribus locis. Hæc Heraldus. Apud Virgilium in eadem ſignificatione occurrit 3. *Æneid.* 85.

Da propriam, Thymbræe, domum; da mœnia feſſis,

id eſt, da nobis, ut aliquando in patriam revertamur. Domus non modo dicitur de lare familiari, ſed etiam de patria vel civitate, ut inquit Doctiſſimus Gronovius in notis ſuis ad Grotium. Sed quid verbis opus eſt, inquit Heraldus? & ratio ipſa & Juriſconſulti textibus ſupra citatis definiunt, rediiſſe videri, qui in proprios fines penetrant, idque ipſum Cicero teſtatur in *Topicis*, loco a pluribus obſervato, a Salmaſio hic exſcripto, ubi & limen appellat imperii Romani fines & limites, per quos exitus eſt & introitus, veluti per limen domus. *Quæ a nobis abalienata ſunt, cum ad hoſtem pervenerint, & ex ſuo, tanquam limine exierint*, &c. id eſt, e finibus & *limitibus*, qui ſunt tanquam imperii limen. Sed non ſolum, qui in patriæ fines intraverit, verum & qui in civitatem ſociam, amicamque, aut ad Regem ſocium vel amicum venerit, poſtliminio rediiſſe intelligitur. *l.* 19. §. 3. *ff. de capt. & poſtl.* Qui domum rediiſſe dici poteſt, qui ad amicos duntaxat pervenit, poſtliminii tamen beneficio ac jure gaudet. Quinam vero amici vel ſocii nomine veniant, tradit Auctor, ſcilicet non illi duntaxat, quibus pax eſt, ſed partes in bello eaſdem ſequuntur. Apud eos vero, qui amici ſunt, ſed non eandem cauſam fovent, bello capti ſtatum non mutant, niſi ex ſpeciali pacto. *Ratio enim naturalis*, inquit Zeiglerus, *jubet, ut tales amici neutri parti faveant magis, quam alteri. Quemadmodum igitur qui ab alterutra parte in eorum terras veniunt, non fiunt alterius partis ſervi, ita nec, qui ſervi jam facti ſunt, liberi iterum fieri debent in præjudicium capientium.* At contra ſtatuit Albericus Gentilis *lib.* 1. *cap.* 1. *Hiſpan. Advocat.* contra Antonium Gamam *deciſ.* 384. Ubi enim lex non diſtinguit, ibi nec nos diſtinguere debemus; non dicit autem nec diſtinguit de proprio amico; itaque dicere de proprio nos non debeamus. Dicit de amico lex; dicit de noſtro: atque is differt de proprio. Imo noſtrum intelligitur, quod non modo eſt proprium, ſed & quod eſt commune, & pro certo ita eſt in individuis. Itaque libertus meus dicitur, qui mihi & aliis communis. Amicus autem & ſocius procul dubio idem eſt quod individuum, ut libertus. Etiam in cauſis favorabilibus commune adhuc intelligitur appellatione *noſtri*. Et poſtliminium favorabile eſt, quod habet favorabilem cauſam libertatis. Atque ſic ſunt alias plura & recepta communiter: quæ & probent nobis, amicum communem non excludi legibus, quæ tribuunt poſtliminium nobis, pervenientibus ad amicos noſtros. Verum hæc argumenta non ejus ponderis ſunt, ut rationem naturalem evertere poſſint. Eadem ratione qua dicit præſidia noſtra, etiam dicit amicos noſtros, id eſt, tales, qui ſingulari amicitiæ vinculo nobis devincti, quique nobis præ aliis favent, qui partes in bello eaſdem ſequuntur; unde Paulus civitatem ſociam amicamve dicit: per ſociam intelligere poſſumus, qui in belli ſocietatem veniteoſdemque oppugnat hoſtes. Præſidia noſtra, fines noſtri, qui noſtri proprii, ſic etiam eodem ſenſu amici noſtri, amici proprii dicuntur, apud quos qui venerunt publico nomine tuti eſſe incipiunt; apud amicum vero communem, qui eaſdem in bello partes non ſequitur, jus poſtliminii ceſſat, quod tamen nonnulli ad eum tantum reſtringunt caſum, quoties quis ab hoſtibus adhuc captivus detentus in terram utriuſque partis amici delatus eſt, verum qui bellica virtute, ſolertiaque, vel fallacia ſua hoſtium e manibus evaſit, & ad civitatem ſociam amicamve, aut Regem ſocium amicumve, etiamſi eaſdem belli partes nobiſcum contra communem hoſtem non ſequatur, ſed communis partis utriuſque amicus ſit, jure poſtliminii gaudebit. Atque huc pertinet quod ſtatim ex Zeiglero annotavimus. Princeps enim neutrorum belligerantium partes ſequens, quidquid extra ſuum territorium geſtum, integrum ſinit, nulli jus quæſitum auſert; nec ſuo in regno vel territorio hoſtile quid patrari aut ſuſcipi velit: quamobrem quæ extra territorium & imperii fines geſta, jure belli manent in eodem ſtatu, in quo erant antequam ſuos fines intraverant, id eſt, capientis in poteſtate & dominio. Verum ſi ratio naturalis jubet, ut tales amici neutri parti magis faveant quam alteri. At Princeps neutralis jus utriuſque partis ſinit integrum, nec, quæ extra territorium geſta ſunt jure belli, obliterat, nec tollit, nec eorum effectum reſcindit, nullam rationem video cur ille, qui ex hoſtium poteſtate arte vel fallacia evaſerit, ad amicos communes confugerit, magis gaudet jure poſtliminii, quam ille, qui ab hoſtibus captus & detentus in eorundem poteſtate in terram communis amici delatus. Quippe ſi ſtatum non cenſetur mutare, qui hoc modo in amici terram delatus, cur non in eodem ſtatu manſiſſe videri debet, qui hoſtium alia ratione e manibus evaſit: non ſinit enim integrum jus partis alterius Princeps, dum jus poſtliminii concedit auſugienti, hac ratione auſert jus quæſitum huic, atque alteri adjicit. Non me fugit pro arbitrio ſummorum imperantium poſtliminii jus vel reſtringi vel extendi, prout ipſis expedit & præſens Reipublicæ facies efflagitare videtur. Sic quamdiu Magnæ Britanniæ Rex Jacobus cum Hiſpaniarum Rege pacem amicitiamque coluit; quoniam ei quoque cum noſtra Republica fœdus intercedebat; etſi quandoque noſtri ingentem ab Hiſpanis partam prædam in portus Britanniæ deduxiſſent, publica tamen ſecuritate eos illic perfrui atque inde iterum enavigare, & prædam perferre in Hollandiam atque in propria præſidia paſſus eſt. Cujuſmodi conſenſus non repugnaret neutralitati, ut ita dicam, ſi forte quis vi tempeſtatis ſubortæ coa-

ctus

ctus appellat in portum communem amicorum: videtur enim ejuſmodi caſus jure gentium excipi. Verum ſi uterque æquo jure tractantur a ſocio vel amico, nullam video rationem, cur non a communi gentium jure recedi poſſet, & poſtliminii jus proprio in territorio vel concedere vel inhibere; quicunque enim in ſuo territorio ſummo imperio gaudet, facultatem habet, ea, quæ juris gentium ſunt, prout Reipublicæ ſaluti convenit, ad ejus ſtatum accommodare, modo caveat, ne iis, quibuſcum ſibi jus gentium intercedit, fiat injuria.

III. Vetus Romanorum locutio receptos poſtliminio etiam homines liberos dicebat. *Poſtliminio receptum*, (ita enim legendum eſt) *Gallus Ælius in libro primo ſignificationum quæ ad jus pertinent, ait eſſe eum, qui liber e qua civitate in aliam civitatem abierat, in eandem civitatem redit, eo jure quod conſtitutum eſt de poſtliminiis. Item qui ſervus a nobis in hoſtium poteſtatem pervenit, poſtea ad nos redit in ejus poteſtatem cujus antea fuit, jure poſtliminii. Equi & muli & navis eadem ratio eſt in poſtliminii receptu* (ita tria hæc verba, quæ delenda cenſet vir incomparabilis in Romani juris ſtudio Jacobus Cujacius, levi mutatione retineri poſſe arbitror) *quæ ſervi: quæ genera rerum ab hoſtibus ad nos poſtliminio redeunt, eadem genera rerum a nobis ad hoſtes redire poſſunt.* Sed poſteriores Romani Juriſconſulti diſcrete magis duas ſtatuerunt ſpecies poſtliminii, ut aut nos revertamur, aut aliquid recipiamus.

Feſt. Pomp. — *L. cum duæ L. de capt. & poſtlim. rev. l. in bell. D. eodem tit. d. l. poſtlim.*

C O M M E N T A R I U S.

Egit vir celeberrimus Cujacius *equi & muli & navis eadem ratio eſt quæ ſervi*, oblitteratis verbis illis quaſi ſupervacuis, *Poſtliminium receptum is.* Et *muli clitellarii* ex Cicerone ſuppleo, inquit, quoniam hic in bello tantum uſui eſt: & navis longæ aut onerariæ ex Marcello in *l. 2. ff. de capt. & poſtl.* nam piſcatoriæ vel actuariæ voluptatis cauſa paratæ poſtliminii non ſunt. Equo etiam adjungo equam domitam ad fræna ex utroque. Idem teſtatur Cicero in *Topicis. Poſtliminio redeunt hac, homo, navis, mulus, clitellarii, equus, equa, quæ fræna rejicere ſolet.* Sed poſteriores Romani Juriſconſulti juris poſtliminii, quod circa perſonas vel res verſatur, duas ſtatuere ſpecies, ut aut nos revertamur, aut aliquid recipiamus poſtliminio. *l. 14. ff. de capt. & poſtl.*

IV. 1. Retinendum & illud Tryphonini, qui poſtliminii jus competere ait in bello aut in pace: ſenſu paulo alio quam quo idem dixerat Pomponius. In pace poſtliminium, niſi aliter convenerit, eſt his, qui non virtute bellica ſuperati, ſed fato ſuo deprehenſi ſunt, ut qui cum bellum ſubito exarſit apud hoſtes reperiuntur. Aliis autem captivis in pace poſtliminium non eſt, niſi id pactis erat comprehenſum, ut optime eum Tryphonini locum emendat doctiſſimus Petrus Faber, non improbante Cujacio. Nam hoc & ſubjecta ratio & oppoſitum membrum aperte evincunt. *Pacem fecerat captivis dimiſſis, ita enim convenerat,* inquit Zonaras. Et Pomponius: *ſi captivus, de quo in pace cautum fuerat ut rediret, ſua voluntate apud hoſtes manſit, non eſt ei poſtea poſtliminium.* Paulus: *Si in bello captus pace facta domum refugit, poſtliminio redit ad eum a quo priore bello captus erat: ſi modo non convenerit in pace ut captivi redderentur.*

Sem. lib. 1. c. 7. — *Tom. III.* — *L. ſi capt. L. ſi quid. bello d. tit.*

2. Cauſam cur de his qui bellica virtute capti ſunt id placuerit ex Servio hanc affert Tryphoninus, *quia ſpem revertendi civibus in virtute bellica magis quam in pace Romani eſſe voluerunt,* nimirum ut Livius loqui-

 tur

tur ab antiquo minime indulgens in captivos civitas. Sed hæc ratio Romanorum propria non potuit conſtituere jus gentium: potuit tamen inter cauſas eſſe cur Romani illud jus ab aliis gentibus introductum & ipſi amplecterentur. Verior hæc eſt ratio, quod reges aut populi qui bellum ſuſcipiunt credi volunt juſtas ſibi fuiſſe cauſas cur id facerent: contra autem, injuriam facere eos qui adverſum ſe arma ferrent: quod cum utraque pars credi vellet, nec tutum eſſet pacem ſervare cupientibus huic ſe controverſiæ interponere, nihil melius facere potuerunt populi pacati quam ut id quod eveniſſet pro jure acciperent: atque ita captos in actu repugnandi haberent quaſi ex juſta cauſa captos.

3. At de his qui bello exorto deprehenſi erant dici idem non poterat. Nam in illis nullum injuriæ conſilium fingi poterat. Tamen ad minuendas hoſtium vires retineri eos manente bello non iniquum videbatur: bello autem compoſito nihil obtendi poterat quominus dimitterentur. Itaque conſenſum in hoc eſt, ut tales in pace ſemper libertatem obtinerent, ut confeſſione partium innocentes: in cæteros vero ut quiſque uſurparet quod vellet credi jus eſſe, niſi quatenus pacta certi aliquid præſcriberent. Atque eandem ob cauſam nec ſervi nec res bello captæ pace redduntur, niſi pactis expreſſum id ſit: quia victor credi vult jus ſibi fuiſſe iſta quærendi: cui contradicere, id vero fuerat bella ex bellis ſerere: ex quibus apparet ingenioſe non ex vero allatum illud apud Quintilianum pro Thebanis: Ideo captivos ſi in patriam ſuam redierunt liberos eſſe, quia bello parta non niſi eadem vi poſſideantur. Diximus de pace.

4. In bello redeunt poſtliminio homines qui antequam caperentur liberi fuerant: recipiuntur ſervi & alia quædam.

COMMENTARIUS.

NOn in bello duntaxat, ſed etiam in pace jus poſtliminii competit, ut ait Pomponius *l.* 5. *ff. de capt. & poſtl.* idem affirmat Tryphoninus *l.* 12. *ff. eod.* ſed ſenſu paulo alio; in pace quippe jus poſtliminii non ſemper locum habet, ſi in contrarium conventum ſit. Si quis in pace forte apud populum vicinum veniat, atque ſubito inter eos bellum exardeſcat, ibique captus ſit, habet jus poſtliminii. Aliis vero captivis in pace poſtliminium non eſt, niſi expreſſis pactis aliter conventum ſit. Cauſam, cur de his, qui bellica virtute capti ſunt, id placuerit, affert Tryphoninus; verum hanc rationem non ſatis adæquatam ait Zeiglerus; quippe inde ſequeretur, nec illis quidem, qui non virtute bellica ſuperati, ſed fato ſuo apud hoſtem deprehenſi fuerunt, in pace poſtliminium concedendum eſſe. Aliam reddit rationem Auctor, quam veriorem putat, vid. quæ commentatus doctiſſimus Gronovius. In bello vero poſtliminio redeunt ſinguli homines, qui antequam caperentur liberi erant, ſive id fiat vi bellica, ſive ab hoſtibus ſponte dediti, vel ab iiſdem venditi commercio ad ſuos redierint: recipiuntur vero ſervi & alia quædam.

D. l. in bello. ¶. manumittendo, & l. poſtliminii ¶. captiv.

V. Liber homo ita demum poſtliminio redit ſi hoc animo ad ſuos venerit ut eorum res ſequeretur, ut a Tryphonino proditum eſt: nimirum quia ut quis ſervus liber fiat, ſe debet, ut ita dicam, acquirere, quod non eſt niſi volentis: Cæterum an vi bellica receptus ſit ab hoſtibus, an dolo profugerit, nihil refert, ut a Florentino nota-

tum

tum eſt. Tantundem erit ſi ab hoſtibus ſponte ſit traditus. Quid ſi ab hoſte venditus commercio, ut fit, ad ſuos pervenerit? Tractatur hæc controverſia apud Senecam in Olynthio quem Parrhaſius emerat, quærit enim cum decretum factum eſſet ab Athenienſibus quo Olinthii juberentur liberi eſſe, hoc contineretur liberi ut fierent, an ut liberi judicarentur; quorum hoc eſt verius.

vus, D. de capt. L. nihil. D. de capt. l. cum non redemptum. C. de poſtl. rev.

VI. 1. Liber autem homo, poſtquam ad ſuos rediit non ſe tantum ſibi acquirit, ſed & res omnes quas habuerat apud populos pacatos, ſive corporales ſive incorporales. Quia populi pacati, ſicut factum pro jure ſecuti erant in capto, ita & in liberato, ut ſe æquos præbeant utrique parti. Ergo dominium quod habuerat in res ejus is qui belli jure eum poſſidebat non erat ſine omni conditione: ceſſare enim poterat ipſo invito, ſi captus qui fuerat ad ſuos perveniſſet. Has ergo res ſic ille perdit, quomodo hominem cujus erant acceſſio.

2. Quid ſi tamen alienaſſet? an qui titulum habet ab eo qui belli jure eo tempore erat dominus, tutus erit gentium jure, an & hæc recuperabuntur? De his loquor quæ apud populum belli medium exſtabant. Diſtinguendum videtur inter res quæ ejus ſunt generis ut poſtliminio redeant & quæ extra id genus ſunt, quod diſcrimen jam mox explicabimus, ut illa videantur alienata cum ſua cauſa & ſub conditione; iſta vero ſimpliciter. Alienata autem intelligo etiam quæ donata aut acceptilata ſunt.

COMMENTARIUS.

NOn videtur mihi Auctorem noſtrum circa captivitatem hominis rationem habuiſſe ſtatus ſive ſocietatis, cujus, in diverſas civitates coalito mortali genere, quiſque membrum evadit; cujuſmodi conditio ipſum ac res vel bona ſua, quæ poſſidet, ſubjectum reddit imperio & ſupereminenti dominio, quod ſocietas, ſive qui ſocietati tuendæ præeſt acquirit eo ipſo, quo quis civis vel naſcitur vel fit. Quam diſtinctionem recte obſervavit Puſendorfius, ut paulo ante annotavimus, circa jura in res diſtinguendum, inquit, utrum aliquis vivat in civitate, an vero extra eam in ſtatu ſcil. naturali; ſi quis civitatis membrum capitur, non videtur, qui perſonæ dominus eſt, ſtatim & rerum eſſe, quas non ſimul cum perſona cepit, ſaltem non earum, quas habet in civitate cujus civis eſt, quas jure belli eum perſona capit, recte ſibi acquirit: evaneſcit enim omne jus, quod vel Reſpublica in eaſdem habuit, vel aliis tribuit, utpote quæ efficere nequit, ne jus gentium locum habeat in ejuſmodi actibus, qui in bello & occaſione belli ſuſcipiuntur. Quemadmodum in Reges ipſos imperium eſt Dei, ita etiam jus gentium Regibus imperat, quatenus regulam & agendi normam præſcribit, quam gentes inter ſe ſervare devincti, quod maxime obtinet in iis, quæ ratione dictante recepta, & proinde quæ ſunt juris imperativi, ut ita dicam. Quæ autem juris permiſſivi, quatenus recepta, ex conſenſu ſuo & tacito quaſi pacto obligantur gentes ea habere rata, quæ jure gentium geſta & acta ſunt. Atqui earum rerum quæ ex hoſtibus capiuntur, capienti addicat jus gentium, nemo ne quidem ipſa Reſpublica ſibi in bona, quæ hoſtis ex civibus ſuis cepit, aliquid juris reſervare poteſt, quod obſtaret, cur illa dominio capientis non cederent. Jus gentium enim de earundem dominio diſponit in favorem capientis, cui obtemperare omnes tenentur, tum ipſæ gentes, tum quiſque privatus. Verum idem dicendum videtur de acquirendo dominio rerum, quæ non ſimul cum domino capiuntur, atque ita ipſo actu capientis ſubjiciuntur dominio. Diximus enim juſtum & legitimum dominii acquirendi jure gentium introductum titulum & modum eſſe, qui fit per occupationem in bello, ſive captionem rerum hoſtilium; atqui hic nulla occupatio vel apprehenſio; ergo nec dominii translatio, occupationis vel apprehenſionis neceſſaria ſequela. Non inficior omnium quæ acquiruntur jure belli, eam eſſe naturam, ut actu apprehendi poſſint, tamen & occupata videntur quatenus inhærent oſſibus domini jam capti, cujus ſunt jura incorporalia. Verum noſtro caſu nec vera nec ficta occupatio, quippe domino capto cum eo ſimul capta jura incorporalia, tum dominium rerum etiam alibi exiſten-

exiſtentium & non una captarum ponamus. Quid hoc ad Rempublicam qui ſuum in res & bona capientis habet dominium, quo niſi per occupationem realem ſive veram, vel conſenſu & facto ſuo poteſt privari. Jura, quæ oſſibus domini inhæreut, ſimul cum ipſo acquiſita cenſentur, & proinde dominium privatum. Verum, quæ Reipublicæ acquiſita, ipſi manent integra & intacta: ea enim nec imminui, nec abſque conſenſu Reipublicæ ad alium transſire poſſunt. Non ſunt ea acceſſorium domini in ſervitutem jure belli redacti, ſed Reipublicæ, quamobrem nec cum eo tanquam ſuo principali acquiruntur. A noſtra ſententia non plane aliena quæ commentatus eſt ad h. l. Henninges *comment. in Grot. Sequitur quidem acceſſorium ſuum principale, ſed tum demum, quando acceſſorium ad ſolum principale ſpectat. Cum vero duo principalia ſubordinata habet, licet unum ſtatum mutaverit, res manet alterius. Quaſcunque res victor cum domino cepit, ſibi recte acquirit, nam & jure gentium in his jus Reipublica ſuperius per occupationem ſibi vindicat. Illas vero, quæ vel in Republica, vel apud eos, qui neutrarum partium ſunt, reperiuntur, ſibi habere nequit, licet enim privatum dominium in iis extinxerit, manet tamen adhuc Reipublica ſupereminens, ſub quo privatum comprehenditur. Et hoc juris etiam gentibus placuiſſe veri ſimilius eſt. Quo ſequitur, ſi præter perſonam captam in res ejus nemini aliud quidquam juris ſuperioris competit, eaſdem & uno actu, quamvis non comprehenſa, victori acquiri, ſicut fit, cum aliqua civitas in ditionem victoris venit, cujus res omnes & jura, ubicunque ſunt, uno momento ſimul occupantur.* Quæcunque vero jure belli capta, quia juſto titulo eorundem dominium acquiſitum, a capiente alienari poſſe non ambigendum. Recte vero Auctor excipit res quæ poſtliminio redire poſſunt. Iſtæ enim ſi redeunt, utique recuperantur, nec injuria fit tertio poſſeſſori, quod rem, cujus juſto titulo dominium nactus erat, abſque ſuo facto & conſenſu tranſit ad priorem dominum; ita quippe alienata ut poſtliminio redire poterat; tertius poſſeſſor non aliter rem poſſidere aut habere poteſt quam ejus auctor. Atqui hic eam ita tenuit, ut eam amitteret, quamprimum poſtliminio ad priſtinum redierit dominum, ut inquit Zeiglerus.

L. in Bell. ¶. cætera, l. mulier. D. de capt.

VII. At ſicut ad poſtliminio redeuntem jura redeunt, ita & jura in ipſum reſtituuntur, ac pro eo habentur, ut Tryphoninus loquitur, ac ſi nunquam ille hoſtium potitus fuiſſet.

COMMENTARIUS.

Quemadmodum jura activa ad poſtliminio redeuntem redeunt, ita & vice verſa in ipſum jura reſtituuntur; *Cætera*, inquit Tryphoninus, *quæ in jure ſunt*, id eſt, quorum petitio vel retentio jure ſibi competebat ante captivitatem, *poſteaquam poſtliminio redit, pro eo habentur acſi nunquam ille hoſtium potitus fuiſſet.* Ea tamen jura quæ facti cauſam continent cum non recipere, notant Juriſconſulti. Non habent namque ea quæ ſunt juris, imperium in ea, quæ ſunt facti. Eſt enim apta & commoda proportio & analogia facti cum facto, non æque juris cum facto, ſed juris cum jure maximo; inter ea autem, quæ facti cauſam continent, poſſeſſionem referunt Juriſconſulti, neque enim poteſt videri poſſediſſe, qui ab alio poſſidetur. *l.* 23. §. 1. *ff. de acq. poſſ.* Rationem vero, cur ea, quæ juris ſunt, recuperentur, non etiam ea, quæ ſunt facti, hanc eſſe tradunt, quod in poſtliminio ſit quædam fictio, quæ tantum locum habet in iis, quæ ſunt juris, non vero in iis, quæ ſunt facti. Hinc ſi rem a non domino emptam uſucapiens captus ſit ab hoſtibus, ita interrumpitur uſucapio, ut ſi ibi decedat, heredi ejus non proſit cœpta uſucapio neque eidem ipſi reverſo. Poſtliminii effectus in eo totus eſt, ut jura, quæ captivus in poteſtate habuit priuſquam caperetur, ſalva & integra reſerventur. Unde cum per captivitatem fuerit poſſeſſio animo & corpore amiſſa quæ ad poſſeſſionem adquirendam concurrere neceſſario debent *l.* 8. *ff. de acq. poſſ.* animus nempe deeſt, cum ſuſpicetur captivus ſe amplius ingredi non poſſe; corpus quoque deeſt, ut patet *l.* 18. *l.* 19. *l.* 23. *ff. eod.* Illa autem quæ ſine apprehenſione, novoque facto readquiri non poſſunt, merito poſtliminio non potuerunt conſervari, at in jure conſiſtentia per ſe ſubſiſtunt, & ideo in ſuſpenſo eſſe poſſunt, non vero quæ amiſſa & perdita ſunt, ut poſſeſſio, ut argumentatur Franciſ. Amaya *obſerv. lib.* 2. *cap.* 1. *Sed attentius*, inquit doctiſſimus Zeiglerus, *rem conſideranti videri poterit poſſeſſionem rerum ſuarum captivo non omnino interverti. Id quidem verum eſt, poſſeſſione ut facti eſt, h. e. quoad exercitium & uſum, quatenus quis incubare poteſt rei ſuæ; captivum eſſe excluſum, & hoc eſt quod ait Juriſconſultus, captivos poſſeſſionem corporaliter amittere d. l.* 23. *Quia tamen non meri facti eſt poſſeſſio, ſed plurimum ex jure mutuatur, & imprimis animo retineri poteſt, animo autem tali captivus non deſtituitur, non video quid impedire poſſit captivum quominus animo poſſeſſionem retineat.* Sed reſpondet vir doctiſſimus Anton. Faber *rational. lib.* 4. *tit.* 6. Poſſidere eſt ſibi habere & animo domini, ut Theophilus definit. Fieri autem nequit, ut quidquam ſibi & animo domini poſſideat is, qui ſuus non eſt & ab alio poſſidetur *l.* 54. §. *ult. ff. de acq. rer. dom.* Ergo nec illud fieri poteſt, ut qui apud hoſtes captivus & eorum

eorum ſervus eſt, quidquam poſſideat. Is demum enim poſſeſſionem animo retinere poteſt, qui eam poſſet etiam corpore acquirere, quod in captivi perſonam cadere nullo modo poteſt. Et ſane beneficium juris eſt, & ideo captivis, qui hoſtium ſervi ſunt, denegandum, ut nudo quoque animo poſſeſſio retineatur, idque ita comparatum utilitatis cauſa, ne per ſingula momenta poſſeſſio amitteretur, ſi poſſeſſor glebæ in perpetuum addictus eſſe nollet.

VIII. Huic regulæ de liberis hominibus exceptionem hanc recte aſſcribit Paulus: *Poſtliminio carent qui armis victi hoſtibus ſe dederant*, nimirum quia pactiones cum hoſtibus factæ valent jure gentium, ut alibi dicemus, nec adverſus eas eſt poſtliminium. Ideo Romani illi a Pœnis capti apud Gellium: *poſtliminium juſtum non eſſe ſibi, quoniam dejurio vincti forent*. Unde & induciarum tempore non eſſe poſtlimium recte a Paulo notatum eſt. At hos qui hoſtibus deduntur ſine ulla ſcilicet pactione poſtliminio reverti reſpondit Modeſtinus.

L. poſtliminio d. tit. *L. poſtliminium ¶. induciæ. D. de capt.* *L. eos qui d. tit.*

COMMENTARIUS.

EXcipiuntur quædam res & perſonæ, quæ jure poſtliminii repeti nequeunt. Ex perſonis, qui armis victi ſe hoſtibus dediderunt, poſtliminio gaudere non poſſunt. *l. 17. ff. de capt. & poſtl.* fides enim ſervanda etiam hoſti, nec exceptio metus gravioris diſſolvit vinculum, quo fidem datam ſervare quiſque in foro conſcientiæ obligatur, ut alibi annotavimus. Induciarum vero tempore poſtliminium non eſt. *l. 19. §. 2. ff. de capt. & poſtl.* Cum enim capta non fiunt capientium nec capti ſervi, non opus eſt poſtliminio. At bos qui hoſtibus deduntur ſiue ulla ſcilicet pactione poſtliminio reverti reſpondit Modeſtinus *l. 4. ff. eod.* At hoc videtur Zeiglero ex jure civili eſſe: *Quod enim*, inquit, *hoſti dedimus ſive cum, ſive ſine pactione, id ſecundum naturalem rationem plane abdicamus, & in hoſtium poteſtatem transferimus. At qui voluntate noſtra a nobis abit, per reverſionem ſuam non magis fieri noſter poterit, quam ſervus a nobis alienatus, ſi ſe domino ſubduxerit.* Cujus opinioni ſubſcribo. Dedo enim ſignificat in perpetuum do, vel totum ſubdo, nullo mihi in deditum jure reſervato. In manus poteſtatem & arbitrium do. Data repeti poſſunt, & ſic diſtinguuntur a deditis. Donatus Hieronymi præceptor: *Dona niſi fierent propria, ſic ſane revocabilia fuerint non perpetua, quod ſecus de deditis*, Hotom. *Inſt.* Abdicatus itaque qui deditus, civiſque eſſe deſinit, & plane alieni juris fit. Sed an idem dicendum de eo, qui deditus ſed non acceptus ab hoſtibus, olim inter Scævolam & Brutum varie tractatum eſt. Exiſtimarunt nonnulli non manere civem qui deditus, neque referre videtur, quòd hoſtes eum non receperint: nam civis eſſe deſinit. Vid. quæ notavimus *lib. 2. cap. 21. §. 4.*

IX. 1. Quod de ſingulis perſonis diximus, idem & in populis locum habere arbitror, ut qui liberi fuerunt ſuam recipiant libertatem, ſi forte eos vis ſociorum eximat hoſtili imperio. At ſi ipſa multitudo quæ civitatem conſtituerat diſſoluta ſit, verius puto non eundem populum cenſeri, nec poſtliminio res reſtitui ipſo gentium jure, quia populus, ut navis, partium diſſolutione plane interit, eo quod tota ejus natura in illa perpetua conjunctione conſiſtit. Non ergo quæ fuerat Sagunti civitas eadem exſtitit cum veteribus cultoribus ea ſedes octavo poſt anno reſtituta eſt. Neque Thebæ cum jam Thebani in ſervitutem ab Alexandro veniſſent. Hinc apparet quod Theſſali Thebanis debuerant non eſſe Thebanis poſtliminio reſtitutum: idque duplici de cauſa: tum quod novus erat populus, tum quod Alexander quo tempore dominus erat hoc jus alienare potuerat & alienaverat; & quia creditum non in eorum eſt numero quæ poſtliminio redeunt.

2. Et quod de civitate diximus haud multum diſſimile eſt quod ve- *L. non ut*

teri illo Romano jure, quo diſſolubilia erant conjugia, matrimonium non cenſebatur poſtliminio reſtitui, ſed novo conſenſu redintegrari.

l. cum duæ, ¶. 1. D. de capt.

COMMENTARIUS.

UNiverſus populus ſive Reſpublica, quæ antea libera fuit, ſuam jure poſtliminii libertatem recipit, æque ac ſingulæ perſonæ, ſi forte vel ſemetipſos vel vis ſociorum eas eximat hoſtili imperio. Niſi ipſa multitudo jure belli legitimi diſſoluta ſit: facta enim diſſolutione partium, deſinit eſſe civitas, quamobrem nec poſtliminium in ea locum habere poteſt. Particularis enim collectio eorundem ſubjectorum civitatem priſtinam non reſtituit. Vid. quæ de ſocietatis civilis interitu diſputavimus *lib. 2. cap.* 4. §§. 5, 6, 7. Sin vero in populis univerſis jus poſtliminii locum habeat, ſummo jure noſtra Provincia, neſcio quo belli fato præteriti ſeculi anno 1672. a Gallis occupata, ab iis derelicta, priſtinam libertatem omniaque priſtina jura non duntaxat jure poſtliminii, ſed quod magis eſt, vi fœderis ſocialis, cui tanquam baſi ſua & fundamento innititur Reipublicæ noſtræ fabrica, ſibi vindicare propria auctoritate potuit. Statim enim atque ab hoſte derelicta ſui juris facta erat, atque in priſtinum ſtatum reſtituta ipſo jure & vi fœderis, id eſt, eadem regiminis forma, iidem magiſtratus, eædem leges, eadem jura & commoda, quibus, antequam in hoſtium poteſtatem redacta, fruebatur, reviviſcere cœperunt, utpote quæ non plane adempta, ſed quaſi ſuppreſſa erant, non alterius beneficio & munere, ſed, ut diximus, ipſo jure poſtliminii, & vi fœderis. Subacta quidem Provincia fuerat, ſed non diſſoluta, eadem multitudo, idem populus in idem corpus coalitus ſub uno eodemque imperio conſociatus remanebat. Merito igitur poſtquam jugum illud excuſſerat, quaſi poſtliminii jure omnia commoda ac jura, quæ habuerat ante devictionem, integra & intacta ipſi relinquenda dictabat ratio & æquitas juxta fœderis Trajectini tenorem. Ejectis a Traſybulo Tyrannis a Laconibus conſtitutis, Reipublicæ procuratio populo reddita. Nepos *in Traſyb. cap.* 3. Debellato Philippo omnes Græciæ civitates libertatem ac ſuas leges habere juſſæ ſunt. Liv. *lib.* 33. *cap.* 16. Quamobrem ingenue fateor me concipere non poſſe, qua ratione aliæ Provinciæ in noſtram & duas alias, quæ eandem belli calamitatem deguſtaverant, aliquid juris ſibi vindicare potuere; par enim in parem nullum habet imperium: æquali fœdere conſociatæ & in unum corpus coalitæ civitates, ea lege ut ſingulæ Provinciæ ſummum in ſuo territorio imperium haberent, cuique maneret integra & intacta tributa imponendi, quæ ad ſingularum civitatum neceſſitates requiruntur, facultas, tum magiſtratuum conſtitutio, leges, jus vitæ & necis in cives, jus circa ſacra, & quæ alia id genus, ſummæ majeſtatis jura, in ſingularum civitatum ſive Provinciarum arbitrio relicta. Hæc jura atque commoda ſtatim atque hoſtes fines civitatis exceſſerant, recuperavit, & quaſi nunquam hoſtium in poteſtatem fuiſſet redacta, a quo vi bellica pro tempore avulſa fuerat, tanquam membrum ejuſdem ſocietatis corpori accedebat, atque cum eo iterum reuniebatur, unitatis ejuſmodi redintegratio non ab aliarum Provinciarum pendebat arbitrio & beneficio, ſed jure fœderis nobis conceſſa. Verum non juvat meminiſſe omnia quæ tunc temporis geſta, ſilentio potius ea præterire placet, quibus mederi non poſſumus. Diſſolvebatur quoque matrimonium captivitate, *l. 1. ff. de divort.* ita ut matrimonium non cenſeretur poſtliminio reſtitui poſt reditum captivi, ſed novo erat opus conſenſu ad illud redintegrandum, mulieri tamen temere nubendi adempta facultate, *l. 6. ff. de divort.* Verum doctrinæ Chriſtianæ magis conveniens, ut ſtatuamus, captivitate matrimonium non dirimi, niſi forte præceſſerit malitioſa deſertio.

X. 1. Et ex his quidem intelligi poteſt quale ſit jure gentium poſtliminium in liberis hominibus. Cæterum jure civili idipſum jus, quod ea attinet quæ intra civitatem aguntur, & adſtringi additis exceptionibus aut conditionibus, & produci ad alia commoda poteſt. Sic jure civili Romano de numero eorum qui poſtliminio redeunt exempti ſunt transfugæ: etiam filiifamilias in quos patri videtur ſalva eſſe debuiſſe poteſtas illa patria quæ propria erat Quiritium. Sed hoc ideo placuiſſe ait Paulus, quia diſciplina caſtrorum antiquior fuit parentibus Romanis quam caritas liberorum: cui congruit quod de Manlio ait Cicero, ſuo dolore ſanciviſſe eum militaris imperii diſciplinam,

D. l. poſtliminium, ¶. transfugæ, & ¶. filius quoque. eod. tit.

De finib. 1.

nam, ut ſaluti proſpiceret civium, qua intelligebat contineri ſuam: ipſique naturæ & patrio amori prælatum ab eo jus majeſtatis.

2. Detrahit & hoc aliqnid de jure poſtliminii, quod legibus Atticis primum, deinde Romanis conſtitutum eſt, ut qui redemptus eſt ab hoſtibus, redemptori ſerviat donec pretium reddiderit. Sed hoc ipſum favore libertatis introductum apparet, ne adempta ſpe recuperandæ pecuniæ multi in hoſtium manu relinquerentur. Et illa ipſa ſervitus iiſdem Romanis legibus multis modis mitigatur, & poſtrema lege Juſtiniani finitur operis quinquennii: morte quoque redempti jus repetendæ pecuniæ exſtinguitur; ſicut & contracto inter redimentem & redemptum matrimonio remiſſum cenſetur: & redemptæ mulieris proſtitutione amittitur, multaque alia jure Romano in favorem redimentium & in pœnam proximorum qui ſuos non redimunt conſtituta ſunt.

Dem. in Nicoſtratum. L. ult. C. de poſtl. L. ſi patre. D. de capt. L. ſi is qui ſe C. de poſtl. l. fœdiſſima eod. tit.

3. Rurſum auctum eſt poſtliminii jus lege civili, eo quod non ea tantum quæ in poſtliminio ſunt jure gentium, ſed res omnes, jura omnia perinde habentur ac ſi is qui rediit nunquam hoſtium potitus eſſet: quod & jure Attico obtinuit. Nam, ut apud Dionem Pruſæenſem oratione XV legimus, quidam Calliæ ſe filium dicens captum in clade ad Acanthnm, & ſerviiſſe in Thracia, cum Athenas poſtliminio rediiſſet, hæreditatem Calliæ a poſſeſſoribus petiit, nec aliud quæſitum eſt in judicio quam an is revera Calliæ eſſet filius. Idem narrat, Meſſenios cum longo tempore ſerviiſſent, tandem & libertatem & regionem recepiſſe. Imo & quæ per uſucapionem aut liberationem ex bonis ſubtracta, vel non utendo finita eſſe videbantur, actione reſciſſoria reſtituuntur: nam in edicto de majoribus in integrum reſtituendis is comprehenditur qui in hoſtium eſt poteſtate. Et hoc quidem venit ex jure Romano antiquo.

L. ab hoſtibus. C. de poſtlimin. L. 1. ¶. 1. D. quibus ex cauſ. majores.

4. At lex Cornelia etiam hæredibus conſuluit eorum qui capti apud hoſtes deceſſiſſent: bona eorum conſervans, perinde quaſi qui non redit jam eo tempore quo captus eſt deceſſiſſet. Quæ jura civilia ſi tollas, haud dubie ſtatim ut quis ab hoſtibus captus eſſet bona ejus futura fuiſſent occupantium, quia qui apud hoſtes eſt pro nullo habetur. Quod ſi qui captus fuerat rediret, nihil reciperet præter ea quæ jure gentium poſtliminium habent. Quod vero captivorum bona fiſco cedunt ſi hæres nullus ſit, ex jure ſpeciali eſt Romano. Vidimus de his qui redeunt: videamus de his quæ recipiuntur.

L. Divus. D. de jure fiſci, l. bona. ¶. apparet. D. de capt.

COMMENTARIUS.

PAulo ante annotavimus, jus gentium jure civili poſſe vel extendi vel reſtringi quoad ea, quæ intra civitatem peraguntur. Quippe cum iis modum & regulam præſcribit ſummus imperans & formam imponit, prout Reipublicæ utilitas & commodum exigere videtur. Dependet a ſummi imperantis arbitrio jus gentium accommodare ad ſtatum Reipublicæ. Hinc jus civile eſt, quod neque in totum a naturali vel gentium recedit, nec per omnia ei ſervit: itaque cum aliquid addimus vel detrahimus juri communi, jus proprium, id eſt, civile efficimus. Sic jure civili Romano de numero eorum, qui poſtliminio redeunt, exempti ſunt

transfugæ. Hoſtium enim numero habetur, qui proditorum animo patriam reliquit, *l. 19. ff. de capt.* ſi liber ſit: nam ſi ſervus transfugerit, non ejus cauſa, ſed domino poſtliminii jus erit, ut ſervum recipiat, ſi invito domino transfugerit. Excipiuntur etiam filiifamilias. Transfuga non poteſt poſtliminio reverti. Notabilis eſt ratio, in qua fundata juris conſtitutio, ſcilicet, quia diſciplina caſtrorum antiquior fuit parentibus Romanis, quam caritas liberorum. Sunt ea, quæ patriæ ſaluti & commodo inſerviunt, præferenda privatis. *Sed cum omnia ratione animoque luſtraris, omnium ſocietatum nulla gravior eſt, nulla carior, quam ea qua cum Republica eſt unicuique noſtrum: cari ſunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares: ſed omnes omnium caritates patria una complexa eſt: pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, ſi ei ſit profuturus*, ut inquit Cic. 1. *offic. cap.* 17. & Plato *in Critone*: *Siccine lapis te ut fugerit & matre & patre, & reliquis progenitoribus omnibus digniorem eſſe patriam.* Detrahit & hoc aliquid de jure poſtliminii, quod jure Romano conſtitutum, ut redemptus ab hoſtibus ſi non poſſit pretium reſtituere, ſervire debeat redemptori ſuo tamdiu, donec pretium ſolverit, vel ſaltem pro eo ſatisfecerit, ne homines a tali officio pietatis conſideratione damni arceantur. Quod non ita intelligendum, quaſi qui redemptus ſit & pretium debeat, interea eſſet ſervilis conditionis, manet ingenuus, ſi liber fuerit antequam in hoſtium poteſtatem veniret. In ſervitute tantum ſunt, ſeu potius ſerviles præſtant operas ad tempus pretio dato, ideoque interim jura ingenuorum habent. Non enim debet beneficium in calamitatem converti, cum redemptio facultatem præbeat, non autem jus poſtliminii mutet. *l.* 20. *Cod. de poſtl.* In quibuſdam iterum auctum jus poſtliminii jure civili, uti patet ex *l.* 18. *Cod. de poſtl. l. 1. ff. quibus ex cauſ. major.* Supra ex Pufendorſio notavimus, in civitatibus receptum, ut non cum perſona res quoque ipſius pereat, ſed ut iſtius jus ad alias perſonas ejus civitatis devolvatur, aut his non extantibus publicis bonis ſive fiſco adcreſcat. Unde ſi civis ab hoſte captus fuerit, bona iſtius, quæ ſimul cum perſona non fuerunt capta, non adquiruntur capienti. Quamobrem perperam ſtatuit Auctor, ſi captus apud hoſtes deceſſiſſet, bona ejus futura fuiſſe occupantium; quia qui apud hoſtes eſt, pro nullo habetur; quippe ejus bona vel juxta naturæ leges vel civiles ad ſanguine proximos devolvuntur, atque nullis heredibus ab inteſtato reliquis, fiſco adjudicanda. Eaque non tam ex jure poſitivo, quam ſupereminenti dominio, quod Reſpublica habet in bona civium, deſcendit juris conſtitutio. Præterquam quod arctiſſima illa ſocietas, qua nulla carior, quæ cum Republica eſt cuique noſtrum, nullis heredibus ab inteſtato exiſtentibus, defuncti hereditatem publicis bonis accreſcere dictat; atque maxime durum videtur, ut, qui apud hoſtes ſunt, pro nullis haberentur, id ſane promeriti non ſunt, qui pro patria ſe hoſti opponunt. *Ex profecto*, inquit Zeiglerus, *iniquum erit, bonis iſtis carere reverſos, atque ab aliis ſine culpa occupata videre. Quibus hoc caſu ſatius eſſet apud hoſtes permanere, & adverſus concives ſuos arma vertere, quam de reditu in talem miſeriam cogitare.* Præterquam, ut inquit Henninges, quod non ſequitur, ejus, qui pro nullo habetur, bona fieri occupantium: nam & mortuus habetur pro nullo, cui, non facto teſtamento, ſuccedunt heredes legitimi.

XI. 1. Inter hæc ſunt primum ſervi & ancillæ, etiam ſæpe alienati, etiam ab hoſte manumiſſi: quia hoſtium jure manumiſſio obeſſe civi noſtro ſervi domino non potuit: ut bene notat Tryphoninus. Sed ut ſervus recipiatur neceſſe eſt ut aut revera habeatur a vetere domino, aut haberi facile poſſit. Quare cum in rebus aliis ſufficiat eas intra fines eſſe perductas, ad poſtliminii jus in ſervo id non erit ſatis niſi & cognoſcatur. Nam qui in urbe Roma eſt ita ut lateat, nondum receptus Paulo videtur. Ac ſicut hac in parte a rebus inanimis diſtat ſervus, ita viciſſim a libero homine in eo diſtat, quod ut poſtliminio recipiatur non requiritur ut animo res noſtras ſequendi venerit. Id enim in eo requiritur qui ſe recepturus eſt, non in eo qui ab altero ſit recipiendus, & ut Sabinus ſcripſit *de ſua quaque civitate cuique conſtituendi facultas libera eſt, non de dominii jure.*

L. in bello ¶. manumittendo. L. ult. D. de capt.

D. l. In bello. ¶. manumittendo.

2. Non excepit ab hoc gentium jure ſervos transfugas lex Romana. Nam & in his dominus priſtinum jus recipit, ut Paulus nos docet: ne contrarium jus non tam ipſi injurioſum ſit qui ſervus ſemper permanet, quam domino damnoſum. Generaliter de ſervis qui virtute militum recuperantur dictum eſt ab Imperatoribus illud quod ad

D. l. poſtliminium. ¶. ſi vero ſervus.

res

res omnes male a nonnullis trahitur. *Receptos eos non captos judicare debemus, & militem noſtrum defenſorem eorum decet eſſe, non dominum.* *L. ab hoſtibus. C. de poſtl.*

3. Qui ab hoſtibus redempti ſunt ſervi protinus Romano jure fiunt redimentis, ſed oblato demum pretio poſtliminio recipi intelliguntur. Verum hæc ſubtilius explicare juris civilis interpretum eſt. Nam & poſterioribus legibus mutata ſunt nonnulla: & quo ſervi capti ad reditum invitarentur, propoſita libertas his quibus membrum ruptum eſſet ſtatim, cæteris poſt quinquennium, ut videre eſt in legibus militaribus a Ruſo collectis.

COMMENTARIUS.

Vidimus de his qui redeunt, videamus nunc de his quæ recipiuntur, tam ex jure gentium vel civili. Jure gentium recipiuntur vel ſingulæ perſonæ, vel integri populi, vel utriuſque res, de quibus ſuo loco diſputat Auctor noſter. Inter perſonas ſingulas ſunt ſervi & ancillæ etiam ſæpe alienatæ & ab hoſte manumiſſæ. Rationem dat Tryphoninus *l. 12. ff. de capt.* Verum indaganda hic ratio differentiæ, cur res mobiles captæ & ab hoſtibus alienatæ etiamſi intra præſidia noſtra fuerint reductæ, vindicari a veteri domino vel poſſeſſore nequeant, ſervi autem & ancillæ poſſint. Quippe ſi res quæ belli jure capiuntur juſto titulo cedunt dominio capientis, ergo capiens jure alienare rem captam poteſt & dominium ſibi quæſitum transferre in alium, qui re ſua, cujus dominium a domino jure belli nactus eſt, abſque conſenſu ſuo ne quidem a veteri domino privari poteſt. Atqui ſervi eodem modo ſunt in commercio ut res aliæ, ac proinde alienari, vendi, oppignerari poſſunt, videtur quoque idem jus circa eorundem alienationem obſervandum, quod in aliis rebus obtinet. Recte ſtatuit doctiſſimus Zeiglerus, differentiæ rationem non in jure gentium, ſed Romano fundatam, atque licet idem jus ab aliis etiam gentibus receptum fuerit, nihil tamen obſtat, quo minus juri poſitivo adſcribenda hæc juris conſtitutio. *Et ratio poteſt dari ea*, inquit Zeiglerus, *quod reliqua res mobiles, non ita ſe, ut ſervi, dominio noſtro ſe ſubducere queant. Ut igitur difficilior horum eſſet amiſſio, Jus poſtliminii locum habere voluerunt Romani, & poſt eos etiam aliæ gentes, etiam eo caſu, quo vere capti fuerunt, cum alias difficilis eſſet probationis ſubductio, & nunquam non captos ſe prætendere poſſint ſervi.* Quamvis regulariter transfugæ nullum poſtliminium, attamen ſervus transfuga in domini ſui poteſtatem redit. *l. 19. §. 5. ff. de capt.* Servus virtute militari hoſtibus ereptus non fit capientis, ſed redit in veteris domini poteſtatem, receptus enim non captus videri debet, atque militem noſtrum defenſorem ejus eſſe decet non dominum, inquit Imperator *l. 12. Cod. de poſtl. reverſ.* Ex qua ratione nonnulli perperam concludunt mobilia etiam noſtra ab hoſte ablata, & a milite noſtro etiam ex intervallo recuperata, dominis ſuis eſſe reſtituenda. Vid. quæ annotavimus *cap. 6. §. 7.* Quod enim de hominibus conſtitutum, ad res cæteras ſemper extendi non debet.

XII. Illa quæſtio magis ad nos pertinet, an & populi qui ſubjecti alieno imperio fuerunt in veterem cauſam recidant: quod tractari poteſt ſi non is cujus imperium fuerat, ſed ſociorum aliquis eos hoſti eripuiſſet. Puto hic idem dicendum quod in ſervis, niſi ſociali fœdere aliter convenerit.

COMMENTARIUS.

Ambigendum non eſt quin in veterem cauſam recidant populi, qui ſubjecti alieno imperio, huic erepti ab eo cujus antea fuerat imperium. Ac idem dicendum ſi ſociorum armis in libertatem priſtinam vindicati, niſi ſociali fœdere aliter convenerit. Sic Maſaniſſa Numidarum Rex ereptum ſibi a Syphace regnum primo ſuorum ingenti audacia, ubi id non ſucceſſit, Romanorum ope recepit. Sic quondam Saguntini jugo Carthaginienſium a Romanis, & Græci ab iiſdem Philippi imperio fuere exempti atque in libertatem vindicati; niſi aliter convenerit. Exemplo eſt Demetrius, Illyriorum Rex, qui Philippum Macedonem ad invadendos Romanos oblata amiſſa regni parte inſtigat. Juſtin. *lib. 29. cap. 2.* Quamobrem jure noſtra provincia, ſive ſua, ſive ſociorum ope erepta hoſtibus fuerat, prætendere potuit in veterem recidiſſe cauſam,

ſam, id eſt, excuſſo Gallorum jugo, imperium, omniaque majeſtatis jura recepiſſe, & magiſtratus, quibus veterem obedientiam debebant cives. Primo enim noſmet ipſos & in priſtinum libertatis ſtatum reſtituti proprio ære ab interitu vindicavimus. Deinde ſocii jure fœderis ſocialis devincti erant ad mutuam defenſionem contra quoſcunque invaſores exteros. Itaque ſi nobis in auxilium venerint ad depellendos hoſtes, & in priſtinam libertatem reſtituendam provinciam noſtram, nihil aliud fecere, quam quod vi fœderis ſocialis præſtare erant devincti, ſalvo nobis priſtino jure & imperio ſummo, quod cuique provinciæ competit.

L. ſi captivus. ¶. verum eſt, D. de capt. — *Strabo libro VIII.* — *Nov. XXXVI.* — *Nov. Valent. de epiſc. Jud.*

XIII. 1. Inter res primum occurrunt agri, qui in poſtliminio ſunt. *Verum eſt*, ait Pomponius, *expulſis hoſtibus ex agris quos ceperint dominia eorum ad priores dominos redire*. Expulſi autem hoſtes intelligi debent ex quo aperte eo accedere amplius non poſſunt, ut alibi explicavimus. Sic Æginam inſulam Athenienſibus ereptam veteribus dominis Lacedæmonii reddiderunt. Agros ex Gothis & Vandalis recuperatos veterum poſſeſſorum hæredibus reddiderunt Juſtinianus aliique imperatores; non admiſſis adverſus dominos præſcriptionibus illis quas Romanæ leges induxerant.

Proc. 1. de bel. Vand. — *Cujac. obſ x. I. cum loca. D. de religioſis.* — *L. in tantum, de diviſ. rer.* — *L. ſi ager. D. quibus mod. uſuſfr. amit.* — *Reg. Conſt. lib. x. tit. 29. p. 2.*

2. Quod de agris jus eſt, idem eſſe arbitror de omni jure quod ſolo adhæret. Nam & loca capta ab hoſtibus quæ religioſa vel ſacra fuerant, ſi ab hac calamitate fuerint liberata, quaſi quodam poſtliminio reverſa priſtino ſtatui reſtitui ſcripſit Pomponius: quicum convenit illud Ciceronis in Verrina de Signis, de Diana Segeſtana: *P. Africani virtute religionem ſimul cum loco recuperavit.* Et Marcianus cum poſtliminii jure comparat jus illud quo ſolum ædificio occupatum eo collapſo littori redditur. Quare & uſumfructum agri recepti reſtitui dicendum erit ad exemplum ejus quod de agro inundato Pomponius reſpondit. Sic Hiſpanis lege cautum eſt, ut comitatus & aliæ juriſdictiones hæreditariæ poſtliminio redeant, majores omnino; minores, ſi intra quadriennium a receptione vindicentur; niſi quod arcem bello amiſſam & quomodocunque recuperatam retinendi jus rex habet.

COMMENTARIUS.

Res ſunt vel mobiles vel immobiles. Immobiles ſunt agri, ex quibus expulſis hoſtibus, dominia eorum redire ad priores dominos reſpondet Pomponius *l. 20. ff. de capt.* nullo quantumvis longi temporis lapſu obſtante. Itaque Saguntum oppidum, quod jam octavum annum in poteſtate hoſtium fuerat, tandem receptum, cultoribus antiquis, quos vis reliquerat belli, reſtitutum fuit. Liv. *lib.* 24. Non abolitur itaque jus poſtliminii præſcriptione. Eſt enim reſtitutio, ut DD. ajunt, in priorem ſtatum ex jure poſtliminii, habenda pro re meræ facultatis cui non præſcribitur. Quænam præſcriptionis juſtitia hic fingi poteſt, ubi nulla domini intervenit negligentia: neceſſitate enim exigente poſſeſſio amiſſa, quam æquitatis ſuadente ratione eum recuperare oportet jure poſtliminii, qui eam per neceſſitatem amiſerat. Quemadmodum vero ager ipſe, ſive quævis alia res ſoli, ita & jus quod ei adhæret, priſtino ſtatui reſtituitur, quamobrem & uſumfructum agri recepti reſtitui dicendum ſtatuit Auctor. Sic & creditori jus pignoris & heredi hereditatis jus redibit, nec minus locis ſacra faciendis deſtinatis ſua religio, hoſtium poteſtati ereptis. Ex conſtitutionibus regni Hiſpaniæ imperia, regna, comitatus, aliaque dominia majora, ab hoſtibus recuperata, poſtliminio redeunt, & ne ex eo quidem tempore, quo recuperata ſunt, uſucapi poſſunt, quoad alia vero dominia minora, ſi quatuor annis dominus ſiluerit, ex quo recepta ſunt, erit locus præſcriptioni, niſi dominus ſit minor. Ajala *de jur. bell. lib. 1. cap. 5.*

XIV. 1. De mobilibus generalis in contrarium regula eſt, ut poſtliminio

liminio non redeant, ſed in præda ſint: at hæc opponit Labeo. Quare & commercio parata, ubicunque reperiuntur, manent ejus qui emit: nec apud pacatos reperta aut intra fines perducta vindicandi jus eſt veteri domino. Sed ab hac regula videmus olim excepta quæ in bello uſum habent: quod ideo placuiſſe gentibus videtur, ut recuperandi ſpes ad ea comparanda alacriores homines redderet. Plurimarum enim civitatum inſtituta eo tempore ad rem bellicam referebantur. Quare facile in hoc conſenſum eſt. Uſum autem in bello hæc habere cenſentur quæ modo ex Gallo Ælio attulimus, ſed quæ diſtinctius expoſita exſtant cum apud Ciceronem in Topicis tum apud Modeſtinum: Naves ſcilicet longæ atque onerariæ, non item luſoriæ, aut actuariæ voluptatis cauſa paratæ: muli, ſed clitellarii: equi & equæ, ſed freni patientes. Et hæ res ſunt quas & legari recte voluerunt Romani, & in præſtationes familiæ herciſcundæ venire. *L. 2. & 4. D. de capt.* *L. id quod apud hoſtes, D. de leg. 1.*

2. Arma & veſtis uſum quidem in bello habent, ſed poſtliminio non redibant, quia minime favorabiles erant qui in bello arma aut veſtem amitterent: imo id flagitii loco habebatur, ut paſſim in hiſtoriis apparet. Atque in hoc notantur arma ab equo diſtare, quod equus ſine culpa equitis proripere ſe potuit. Et hoc quidem rerum mobilium diſcrimen videtur uſum habuiſſe in occidente, etiam ſub Gothis, ad Boëtii uſque tempora: is enim Ciceronis Topica explicans ita videtur de hoc jure loqui, quaſi quod ad eum diem vim ſuam obtineret. *L. item Labeo cum l. ſeq. de D. de fam. herc.*

XV. At poſterioribus temporibus, ſi non ante, ſublata videtur hæc differentia. Paſſim enim tradunt morum periti res mobiles poſtliminio non redire, & id de navibus conſtitutum multis in locis videmus. *Bart. in l. ſi quid bello. D. de capt.*

COMMENTARIUS.

QUodcunque in bello captum & ceſſit in prædam, poſtliminio non redit. Quamobrem res mobiles quia in præda ſunt, poſtliminio non redeunt. *l.* 28. *ff. de capt.* Excepta tamen ab hac regula olim quæ in bello uſum habent. Vid. quæ annotavimus §. 3. Arma quamvis in bello uſum habeant, attamen poſtliminio non redibant, quippe quæ ſalvo pudore non amittuntur, nec item veſtis. *l.* 1. 2. 3. *ff. de capt.* Hinc M. Cato Cenſorii filius, in acie decidente equo prolapſus, cum ſe recollegiſſet, animadvertiſſetque gladium excidiſſe vagina, veritus ignominiam rediit in hoſtem ex eoque aliquot vulneribus recuperato gladio, domum reverſus eſt ad ſuos. Vid. Valer. Max. *lib.* 3. *cap.* 2. Juſtin. *lib.* 3. *cap.* 2. App. Claudius, a Volſcis exercitu ejus fugato, invectus in proditorem exercitum militaris diſciplinæ, deſertorem ſignorum, ubi ſigna, ubi arma eſſent ſingulos rogitans, inermes milites, ſigno amiſſo ſigniferos, virgis cæſos, ſecuri percuſſit. Liv. *lib.* 2. Nec minus turpe apud Græcos arma mittere. Hinc trajectus haſta, ſanguine & ſpiritu deficiens, recreare ſe conantes, primum an clypeus ſuus ſalvus eſſet; deinde an penitus fuſi hoſtes, interrogavit. Valer. Max. *lib.* 3. *cap.* 2. Verum hæc juris conſtitutio juri Romano potius, quam gentium adſcribenda videtur.

XVI. Eæ vero res quæ intra præſidia perductæ nondum ſunt, quanquam ab hoſtibus occupatæ, ideo poſtliminii non egent, quia dominum nondum mutarunt, ex gentium jure. Et quæ piratæ aut latrones nobis eripuerunt non opus habent poſtliminio, ut Ulpianus *Ang. & Salic. in l. ab hoſtibus, C. de capt. Conſt.*

&

Gall. l. xx. tit. 13. art. 24. Conſ. maris. c. 287. L. hoſtes, & l. Latrones. D. de cap. l. poſtlim. ¶. a piratis eod. tit. Demoſth. de Haloneſo.

& Javolenus reſponderunt; quia jus gentium illis non conceſſit ut jus domini mutare poſſint: quo innixi Athenienſes Haloneſum quam ipſis prædones, prædonibus Philippus eripuerat, ut redditam a Philippo non ut donatam volebant accipere. Itaque res ab illis captæ ubicunque reperiuntur vindicari poſſunt, niſi quod ex naturali jure alibi cenſuimus ei qui ſuo ſumptu poſſeſſionem rei adeptus eſt tantum eſſe reddendum, quantum dominus ipſe ad rem recuperandam libenter impenſurus fuerat.

XVII. Poteſt tamen lege civili aliud conſtitui: ſicuti lege Hiſpanica naves a piratis captæ eorum fiunt qui eas eripiunt piratis: neque enim iniquum eſt ut privata res publicæ utilitati cedat, præſertim in tanta recuperandi difficultate. Sed lex talis non obſtabit exteris quo minus res ſuas vindicent.

Sup. lib. II. c. X. ¶. 9. Lib. XXXI. tit. 29. p. 2. Covar. ad c. peccatum. p. II. ¶. 2. num. 8.

COMMENTARIUS.

AN res ex hoſtibus capta capientis non cedat dominio, antequam intra præſidia noſtra deducta ſit, vid. quæ annotavimus *cap. 6. §. 3.* Res quæ a piratis vel latronibus nobis ereptæ poſtliminii jure opus non habent; quippe quæcunque ab illis capiuntur, nunquam in dominium eorum tranſeunt. *l. 24. 27. ff. de capt.* Quamobrem recepta ſine diſtinctione, omnia priori domino reſtituenda, utpote qui eorundem dominio nunquam excidit. Recte autem huic regulæ exceptionem addit Auctor, quæ in jure naturali fundata. Vid. quæ annotavimus *lib. 2. cap. 10. §. 9.* Poteſt tamen ſuadente publica utilitate aliter lege civili conſtitui. Uti conſtitutio regni Hiſpaniæ rerum a latronibus captarum dominium capienti addicit propter publicam utilitatem, ſcilicet ut eo alacriores ad perſequendos latrones & piratas milites redderentur. Salus enim populi ſuprema lex, cui etiam cum damno privatorum aliquando conſulere neceſſitate exigente juſtitiæ non repugnat. *Vid. l. 15. §. 2. ff. de rei vind.* Huc ſpectat illud Taciti 14. *annal. cap. 44. Omne magnum exemplum habere aliquid ex iniquo, quod contra ſingulos publica utilitate rependitur.*

Lib. II. c. 15. ¶. 5.

XVIII. 1. Illud magis mirandum quod teſtantur Romanæ leges poſtliminii jus locum habuiſſe non tantum inter hoſtes ſed & inter Romanos & populos externos. Sed alibi diximus reliquias has eſſe ſæculi Nomadum, quo ſenſum naturalis ſocietatis, quæ eſt inter homines, mores exſurdaverant. Itaqne apud gentes etiam quæ bellum publicum non gererent; erat quædam belli inter privatos quaſi ipſis moribus indicti licentia: ac ne ea licentia ad interficiendos homines proſiliret, placuit captivitatis jura inter eos introduci, cui conſequens fuit ut & poſtliminio locus eſſet, aliter quam cum latronibus ac piratis, quia illa vis rem producebat ad æquas pactiones, quæ a latronibus & piratis contemni ſolent.

2. Juris olim controverſi videtur fuiſſe, an qui apud nos ſerviunt ex populo fœderato ſi domum reveniſſent poſtliminio redeant. Ita enim hanc quæſtionem proponit Cicero primo de Oratore. Et Gallus quidem Ælius ſic ait: *Cum populis liberis & cum fœderatis & cum regibus poſtliminium nobis eſt ita ut cum hoſtibus.* Contra Proculus: *Non dubito quin fœderati & liberi nobis externi ſint: non inter nos atque eos poſtliminium eſſe.*

L. non dubito. D. de cap.

3. Ego arbitror diſtinguendum inter fœdera, ut ſi qua eſſent quæ

belli

belli duntaxat publici componendi aut cavendi cauſa eſſent inita, ea nec captivitati in poſterum nec poſtliminio obſtarent; at ſi qua id continerent ut tuti eſſent publico nomine qui ab his ad illos veniſſent, ut tunc captivitate ſublata caſſaret & poſtliminium. Et hoc mihi indicare videtur Pomponius cum ait, *Si cum gente aliqua neque amicitiam neque hoſpitium neque fœdus amicitiæ cauſa factum habemus, hi hoſtes quidem non ſunt: quod autem ex noſtro ad eos pervenit illorum fit, & liber homo noſter ab eis captus ſervus fit & eorum: Idemque eſt ſi ab illis ad nos aliquid perveniat: hoc quoque igitur caſu poſtliminium datum eſt.* Cum dixit fœdus amicitiæ cauſa, oſtendit & alia eſſe poſſe fœdera quibus nec hoſpitii nec amicitiæ jus inſit. Proculus quoque eos a ſe populos fœderatos intelligi qui amicitiam aut hoſpitium tutum promiſiſſent, ſatis ſignificat cum ſubjicit: *Etenim quid inter nos atque eos poſtliminii opus eſt, cum & illi apud nos & libertatem ſuam & dominium rerum ſuarum æque atque apud ſe retineant, & eadem nobis apud eos contingant.* Quare quod apud Gallum Ælium ſequitur, *quæ nationes in ditione noſtra ſunt, cum his poſtliminium non eſt*, ut recte legit Cujacius, hoc additamento ſupplendum erit, nec cum his quibuſcum fœdus amicitiæ cauſa habemus.

D. l. poſtliminio. ¶. in pace.

Obſ. 11. l. 23.

XIX. 1. At noſtris temporibus, non inter Chriſtianos tantum ſed & apud pleroſque Mahumetiſtas, jus ut captivitatis extra bellum ita & poſtliminii evanuit, ſublata utriuſque neceſſitate ob reſtitutam vim ejus cognationis quam inter homines natura eſſe voluit.

Bod. lib. 1. de rep. c. 7.

2. Habere tamen locum poterit vetus illud jus gentium, ſi res ſit cum gente tam barbara ut ſine indictione aut cauſa omnes externos & res eorum hoſtiliter tractare pro jure habeat. Atque eam in partem dum hæc ſcribo judicatum eſt in ſummo Auditorio Pariſienſi, cœtus principe Nicolao Verdunio: bona quæ Francorum civium fuerant ab Algerienſibus, populo prædationibus maritimis in omnes alios graſſari ſolito, capta belli jure mutaſſe dominum: ac proinde cum recepta ab aliis eſſent, facta eorum qui recepiſſent. In eadem cognitione & hoc judicatum eſt quod modo diximus, naves hodie inter ea non eſſe, quæ poſtliminio recipiuntur.

COMMENTARIUS.

IN pace, inquit Pomponius, *quoque poſtliminium datum eſt. Nam ſi cum gente aliqua neque amicitiam, neque hoſpitium, neque fœdus amicitiæ cauſa factum habemus: hi hoſtes quidem non ſunt: quod autem ex noſtro ad eos pervenit, illorum fit: & liber homo noſter ab eis captus ſervus fit eorum. Idemque eſt, ſi ab illis ad nos aliquid perveniat. Hoc quoque igitur caſu poſtliminium datum eſt.* Verum poſſet hic reponi, quemadmodum homini cum homine ita genti cum gente intercedit cognatio naturalis & naturalis juris communio, quæ dictat homini hominem inſidiari, atque ei nocere niſi laceſſitus injuria, nefas eſſe. Quid opus hoſpitii vel amicitiæ fœdere cum iis, quibuſcum in pace vivitur, & proinde nihil hoſtile quid ab ijs metuendum. Non inficior, ſi huic rationis dictamini cuique homini ingenito obtemperantes homines vitam agerent, in pace & ſecuritate quiſque fortunas ſuas poſſideret, neque alter alterius immineret exitio. Verum cum maxima pars mortalium pravæ naturæ impetu & animi omnium vitiorum labe & cupidine infecti ſtimulos ſequeretur, homo homini lupus eſſe cœpit, & pluſquam ferina quaſi barbaries humanum genus invaſit, ita ut nec hoſpes ab hoſpite tutus, nec ſocer a genero. Vivebatur ex rapto. Quibus malis & incommodis ut obviam irent mortales, ſocietates & cœtus celebrari cœperunt, hoſpitii & fœdere amicitiæ ſibi ſocios adjungere, atque hac ratione ſemet-

ipſos in ſecuritatem aſſerere. Verum cum ejuſmodi fœdera & ſocietates quaſdam vel ſamilias, quæ in unum corpus coaleſcebant, vel gentes fœderatas ad meliorem vitæ modum & cognationis & amicitiæ a natura inter homines conſtitutæ culturam revocabat, manebat tamen cum exteris gentibus, cum quibus nec hoſpitii nec amicitiæ fœdus intercedebat, (nam illæ exteræ vocabantur) quaſi naturalis animorum disjunctio, & quamvis non publicum & ſolenne bellum inter eas gerebatur, attamen ſe mutuo lædere non habebatur neſas; ita ut latrocinari & prædas agere in exteras, nullo bello indicto, pro licito haberetur. Hinc in barbaros prædam exercere laudatum Ariſtoteli, & ipſa vox hoſtis veteri Latio nihil niſi externum ſignificabat, ut notat Auctor noſter *lib. 2. cap.* 15. §. 5. Atque hæc prædandi impunitas & apud moratiores gentes invaluerat, Thucydide teſte *bell. Peloponn. Græci olim*, inquit, *& Barbarorum quicunque in continenti maritimi erant, quique inſulas incolebant, ubi cœperunt crebrius alii ad alios navibus tranſire, ad latrocinium converſi ſunt, ducibus viris mediocris potentiæ, tum ſui quæſtus, tum pauperum victus gratia, atque adorti civitates muro vacantes, vicatimque habitatas diripiebant, cum hoc factum nondum ignominiam, ſed nonnihil gloriæ potius afferret: quod declarant cum quidam etiam nunc in continente, quibus decori eſt, hoc egregie exercere; tum vetuſtiſſimi Poëtæ, apud quos illi ultro citroque navigantes interrogantur numquid latrones ſint? quaſi neque illi, quos interrogant, illud factum dedignentur, neque iis, quibus curæ eſt, ſcire hoc ex illis, probri & criminis loco objiciant. Et in mediterraneis etiam homines prædantur.* Cujuſmodi prædandi licentiam in uſu apud nonnullas gentes ſuiſſe Romanorum ætate teſtatur *Liv. lib. 5. cap.* 28. *& lib.* 10. *cap.* 2. Tales quoque apud Virgilium priſci Itali; Polybio Illyrii, qui ſub Teuta Regina degebant; Floro Dalmatæ; Tacito Mardi & Veneti, aliæque gentes. De ejuſmodi gentibus ſermonem habet Pomponius, cum quibus nulla erat populo Romano amicitia, nec ſœdus hoſpitii, non tamen ullum bellum, qui nec amici nec hoſtes erant. Tales quoque ſuiſſe Saracenos, docet nos Ammianus Marcellinus *lib.* 14. *Saraceni tamen, nec amici nobis unquam, nec hoſtes optandi, ultro citroque diſcurſantes, quidquid inveniri poterat, momento temporis parvo vaſtabant, milvorum rapacium ſimiles, qui ſi prædam diſpexerint celſius volatu rapiunt celeri.* Ne autem licentia hæc prædandi ad interficiendos homines tranſiret, placuit captivitaris jura inter eos introduci, cui poſtliminium ſubjectum eſt. An illi, qui ex populo ſœderato apud nos ſerviunt, ſi domum reveniſſent, poſtliminio redeant, & Gallus quidem Ælius cum populis liberis & cum fœderatis, ita ut cum hoſtibus poſtliminium eſſe affirmat. Contra vero Proculus *l. 7. ff. de capt.* Diſtinctione reſolvendam hanc quæſtionem Auctor ſtatuit. Vid. Cujac. *lib.* 11. *obſerv.* 23. At inter Chriſtianos ipſos jus capturæ & poſtliminii ceſſat, tum etiam apud Mahometanos, ſcilicet inter ſe, evanuit. Quid ſi vero nobis res ſit cum natione ac gente tam barbara, ut in externos latrocinari ac prædas agere pro licito habeat? Vetus illud jus gentium reviviſcit ob majus malum vitandum.

CAPUT X.

Monita de his quæ fiunt in bello injuſto.

I. *QUo ſenſu pudor vetare dicatur quod lex permittit:*
II. *Aptatum hoc ad ea quæ jure Gentium permiſſa diximus.*
III. *Interna injuſtitia injuſtum eſſe quod ex bello injuſto fit.*
IV. *Qui hinc, & quatenus ad reſtitutionem obligentur.*
V. *An res captæ bello injuſto reddendæ ſint ab eo qui cepit?*
VI. *An & ab eo qui detinet?*

I. 1. LEgenda mihi retro veſtigia, & eripienda bellum gerentibus pene omnia quæ largitus videri poſſum, nec tamen largitus ſum. Nam cum primum hanc juris gentium partem explicare ſum aggreſſus, teſtatus ſum *juris eſſe*
Lib. III. c. 4. aut *licere* multa dici, eo quod impune fiant, partim etiam quod judicia coactiva ſuam illis auctoritatem accommodent, quæ tamen aut exorbitent a recti regula, ſive illa in jure ſtricte dicto, ſive in aliarum virtutum præcepto poſita eſt, aut certe omittantur ſanctius & cum majori apud bonos laude.

2. In Troadibus Senecæ dicenti Pyrrho,

Lex nulla capto parcit, aut pœnam impedit;

Regerit Agamemnon,

Quod

Quod non vetat lex, hoc vetat fieri pudor.

Quo in loco pudor non tam hominum & famæ quam æqui & boni, aut certe ejus quod æquius meliuſque eſt, reſpectum ſignificat. Sic in Juſtinianeis Inſtitutionibus legimus: *Fideicommiſſa appellata ſunt quia nullo vinculo juris, ſed tantum pudore eorum, qui rogabantur, continebantur.* Apud Patrem Quintilianum: *Non aliter ſalvo pudore ad ſponſorem venit creditor quam ſi recipere a debitore non poſſit.* Atque eo ſenſu ſæpe videas juſtitiam cum pudore conjungi.

Nondum juſtitiam facinus mortale fugarat:
Ultima de ſuperis illa reliquit humum,
Proque metu populum ſine vi pudor ipſe regebat.

Heſiodus:

Δίκη δ' ἐν χερσὶ καὶ αἰδὼς
Οὐκ ἔσται, βλάψει δ' ὁ κακὸς τὸν ἀρείονα φῶτα. *Operibus.*
---- nuſquam pudor: aurea nuſquam
Juſtitia: inſultant pravi melioribus ultro.

Plato libro XII de legibus: παρθένος γὰρ αἰδοῦς δίκη λέγεταί τε καὶ ὄντως εἴρηται, emendem πάρεδρος: ut ſenſus ſit: *Comes pudoris Juſtitia vocatur, & merito quidem.* Nam & alibi idem Plato ſic loquitur: Θεὸς δείσας περὶ τῷ γένει ἀνθρώπων μὴ ἀπόλοιτο πᾶν, δωρᾶται ἀνθρώποις αἰδῶ τε καὶ δίκην, ἵν' εἶεν πόλεων κόσμοι τε καὶ δεσμοὶ φιλίας συναγωγοί. *Deus metuens ne plane interiret genus humanum dedit hominibus juſtitiam ac pudorem, ornamenta civitatum, & ad amicitiam colligandam vincula:* & Plutarchus ſimili modo δίκην vocat ἔνοικον αἰδοῦς, *Juſtitiam pudoris cohabitatricem,* qui & alibi jungit αἰδῶ & δικαιοσύνην. Apud Dionyſium Halicarnaſſenſem ſimul nominantur αἰδὼς, κόσμος καὶ δίκη, *pudor, decorum, & honeſtum.* Sic & αἰδῶ & ἐπιείκειαν copulat Joſephus *pudorem & æquitatem.* Paulus quoque Juriſconſultus conjungit naturale jus & pudorem. Cicero autem inter juſtitiam & verecundiam ita fines regit, ut juſtitiæ partes ſtatuat non violare homines, verecundiæ non offendere.

Protagora. *Ad ineruditum principem.* *Vita Theſei.* *Lib. VI.* *Lib. XIII. antiq. c. 19. L. adoptivus, D. de ritu nupt.*

3. Cum eo quem ex Seneca adduximus verſu bene convenit dictum ejuſdem in ſcriptis philoſophicis. *Quam anguſta innocentia eſt ad legem bonum eſſe? Quanto latius officiorum patet quam juris regula? quam multa pietas, humanitas, liberalitas, juſtitia, fides exigunt? quæ omnia extra publicas tabulas ſunt.* Ubi vides jus a juſtitia diſtingui, quia jus accipit id quod in judiciis externis viget. Idem id alibi explicat egregie exemplo juris herilis in ſervos. *In mancipio cogitandum eſt, non quantum illud impune pati poſſit; ſed quantum tibi permittat æqui bonique natura, quæ parcere etiam captivis & pretio paratis jubet.* Deinde: *Cum in ſervum omnia liceant, eſt aliquid quod in hominem licere commune jus animantium vetet.* Quo in loco notanda iterum vocis *licere* diverſa acceptio, altera exterior, altera interior.

Off. 1. *Lib. 1. de Ira, c. 27.* *Lib. 1. de Clem. c. 18.*

II. 1. Eundem habet ſenſum illa Marcelli in Senatu Romano diſtinctio: *non quid ego fecerim in diſquiſitionem venit, quem quicquid in hoſtibus feci jus belli defendit, ſed quid iſti pati debuerint:* ex æquo & bono ſcilicet. Idem diſcrimen Ariſtoteles innuit diſputans an juſta dicenda ſit quæ ex bello oritur ſervitus: ὅλως δ' ἀντεχόμενοί τινες, ὡς οἴονται, δικαίου τινὸς (ὁ γὰρ

Liv. l. 28. *Pol. 1. c. 6.*

νόμος δίκαιόν τι) τὴν κατὰ πόλεμον δουλείαν τιθέασι δικαίαν. Ὅλως δ' οὔ φασι. Τήν γὰρ ἀρχὴν ἐνδέχεται μὴ δικαίαν εἶναι πολέμων. *Quidam reſpicientes juſti aliquid (nam & lex juſtum quid eſt) juſtam eſſe ajunt ſervitutem ex bello: at omnino juſtam eſſe negant, quando accidere poteſt ut injuſta fuerit bellandi cauſa.* Simile eſt illud
Lib. III. Thucydidis in Thebanorum oratione: οὓς ἐν χερσὶν ἀπεκτείνατε οὐχ ὁμοίως ἀλγοῦμεν. Κατὰ νόμον γὰρ δή τινα ἔπασχον: *de his quos in conflictu occidiſtis non adeo querimur, accidit enim hoc illis jure quodammodo.*

L. poſtlim. in pr. D. de capt. 2. Sic & ipſi Juriſconſulti Romani, quod ſæpe jus captivitatis vocant, alibi injuriam appellant, & æquitati opponunt naturali; & Seneca ſervi nomen ex injuria natum, id quod ſæpe accidit reſpiciens.
Epi. XXXII. Apud Livium quoque Itali retinentes ea quæ Syracuſanis bello ademerant,
Libro XXVIII. pertinaces ad obtinendam injuriam appellantur. Dion Pruſæ-
Orat. XV. enſis cum dixiſſet bello captos ſi ad ſuos rediiſſent libertatem recipere, addit, ὡς ἀδίκως δουλεύοντας, *ut qui per injuriam in ſervitute fuiſſent.*

Lactantius de Philoſophis loquens: *Cum de officiis ad rem militarem pertinentibus diſputant, neque ad juſtitiam, neque ad veram virtutem accommodatur illa omnis oratio, ſed ad hanc vitam moremque civilem.* Idem mox a Romanis ait legitime illatas injurias.

COMMENTARIUS.

QUoniam jus gentium in jure naturali ſive rectæ rationis dictamine fundatum, imo potius ex eo derivatum, utpote quod ratio inter homines conſtituit, ideoque apud omnes gentes receptum, juris gentium nomine venit, nihil hoc jure permiſſum vel licitum putamus, quod a rationis dictamine, ejuſdem cum ſubjecta materia facta applicatione, deviat. Quamobrem perperam nobis juris nomine venire videntur ea, quæ impune fiunt in foro humano, & proinde per abuſum vocabuli licita dicuntur. Licita quatenus pœnæ humanæ non ſubjacent. Quamobrem recte alibi diſtinguit Auctor vocem *licere* in id quod recte fit, quod ex omni parte pium eſt, & hominis conſcientiam tranquillat; quia quod agit, juſtitiæ convenit & rationis dictamini conſentaneum, & in id quod impune fit. Atque hoc ſenſu ſumpto juris vocabulo multa licita in foro humano, quæ in foro conſcientiæ illicita; quoad jus externum vocat Auctor, quod non ratio, ſed mali mores & prava conſuetudo introduxerunt; quamobrem alibi diximus perperam juris nomine venire. Cum vero Auctor hoc ſenſu ſumpto juris vocabulo multa bellum gerentibus largitur, quæ ad conſcientiæ dictamen tanquam ad Lydium lapidem examinata a recti regula deviare dictaret ratio, & proinde homo naturam ducem ſequens exiſtimaret illicita: nihil enim oportet hominem naturæ obtemperantem agere vel ſuſcipere, quod a ratione vel æquitate alienum judicat, non formidine pœnæ deterritus, ſed virtutis amore impulſus, vir bonus & honeſtus abſtinebit a malefaciendo. Quamobrem ſi quid agere vel ſuſcipere animum induxit, antequam in actum deducit, ſecum deliberans num juſtitiæ & honeſtati conveniens; ratio enim, quam ipſi largitus eſt ſummus rerum arbiter, ipſi debet eſſe norma & regula agendorum, atque ſumma ope niti debet, ut omnes, quæ a ſe proficiſcuntur actiones, cum ea habeant convenientiam. Quippe in ea conſiſtit honeſtas & rectitudo omnis, quæ nullo jure humano tolli vel immutari poteſt. Hinc homini ingenita illa decori & honeſti principia, ut cum illis conferre poſſet quæ agenda ſuſciperet, & ex illorum convenientia vel diſconvenientia cum innatis hiſce principiis dijudicare poſſet quid juſtum decorum & honeſtum, quid ab eo alienum. Itaque homo ſibi ſemper conſcius eſſe poteſt turpitudinis, vel juſtitiæ, quæ actionum humanarum comites aſſiduæ. Nec ſtatuendum fruſtra homini conſcientiam ejuſmodi inditam, quæ eum doceret atque informaret, quid rectum ac juſtum, bonum vel malum eſt, quid decet in dictis factiſque, qui ordo & modus ſervandus, ut rationi reſpondeant actus noſtri. Verum obligatio nobis imponit, qua tenemur in totius vitæ curſu ſequi, quod naturæ, id eſt, rectæ rationi conſentaneum, & proinde juſtum ac rectum eſt, fugere vero quod turpe ac malum eſt. Cujuſmodi obligatio nulla ratione tolli poteſt, quia moralis eſt, & proinde diſpoſitioni humanæ non ſubjacet, ut alibi diſputavimus ſatis prolixe. Atque hæc obligatio locum ſibi vindicat in omnibus

bus

bus humanis negotiis, atque nulla habita ratione ſtatus vel conditionis, in qua collocati mortales, omnes adſtringit ad ſui obſervantiam; procedit enim a ſummo legiſlatore Deo, cujus imperium eſt in ipſos Reges. Quamobrem nec gentium mores, nec civiles aliquid permittere vel præcipere poſſunt, quod a recti regula, id eſt, rationis dictamine exorbitaret, ita ut ſalva conſcientia, & ſalvo naturali pudore, id eſt, boni & æqui ſenſu, ab aliquo ſuſcipi & in actum deduci poſſit. Oportet ut conſcientia & rectæ rationis dictamen ſit moderatrix actionum noſtrarum, quod ea ſuadet agendum ſequi, quod diſſuadet fugere. Juxta ejus dictamen totius vitæ curſus inſtitui debet & moderari, quam regulam agendi ſi quis obſervat, & ad eam vitæ inſtitutum componat, nihil licitum ſtatuit, niſi quod pium ab omni parte, id eſt, rationi & æquitati conveniens. Quod enim licitum quatenus impune fit in foro humano, ſibi illicitum merito ſtatuit vir bonus naturam ducem ſequens, multo magis Chriſti doctrina imbutus. O quam optandum eſſet, ut Reges & Principes, qui ſæpius adeo temere ad arma conclamant, tum etiam illi, qui caſtra ſequuntur & militiæ operam navant, hanc ſibi agendi normam præſcriptam ſequerentur, profecto nec tam facile ad bellum ſociis inferendum ruerent, nec tam amplam in hoſtes ſæviendi ſibi licentiam quaſi jure gentium conceſſam ſtatuerent, quæ potius malis moribus & pravæ conſuetudini, quam juri gentium proprie dicto ſuam debet originem. Sane non eſt res exigui momenti vi & armis humanam ſocietatem & cognationem illam naturalem, quæ homini cum homine & genti cum gente intercedit, diſrumpere, & proximi, quem eodem quo noſmetipſos amore amplecti natura præcepit, ſanguinem profundere, & vitæ ejus inſidiari, bona diripere, & vitæ tuendæ ſubſidia, & innumeris calamitatibus, quæ bellum ſecum trahit, involvere. Quamobrem non temere ſuſcipiendum bellum, ſed prius deliberandum num juſtitiæ ſubſit cauſa; nec illico tamen arma arripienda, ſed tentandum an per diſceptationem obtinere poſſumus, & fruſtra mollioribus adhibitis remediis, neceſſitate exigente, ad vim & arma tanquam extremum remedium confugere licet homini Chriſtianorum ſacris initiato. Sed cavendum nobis ne juſtam præbeamus cauſam alteri ad bellum ſuſcipiendum, dum injuriam ſocio illatam, vel damnum datum reparare recuſamus, vel ſuum ipſi tribuere denegamus. Quamvis enim defenſio ſui jure naturæ licita, illicita fit quoties juſta offenſio. Monitos igitur velim Reges, & omnes, penes quos ſummum rerum arbitrium, magiſtratus, tum etiam cives & ſubjectos, ne temere abſque juſta cauſa ad arma & vim procedant, & humano ſanguini profundendo cauſam præbeant, tum etiam ne ferarum inſtar in hoſtes ſæviant, & juſtum puniendi modum excedant, ſed ſemper æquitate ſummum jus temperent, ne in ſummam injuriam convertatur cauſæ juſtitia. Quamobrem non quid licitum, quia in foro humano impunitum, ſed quid conſcientia & recta ratio permittat, reſpiciendum tum Principi, tum gregario militi incumbit. Non mali gentium mores jus faciunt, ſed quod ratio inter homines conſtituit, recte juris gentium nomine inſignitur. Belli jura ad rationis dictamen examinari debent, & ab ea formam accipere. Quamobrem non ultra rapinis & cædibus ſæviendum, quam naturali lege conceſſum; idque quia non definitum jure humano, cujuſque pudori & conſcientiæ relictum videtur. Ea itaque in conſilium adhibita, nunquam a juſtitiæ & æquitatis regula aberrabimus. Vid. quæ *cap.* 4. annotavimus. Tollit quidem bellum jura ſocietatis & naturæ officia; verum non tollit penitus omnem humanitatem, æquitatem, pietatem, juſtitiam & fidem, nec homines convertit in belluas, quibuſcum nullum jus intercedit, nec ulla officiorum habetur ratio. Non abſque ratione in proverbium abiit, quod omne nimium vertatur in vitium, tollit jura ſocietatis & naturæ officia, quatenus ubi vis & armis certatio, amicitiæ & ſocietatis humanæ leges ſilent, quæ ad eam colendam & tuendam pertinent. Verum manet tamen aliqua inter belligerantes juris communio, quatenus enim homines erga ſe invicem obſervare tenentur naturæ quædam officia, quæ in quocunque vitæ ſtatu ſibi locum vindicant, hominem quâ homo ad ſuorum obſervantiam adſtringentia. Et huc ſpectat quod ait Senec. *lib.* 1. *de Clem. cap.* 18. *Cum in ſervum omnia liceant, eſt aliquid quod in hominem licere commune jus animantium vetet, quia ejuſmodi natura eſt.* Non inficior ob majus malum evitandum quandoque in ſocietate civili quædam permitti, quæ non omni ex parte cum ratione & officiis a natura præceptis conſentiunt, verum cum neceſſitas omnem legem frangat, huic etiam adſiſtit ratio, & quantum poteſt ſubvenit. Cum enim natura maxime favet ſocietati civili, utpote quæ ad conſervationem humani generis multum confert, etiam approbat omnia media quæ ad illam ſocietatem tuendam neceſſaria videntur. Hinc quædam ſunt juris naturæ præcepta ſimpliciter, quæ abſque ulla ratione per ſe obligandi vim habent quovis tempore & loco, quæ nullam omnino diſpenſationem admittunt, alia reſpiciunt ſtatum hominis civilem, atque diſpenſationem admittunt, quatenus ſocietatis conſervatio & fabrica eam efflagitat. Verum de iis alibi ſatis prolixe diſputavimus, quamobrem non immorabimur diutius huic materiæ explanandæ.

III. Primum ergo dicimus, ſi belli cauſa injuſta ſit, etiamſi bellum ſolenni modo ſuſceptum ſit, injuſtos eſſe interna injuſtitia omnes actus qui inde naſcuntur: ita ut qui ſcientes tales actus operantur, aut

1 *Cor.* VI. 10. *Libro praecepto-rum legis praecepto jubente* XVI. ad eos cooperantur, habendi ſint in eorum numero qui ad regnum cœleſte ſine pœnitentia pervenire non poſſunt. Vera autem pœnitentia, ſi tempus & copia ſuppetat, omnino requirit, ut is qui damnum dedit, ſive interficiendo, ſive res corrumpendo, ſive prædas agendo, id ipſum reſarciat. Ideo Deus negat grata ſibi eſſe jejunia eorum qui non jure captos detinebant: & Ninivitis Rex indicens juſtitium præcipit ut rapina manus vacuefaciant, naturæ ductu agnoſcens ſine tali reſtitutione pœnitentiam fictam & inanem fore. Atque ita vide- *Jon.* 11, 10. mus ſentire non Judæos tantum & Chriſtianos, ſed & Mahumetiſtas.

COMMENTARIUS.

Bellum duplici ſenſu juſtum dici poſſe, novimus *lib.* 1. *cap.* 3. & *lib.* 2. *cap.* 4. ratione cauſæ ex qua ſuſceptum, & ſolennitatum quæ adhiberi ſolent. Sic juſtum bellum dicitur quod ſolenne; ſolenne vero quod indictum & ſuſceptum auctoritate & mandato ſummorum imperantium, penes quos ſumma in civitate poteſtas, & proinde pacis bellique arbitrium. Itaque juſtum bellum dici poteſt, quamvis non juſta ex cauſa indictum, modo ſuſceptum ab eo cui belli gerendi poteſtatem jus gentium concedit; vel juſtum dicitur bellum ratione cauſæ, vulgari ſcilicet ſenſu; quamvis non juſtum eſſe quandoque poſſit ratione rituum & ſolennitatum, quæ adhiberi in bello ſolenni ſolent. Oportet bellum utroque ſenſu juſtum eſſe, ut interna juſtitia juſti ſint actus omnes qui inde ſequuntur. Quamvis bellum ſolenne juſtum ſit, licet cauſæ juſtitia deſtitutum, & proinde eoſdem producit effectus in foro humano, qui ex bello utroque ſenſu juſto locum habent, attamen in foro conſcientiæ ſive divino omnes actus, qui ex ejuſmodi bello naſcuntur, injuſti, quia carent interna juſtitia, quæ apud Deum reos facit, qui ſcientes tales actus operantur, aut ad eos cooperantur. Recte addit *ſcientes*; quippe poteſt quis opinionis errore juſtam belli ſuſcipiendi cauſam ſibi fingere, quæ tamen penitius inſpecta injuſta eſt. Et proinde licet bellum per ſe quidem injuſtum ſit, juſte tamen geritur. Quippe ad hoc, ut injuſte geratur, requiritur ſcientia ejus, qui bellum ſuſcepit. Quamdiu quis in eadem opinione confirmatus, bellum gerit, omnes actus juſti, & bona conſcientia effectibus, qui in bello utroque ſenſu juſto locum habent, gaudere poteſt; tum etiam qui huic bello operam navant, in conſcientia tuti non ſunt; verum illico, poſtquam erroneæ ſuæ opinioni conſcii facti abſtinendum a vi & armis, quin omnes actus injuſti eſſe incipiant interna juſtitia, quia jam ſcientes tales actus operantur. Rei autem facti apud Deum operando aut cooperando tales actus, abſque vera pœnitentia ad regnum cœleſte pervenire nequeunt; raptoribus enim accenſentur in *Epiſt.* 1 *ad Corinth. cap.* 6. 10. Manet enim reatus uſque ad ſeriam veræ pœnitentiæ functionem; vera autem pœnitentia requirit, ut is qui damnum dedit quocunque modo idipſum reparet. Itaque cum vera pœnitentia pari paſſu ambulat, reſtitutio earum rerum quæ injuſte proximo ablata, & reparatio damni ipſi injuſta ex cauſa illati, hic eſt veræ pœnitentiæ effectus. Imo remiſſio peccatorum & ſalus ſuſpenduntur a reſtitutione rei mala fide ablatæ, non quidem tanquam ab opere poſitive bono, ſed negative malo. *Ezechiel.* 33: 15. *Si autem dixero impio*, inquit Jehova, *morte morieris, & egerit pœnitentiam a peccato ſuo, feceritque judicium & juſtitiam. Et pignus reſtituerit ille impius, rapinamque reddiderit*, &c. *vita vivet & non morietur.* Hanc reſtitutionem ad expiandum injuſtum actum neceſſariam non ex divina revelatione duntaxat, ſed & ex naturæ lumine & ductu perſpicere potuere gentiles. Præcipit enim juſtitia expletrix ſive commutativa, quæ omnibus gentibus ſaltem moratioribus nota, ut ſatisfiat cuique pro eo, quod ab altero poterat exigere, ſcil. ut cuique tribuatur quod ei competit, quod ſuum eſt. Quod vero alteri injuſte ablatum, ejus manet, quamobrem reſtituendum ei juſtitia expletrix præcipit. *Ipſa enim naturæ ratio exigit, quæ eſt lex divina & humana, cui parere qui velit (omnes autem parebunt, qui ſecundum naturam volent vivere) nunquam committet ut alienum appetat, & id, quod alteri detraxerit, ſibi aſſumat*, teſte Cicerone 3. *offic.* Veram autem pœnitentiam in nobis operatur Deus, nec ea naturæ vis.

Silv. in in verbo bellum, p. 1. *n.* 10. & 11. & 12. IV. Ad reſtitutionem autem tenentur, ſecundum ea quæ generaliter a nobis alibi explicata ſunt, belli auctores, ſive poteſtatis jure, ſive conſilio, de his ſcilicet omnibus quæ bellum conſequi ſolent: etiam de inſolitis, ſi quid tale juſſerunt aut ſuaſerunt, aut cum impedire

dire poſſent non impedierunt. Sic & duces tenentur de his quæ ſuo du- *Covar. d.*
ctu facta ſunt: & milites in ſolidum omnes qui ad actum aliquem com- §. 11. *n.* 8.
munem, puta urbis incendium, concurrerunt: in actibus dividuis pro *Leſſ. lib.*
damno quiſque cujus ipſe cauſa unica, aut certe inter cauſas fuit. 11. *c.* 13. *dub.* 4.

V. 1. Neque admittendam putem exceptionem quam nonnulli ad- *Adde l. vulgatis*
ferunt de his qui aliis operam navant, ſi modo in ipſis aliquid hæreat §. *ſi duo.*
culpæ: ad reſtitutionem enim ſine dolo culpa ſufficit. Sunt qui viden- *D. de furtis. Silv.*
tur exiſtimare res bello captas, etiamſi juſta belli cauſa non adfuerit, *d. loco*
reddendas non eſſe, eo quod bellantes inter ſe cum bellum inierunt *num.* 10.
iſta capientibus donaſſe intelligantur. Sed nemo ſuum jactare temere *Vaſq. lib.* 1. *con-*
præſumitur: & bellum per ſe longe abeſt a contractuum natura. Ut *trov. Ill.*
vero pacati populi certi quid haberent quod ſequerentur, nec bello *c.* 9. *num.* 27. *Mo-*
implicarentur inviti, ſufficiebat introductio externi, de quo diximus, *lin. diſp.*
dominii, quod cum interna obligatione reſtitutionis poteſt conſiſte- 118. ¶. *ut vero.*
re. Atque id illi ipſi auctores videntur ſtatuere in jure captivitatis per-
ſonarum. Ideo Samnites apud Livium, *res hoſtibus in præda captas, quæ* *Lib.* IX.
belli jure noſtræ videbantur, remiſimus. Videbantur ait, quia injuſtum id *Lib.* VIII.
bellum fuerat ut jam ante agnoverant Samnites.

2. Non diſſimile eſt quod ex contractu ſine dolo inito cui ineſt in- *Vide ſupra, l.* II.
æqualitas, jure gentium naſcitur facultas quædam cogendi eum qui *c.* 11.
contraxit ad implenda pacta: nec eo tamen minus qui plus æquo ſti-
pulatus eſt rem ad æqualitatem reducere ex probi ac pii hominis offi-
cio tenetur.

COMMENTARIUS.

AD reſtitutionem primo tenentur, quorum auctoritate bellum ſuſceptum & indictum, & cujus auſpiciis geritur, deinde etiam qui ſuadendo Principem ad arma capienda & debellandos finitimos impulerunt. Hi tenentur ad reparationem damni, quod vel in ipſo belli actu vel occaſione belli quis patitur, & etiam de inſolitis, ſi quid tale juſſerunt. *Imo etiam eo caſu*, inquit doctiſſimus Zeiglerus, *quando illud inſolitum in ſpecie non juſſerunt, ſed anſam tantum dederunt, injuſtum bellum decernendo, aut juſtum injuſte gerendo. Qui enim rei illicitæ operam dat, cauſa eſt eorum omnium, quæ vel directe vel indirecte exinde ſequuntur.* Sic & duces tenentur de his quæ ſuo ductu & imperio facta ſunt, arg. *l.* 37. *ff. ad legem Aquil.* & milites ad reſtitutionem tenentur de his quæ bellum conſequi ſolent, & quidem in ſolidum eo caſu, quem adducit Auctor. In actibus dividuis, quos ſingulatim faciunt, tenetur quiſque pro damno cujus ipſe cauſa unica, aut certe inter cauſas fuit. Opus enim quod a pluribus fit, ſingulos in ſolidum obligat. *l.* 15. §. 2. *ff. quod vi vel clam. l.* 51. *in fin. ff. ad leg. Aquil.* Vid. quæ annotavimus *lib.* 2. *cap.* 17. Quibuſdam tamen nimis durum videtur quod illi etiam ad reſtitutionem obligantur, qui miniſterium ſuum præbent, & imperio & juſſu ſuperioris parere neceſſe habent. *Quippe qui juſſu judicis aliquid facit, non videtur dolo malo facere, qui parere neceſſe habet. Is enim damnum dat qui jubet dare: ejus vero nulla culpa, cui parere neceſſe ſit. l.* 167. 169. *ff. de R. J.* Verum quemadmodum jus civile vel humanum non poteſt tollere vel abrogare aut immutare ea quæ ſunt juris naturalis, quod perpetuam & indiſpenſabilem obligandi cauſam habet, tum etiam quia procedit a ſummo legiſlatore cui etiam Reges & Principes parere neceſſe habent. Leges atque mandata quæ civibus imponuntur cedunt legibus & juſſis ſupremi rerum arbitri, ita nec leges civiles cives vel ſubjectos ſolvere poſſunt juris naturæ vinculo, quo adſtringuntur ſeſe componere ad normam & regulam quam ipſis ratio dictat in vitæ curſu obſervandam, quorum reſpectu Rex ipſe ejuſdem conditionis, cujus ſinguli cives; jus divinum ſeu naturale eſt jus æquum quod pari obligatione Reges ac Principes ſummoque in dignitatis gradu collocatos, atque ex infima fæce plebis homines adſtringit ad ſui obſervantiam. Quamobrem licet ſe legibus ſolutos jactent Reges, hiſce tamen ſe alligatos profiteri neceſſe habent, quibus cum ſemetipſos ſolvere nequeunt, utique nec ſubjectis quid imperare

poſſunt

poſſunt cum efficacia, quod eum jure divino non conſentit.

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipſos imperium eſt Jovis.

ut canit Horatius *lib.* 3. *od.* 1. Quamobrem non videtur revera inobediens, qui juſſis ſuperioris juri divino contrariis obtemperare recuſat, quia obligandi vi deſtituti, præterquam quod imperium humanum divino ſubordinatum. Quamobrem etiam obſequendi obligationes ex utroque deſcendentes ſibi ſubordinatæ, ita ut illæ hiſce cedere debeant, ſi in uno eodemque ſubjecto non bene conveniunt. Idque juxta naturæ ordinem, ex quibus perſpicimus ad ea, quæ per ſe injuſta & moraliter illicita ſunt (id vero genus omnia, quæ immediate ex jure divino neceſſario ſive naturali abſoluto vetita) nullam, ne quidem ex juſſu ſuperioris obligationem civibus imponi; in eorum enim numero collocari debent, quæ impoſſibilia, & proinde quæ nullam obligationem pariunt. Quamobrem ipſe Auctor *lib.* 2. *cap.* 26. At ſi edicitur civibus vel ſubjectis, ut militent, quod fieri ſolet, ſi quidem conſtar ipſis injuſtam eſſe belli cauſam, abſtinere omnino debent. Deo potius obedienduni quam hominibus. Vid. *annotat.* Non inficior in foro humano eum, qui juſſu ſuperioris in civitate damnum dat, culpa eatenus vacuum eſſe, quatenus auctoritas ſuperioris eum ab omni pœna immunem, & reſarciendi damni dati neceſſitate abſolvit: a ratione enim maxime alienum eſſet, ut judex eum ſontem declararet, qui mandato & juſſui ejus obſequens, miniſterium & operam damno dato præbuit. Verum judicis mandatum non tutum in foro conſcientiæ præſtat actorem, ſed apud Deum in reatu manet, donec vera ductus pœnitentia damnum ſi reſarcire nequit, ſaltem ad reſarciendum ſe promptum ac paratum confitetur, ac Deum acerrimum peccati vindicatorem quam ardentiſſimis precibus fatigat, ut velit ſibi condonare, quod conſcientiæ dictamine edoctus de officio ſuo, non præſtiterit ſummæ Jehovæ juſſis & mandatis debitum obſequium. Nec dubito quin leges ſtatim allegatæ cum hac reſtrictione intelligi debeant. Si mandatum judicis nihil contineat, quod per ſe illicitum, ei parendum, & hoc ſenſu qui juſſui judicis non paruit, non poteſt dolo carere, *l.* 199. *ff. de R. J.* cum enim juris naturæ non ignarus fuit Paulus Juriſconſultus, non potuit ipſum fugere, rationem dictare ea quæ per ſe illicita eſſe vetita jure naturæ, & proinde ſactu impoſſibilia, quamobrem nec eum obligaudi efficacia a judice vel ſuperiore imperari aut mandari poſſe ſubditis, quæ jus naturæ vetat. Imo rationis dictamine edoctus reſpondit Alphenus: *Servum non in omnibus rebus ſine pœna domini dicto audientem eſſe debere*, in iis ſcilicet, quæ per ſe illicita & jure naturæ vetita: *ſicuti ſi dominus hominem occidere, aut furtum alicui facere ſervum juſſiſſet. Quare quamvis domini juſſu ſervus piraticam feciſſet, judicium in eum poſt libertatem reddi oportere*, ſtatuit Juriſconſultus *l.* 20. *ff. de obl. & act.* Ita nec procurator excuſatur, ſi quid juſſu domini delinquat, præſertim in atrocioribus criminibus, ſi quem occiderit, ſive de poſſeſſione vi detruſerit. *l.* 1. §. 13. *ff. de vi & vi armata.* Alii exiſtimant res bello captas, etiamſi juſta non adfuerit belli cauſa, reddendas non eſſe, quia juſto belli titulo jure gentium introducto quæſitæ; cum autem jus gentium nitatur tacito gentium conſenſu, bellum vero juris perſequendi cauſa inter eos, qui ſuperiorem non agnoſcunt eodem jure introductum, ſequitur omnes belli effectus in eodem conſenſu ſive tacita conventione fundari, quorum in numero ut dominium rerum, quæ in juſto bello, id eſt ſolenni, ut alibi annotavimus, capiuntur ex hoſtibus capientis fierent. Fieri autem ejus non poſſunt, niſi fingamus gentes tacito quaſi pacto conſtituiſſe, ut id haberet pars utraque, quod huic aut illi aſſignaret Mars communis & fortuna, ut inquit doctiſſimus Gronovius. Nec multum aberrare a vero eos exiſtimo, qui in hanc opinionem adducti. Quippe cum gentes inter ſe quaſi tacite conveniſſe cenſeantur, ut dominii acquirendi juſtus & legitimus modus eſſet captura rerum hoſtilium nulla habita ratione juſtitiæ cauſæ, qua belli auctores bellum indicere fuere impulſi, modo eſſet ſolenne, id eſt, ſuſceptum ab eo qui belli gerendi poteſtatem habet, & legitime denunciatum. Hiſce enim requiſitis & ſolennitatibus concurrentibus, bellum juſtum dicitur, & proinde dicendum videtur, dominium rerum, quæ ex hoſtibus capiuntur in bello juſto ſive ſolenni, indiſtincte acquiri capientibus, quod eo ſenſu intelligo, quatenus dominus, qui rem ſuam bello amiſit, perfecto jure nequit a capiente vel poſſeſſore eam vindicare, vel ejuſdem reſtitutionem petere, quia dominium juſto titulo jure gentium & proinde conſenſu & tacito quaſi facto introductum acquiſitum, cui obtemperare neceſſe habent gentes ac nationes omnes, tum etiam cujuſque gentis ſingula membra. Quamobrem in foro humano pro juſto & legitimo poſſeſſore & domino habendus, qui jure belli dominium rerum, quæ ex hoſtibus captæ, ſibi acquiſivit. Vid. quæ annotavimus *cap* 6. §. 6. Verum an non aliquatenus conſcientiam gravat actus, & in foro poli malæ fidei poſſeſſorem conſtituat, qui conſcius injuſtitiæ cauſæ, bellum ſuſcepit, vel ei gerendo operam navant? Vid. quæ commentati *d. l.* Sed hiſce addenda quæ ad ſolvendam objectionem ibidem adductam pertinent. Quamvis gentium jus concedens cuique dominium rerum, quæ jure belli ex hoſtibus capiuntur, nulla habita ratione cauſæ, num juſta vel injuſta ſit, neceſſitate exigenre, & proinde etiam in jure naturæ quatenus ad ſocietatem hominum inter ſe refertur, fundatum, agentem omni culpa vacuum utpote jure ſuo utentem pronunciat, & juſtum poſſeſſorem ob intervenientem tacitum conſenſum domini, cui jure belli erepta res ſua, in capientem transferentis dominium rei captæ, & proinde eatenus conſcientiam tranquillare poteſt, dum juſtum poſſeſſorem capientem

tem efficiat, tam in foro ſoli quam etiam poli, habita ratione duntaxat ſtatus humani generis & humanæ ſocietatis, cujus membra ſumus. Quicunque enim vitæ curſum ac omnes ſuas actiones componit ad normam & regulam juris, tum naturalis tum gentium, quod ab eo quaſi progenitum, quod ſocietati humanæ tuendæ præſidet, & ſingulorum hominum actiones quatenus ejuſdem membra moderatur ac dirigit, ut ad unum eundemque finem, qui eſt conſervatio humani generis, colliment, recte ac juſte vivere & agere dici poteſt. Verum enim vero cum homo non duntaxat eſt natus ad colendam ſocietatem humanam, ut cum ſui ſimillimis eodem modo vivat, quem amplecti decet univerſæ hujus ſocietatis membrum & ſubjectum, ſed etiam ad Creatoris gloriam celebrandam, ſeſe componendo ad ejuſdem omnium virtutum infinite perfectiſſimum exemplar, utpote cujus ad imaginem conditus, & proinde rectitudinem & juſtitiam coleret, in qua potiſſimum imago Dei conſiſtit, atque ob iſtius imaginis communicationem Deus ſummo jure homini neceſſitatem impoſuit, ut cum ea conveniant, quæcunque vel cogitet, velit, vel agat. Quamobrem ut cœleſtem ſuam imaginem referat & Deo dignum opus exiſtat, totius vitæ curſus & omnes actiones ad juſtitiæ normam compoſitæ eſſe debent. Neque hac neceſſitate ne quidem ſalva reverentia ſummo Numini debita Deus ipſe creaturam rationalem abſolvere poteſt, quin ſeipſum abnegaret. Quamobrem ratione cœleſtis originis, & proinde divini imperii, quod originis effectus, homo tanquam ſanctius animal, ſanctiorem vitæ modum amplecti debet, quam ille eſt, quem ſocietas humana & jura a ratione & conſenſu gentium, quatenus ad illam relationem habent, profecta, exigere videntur. Poſſunt homines diſponere de iis, quæ ſui juris ſunt & fori humani, neutiquam vero quæ ſunt fori divini. Neceſſitate exigente jura quædam introducta, cui cauſam præbet humana natura ad omnia vitia prona, quæ homini quidem agendi regulam & normam præſcribunt, quamdiu pars ſocietatis humanæ, atque ad eam vitæ inſtitutum componendo, juſte & honeſte vivere dicitur, ob convenientiam vitæ ſuæ cum juris regula, qui neutiquam nomen illud meretur, ſi cum illa rectitudine conferatur quam divina juſtitia exigit, in foro tamen conſcientiæ non minus, quam humano juſtus appellari meretur, verum quia peccati labe infecti omnes actus humani, coram Deo nequaquam juſti per ſe, ſcilicet quatenus profecti ab homine juſtitia & rectitudine illa, quæ Deo placet, deſtituto. Sic etiam in vindicandis delictis, & puniendis reis, ea quæ fori humani diſtinguenda ab hiſce quæ fori ſunt divini: licet enim reus pœnas, quas meritus, dederit, & proinde ſatisfecerit juſtitiæ humanæ, in reatu tamen manet apud Deum: dandum enim Cæſari quæ Cæſaris ſunt, & Deo quæ Dei. E quibus præmiſſis concludimus, quod ille, qui utitur facultate & jure, quod rationis dictamen exigente neceſſitate humana inter omnes homines conſtituit a juſtitiæ tramite, quatenus ad humanam ſocietatem tuendam pertinet, deflecti non videtur, & eatenus tutus eſt in conſcientia tum etiam foro humano. Verum rationem juris conſtituti indaganti facile patebit, humanam naturam inquinatam in cauſa fuiſſe, quod multa jure humano permiſſa & conſtituta, quæ cum juſtitia divina non omni ex parte conſentiunt, quamvis per ſe conſtitutio ejuſmodi non injuſta, cum relatione ad ſtatum humani generis, actio tamen ipſa non ab omni prorſus injuſtitiæ macula ac labe intacta atque illibata coram Deo, quia occaſione pravæ naturæ noſtræ ejuſmodi juris conſtitutio invaluit. Sic neceſſitate exigente jus gentium conſtituit, ut quæ ex hoſtibus caperentur, jure dominii cederent capienti, in bello ſcilicet juſto, non ob cauſæ juſtitiam, ſed ſolennitatum obſervantiam: juſtus itaque poſſeſſor & verus dominus, in quem jus gentium dominium transfert. Imo accedit etiam conſenſus tacitus domini, quatenus juri gentium obtemperare devinctus, etiam velle cenſetur, quod jus conſtituit, imo idem jus alteri concedere, quo ipſe in alterum occaſione data uteretur. Nemini autem injuriam facere videtur qui jure ſuo utitur. Quamobrem licet belli ſuſcepti cauſa injuſta, attamen eo non obſtat quo minus jure gentium capienti cedat dominium rei captæ; quippe ratio cur jus gentium capienti dominium addicit, non in juſta belli ſuſcipiendi cauſa, ſed juſto bello, id eſt, ſolenni gerendi & indicendi modo fundata. Itaque ad dominium legitimo modo & juſto titulo acquirendum ſufficit quod bellum eſt ſolenne. Abſolvit itaque jus gentium, tum etiam naturæ, quatenus ex eodem cum relatione ad ſtatum humanum derivatum capientem omni prorſus culpa & dolo, atque juſtum poſſeſſorem efficit tam in foro humano quam conſcientiæ. Verum non attendit ſupremus legumlator, quid juris prava hominum natura ſuadet majoris mali evitandi cauſa, circa acquirendum rerum dominium introducere: verum quid obſervandum ſanctitas & juſtitia ſua exigit ab homine; poſſunt homines juri ſuo renunciare & de bonis pro arbitrio diſponere, verum de jure divino nihil quidquam remittere. Itaque licet quæ jure gentium juſtus poſſeſſor & dominus rei, quam cepit ex hoſtibus jure belli; in foro divino tamen malæ fidei poſſeſſor remanet, ſi bellum injuſtum: nullum enim bellum juſtum coram Deo niſi juſta ex cauſa ſuſceptum. Quamobrem & injuſti omnes actus qui inde naſcuntur, quia interna juſtitia deficit, quamobrem nec gentium jus quamvis ex tacito pacto & conſenſu profectum, & proinde etiam dominium rei captæ ex eodem juſto titulo ad capientem videatur, attamen capientem apud Deum reum conſtituit, tanquam rei alienæ poſſeſſorem, qui vetat omnem rei alienæ contrectationem, ſive clam, ſive per vim fiat. Aliena autem res eſt, quæ abſque juſto titulo penes me eſt; atqui omne bellum non ex juſta cauſa ſuſceptum injuſtum coram Deo; ergo nec jure ejuſmodi bel-

li dominium rei captæ acquiri poteſt ſalva ab omni parte conſcientia. Conſcientia nullum aliud tribunal præter divinum habet; in foro divino de interna actus juſtitia vel injuſtitia cognoſcit ſummus judex, qui interiora mentis arcana inſpicit, atque reum peccati ipſa conſcientia teſte convincit. Quamobrem omnino tutus eſſe nequit in foro conſcientiæ, cujus actus non reſpondent juſtitiæ & rectitudini morali, quæ interna vocari ſolet; qua deficiente omnes actus injuſti, tali injuſtitia injuſti ſunt omnes actus, qui in bello, cujus cauſa injuſta, licet ſolenni modo ſuſcepto, & proinde actorem reum apud Deum facit, in quo reatu tamdiu manet, donec, ut ſtatim annotavimus, vera pœnitentia ductus reſarciat damnum, quod dedit, ſive interficiendo, ſive devaſtando & diripiendores hoſtium: nihil enim juri ſuo Deus nec vult nec poteſt detrahere. Hinc nec pepercit unigenito ſuo, ut juſtitiæ ſuæ ſatisfieret.

Vide ſupra Lib. II. c. 10. VI. 1. Sed & qui damnum ipſe non dedit, aut ſine omni culpa dedit, ſed rem bello injuſto captam ab alio penes ſe habet, tenetur eam reddere, quia cur alter ea carere debeat nulla cauſa ſubeſt naturaliter juſta, non conſenſus ipſius, non malum meritum, non compenſatio. Non aliena ab hac re hiſtoria eſt apud Valerium Maximum: *Lib. VI. c. 5.* *Populus*, inquit, *Romanus cum P. Claudius Camerinos ductu atque auſpiciis ſuis captos ſub haſta vendidiſſet, etſi ærarium pecunia, fines agris auctos animadvertebat, tamen quia parum liquida fide id geſtum ab imperatore videbatur, maxima cura conquiſitos redemit & prædia reſtituit.* *Liv. lib. XXVIII.* Similiter Phocenſibus Romanorum decreto reddita libertas etiam illa publica & qui erepti erant agri. *Liv. lib. XLII.* Et poſtea Ligures qui a M. Pompilio venditi fuerant reddito emtoribus pretio reſtituti ſunt in libertatem, bona quoque reddi curata. *Lib. XLIII.* Idem de Abderitis decrevit Senatus, addita cauſa, quod injuſtum bellum illatum iis eſſet.

2. Poterit tamen, ſi quid ſumtus aut operæ impendit is qui rem tenet, deducere tantum quantum domino valebat adipiſci deſperatam poſſeſſionem, ſecundum ea quæ alibi explicata ſunt. Quod ſi rei poſſeſſor culpæ exſors eam conſumſerit aut alienaverit, non tenebitur niſi in quantum cenſeri poteſt locupletior factus.

COMMENTARIUS.

JUſtitia & æquitas ei innixa ſuadet, ut etiam ille, qui damnum non dedit, ſed rem bello injuſto captam penes ſe habet ſive titulo oneroſo ſive lucrativo, eam reddere teneatur, quin fiat particeps ejuſdem injuſtitiæ; imo quemadmodum rei furtivæ cohæret vitium furti, quod non purgatur, niſi res in domini poteſtatem revertatur, & proinde nemo ejuſdem juſtus dominus fieri poteſt, quocunque eam accipit titulo, in foro ſcilicet conſcientiæ, ſed eam juſto & vero domino reddere tenetur. Ita etiam qui poſſidet rem injuſto bello captam, ejuſdem dominium acquirere ſibi nequit, interna juſtitia: tranſit enim res cum vitio ei cohærente, & proinde poſſeſſorem in eodem ſtatu collocat, in quo ille eſt, qui primo eam cepit. Hoc id ipſum conſcientiæ dictamen edocuit gentes ſaltem moratiores, ut alibi ex Cicerone demonſtravimus. Verum ab altera parte æquitas etiam ſuadet, ut ſi quid ſumptus aut operæ impendit is, qui rem penes ſe habet, deducere tantum poterit, quantum domino valebat adipiſci deſperatam poſſeſſionem. Vid. quæ annotavimus *lib.* 2. *cap.* 10. §. 9.

CAPUT

C A P U T XI.

Temperamentum circa jus interficiendi in bello juſto.

I. *IN bello juſto actus quoſdam interna juſtitia carere, quod exponitur:*
II. *Interfici qui poſſint ſecundum juſtitiam internam.*
III. *Ob infortunium neminem recte interfici, ut qui coacti partes ſequuntur:*
IV. *Nec ob culpam mediam inter infortunium & dolum: cujus natura explicatur.*
V. *Diſtinguendos auctores belli ab his qui ſequuntur.*
VI. *In ipſis auctoribus diſtinguendas cauſas probabiles ab improbabilibus.*
VII. *Etiam mortem meritis hoſtibus ſæpe pœnam recte condonari.*
VIII. *Cavendum quantum fieri poteſt ne innocentes, etiam præter propoſitum occidantur.*
IX. *Pueris ſemper parcendum: fœminis niſi quid gravius admiſerint, & ſenibus.*
X. *Parcendum & his qui ſacra aut literas tantum curant:*
XI. *Et agricolis:*
XII. *Et mercatoribus ac ſimilibus:*
XIII. *Et captis:*
XIV. *Recipiendos qui dedere ſe volunt ſub æquis conditionibus.*
XV. *Parcendum & his qui ſine conditione ſe dediderunt.*
XVI. *Hæc ita vera niſi grave delictum anteceſſerit: quod quomodo accipiendum.*
XVII. *Delinquentibus ob multitudinem recte parci.*
XVIII. *Non occidendos obſides niſi ipſi deliquerint.*
XIX. *Abſtinendum ab omni dimicatione inutili.*

I. 1. SEd nec in bello juſto admittendum eſt quod dicitur, *Lucanus.*

Omnia dat qui juſta negat.

Melius Cicero: *Sunt quædam officia etiam adverſus eos ſervanda a quibus injuriam acceperis. Eſt enim ulciſcendi & puniendi modus.* *Off. 1.* Idem laudat vetera Romanorum tempora cum exitus bellorum *Off. 11.* erant aut mites aut neceſſarii. Crudeles vocat Seneca qui *puniendi cauſam* *11. de* *habent, modum non habent.* Ariſtides Leuctrica prima: ἔστι γὰρ, ἔστι καὶ ἀμυ- *Clem. cap. 4.* νομένους ἀμέτρως ἀδικεῖν. Κἂν τις εἰς τὰς τιμωρίας ἀναπληρεῖ, πρὸς τ' ἀδικήματα τούτοις ὑπερβῇ δεύτερος, ἄρχει πάλιν. *Poſſunt ſane, poſſunt etiam qui ſe vindicant injuſti eſſe ſi modum excedant. Nam & qui in puniendo progreditur ad id quod iniquum eſt, ſecundus eſt injuriæ auctor.* Sic, Ovidio judice, rex quidam *De Ponto.*

cæde nocentum
Se nimis ulciſcens exſtitit ipſe nocens.

2. Platæenſes in Iſocratea oratione quærunt: εἰ δίκαιόν ἐστιν ὑπὲρ τηλικούτων ἐγκλημάτων οὕτως ἀνόμους καὶ δεινὰς ποιεῖσθαι τὰς τιμωρίας; *an æquum ſit ob tantilla peccata tam graves & iniquas pœnas exigere?* Idem ille Ariſtides ſecunda pro pace: μὴ τοίνυν ἀνθ' ὅτου αὐτοὺς τιμωρήσεσθε, σκοπεῖτε, ἀλλ' οὕστινας ὄντας καὶ τίνες ὄντες αὐτοὶ καὶ τὸ μέτρον τῆς τιμωρίας: *non hoc tantum reſpicite quas ob cauſas pœnas ſitis exacturi, ſed & qui ſint de quibus ſumenda ſit pœna, qui nos ipſi, & quis juſtus pœnarum modus.* Laudatur Propertio Minos:

Victor erat quamvis, æquus in hoſte fuit.

Sed & Ovidio:

Leges captis juſtiſſimus auctor
Hoſtibus impoſuit.

COMMENTARIUS.

QUia bellum humani generis interitum accelerare videtur, tum etiam ſocietatem diſtrahit, & innumeras calamitates parit, eſt res maxime odioſa, & proinde quamvis juſta ex cauſa ſuſceptum, reſtringenda magis quam extendenda ſuiſque cancellis circumſcribenda quæ geruntur in bello. Contra rationem juris naturæ introducta bella neceſſitate humana exigente, cui hominis multis vitiis depravata natura cauſam præbuit. Ferrei ſeculi proles bellum, in exitium humani generis proditum. Quamobrem non favendum, ſed extirpandum potius, ſi fieri poſſet, ſumma ope niti quemque oportet, qui naturam vitæ ducem ſequitur, & dignum ſocietatis humanæ membrum ſe profiteri velit, imo eo ipſo quod natura cuique impoſuit neceſſitatem, qua tenetur ad conſervationem humani generis tuendam, ejuſmodi adhibere media, quæ huic inſerviunt, quiſque devinctus eſt ad hunc finem conſequendum ſuas operas conferre, & proinde ſibi cavere, ne cauſam præbeat quæ ad bellum movendum alteri juſtam facultatem tribuit: id enim maxime pendet a cujuſque vivendi ratione, quæ ſi cum natura ſive rectæ rationis dictamine convenit, atque ad ejus normam & regulam compoſita, omnis belli cauſam facile e medio tollere poteſt: qui naturam ducem ſequitur, nemini nocebit, qua ratione pax optima rerum hominem homini conciliabit, & in perpetuo otio vitam tranſigere licebit. Verum cum natura noſtra ad quæcunque vitia prona ſit, ſemperque nitatur in vetitum, ſæpius pacem cum bello commutare neceſſitate coguntur boni, unica juris ſui inter eos, qui nullum ſuperiorem agnoſcunt, præter ſemetipſos, perſequendi & conſequendi ratio; nec ea vetita naturæ jure, ſed conceſſa, fruſtra tentatis benignioribus remediis, juſte arma ſuſcipiuntur, ſi in iis unica ſpes poſita. *Iniquitas enim partis adverſa juſta bella ingerit*, inquit Auguſtinus *de civ. Dei lib. 4. cap.* 4. Merito Suetonius *in Auguſto cap.* 20. eo Auguſtum laudat, *quod nulli genti ſine juſtis ac neceſſariis cauſis bellum intulerit.* Pontius ille Samnitum Dux penes Livium *lib.* 9. *cap.* 10. inquit: *Eſt bellum, Samnites, quibus neceſſarium, & pia arma, quibus niſi in armis relinquitur ſpes.* Recte Auguſtinus *epiſt. ad Bonif.* 207. *Pacem habere debet voluntas, bellum neceſſitas.* Verum quamvis juſta belli cauſa ad multis hoſtem incommodis afficiendum dat licentiam, ea tamen ſuas habet limitationes, & ne juſtum modum excedat, ratio eadem, quæ bellum neceſſarium ſuſcipere permittit, moderatur in bello juſta ex cauſa indicto licentiam, quæ ſi modum excedat actum injuſtum reddit, & injuſtitiæ reum agentem facit apud Deum, qui cum homine humano modo agendum voluit. Eſt enim ulciſcendi & puniendi modus. *Eſt pœnæ modus ſicut rerum reliquarum, & quadam mediocritas*, ut inquit Cic. Vid. quæ annotavimus *cap.* 4.

II. 1. Quando autem juſta ſit interfectio (inde enim nobis incipiendum eſt) in bello juſto ſecundum juſtitiam internam, quando non ſit, ex iis intelligi poteſt quæ capite primo hujus libri a nobis explicata ſunt. Interfici enim aliquem contingit ex propoſito, aut citra propoſitum. Ex propoſito juſte interfici nemo poteſt, niſi aut in pœnam juſtam, aut quatenus abſque eo vitam & res noſtras tueri non poſſumus: quamquam illud ipſum ob res caducas hominem occidere, etiamſi a juſtitia ſtricte dicta non abeat, a caritatis tamen lege diſcedit. Pœna vero juſta ut ſit, opus eſt ut ipſe qui interficitur deliquerit, & quidem tantum quod apud æquum judicem mortis ſupplicio poſſit vindicari. Qua de re eo nunc minus differemus, quia quicquid ejus ſciri oportet ſatis explicatum arbitramur capite de pœnis.

Vid. de jure belli. n. 36. & 43.

COMMENTARIUS.

SOcietas & cognatio naturalis, quam natura inter homines conſtituit, hominem homini quam arctiſſimo vinculo devincit, adeo ut hominem homini inſidiari ſummum habeatur nefas: non enim in mutuum exitium, ſed adjutorium natura homines produxit, ut ſibi prodeſſent, neutiquam vero nocerent. Quamobrem primum juris naturæ præceptum, ne lædamus ſocium, quod & charitas, qua proximum amplecti debemus, maxime vetat. Quid

autem

autem homini carius vita, res inæſtimabilis, abſque vita quid proſunt cæteræ res, quæ ad bene beateque vivendum natura nobis largita. Quamobrem hominis vita omni jure munita adverſus hominum inimicorum improbos conatus, humani generis hoſtes communes, qui aliorum vitæ inſidiantur, & abſque juſta cauſa hominem interficere non curant, illi tanquam peſtes extirpandi ex hominum ſocietate, ut ab interitu vindicetur. Unde & Deus minatur, ſe tanquam acerrimum homicidii vindicem ſanguinem repoſciturum a manibus homicidæ. Quamobrem lege ſancitum, *ut, qui percuſſerit hominem & occiderit, morte moriatur. Exod.* 21. Sine miſericordia & diſpenſatione, ſi ſit a propoſito, & præter jus ac neceſſitatem commiſſum. Nec mirum quod inviſiſſimum Deo homicidii crimen, utpote quo Dei imago, ad quem conditus homo, violatur. Hinc eum, qui homicidium perpetrare auſus, ſacrilegum eſſe, ait Philo, quod hominem Dei imaginem violet. Ex propoſito itaque juſte nemo interfici poteſt, niſi aut in pœnam juſtam, aut noſtri vel rerum noſtrarum defenſionem; uti annotavimus *lib.* 2. *cap.* 1. & 20. quæ hic repetere non lubet.

III. 1. Supra cum de ſupplicibus ageremus (ſunt autem ut in pace ita & in bello ſupplices) diſcrevimus ἀτύχημα καὶ ἀδίκημα, *infortunium & injuriam.* Gylippus, eo quem ibi citare cœpimus Diodori Siculi loco, quærit, utra in claſſe Athenienſes poni debeant, infortunatorum an injuſtorum: & pro infortunatis habendos negat qui ultro nulla laceſſiti injuria Syracuſanis bellum intuliſſent: unde infert cum ſponte bellum ſuſceperint, ferenda quoque ab ipſis belli mala. Infortunatorum exemplum ſunt illi qui non hoſtili animo apud hoſtes ſunt, quales Athenienſes temporibus Mithridaticis, de quibus ſic loquitur Vellejus Paterculus: *Si quis hoc rebellandi tempus, quo Athenæ oppugnatæ a Sulla* Lib. II. *ſunt, imputat Athenienſibus, nimium veri vetuſtatiſque ignarus eſt. Adeo enim certa Athenienſium in Romanos fides fuit, ut ſemper & in omni re quicquid ſincera fide gereretur id Romani Atticâ fieri prædicarent. Cæterum tum oppreſſi Mithridatis armis homines miſerrimæ conditionis, cum ab inimicis tenerentur, oppugnabantur ab amicis, & animos extra mœnia, corpora neceſſitati ſervientes intra muros habebant.* Quæ pars poſtrema ex Livio ſumta videri poteſt, Lib. XXVI. apud quem Indibilis Hiſpanus corpus duntaxat ſuum apud Carthaginenſes, animum apud Romanos ait fuiſſe.

2. *Nimirum*, ut ait Cicero, *omnes quorum in alterius manu vita poſita* Pro *eſt, ſæpius cogitant quid poſſit is cujus in ditione ac poteſtate ſunt, quam quid* Quintio. *debeat facere.* Idem pro Ligario: *Tertium eſt tempus, quo poſt adventum Vari in Africa reſtitit; quod ſi eſt criminoſum, neceſſitatis crimen eſt non voluntatis.* Atque hoc ſecutus eſt Julianus in cauſa Aquilejenſium, teſte Ammiano, qui cum paucorum ſupplicium narraſſet adjicit, *Reſidui* Lib. XXI. *omnes abierunt innoxii, quos in certaminum rabiem neceſſitas egerat, non voluntas.* Ad Thucydidis locum de Corcyrenſium captivis venditis ve- Lib. I. tus commentator: τὸ ἥμερον τοῦ ἑλληνικοῦ τρόπου δηλοῖ, καὶ ὡς ἀπηνὲς μετὰ μάχην τοὺς ἑαλωκότας θανατοῦν, ἄλλως τε καὶ δούλους τοὺς μὴ μετὰ γνώμην οἰκείαν πολεμοῦντας. *Oſtendit clementiam dignam Græcorum ingeniis: durum enim poſt pugnam captos occidere, ſervos præſertim, qui non ſua voluntate bellum gerunt.* Platæenſes in dicta oratione apud Iſocratem: οὐ γὰρ ἑκόντες ἀλλ' ἀναγκασθέντες αὐτοῖς ἐδουλεύομεν: *non volentes ſed coacti illis* (Lacedæmoniis) *ſervivimus.* Idem de Græcis aliis: τοῖς σώμασι μὲν ἐκείνοις ἀκολουθεῖν ἠναγκάζοντο, ταῖς δὲ εὐνοίαις μεθ' ὑμῶν ἦσαν: *illorum* (Lacedæmoniorum) *partes corpore ſequi cogebantur, animo vobiſcum erant.* He- Uran.

 rodo-

rodotus de Phocenſibus dixerat: ἐμήδιζον οὐχ ἑκόντες, ἀλλ' ὑπ' ἀναγκαίης: *Medo-*
Lib. I. *rum partes ſequebantur, non ſponte ſed vi neceſſitatis.* Zeldis, ut Arrianus narrat, pepercit Alexander, ὅτι πρὸς βίαν ἔγνωσαν συστρατεῦσαι τοῖς βαρβάροις,
Lib. XIII. *quod coacti fuiſſent in partibus barbarorum.* Nicolaus Syracuſanus apnd Diodornm in oratione pro captivis: οἱ σύμμαχοι τῇ τῶν κρατούντων ὑπεροχῇ βιασθέντες, ἠναγκάσθησαν συστρατεύειν. Διόπερ εἰ τοὺς ἐξ ἐπιβουλῆς ἀδικήσαντας δίκαιόν ἐστι τιμωρεῖσθαι, τοὺς ἀκουσίως ἁμαρτάνοντας προσῆκον ἂν εἴη συγγνώμης ἀξιοῦν. *Socii vi imperantium adacti ſunt militare: quare ſicut par eſt eos puniri qui data opera injuriam inferunt, ita*
Lib. XXV. *æquum eſt ignoſci his qui præter voluntatem ſuam peccant.* Sic & apud Livium Syracuſani Romanis ſe purgantes ajunt, ſe metu ac fraude turba-
Juſtinus lib. XXVIII. tis pacem oppreſſam. Similem ob cauſam Antigonus bellum ſecum Cleomene non cum Spartanis habuiſſe dicebat.

COMMENTARIUS.

Diſtinguendum etiam in bello juſto infortunium ab injuria, ne inſontes plectantur & interficiantur. Hi enim omni culpa vacui nullam pœnam pati merentur:

Injuria illud diſtat infortunio
Hoc caſus, illam quod voluntas efficit;

ut ait Menander. *Miſereri oportet, qui propter fortunam non propter malitiam in miſeriis ſunt,* inquit Cicero *de invent.* 2. Infortunati ſunt illi, qui non ſua voluntate in parte hoſtium fuerint, corpore hoſtiles, animi vero amici. *Quod enim non ſponte fit fortuna eſt; quod ſpomte conſilii.* Illi nec ad pœnam, nec ad reſtitutionem obnoxii videntur. Qui vero ſponte hoſtem juvant, infortunati dici nequeunt, ſed ſe ipſos hoſtes faciunt, & proinde hoſtium loco ſunt habendi. Hinc annotat Alberic. Gentil. *l.* 2. *cap.* 22. quod excommunicantur Lateranenſi Concilio, & rebus ſpoliantur, & ſervi etiam fiunt capientium, qui deferebant Saracenis merces aptas ad impugnandos hoſtes Chriſtianos, aut naves quoque ſuas Saracenis juvandis præbebant. Vid. quæ *cap.* 4. annotata.

IV. 1. Sed notandum eſt, inter plenam injuriam & merum infortunium medinm ſæpe aliquid intercedere, quod ex utroque quaſi conflatum ſit, ita ut actio neque mere ſcientis & volentis, neque mere aut ignorantis aut inviti dici poſſit.

2. Ariſtoteles hnic generi nomen poſuit ἁμάρτημα, Latine culpam aliquam liceat dicere. Sic enim ille Moralium libro quinto capite decimo: *Eorum quæ ſponte facimus, alia facimus deliberato, alia non deliberato. Deliberato fieri dicuntur quæ præeunte conſultatione quadam animi fiunt, quæ vero aliter, indeliberato. Cum ergo damni datio tribus modis in hominum ſocietati contingat, ea quæ ab ignorantia procedit infortunium dicitur, ut ſi quis egerit quippiam non in quem exiſtimabat, aut quod non putabat, aut non quo putabat modo, aut non tali fine: ut ſi quis ſe ferire non hoc inſtrumento, non hunc hominem, aut non hujus rei cauſa credidit, ſed evenit quod ipſe non propoſuerat ſibi, puta vellicare voluit non vulnerare, aut non hunc, non hoc modo: Ergo ſi ita præter id quod expectari potuit damnum detur, erit infortunium. At ſi ita ut exſpectari ac prævideri aliquo modo potuerit, ſed non improbo animo, culpa erit aliqua, nam culpæ affinis eſt qui in ſe habet agendi principium: qui vero extra, infelix. At quoties quis id quod facit ſciens facit, non tamen deliberato; fatendum eſt adeſſe injuriam: ut quæ facere homines ſolent per iracundiam & perturbationes ſimiles aut naturales aut neceſſarias, nam qui ira commoti lædunt & culpam admittunt, ab injuria non vacant: neque tamen injuſti aut improbi dicuntur: at ſi quis idem conſulto admittat, is vero improbus & injuſtus recte nominabitur.*

3. Me-

3. *Merito igitur quæ per iram fiunt cenſentur non ex proviſo fieri, non enim incipit is qui ex ira quid facit, ſed is qui iram provocavit: atque eo fit ut ſæpe in judiciis rerum ejuſmodi non facti ſed legitima fiat quæſtio, naſcitur enim ira ex eo quod quis injurioſe factum exiſtimat. Non ergo ſicut in contractibus, an hoc factum ſit diſputant: ibi enim, niſi quæ interceſſerit oblivio, omnino altera partium improba eſt, quæ fidem non implet: ſed an juſte factum ſit quod factum eſt exquiri volunt. At qui prior ſtruxit inſidias, nihil ignorans fecit: quare non mirum ſi alter ſibi injuriam factam putat, alter non putat. Eſt tamen ut & qui tali ex cauſa lædit injuſtus cenſeri debeat, ſi nempe æqualitatis aut proportionis normam excedat, quod reponitur. Sic juſtus eſt qui deliberato juſte agit: alioqui juſte agere poteſt aliquis ſponte tantum, non & deliberato.*

4. *Cæterum eorum quæ non ſponte fiunt alia venia digna ſunt, alia minus. Venia digna, quæ non ab ignorantibus modo, ſed & ob ignorantiam fiunt. At ſi qua ab ignorantibus admittantur, nec tamen per ignorantiam, ſed tali animi morbo qui communes humanæ naturæ fines excedat, non digna ſunt quibus ignoſcas.* Locum ſane egregium & uſus maximi integrum Latine poſui, quia minus recte verti, ideoque nec ſatis intelligi ſolet.

5. Michael Epheſius eum locum interpretans ejus quod exſpectari *VII. Nic.*
non potuit exemplum ponit, in eo, qui fores aperiens patrem læſit, *11.*
aut in loco ſolitario jaculando ſe exercens aliquem vulneravit. Ejus
quod prævideri potuit, ſed ſine dolo, in eo qui jaculatus eſt in via publica. Idem ſcriptor neceſſitatis exemplum ponit in eo qui fame aut ſiti adigitur ut quid faciat: perturbationum naturalium, in amore, dolore, metu. Per ignorantiam fieri ait ubi factum ignoratur, ut ſi quis mulierem neſciat nuptam. Ab ignorante non per ignorantiam, ubi
jus ignoratur. Jus autem ignorari interdum excuſabiliter, interdum *D. & C.*
inexcuſabiliter: quæ cum Juriſconſultorum dictis optime congruunt. *de juris*
Eſt ejuſdem Ariſtotelis locus huic non diſſimilis libro de arte oratoria: *& facti ign.*
Æquitas imperat ne pari loco habeamus injurias & culpas, neque item culpas & *Lib. 1.*
infortunia. Infortunia autem ſunt, quæ nec provideri potuerunt nec improbo animo admittuntur: culpæ, quæ provideri potuerant non tamen improbo animo fiunt: injuriæ, quæ & diſtinato & animo improbo. Tria hæc notarunt veteres, & in illo Homeri verſu de Achille Iliados poſtremo:

Οὔτε γάρ ἐς' ἄφρων, ὔτ' ἄσκοπος, ὔτ' ἀλιτήμων.

Non ignara illi, male provida, nec mala mens eſt.

6. Similis eſt diviſio apud Marcianum: *delinquitur aut propoſito, aut* *L. perſpi-*
impetu, aut caſu. Propoſito delinquunt latrones qui factionem habent: Impetu *ciendum,*
autem, cum per ebrietatem ad manus aut ad ferrum venitur: Caſu vero, cum *D. de pœ-*
in venando telum in feram miſſum hominem interfecit. Duo illa quæ propoſi- *nis.*
to & impetu fiunt hunc in modum diſtinguit Cicero: *Sed in omni inju-* *De Off. 1.*
ſtitia permultum intereſt, utrum perturbatione aliqua animi, quæ plerumque brevis eſt & ad tempus, an conſulto & cogitato fiat injuria. Leviora enim ſunt quæ repentino aliquo motu accidunt quam ea quæ meditata & præparata inferuntur. Philo autem in legum ſpecialium explicatione ſic ait: ἡμίεργον τὴν πρᾶξιν

εἶναι

Digitized by Google

εἶναι τῆς διανοίας μὴ προκατεσχημένης ἐκ μακρȣ͂ τοῖς μιάσμασι. *Dimidiatum eſſe facinus ubi non anteceſſit longa animi deliberatio.*

7. Cujus generis ea præcipue ſunt quæ neceſſitas ſi non defendit tamen excuſat. Nam ut Demoſthenes ait in Ariſtocratem, αἱ ἀναγκαῖαι χρεῖαι τὸ τί πρακτέον ἢ μὴ λογισμȣ̀ς ἀναιρȣ͂σιν ἅπαντας. Ὥς᾽ ȣ̓ πάνυ ταῦτα ἀκριβολογεῖσθαι δεῖ τὸν δικαίως ἐξετάζοντα. *Neceſſitatis impulſus auferunt dijudicationem de eo quod agendum vel non agendum eſt: quare non nimis rigide expendenda hæc ſunt ab æquis rerum arbitris.* Qui ſenſus etiam latius ab eodem exprimitur in oratione de falſo teſtimonio adverſis Stephanum. Thucydides libro quarto: πᾶν δ᾽ εἰκὸς εἶναι τῷ πολέμῳ καὶ δεινῷ τινι κατειργόμενον ξύγγνωμόν τι γίγνεσθαι καὶ πρὸς τȣ͂ Θεȣ͂. Καὶ γὰρ τῶν ἀκȣσίων ἁμαρτημάτων καταφυγὴν εἶναι τȣ̀ς βωμȣ̀ς, παρανομίαν τε ἐπὶ τοῖς μὴ ἀνάγκῃ κακοῖς ὀνομασθῆναι, καὶ ȣ̓κ ἐπὶ τοῖς ἀπὸ τῶν ξυμφορῶν τι τολμήσασι. *Credibile eſſe apud Deum quoque paratam eſſe veniam his qui bello aut qua ſimili neceſſitate tracti aliquid admittunt. Nam & Deorum altaria perfugium patere culpis non voluntariis: & injuſtitiam iis aſſcribi qui ultro mali ſunt, non his quos ad audendum res extremæ impellunt.* Cerites apud Livium ad Romanos: *Ne appellarent conſilium, quæ vis ac neceſſitas appellanda eſſet.* Juſtinus: *Factum Phocenſium, tametſi omnes execrarentur propter ſacrilegium, plus tamen invidiæ Thebanis, a quibus ad hanc neceſſitatem compulſi fuerant, quam ipſis intulit.* Sic Iſocrate judice, qui ſalutis cauſa prædatur, ἔχει πρόσχημα τῆς ἀδικίας τὴν ἀνάγκην, *habet neceſſitatem injuriæ velamentum.* Ariſtides Leuctrica ſecunda, αἱ δυσκολίαι τῶν καιρῶν ἀπολογίας ἐνδιδόασι τοῖς ἀφεστηκόσιν: *difficilia tempora excuſationem aliquam dant deſciſcentibus.* De Meſſeniis accuſatis quod ab Athenis exſules non recepiſſent ita Philoſtratus: ἡ ἀπολογία κατὰ συγγνώμην ἵςαται, τὸν Ἀλέξανδρον προϊσχομένων καὶ τὸν ἐκείνȣ φόβον ȣ͂ μηδὲ ἡ ἄλλη Ἑλλὰς ἄπειρος εἶχε. *Cauſa ipſorum in deprecatione poſita eſt, obtendens facto Alexandrum, & metum ab ipſo quem nulla non pars Græciæ experta eſſet.* Talis & ille apud Ariſtotelem, ἡμιπόνηρος καὶ ȣ̓κ ἄδικος. Οὐ γὰρ ἐπίβȣλος. *Semipravus, non injuſtus. Neque enim inſidiator.* Diſcrimina hæc ad argumenti noſtri uſum ſic aptat Themiſtius in laudibus Valentis Imperatoris: καὶ διέκρινας τὸ ἀδίκημα καὶ ἁμάρτημα, καὶ ἀτύχημα. Καὶ γὰρ εἰ μὴ τὰ Πλάτωνος ἀποσοματίζεις, μηδὲ τὰ Ἀριστοτέλȣς μεταχειρίζῃ: ἀλλὰ τάγε ἐκείνοις δοκȣ͂ντα τοῖς ἔργοις βεβαιοῖς. Οὐ γὰρ τῆς ἴσης τιμωρίας ἀξίȣς ᾠήθης τȣ́ς τε ἐξ ἀρχῆς βȣλεύσαντας τὴν ἐπανάστασιν, καὶ τȣ̀ς ὑπὸ τῶν ὅπλων παρασυρέντας, καὶ τȣ̀ς ἤδη τῷ δοκȣ͂ντι κρατεῖν ὑποκύψαντας. Ἀλλὰ τῶν μὲν κατέγνως, τȣ̀ς δὲ ἐμέμψω, τοῖς δὲ συνήλγησας. *Diſtinxiſti inter injuriam & culpam & infortunium. Quanquam nec Platonis verba ediſcis, nec Ariſtotelem tractas, ipſorum tamen placita facto exſequeris. Non enim pari pœna dignos exiſtimaſti qui ab initio bellum ſuaſerant, & qui poſtea abrepti ſunt armorum impetu, & qui ſuccubuerunt ei qui jam rerum potiri videbatur. Sed illos damnaſti, hos caſtigaſti, poſtremos miſeratus es.*

Lib. VII. Lib. VIII.

8. Idem alibi adoleſcentem Imperatorem vult diſcere, τί διενήνοχεν ἀτύχημα καὶ ἁμάρτημα καὶ ἀδίκημα. Καὶ ὅτι προσήκει τὸν βασιλέα, τὸ μὲν οἰκτείρειν, τὸ δὲ ἐπανορθȣ͂ν, μόνον δὲ τὸ ἔσχατον τιμωρεῖσθαι: *quid diſtet infortunium, culpæ aliquid, & injuria: & quomodo regem deceat iſtius miſereri, hanc corrigere, poſtremam vero ſolam ultione proſequi.* Sic apud Joſephum Titus unum criminis ducem punit μέχρις ἔργȣ *re ipſa*, multitudinem μέχρι λόγȣ *ſola verborum increpatione.*

Lib. V. bell. Jud.

Mera

Mera infortunia nec pœnas merentur nec ad reſtitutionem damni obligant. Injuſtæ actiones ad utrumque. Culpa media ut reſtitutioni obnoxia eſt, ita pœnam ſæpe non meretur, præſertim capitalem. Ad hoc illud pertinet Valerii Flacci:

At quibus invito maduerunt ſanguine dextræ,
Si ſors ſæva premat miſeros, ſed proxima culpæ;
Hos variis mens ipſa modis agit, & ſua carpunt
Facta viros reſides.

COMMENTARIUS.

VIX aliqua explicatione egent quæ Auctor noſter hoc §. diſputat, atque egregiis confirmat teſtimoniis; elegans textus, quem citat ex Ariſtotele, & e Græco in Latinum vertit ſermonem, ut clare & diſtincte Philoſophi mentem lector poſſet percipere. Ejuſmodi actiones, quarum hic mentio, non abſque ratione mixtæ vocantur, ex ſpontaneis & invitis conflatæ. Ita ut actio neque mere ſcientis & volentis, neque mere ignorantis aut inviti dici poſſit. Ut actio ſpontanea dicatur, principium motus debet eſſe in agente, ſeu ut agens voluntatis ſuæ impulſu ad agendum acceſſerit, tum ut ſciverit, quid ageretur; altetutro horum aut utroque deficiente, actio invita dicitur. *Videntur invita eſſe, quæ aut vi aut ignoratione efficiuntur*, ait Ariſt. *Nic.* 3. *cap.* 1. Coactum autem ſtricte dicitur, ad quod quis adigitur a principio extrinſeco validiore, ac proinde principium motus non in ipſo agente, ſed in potentiori eſſe videtur. Quo contingit, ut libertas voluntatis vel omnimodo tollitur, ut ſi vis major, cui reſiſti nequit, hominem invitum huc vel illuc impellat. Hinc Lucretius *lib.* 2. *de rer. natur.*

— Cum impulſi procedimus ictu,
Viribus alterius magnis magnoque coactu:
Nam tum materiam totius corporis omnem
Perſpicuum eſt nobis invitis ire, rapique.

Vel ſecundum quid, ſi voluntatis libertas non quidem eripitur, verum circa vim illam actio non ſuſciperetur. Quod volendi genus mixtum vocat Ariſtoteles 3. *ad Nicomach.* 1. Nam, ut ait Auguſtinus *de Spiritu cap.* 31. *Si ſubtilius advertamus, etiam quod quiſque invitus facere cogitur, ſi facit voluntate, facit: ſed quia malit aliud, ideo invitus, hoc eſt, nolens facere dicitur.* Huc pertinet quod canit Lucretius *lib.* 2. *v.* 278.

Jam ne vides igitur, quamquam vis extera multos
Pellit & invitos cogit procedere ſæpe,
Præcipiteſque rapit: tamen eſſe in pectore noſtro,
Quiddam, quod contra pugnare obſtareque poſſit.

De hoc actionum genere ita celeberrimus Pufendorfius *lib.* 1. *cap.* 4. *Præterea & hoc obſervandum, voluntatem quandoque ab imminentibus graviſſimis malis, & quæ communem animi humani firmitatem judicantur excedere, ita vehementer urgeri, ut in aliquid ſuſcipiendum conſentiant, abs quo extra illam neceſſitatem conſtituta maxime abhorrebat. Quales actiones ſolent vocari mixtæ ex ſpontaneis & invitis. Hactenus enim ſpontaneæ ſunt. Quod utique principium eſt in agente; ſciente ſingula quæ actioni inſunt; quod adeo voluntas pro præſenti tempore & neceſſitate in eas fertur, tanquam minus malum, aut partem mali, cum alias totum, aut majus malum foret ſubeundum. Id quod pro præſenti conditione boni naturam imitatur, quatenus utrumque ſimul non poteſt declinari. Ex invito autem ejuſmodi actiones id detrahunt, quod ad eas contra ſuam inclinationem voluntas adigatur, nunquam eas ſuſceptura, ſi gravius malum alia via liceret effugere. Quamobrem id quoque cum invitis actionibus habent commune, quod effectus morales, qui alias actiones mere ſpontaneas conſequuntur, in hiſce omnino aut ſaltem ex parte deficiunt.* Huc pertinet & illud Ariſt. *Nic.* 3. *cap.* 1. Nemo ſponte abſolute ſua abjicit, ſed ad ſalutem, tum ſuam, tum aliorum, omnes, modo mentis ſint compotes, facere id videntur. Mixtæ igitur ejuſmodi actiones cum ſint, ſpontaneis tamen magis ſunt ſimiles. Ut vero actio alicui imputari poſſit ad agentem proprie pertinens haberi, & proinde ad pœnam ex facto ſuo vel ad reparationem damni dati obligari, requiritur ut quod fecit ſponte factum ſciens quid faceret, id eſt, ut quis ſibi finem certum & determinatum conſtituerit in agendo, ejuſque intentio & voluntas ad illum conſequendum dirigatur, ideoque finis intentioni & voluntati reſponderit, & proinde actionis auctor ex toto ſive pro parte extiterit, atque inde ſi boni quid fuerit, ſive mali, eidem in acceptis ſit referendum, ſit ut pro utroque rationem reddere teneatur; quia penes agentem ſteterit quo minus factum vel non factum fuerit. *Sponte autem fieri dico id quod quis in ſua poteſtate poſitum facit ſciens*, inquit Ariſt. 5. *Nic. cap.* 10. Velle & nolle ſunt facultates animæ noſtræ rationalis, quia ſupponunt intellectum; intellectus vero in nullam cadit creaturam, niſi ratione præditam, & proinde in hominem duntaxat. Quippe cum voluntas noſtra moveatur ab objectorum, quæ nobis obveniunt, & animo repræſentantur, cognitione, cujuſmodi cognitio non cadit niſi in ſubjectum intellectu & proinde ratione præditum, ex quorum convenientia vel diſconvenientia cum inclinatione & appetitu noſtro quædam volumus, quædam declinamus. Itaque cognita qualitate & natura eligimus unum, rejicimus alte-

rum. Cujuſmodi electio præſupponit libertatem, & proinde voluntatem ſeſe moventem & eligentem citra neceſſitatem phyſicam. Quamobrem ut homo ſponte & libere agere dicatur, & proinde quod agit ipſi imputari poſſit, duo concurrere oportet requiſita, ſcilicet ut objecta cognoverit ſibique perſpecta ejuſdem natura & qualitate, electio ex libero arbitrio ſecuta fuerit. Cognitionem itaque rei & electionem actio excipit, dum agens ſe diſponit ad conſequendum & obrinendum finem, quem ſibi propoſuit, quæ eſt exſecutio actionis. Quibus autem mediis id quod intendit, animique propoſitum & conſilium exſequi poſſit, ad deliberationem animi pertinet. Ex quibus perſpicimus, ea quæ ſponte & deliberato animo fiunt, quæ ex prævia cognitione & intellectu proficiſcuntur facta, jure imputari poſſe agenti, ſive bona ſive mala. Cum enim intellectu & voluntate prædirus, a ſe ipſo omnino dependeat, quæ velit amplecti, quæ declinare, agere vel omittere. Quid enim ab homine libere & cum ratione agente adſerri poteſt ad ſui defenſionem, dum peccat, & mali quid perpetrat; cujus in facultate poſitum fuerit, cognita objecti natura & qualitate illud amplecti vel declinare. Quamdiu enim ea non ſatis cognita, temeritatis & imprudentiæ eſt eligere. *Quocirca bene præcipiunt, qui vetant quidquam agere, quod dubites æquum ſit an iniquum*, ut inquit Cicero 1. *off.* Homini enim rationem largitus ſummus rerum opifex, ut naturam & cauſas rerum perſpicere & indagare poſſet, quid decet in dictis vel factis, & bonum a malo diſcernendo, quid amplecti, quid ſequi in vitæ curſu virum bonum & honeſtum, id eſt, naturæ ducem ſequentem, & rationi obtemperantem oportet. Quemadmodum itaque cognitio electionem, ita intellectus voluntatem præcedit: ignoti enim nulla cupido, ut dici ſolet. Cupimus enim rem habere & poſſidere, quæ nobis tanquam congrua arridet; verum quænam nobis poſſit arridere, niſi ex objecti qualitate intrinſeca vel extrinſeca ejuſdem cum noſtro appetitu & inclinatione convenientiam noverimus? Quibus perſpectis voluntas ad eam conſequendam ſub ratione boni movetur. Quemadmodum vero rationis uſus, ſive intellectus, qui inter objecta diſcernit prout unumquodque probandum vel improbandum duxerit, ita & voluntatis ac arbitrii noſtri libertas, cujus eſt eligere & ſequi quod intellectus probavit vel improbavit, efficit, quod agenti imputari poſſit actio ſua, ſive mala, ſive juſta & recta. Multa vero quandoque poſſunt aliunde intrinſece, vel extrinſece impedimenta ſuboriri, quæ in cauſa eſſe poſſunt, quod nec ſponte nec deliberato animo feciſſe homo dicitur, & proinde actio ei imputari nequeat; quo fit ut nec pœnam pati mereatur, nec ad damni reparationem teneatur. Quorum in numero eſt ignorantia, utpote quæ in tantum imputationem tollit, quantum illa reddit actionem invitam. Imo voluntatem deficere dicendum, ubi deficit cognitio. *Quæcunque per errorem homines delinquunt, ea præter animi ſententiam committi arbitror*, inquit Xenophon *inſtit. Cyri lib.* 3. *Et quidem ejuſmodi ignorantia, quæ culpa vacat, cujus quis ipſe non eſt cauſa, vel ſcire neglexit, quod ignorare non debet. Quandocunque*, inquit Ariſtoteles, *perpetrandi aliquid cauſa fuerit ignorantia, id non fit ſponte, & proinde ne afficit quidem injuria. At cum ipſe ſua cauſa fuerit ignorantia, perpetravitque quædam ex ignorantia, cujus ipſe extiterit cauſa, is plane afficit injuria, ac ejuſmodi jure criminis arguetur, velut in ebriis evenit. Vino namque merſi ſi quid mali perpetrarint, ſine controverſia afferunt injuriam. Quandoquidem idem ipſi ſibi ejus ignorantiæ cauſa extiterunt. In iis enim fuit, ne tantum proluerentur, ut ignorantes caderent patrem. Idem in aliis eſt ignorantiis, quæ ex ipſis gignuntur facientibus, ut qui per ipſas inferant injuriam, ſunt injuſti. Quorum autem non ipſi ſunt cauſa, ſed ignorantia, ut delinquant, nequiquam injuſti. Eſt enim ejuſmodi ignorantia naturalis, velut neſcii infantes, patres cadunt. Hæc nimirum naturalis inſcitia non facit, ut ab actione infantes dicantur injuſti. Ipſa ſiquidem hæc faciendi cauſa eſt inſcitia. Neque ipſi ſua ſunt cauſa inſcitiæ, ideo ne injuſti quidem dicuntur.* Idem de furioſis & mente captis dicendum. Qui vero ſuæ ignorantiæ cauſa eſt, & ſciens volenſque effecit ut ignoraret, quæ ſcire vel noſſe poterat & debebat, perinde habetur, ac ſi ſciens & deliberato quid animo admiſiſſet. *Sic in ebriis*, ſi quid mali per ebrietatem admittunt, ipſis imputatur, quia cauſa ignorantiæ ſuæ. *Legiſlatores eos, qui mala perpetrant, caſtigant, ac puniunt, ſi tamen neque vi coacti ea egerint, neque ex ignoratione, cujus ipſi ſibi cauſam non exhibuerint. Ob ignorationem etiam puniunt, ſi ipſe ſibi ignorationis cauſa quiſquam fuiſſe videatur. Unde ebriis duplices pœnæ conſtitutæ ſunt. In ipſo enim qui inebriatur principium eſt: cum ſui quiſque in eo dominus ſit, ut non inebrietur. Id quod ignorationis eſt cauſa. Eos quoque puniunt qui aliquid eorum ignorant, quæ ad leges pertinent, quæ quidem & ſcire debeant & difficilia non ſunt. Simili modo etiam in aliis, quæcunque ignorare per negligentiam videntur. Eo quod in ipſis ſit non ignorare, quippe qui adhibendæ diligentiæ domini ſint ac poteſtatem habeant*, Ariſt. *ad Nic. lib.* 3. *cap.* 7. Sic alicui non imputatur ignorantia univerſalium, & ejus quod ſcire debuiſſet, ſed duntaxat ignorantia rerum ſingularium, & quæ in facto verſantur. *In alieni enim facti ignorantia tolerabilis error eſt*, ait Juriſconſultus *l. fin ff. pro ſuo.* Ariſt. *Nic. lib.* 3. *cap.* 2. *Invitus dici debet, non ſi quis ignorat is, qui conducit; non enim ignoratio quæ in electione conſiſtit, inviti eſt cauſa ſed pravitatis: neque ea quæ eſt univerſalis: quippe cum ob eam homines vituperentur; ſed ea quæ circa particularia verſatur, in quibus & circa quæ actio conſiſtit. In his enim & miſericordia & venia locum habet. Nam qui horum aliquid ignorat is ſane invitus agit.* Quod autem quis fecit non improbo animo ſive ex malitia, vel ignorantia ultro contracta, ſed in quam inciderit, quod non ſatis diligenter atque attente examinaverit conſequentiam facti ſui, quæ prævideri aliquo

modo

modo potuit, non omni culpa quidem vacuus, ſed ſi quid admiſerit, quamobrem pœnas dare meretur, mitius puniendus: imputari enim aliquatenus ei poteſt actio, quia principium agendi in ſe habet: ſciens enim volenſque actionem ſuſcepit, ſed non eo animo, ut talem effectum prodnceret. Actus enim hominum non eventu, ſed conſilio metiendi & æſtimandi: *l. 79. ff. de R. J.* Malitia enim cujuſque actus pravi a voluntate & animo improbo procedit: prima enim cauſa peccati fit in voluntate, adeoque ea, maxime in actionibus quæ ab homine proficiſcnntur, attenditur: ea enim imperium habet in omnes actus humanos. Sic ex S. C. relegari juſſa eſt, quæ medicamentum ad conceptionem dedit, ſi ea quæ accepit deceſſerit, *l. 3. ff. de pœnis.* quia nnn adfuit malus animus & voluntas nocendi. Contra tamen, qui abortionis vel poculum amatorium dant, etſi dolo non faciant, & eo homo vel mulier perierit, ſummo ſupplicio afficiuntur. *l. 38. §. 5. ff. de pœnis.* Quænam diverſitatis ratio, cum in utroque caſu dolus & voluntas nocendi deficiat? Teſtatur enim Ariſtoteles *magn. moral. lib. 1. cap. 17.* Areopagitarum judicio abſolutam fuiſſe mulierem, quæ phyltro occiderat virum. Diverſa enim legum ratio in eo conſiſtere videtur, quod poculum ad conceptionem datum non adeo periculnſum ſit, utpote quod compoſitum ex ejuſmodi medicamentis, quæ vires corporis non debilitant, ſed augent, hominesque juxta fœminas natura debiles medicamine ipſo fortiores & magis idoneos reddit ad generationem. Quamobtem non tendit hic actus voluntatis in periculum mortis; nec enim eſt res per ſe illicita generationi operam dare, & multiplicationi humani generis inſervire, atque ad finem illum conſequendum ea media adhibere, quæ quis idonea judicat, modo non cum periculo mortis conjuncta eſſe poſſunt. Poculum vero abortionis vel amatorium dare mulieri, res eſt per ſe illicita: repugnat enim naturæ legi finem congreſſus viri cum muliere hac ratione illudere, adeoque & multiplicationem generis bumani, quoniam tendit in periculum mortis. Per ſe quoque illicitum amorem ejuſmodi remediis provocare, qui debet eſſe voluntatis non neceſſitatis, deinde plerumque tendit in finem illicitum, qui eſt illegitimus concubitus ad ſatisfaciendum impuro amori. Tertio cum periculo mortis conjunctum, quod ſummo ſupplicio vindicari dignum. Nihil enim intereſt an occidat quis, vel mortis cauſam præbeat. Quod Areopagitæ mulierem, quæ phyltrum amatori præbuerat, abſolverunt, non abſque ratione feciſſe præſumendum: nullus enim dubito quin conſtiterit judicibus fœminam omni prorſus culpa vacuam, propterea quod forte nunquam cogitaverit, poculum illud ullo modo noxium eſſe poſſe. Abſolutionis itaque ratio ſumma fuit mulieris innocentia, nihil quicquam mali inde eventurum ſuſpicantis. Quod ſi vero quis ſciens non tamen deliberato quid admittit vel facit, quod proximo nocet, ſatendum eſt, ut ait Ariſtoteles, injuriam adeſſe. Quamobrem ſi quis ſubito animi motu lædit, ei actio ſua imputari poteſt: injuria enim non vacat; propterea tamen non injuſtus vel improbus dicitur, quamobrem etiam ei ignoſci & condonari debet injuria. Quanquam ira ſit ſpecies furoris, tamen incumbit homini fræno tationis iram cohibere, ne in alterius damnum vel læſionem erumpat. Hinc in delictis iracundia non excuſat, vel aliqnem liberat a pœna, niſi quod mitius crimen per dolorem vel iram juſta ex cauſa provenientem, admiſſum, puniendum æqnitatem dictare nonnulli ſtatuant. *Leviora ſunt ea, quæ repentino aliquo motu accidunt, quam ea quæ meditata & præparata inferuntur*, ut inquit Cic. *off. 1.* Et idem *in Topicis. Cadunt in ignorantiam atque imprudentiam perturbationes animi, quæ quanquam ſint voluntaria, objurgatione atque etiam admonitione dejiciuntur, tamen habent tantos motus, ut ea, quæ voluntaria ſunt, aut neceſſaria interdum, aut certe ignorata videantur.* Hinc Ariſt. *Nicom. 7. cap. 8. Unicuique pejor videtur, ſi quis aut nihil, aut leviter cupiens, turpe aliquid perpetraret, quam ſi vehementi cupiditate affectus idem faceret: item ſi non iratus, quam ſi iratus verberaret quiſpiam. Quid enim ageret ſi in affectu eſſet conſtitutus.* Quamobrem D. Pius in hæc verba reſcripſit Apollonio, teſte Papiniano *l. 38. §. 8. ff. ad leg. Jul. de adult. Si qui uxorem ſuam in adulterio deprehenſam occidiſſe ſe non negat, ultimum ſupplicium remitti poteſt, cum ſit difficillimum juſtum dolorem temperare: & quia plus fecerit quam quia vindicare ſe non debuerit, puniendus ſit.* Add. *l. 4. Cod. eod.* doctiſſimus Carpzov. *p. 1. q. 6. n. 15. 16.* Imputari qnoqne, nti dicere incœpimus, quæ quis coacte patitur vel agit: omne enim involuntarium meretur veniam; qui coacte quid agit, non videtur habere principium motus in ſe, ſed eſt in alio, qui per vim vel metum graviorem aliquem impnlit ad perpetrandum vel faciendum id, a quo, ſi ſibi metus non fuiſſet injectus, vel vis illata, abhorruiſſet. Veniam quoque meretur neceſſitas, utpote quæ ſæpius auſert dijudicationem de eo quod agendum vel non agendum eſt. Quamobrem ignoſcendum illis videtur, qui neceſſitate, quam evitare vel declinare non potuère, aliquid admittunt, quod legibus & officiis naturæ repugnat. Vid. quæ annotavimus *lib. 2. cap. 2.* Nullus dubito quin ex iis, quæ Auctor noſter docte, clare ac diſtincte diſputat, & nos ad illa annotavimus, lector facile ſit perſpecturus in quantum actus humani imputari poſſunt, & proinde ad pœnas & reſtitutionem damni tenentur illi, a quibus profecti.

V. Quod monet Themiſtius diſtinguendos qui auctores belli fuerunt ab his qui alios ducentes ſecuti ſunt, ejus paſſim exempla in hiſtoriis exſtant. Narrat Herodotus Græcos pœnas ſumpſiſſe de his qui *Cal.*

Thebanis ad Medos deficiendi auctores fuerant. Sic Ardeæ principes
Lib. IV. ſecuri percuſſi, narrante Livio. Eodem auctore, Valerius Levinus, *Agrigento capto, qui capita rerum erant virgis cæſos ſecuri percuſſit: cæteros prædamque vendidit.* Idem alibi: *Atella Calatiaque in deditionem acceptæ: ibi quoque in eos qui capita rerum erant animadverſum.* Rurſum alibi, *quoniam defectionis auctores meritas pœnas a Diis immortalibus & a vobis habent P. C. quid placet de innoxia multitudine fieri? Tandem ignotum eſt illis, & civitas data.* Nimirum, ut idem ibi loquitur, *ut unde orta culpa eſſet ibi pœna conſiſteret.* Laudatur apud Euripidem Eteoclus Argivus, quia

Lib. XXVI.

Libro XXVIII.

Culpam ferebat ſemper illo judice
Reus ipſe: non urbs patria, quæ paſſim mali
Rectoris ergo ſuſtinet calumniam.

Lib. III. Et Athenienſes, ut Thucydides narrat, pœnituit decreti adverſus Mitylenæos, πόλιν ὅλην διαφθεῖραι μᾶλλον ἢ οὐ τοὺς αἰτίους, *ut totam civitatem potius quam ſolos defectionis auctores interficerent.* Narratur & Diodoro Demetrius captis Thebis decem ſolos interfeciſſe auctores defectionis.

Vict. de jure belli, n. 59. VI. 1. Sed in ipſis quoque belli auctoribus diſtinguendæ cauſæ: ſunt enim quædam non juſtæ quidem ſed tamen tales ut non improbis
Lib. II. poſſint imponere. Scriptor ad Herennium deprecationis cauſam æ-
Lib. II. de Clem. c. 7. quiſſimam hanc ponit, ſi quis quæ peccavit non odio neque crudelitate ſed officio & recto ſtudio commotus fecerit. Sapiens Senecæ, *hoſtes dimittet ſalvos, aliquando etiam laudatos, ſi honeſtis cauſis pro fide, pro*
Lib. VII. *fœdere, pro libertate in bellum accincti ſint.* Apud Livium petunt errori veniam Cærites quod fuerint auxilio conſanguineis Phocenſibus. Chalcidenſibus & aliis qui ex fœdere Antiochum juverant, data a Romanis venia. Ariſtides Leuctrica ſecunda Thebanos, qui Lacedæmoniorum ductum contra Athenienſes ſecuti erant, ait: κοινωνεῖν μὲν οὐ δικαίου πράγματος, δικαίῳ δὲ ἑτέρῳ περιστέλλειν τὴν μέμψιν, τῷ πιστοὺς εἶναι τοῖς ἡγεμένοις: *in partem quidem veniſſe injuſtæ actionis, ſed quam juſto aliquo velarent, fide in Principes ſui fœderis.*

2. Cicero de Officiis primo conſervandos eos dicit qui non crudeles in bello non immanes fuerunt: tum bella quibus imperii gloria propoſita eſt minus acerbe gerenda eſſe. Sic Ptolemæus rex Demetrio ſignificat, οὐ περὶ πάντων ἅμα, περὶ δόξης δὲ καὶ ἀρχῆς πολεμητέον αὐτοῖς. *Non de rebus*
Lib. III. *omnibus, ſed de imperio & gloria inter ipſos certamen eſſe.* Severus apud Herodianum: *Cum bellum adverſus Nigrum geſſimus non ita ſane ſpecioſas inimicitiarum cauſas habebamus. Nam poſitum in medio Principatum atque adhuc in diſceptatione verſantem pari ambitu uterque noſtrum ad ſe trahebat.*

Cic. epiſt. ad Brut. 2. Pro M. Marcello. 3. Sæpe habet locum quod de bello Cæſaris & Pompeji eſt apud Ciceronem: *Erat obſcuritas quædam: erat certamen inter clariſſimos duces: multi dubitabant quid optimum eſſet.* Et quod idem alibi: *etſi aliqua culpa tenemur erroris humani, a ſcelere certe liberati ſumus.* Plane ut apud Thucydidem dicuntur venia digna quæ fiunt μὴ μετὰ κακίας, δόξης δὲ μᾶλλον ἁμαρτίᾳ. De Dejotaro idem ille Cicero: *non ille odio tui progreſſus, ſed errore communi*

muni lapſus eſt. Salluſtius in hiſtoriis: *Cætera multitudo, vulgi more magis quam judicio, poſt alius alium quaſi prudentiorem ſecuti.* Quod de bellis civilibus Brutus ſcripſerat, putem non male ad pleraque bella alia referri poſſe: *acrius eſſe prohibenda quam in ſuperatos iracundiam exercendam.*

COMMENTARIUS.

QUi in bello alios ducentes ſequuntur, meliori conditione, quam ipſi auctores habendi. Exſtat apud Julium Cæſarem *de bell. Gall. lib. 4. cap. 27.* exemplum, qui facilis fuit in condonando, quod multitudo per imprudentiam admiſerat. Propterea, *quod more magis quam judicio, poſt alius alium quaſi prudentiorem ſequuntur. Ut pecudes antecedentium gregem pergentes, non qua eundum eſt, ſed qua itur,* inquit Seneca *de beata vita cap. 1. Plebi enim non judicium non veritas.* Io pœnia enim infligendis examinandum unde principium actionia vitioſæ. Quamobrem mitiori pœna afficiendus ſeductus, quam ille, qui conſilio & auctoritate pollens inter ſuos, ſuo exemplo, ſua auctoritate imperitam & conſilii inopem multitudinem peccare effecit. *Non eſt conſilium in vulgo, non ratio, non diſcrimen, non diligentia,* inquit Cic. *pro Plancio.* In ipſis quoque belli auctoribus diſtinguendæ cauſæ: poteſt enim qois ſibi, opioionis errore ſeductus, perſuadere juſtam belli habere cauſam, quæ diligenter examinata juſtam non eſſe patebit. Humanum enim eſt errare; quare etiam faciles nos eſſe oportet io condonando, ſi quis io erroneam opinionem adductus bellum adverſus nos ſuſceperit. Sufficit opinio de cauſæ juſtitia, ut benigniori modo eum tractemus, qui, ſi opiniooe non fuiſſet deceptus, a bello abſtinuiſſet: lædendi enim & noceodi hic deeſt animus, quamobrem ignoſcendum errori. Idem dicendum ſi quis non animo nocendi, ſed ex officii ratione commotus bellum ſuſcepit, vel in re dubia hæſitans & incertus & fluctuans forte eam partem amplexus, quæ ſibi videbatur juſtiorem belli cauſam habere, vel ſi bellum ſuſcepit in belli ſocietatem pertractus. Si par pari referendum, videtur quoque conſervandos eos, qui in bello non erudeles, oec immanes fuere: quod enim tibi via fieri, alteri etiam feceris, qui tecum humaniter egit, ut eum quoque eodem modo tractes, humanitatis ratio exigit. Qui vitæ tuæ parcit, ipſius quoque vitæ parcere tibi incumbit occaſione data. Qni in te belli ſummo jure uſi non ſunt hoſtes, utique ut eodem jure in eos utaris æquum eſt. Nec ſæviendum in eos, qui elementia uſi fuerunt a ſua parte. Commendat quoque Cicero, ut minus acerbe ea gerantur bella, quibus imperii gloria propoſita eſt: ſtatuit enim idem in bellis ſervari oportere, quod in civitatibus cuſtoditur, ut aliter pugnetur cum iis qui de imperio certant, aliter cum iia qui de vita. Sirut civis aliter certat cum inimico, quem ſibi inſidiari comperit, & nocendi animum prodidit, aliter cum competitore, qui eundem honorem & dignitatem ambit: cum hoc enim de honore, cum illo de vita certamen eſt. Quemadmodum autem vita quavis dignitate, quo via honore & munere longe eſt præſtantior, ita alia ratione bellum gerendum cum eo, qui in exitium noſtri bellum ſuſcepit, quam cui belli gloria propoſita. Illud provenit ex inſatiabili odio, & proinde magis barbaris quam hominibus excultis convenit. Quamobrem & rigidiori belli jure in eum utimur. Legimus apud Romanæ hiſtoriæ ſcriptores apud eos in uſu fuiſſe, ut quotannia, cum candidati in campum Martium deſceodebant, certarent ioter ſe competitores. *Demetrius filium Ptolemai Leontiſcum & fratrem Menelaum amicoſque ejus cum privati inſtrumenti miniſterio, pari provocatus arte munere, Ægyptum remiſit, & ut appareret eos non odio, ſed dignitatis gloria accenſos, donis muneribuſque inter ipſa bella comendebant. Tanto honeſtius tunc bella gerebantur, quam nunc amicitia coluntur,* apud Juſtin. 15. 2.

VII. 1. Etiam ubi juſtitia hoc non exigit, ſæpe tamen convenit bonitati, convenit modeſtiæ, convenit animo excelſo. *Ignoſcendo auxiſſe populi Romani magnitudinem*, ait Salluſtius. Taciti eſt: *quanta pervicacia in* *Ann. XII.*
hoſtem, tanta beneficentia adverſus ſupplices utendum. At Seneca: *Ferarum,* *De Clem. 1. cap. 5.*
nec generoſarum quidem, permordere & urgere abjectos. Elephantes leoneſque tranſeunt quæ impulerunt. Sæpe opportunum eſt illud Maronis,

Non hic victoria Teucrûm
Vertitur, aut anima una dabit diſcrimina tanta.

2. Et in eam rem inſignis locus in libro quarto ad Herennium: *Bene majores noſtri hoc comparaverunt, ut neminem regem quem armis cepiſſent vita privarent. Quid ita? quia, quam nobis facultatem fortuna dediſſet, iniquum*

erat in eorum ſupplicio conſumere quos eadem fortuna paulo ante in ampliſſimo ſtatu collocarat. Quid quod exercitum contra duxit? deſino meminiſſe. Quid ita? Quia viri fortis eſt, qui de victoria contendant eos hoſtes putare: qui victi ſunt, eos homines judicare; ut poſſit bellum fortitudo minuere, pacem humanitas augere. At ille ſi viciſſet, num idem feciſſet? Quid igitur ei parcis? quia talem ſtultitiam contemnere non imitari conſuevi. Si de Romanis hoc accipias (incertum enim hoc, cum & peregrinis & fictis argumentis utatur is ſcriptor) adverſa fronte pugnat cum eo quod habemus in panegyrico qui dictus eſt Conſtantino Conſtantii filio: *Cautior licet ſit qui devinctos habet per veniam perduelles, fortior tamen eſt qui calcat iratos. Renovaſti Imperator veterem illam Romani Imperii fiduciam, quæ de captis hoſtium ducibus vindictam morte ſumebat. Tunc enim captivi reges cum a portis uſque ad forum triumphantium currus honeſtaſſent, ſimulatque in Capitolium currum flectere cœperat Imperator, abrepti in carcerem necabantur,* *Vide Plut. Paulo Æmilio.* *unus pro ſeipſo Paulo qui ſedentem ſe acceperat deprecante* (lege: *unus Perſeus ipſo Paulo qui dedentem ſe acceperat deprecante*) *legem illius ſeveritatis evaſit: cæteri in vinculis luce privati aliis regibus dedere documentum, ut mallent amicitiam colere Romanorum quam exaſperare juſtitiam.* Sed & hic nimis laxe. Dicit quidem Joſephus idem de ſeveritate Romanorum in hiſtoria interfecti Simonis Barjoræ: ſed de ducibus loquitur qualis Pontius Samnis, non de his quibus regium eſſet nomen. Verborum ſenſus Latine ſic habet: *Finis triumphi erat, poſtquam ad Capitolium Jovis ædem erat perventum: nam ibi exſpectare Imperatores mos antiquus patriæ jubebat, donec nuntiata eſſet mors hoſtium ducis. Is erat Simon Joræ filius, qui inter captivos in triumpho ducebatur: is tum injecto laqueo in forum trahitur, verberantibus inſuper ipſum cuſtodibus. Nam eo in loco mos eſt Romanis ſupplicium ſumere de damnatis ob noxas capitales. Hic ubi vitam finiiſſe nuntiatus eſt, ſecuta ſunt fauſta omina, deinde ſacrificia.* Idem ferme dicit Cicero Verrina de Suppliciis.

3. De ducibus paſſim exempla exſtant: de regibus aliqua, ut de Ariſtonico, Jugurtha, Artabaſdo: ſed tamen præter Perſea Syphax, Gentius, Juba, & Cæſarum tempore Caractacus, atque alii tale ſupplicium evaſerunt, ut appareat & belli cauſas & gerendi modum ſpectata a Romanis, quos tamen æquo aſperiores in victoria fuiſſe Cicero atqne alii agnoſcunt: itaque M. Æmilius Paulus apud Dio- *Exc.* dorum Siculum non male in Perſei cauſa Romanos Senatores monet, εἰ μὴ τὸν ἀνθρώπινον φόβον εὐλαβοῦνται, τήνγε τοὺς ὑπερηφανῶς ταῖς ἐξουσίαις χρωμένους μετερχομένην Νέμεσιν αἰδεῖσθαι. *Si humani nihil metuerent, at divinam vindictam timerent, iis imminentem qui victoria inſolentius utuntur.* Et Plutarchus notat bellis inter Græcos ipſos etiam hoſtes regibus Lacedæmoniis manus abſtinuiſſe reverentia dignitatis.

4. Hoſtis ergo qui non id quod humanæ leges permittunt, ſed quod ſui eſt officii, quod fas & pium eſt, volet reſpicere, parcet etiam hoſtili ſanguini: neminique mortem irrogabit niſi quo mortem mortive ſimile quid evitet, aut ob peccata perſonæ propriæ quæ ad capitalem menſuram devenerint. Et tamen quibuſdam id meritis aut omnem,

aut

aut mortis pœnam condonabit, ſive humanitatis intuitu, ſive ob alias probabiles cauſas. Egregie idem quem dixi Diodorus Siculus: *Lib.* αἱ τῶν πόλεων πολιορκίαι καὶ παρατάξεις καὶ τὰ ἄλλα τὰ κατὰ τὸν πόλεμον προτερήματα τὰ πλείο- XXVII. να διὰ τύχην ἢ δι' ἀρετὴν ἐπιτυγχάνεται. Ὁ δ' ἐν ταῖς ἐξουσίαις εἰς τοὺς ἐπταικότας ἔλεος μεριζόμενος διὰ μόνης τῆς φρονήσεως γίνεται. *Urbium expugnationes, ſecunda prælia, & ſi quid aliud in bello proſperum, ſæpe fortunæ magis quam virtuti debentur. At in ſummo imperio victis miſericordiam impartiri ſolius providentiæ opus eſt.* Apud Curtium legimus: *Alexander quamquam belli auctoribus poterat iraſci, tamen omnibus venia data.*

VIII. De nece autem eorum qui caſu non deſtinato occiduntur tenendum quod ſupra diximus, ſi non juſtitiæ, miſericordiæ tamen eſſe non niſi magnis & ad multorum ſalutem perventuris cauſis tale quid aggredi, unde innocentibus imminere pernities poſſit. Idem nobiſcum ſenſit Polybius, qui libro v ſic loquitur: οὐ γὰρ ἐπ' ἀπωλείᾳ δεῖ καὶ ἀφανισμῷ τοῖς ἀγνώμοσι πολεμεῖν τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας, ἀλλ' ἐπὶ διορθώσει καὶ μεταθέσει τῶν ἡμαρτημένων. Οὐδὲ συναναιρεῖν τὰ μηδὲν ἀδικοῦντα τοῖς ἠδικηκόσιν, ἀλλὰ συσσώζειν καὶ συνεξαιρεῖσθαι τοῖς ἀναιτίοις (male editur ἐναντίοις) τοὺς δοκοῦντας ἀδικεῖν. *Bonorum virorum eſt etiam cum minus probis non internecinum gerere bellum, ſed hactenus ut delicta ſarciantur atque emendentur: neque inſontes cum ſontibus una pœna involvere, ſed inſontium cauſa etiam ſontibus parcere.*

COMMENTARIUS.

TUtior tum etiam hominis naturæ magis conveniens belli gerendi ratio, quæ ad mitiorem partem inclinat, & clementia ſemper temperari oportet ſummum jus belli, ne convertatur in ſummam injuriam, ſi ſalus Reipublicæ id ipſum permittat: illa enim ſuprema lex eſſe debet, & proinde agendi nobis norma & regula, quatenus ea, quæ ſuſcipimus, ejus tuendæ cauſa ſuſcepta. Verum cavendum ne ira & odio adeo animum ab illa humanitate, quam inter homines ſervari vult natura, alienemus, ut ultra modum in hoſtes crudeles & immanes exiſtamus, ut alibi annotavimus; multo magis ſi nec illi crudeles & immanes in gerendo bello fuerunt, ſed humanitate in captivos uſi ſunt, vel ſatis eſſe duxerunt ſi vincerent ac debellarent, & a cædibus abſtinuerunt. Homini enim incumbit, parcere humano ſanguini, quantum poteſt; atque abſque ſumma neceſſitate profundere nefas mihi videtur, etiamſi bellum, quamdiu ſtatus belli durat, amicitiæ & ſocietatis tum etiam cognationis naturalis vincula diſſolvere videatur, attamen non tollit omnino humanitatis quædam officia nec naturæ dictamina, quæ crudelitate & ſævitia in ſui ſimilem uti vetant; vitæque parcendum dictat, ubi etiam ſummum belli jus illam adimere permittat: cum enim bellum tendat ad interitum humani generis, cujus conſervationem nobis natura quam maxime commendavit, tum etiam diſtractionem ſocietatis humanæ, in qua tuenda vitæ humanæ beatitudo & ſalus hominum poſita; ejus licentiam quantum fieri poteſt reſtringendam puto tanquam res odioſa, quia humano generi noxia, & ſocietati, quam natura inter homines conſtituit, tuendæ contraria. Optime Auctor noſter monet, non eſſe reſpiciendum victori quid jus belli & leges humanæ permittant, verum quid humanitatis ratio, quid officium, ſi non ex jure perfecto, ſaltem imperfecto debitum, exigit a nobis, meminiſſe oportet Imperatorem. Si olim apud Romanos laudibus extollebatur qui civem in bello ſervaret, & proinde civica corona tanquam præmio rei bene geſtæ donabatur, ita non minori laude dignus Imperator, qui clementem ſe præbuit victis, & ſervavit, quos jure belli occidere potuiſſet. Nec caret ſuo præmio ejuſmodi clementia apud Deum, cujus infinita miſericordia & clementia nobis eſt exemplar, quomodo homines ſeſe debent gerere erga ſui ſimiles. Præterquam quod & animo excelſo & moderato maxime convenit, temperare iram & odium, tum etiam ſpernere naturæ imbecillitati obtemperare, quo in numero vindictæ libido, ex iræ intemperantia proveniens. *Is enim vincit aſſidue, qui novit omnia temperare*, ut inquit Rex Theudericus apud Caſſiodorum 2. 41.

IX. 1. His cognitis, de his quæ magis ſpecialia ſunt non difficilis erit definitio. *Puerum ætas excuſet, fœminam ſexus*, ait Seneca libro *Lib.* III. 24.

quibus

Deuter. quibus iræ iraſcitur. Deus ipſe in bellis Hebræorum etiam poſt pa-
xx. 14. cem oblatam & repudiatam parci vult fœminis & infantibus, extra
paucas gentes ſpeciali jure exceptas, adverſus quas quod erat bellum
Num. non erat hominum ſed Dei, atque ita appellabatur. Et cum mulieres
xxxi. 18. Madianitidas vellet occidi ob proprium ipſarum crimen, excepit vir-
Jon. iv. 2. gines intactas. Imo cum Ninivitis ob graviſſima peccata internecio-
nem ſevere admodum minatus eſſet, retrahi ſe paſſus eſt miſeratione
multorum millium ejus ætatis quæ honeſti & inhoneſti diſcrimina
De Ira ignorat: Cui ſimilis eſt apud Senecam ſententia: *Num quis iraſcitur pue-*
II. c. 9. *ris quorum ætas nondum novit rerum diſcrimina?* Et apud Lucanum:

Crimine quo parvi cædem potuere mereri?

Sic hæc Deus facit ac ſtatuit, qui quoſvis homines cujuſcumque ſexus
Vict. de aut ætatis ſine ulla cauſa non injuſte poteſt occidere, utpote vitæ da-
jure belli, tor ac dominus, quid homines facere æquum eſt quibus ille nullum jus
n. 36. tribuit in homines, quod non ad hominum ſalutem ac ſocietatem con-
ſervandam eſſet neceſſarium?

2. Accedit primum de pueris judicium eorum populorum ac tem-
porum quibus fas maxime valuit. *Arma habemus* (ait apud Livium Ca-
millus) *non adverſus eam ætatem cui etiam captis urbibus parcitur, ſed adver-*
Vita Camilli. *ſus armatos.* Addit hoc eſſe inter belli jura, naturalia ſcilicet. Plu-
tarchus de eadem re agens; *Sunt*, inquit, *apud bonos etiam belli quædam*
leges. Ubi nota illud *apud bonos*, ut hoc jus ab eo, quod in moribus
Lib. I. & impunitate poſitum eſt, diſcrimines. Sic Florus negat aliter fieri po-
Lib. xxiv. tuiſſe ſalva integritate. Apud Livium alio loco eſt: *a qua ætate etiam*
hoſtes irati abſtinerent. Et alibi: *uſque ad infantium cædem ira crudelis per-*
venit.

3. Quod autem in pueris rationis uſum non adeptis ſemper, id in
fœminis plerumque obtinet, id eſt, niſi aliquid peculiariter vindican-
dum admiſerint, aut virilia officia & ipſæ uſurpent. Eſt enim, ut Sta-
tius loquitur, *ſexus rudis inſciuſque ferri.* Neroni hoſtem vocanti Octa-
Octavia. viam in Tragœdia reponit præfectus,

Fœmina hoc nomen capit?

Lib. v. Alexander apud Curtium: *Cum captivis & fœminis gerere bellum non ſoleo:*
Libro xxxix. *armatus ſit oportet quem oderim.* Grypus apud Juſtinum: *a nullo unquam*
majorum ſuorum inter tot domeſtica & externa bella poſt victoriam in fœminas
ſævitum, quas ſexus ipſe & periculis bellorum & ſævitiæ victorum eximat. Apud
Tacitum alius: *neque adverſus fœminas, ſed palam adverſus armatos bellum*
ſe tractare.

Lib. ix. 4. Valerius Maximus Munatii Flacci in infantes & fœminas effera-
c. 2. tam vocat crudelitatem, & auditu etiam intolerabilem. Apud Dio-
Lib. xiii. dorum Carthaginenſes Selinunte narrantur interfeciſſe ſenes, fœmi-
Lib. xiv. nas, infantes, οὐδεμίαν συμπάθειαν λαμβάνοντες, *ſine humanitatis affectu.* Et ali-
bi hoc ipſum ὠμότητα *crudelitatem vocat.* Latinus Pacatus de fœminis:
ſexus cui bella parcunt. Simile Papinii de ſenibus pronuntiatum:

Nullis

Nullis violabilis armis
Turba ſenes.

COMMENTARIUS.

EGimus de his quibns in bello parcendum *cap.* 4. poſſe tamen aliquando neceſſitate exigente quaſi inviti victores ad eas anguſtias reduci, ut victoriam deportare nequeant, niſi innocentes juxta nocentes eadem belli fortuna opprimantur & internecioni dentur. Quamobrem non poſſumus aſſentiri Auctori, qui jure gentium quo bellum introductum licere ſtatuit etiam fœminas & infantes impune interficere, ſumpto eo ſenſu verbo *licere*, quo impunitatem ſignificat in foro humano. Verum ſæpius in hiſce noſtris commentariis annotavimus, jus gentium quatenus a ratione originem habet, nihil quicquam permittere poſſe, quod dictamini rationis & æqnitati naturali repugnat, atque abuti juris gentium vocabulo, quoties ſcriptores eo intelligunt ea, quæ non ratio, ſed mali gentium quarundam mores introduxerunt. Hoc externum jus gentium vocat Auctor; mihi vero videtur perperam juris nomen tribui ex malis moribus & prava conſuetudine tacite quaſi introductæ obſervantiæ. Licentia, quam quiſque belli jure habet lædendi hoſtes atque eos interficiendi, fundatur in ratione naturali, quæ cuique ſui defenſionem commendat, quæ conſiſtit non duntaxat in depellendo invaſorem tum perſonæ tum rerum noſtrarum, verum etiam repetendo & vindicando, quæ nobis injuſte ablata ſunt, etiam vi & armis, ſi nulla eas recuperandi ratio nobis reliqua. Unde certatio per vim inter eos, qui nullum ſuperiorem agnoſcunt, legitima juris ſui perſecutio introducta, neceſſitate humana exigente, quæ ſocietatem diſtrahit, amicitiæ vinculum diſſolvit, officiorum commercium tollit, atque ſtatum belli introducit, in quo alter in alterius exitium imminet, & in mutuam perniciem advolant hinc inde procincti milites; quamobrem non abſque ratione quiſque juſtum metum habet, ne ſibi aliquid damni inferatur ab eo, quem lædendi & nocendi ſibi voluntatem non minus quam facultatem habet, cui prævenit non illicitum eripiendo hanc poteſtatem hoſti antequam ſibi adimatur. Defenſio enim ſui quæ belli cauſa juſtiſſima videtur, cuique hanc facultatem tribuit, niſi alia periculum evadendi occaſio. Verum quia nihil damni metuendum a fœminis, ſaltem nullum ab infantibus omni lædendi facultate deſtitutis, vanus & proinde injuſtus ejuſmodi metus licentiam nemini tribuere debet interficiendi fœminas, niſi ad nocendum quoque paratas, abſque ulla vero exceptione innocentes infantes, quorum ætas nondum novit rerum diſcrimen, quamobrem etiam iis jus divinum parcendum voluit, *Deut.* 20. 14. exceptis paucis gentibus, quas Deus ob deteſtanda & nefanda ſua facinora penitus delere voluit. Non immorabimur hiſce diutius, nam alibi hæc notavimus.

X. 1. Idem ſtatuendum univerſaliter de maribus quorum vitæ ge- *Vict. d.*
nus ab armis abhorret. *Jure belli in armatos repugnanteſque cædes;* ut ait *loco.*
Livius, id eſt, eo jure quod naturæ congruit. Sic Joſephus æquum *Libro* XXVIII.
ait ut in pugna pœnas dent qui arma ceperunt, inſontibus non nocen- *Ant.* XII.
dum. Camillus Vejis expugnatis edixit ut ab inermi abſtineretur. In *cap.* 3. *Liv. lib.*
hac claſſe primum ponendi ſunt hi qui ſacra curant. Nam ut hi ab ar- v.
mis abſtinerent mos ab antiquo fuit gentium omnium: atque ideo viciſſim vi in illos temperabatur. Sic Philiſthæi hoſtes Judæorum non nocebant collegio Prophetarum quod erat Gabæ, ut videre eſt 1 Sam. x. 5. & 10. Et ſic ad alium locum ubi ſimile erat collegium tanquam ſepoſitum ab omni armorum injuria cum Samuele confugit David, 1 Sam. XIX. 18. Cretenſes, narrat Plutarchus, cum bellis inteſtinis *Quaeſt.*
collidereatur omnem noxam abſtinuiſſe a ſacerdotibus, & iis quos hu- *Gr.*
mandis mortuis præpoſitos κατακαύτας vocabant. Huc & proverbium
illud Græcum pertinet, ὐδὲ πυρφόρος ὑπελείφθη. Notat Strabo, olim cum *Lib.* VIII.
tota Græcia armis ferveret, Eleos, utpote Jovi ſacros, & eorum hoſpites in alta pace vixiſſe.

2. Sacerdotibus merito hac in parte æquantur qui vitæ genus ſimi-
le elegerunt, ut monachi & converſi, id eſt pœnitentes, quibus pro- *C.* 2. *de treuga*

& pace. inde æque ut ſacerdotibus parci volunt canones naturalem æquitatem ſecuti. Addas his merito eos qui ſtudiis literarum honeſtis & humano generi utilibus operam navant.

Lib. II. Bibl. XI. Deinde agricolas, quos & canones aſſcribunt. Diodorus Siculus de Indis cum laude refert: ἀμφότεροι γὰρ οἱ πολεμοῦντες ἀλλήλους μὲν ἀποκτείνουσιν ἐν ταῖς μάχαις, τοὺς δὲ περὶ τὴν γεωργίαν ὄντας ἐῶσιν ἀβλαβεῖς, ὡς κοινοὺς ὄντας ἁπάντων εὐεργέτας. *In prœliis quidem hoſtes alii alios interficiunt: at agricolas relinquunt intactos tanquam in commune utiles.* De antiquis Corinthiis & Megarenſibus Plutarchus: τοὺς γεωργοῦντας οὐδεὶς ἠδίκει τὸ παράπαν. *Nemo agricolas ullo afficiebat malo.* *Xen. de Cyri inſt. V.* Et Cyrus regi Aſſyriorum nuntiari juſſit: ὅτι ἕτοιμος εἴη ἐᾶν τοὺς ἐργαζομένους τὴν γῆν καὶ μὴ ἀδικεῖν: *paratum ſe eos qui agros colerent illæſos indemneſque ſinere.* De Beliſario Suidas: οἷς δὲ τοὺς ἀγροίκους τοσαύτῃ φειδοῖ τε καὶ προνοίᾳ ἐχρῆτο, ὥστε βιασθῆναι μὲν αὐτοὺς οὐδὲν πώποτε στρατηγοῦντος Βελισαρίου τετύχηκεν. *Agricolis ita parcebat, ac tantam pro illis curam gerebat ut eo duce nulli unquam eorum vis illata fuerit.*

XII. Addit canon mercatores, quod non tantum de his qui temporariam in hoſtico moram agitant intelligendum eſt, ſed & de ſubditis perpetuis; nam & horum vita ab armis aliena eſt; ac ſub hoc nomine continentur ſimul alii opifices & artifices quorum quæſtus pacem amat non bellum.

COMMENTARIUS.

ÆQuitatis ratio videtur imperare, ne eos aſficiamus malo, a quibus nobis nihil mali metuendum, vel ſaltem qui nihil damni intulerunt: hi enim tanquam inſontes nulla pœna digni videntur. Quamobrem ab inermis abſtinendum: inermes non habendi, qui forte non in ipſo prælio aut pugna eo momento, quo acie dimicatur, pugione vel ſclopeto aut id genus bellico inſtrumento armati non occurrunt, verum quorum vitæ genus abhorret ab armis, quales ſunt, qui ſacris faciendis & curandis inſerviunt ac deſtinati ſpiritualia arma tractant. Putat Feldenus cum fundamentum infligendi pœnam ſit crimen non defenſio adverſus infligentem, ſpectari oportere in quibuſnam ſit principium delicti commiſſi, quod ſæpe in clericis & ſtudioſis literarum, quorumque vita longe a bello abeſt, magis eſſe poteſt ob conſilia & perſuaſiones, quam in reliquis qui pugnando operam locant. Neque enim in eo principium belli eſt, qui vulnerat; ſed & in eo qui conſilium dedit, ſi forte aliter facturus eſſet lædens, conſilio non accedente. Verum cum eorum vitæ genus abhorreat ab armis, de quibus nobis ſermo, otiumque ac pacem, utpote qua melius rebus ſuis poſſunt conſulere, quam tubæ ſonorem armorumque crepitantium concuſſionem amare, tum etiam ipſis incumbat, qui pio ac ſincero voto ſeſe devoverunt huic miniſterio, homines pacem, concordiam, amicitiam & ſocietatem cum ſui ſimillimis tuendam ac colendam, tum oratione tum etiam exemplo magis magiſque inducere, non præſumuntur bellum, ſed pacem ſuadere & Principum animis inſpirare, ſi cum vitæ genere tum etiam munere conſentiat doctrina.[1] Quod facile credimus de illis, qui puræ & reformatæ Chriſti doctrinæ addicti, Paſtoris vel eccleſiaſtico aliquo inter Reformatos munere funguntur, neutiquam vero idem ſuſpicari poſſe mihi videtur de ſacerdotibus Romanæ Eccleſiæ, utpote cujus perniacioſiſſima humanæ ſocietatis perturbandæ & in exitium humani generis excogitatum dogma eſt, quod Principi Romanæ fidei addicto incumbat, omnes ſectas extirpare & evellere vi & armis, quæ ab Eccleſia Romana divortium fecerunt, & purioris veritatis Chriſtianæ & fidei capita amplecti voluerunt. Velim tamen libenter iis ignoſcere & a Martis furore in ſecuritatem aſſerere; non ſtatim puniendus, qui conſilium ſuo Principi dedit, niſi conſtat ex ſummo odio & injuſta ira profectum, idque ſponte, non quæſitus: malitia ejuſmodi pœnam meretur. Agricolis vero in bello parci non tam juſtitia dictat; quam ſuadet communis utilitas. Poſſunt quandoque incidere caſus, ut nec iis parcendum ſuadeat prudentia bellica; præſertim iis in locis, qui ab hoſte occupari facile poſſunt, ut ipſis omni vitæ tuendæ & proinde diu in eo loco morandi occaſio eripiatur. Mercatoribus quoque, opificibus & artificibus parcendum, utpote qui in eorum numero habendi, quorum vita ab armis aliena. Dubitandum vero de iis, inquit Zeiglerus, ſive mercatoribus, ſive opificibus & artificibus, qui arma & omnia belli inſtrumenta fabricant; quippe cum eorum opera vires hoſtis capiat, quamvis ipſi revera damnum non dederint, excuſatius

tius tamen occiduntur, quam alii ejuſmodi operam non præſtantes. Verum cum ad vitam tuendam exerceantur artes, cujus ratio admodum favorabilis, non animo damni inferendi, utpote qui ipſi arma non tractare ſoliti, videtur mihi eadem juris ratio dictare, ne illud quod tanquam vitæ tuendæ medium per ſe non illicitum, alicui damnoſum eſſe debeat, quamobrem pœnas dare meritus, ita ut quod vitæ conſervandæ inſervire oportet, interitum acceleraret. Si bellum jure gentium introductum & proinde nec juri naturæ repugnat, præſertim ejuſmodi bellum, quod pro defenſione, pro rerum recuperatione, & in genere quod juſta ex cauſa ſuſceptum, geri nequeat ſine apparatu bellico, armis & inſtrumentis, ſane oportet ut armorum fabri ſint, qui propterea quod artem hanc profitentur in uſum belligerantium, ut ſemetipſos & familiam ſuſtentent, pœnas non videntur mereri: honeſtæ enim hæ artes & neceſſariæ, nec damnum inferunt dum fabricantur, ſed ſi tractantur nocendi & lædendi animo. Quamobrem non qui fabricant, ſed qui iis lædunt & nocent tanquam damni illati auctores habendi, & proinde ad illud reſarciendum tenentur.

XIII. 1. Ut ad eos veniamus qui arma geſſerunt, jam ante retulimus dictum Pyrrhi apud Senecam, qui vetari nos ait pudore, id eſt æqui reſpectu ne capto vitam adimamus. Similem Alexandri ſententiam attulimus quæ cum fœminis conjungit captivos. Accedat illud Auguſtini: *hoſtem pugnantem neceſſitas perimat non voluntas. Sicut bellanti* *Ad Bo-*
& reſiſtenti violentia redditur, ita victo vel capto miſericordia jam debetur, ma- *nif. Epiſt.*
xime in quo pacis perturbatio non timetur. Xenophon de Ageſilao: προσηγόρευε *1.*
τοῖς στρατιώταις τοὺς ἁλισκομένους μὴ ὡς ἀδίκους τιμωρεῖσθαι, ἀλλ' ὡς ἀνθρώπους ὄντας φυλάσσειν: *monuit milites ut captos non tanquam ſontes punirent, ſed tanquam homines cuſtodirent.* Apud Diodorum Siculum eſt: πάντες ἀνατείνονται μὲν πρὸς τοὺς ἀντι- *Lib.* XIII.
ταττομένους, εἴκουσι δὲ τοῖς ὑποπεπτωκόσι. *Omnes* (Græci) *opponunt ſe repugnantibus, parcunt jam ſubactis.* Eodem judice Macedones qui ſub Alexandro *Lib.* XVII.
πικρότερον ἢ πολεμικώτερον προσεφέροντο τοῖς Θηβαίοις, *acerbius egerant cum Thebanis quam belli fas ferebat.*

2. Salluſtius hiſtoria Jugurthina cum puberes poſt deditionem interfectos narraſſet, factum ait contra jus belli: quod interpretare contra æqui naturam & morem mitius viventium. Apud La- *Lib.* V.
ctantium eſt: *Parcitur victis, & eſt locus inter arma clementiæ.* Laudat Tacitus primum Antonium & Varum Flavianos duces, quod in *Hiſt.* IV.
neminem ultra aciem ſæviiſſent. Ariſtides: ἀνδρῶν γάρ ἐστι καθ' ὑμᾶς τὴν *De pace*
φύσιν, τοὺς μὲν ἀνθεστηκότας κατείργειν τοῖς ὅπλοις. Τοὺς δ' ὑποπεσόντας ἠπίως μεταχειρίζεσθαι. *II.*
Hominum eſt noſtri ingenii reſiſtentes armis coercere, proſtratos tractare leniter.

3. De captivis Propheta Eliſæus regem Samariæ ſic alloquitur: *2 Reg.* VI.
An quos captivos abduceres gladio tuo & arcu tuo eos interimeres? Apud Euripidem in Heraclidis quærenti nuntio,

Hoſtem perimere veſtra lex ergo vetat?

Reſpondet chorus,

Quem Mars reliquit prælio ſuperſtitem.

Ibidem Euryſtheus captivus:

Quæ me necabunt non erunt puræ manus.

Apud Diodorum Siculum Byzantii & Chalcedonii quod captivos *Lib.* XII.
ſatis multos interfeciſſent hoc elogio notantur: ἐπετέλησαν πράξεις ὠμότητι διαφερούσας: *perpetrarunt facinora eximiæ crudelitatis.* Idem alibi captivis parcere vocat τὰ κοινὰ νόμιμα, *jus commune*: qui aliter agunt, eos ait

extra controverſiam peccare. Parcere captivis jubet boni & æqui *V. de benef. cap.* 18. natura, ut in Philoſophicis ſcriptis dicentem Senecam non diu eſt cum audivimus. Et laudari in hiſtoriis eos videmus qui, cum nimia captivorum multitudo oneri aut periculo eſſe poſſet, dimittere omnes quam occidere maluerunt.

COMMENTARIUS.

DE captivis diximus *cap.* 4. §. 10. Paulo ante annotavimus bellum nunquam ſuſcipiendum niſi juſta ex cauſa, ſcilicet quando nulla niſi in armis ſpes reliqua, quamobrem extremum debet eſſe remedium, quod adhibendum juris conſequendi cauſa, quia maxime violentum & humano generi maxime noxium atque perniciosum, cujus conſervationi conſulere atque inſervire cuique noſtrum a natura impoſita neceſſitas; atqui ejuſdem conſervatio dependet a conſervatione partium, id eſt ſingulis hominibus, qui terreſtrem hunc globum pro ſuo nacti domicilio incolunt atque tuentur. Conſtat eadem neceſſitate qua totum conſervare ejuſdem quoque partes tueri quemque noſtrum devinctum eſſe, & proinde quamvis coacti in bellum ruere neceſſe habeamus, attamen ſumma moderatione & prudentia uti nobis incumbit, ne ira & odio abrepti, humanitatis, clementiæ & modeſtiæ fines excedamus, ſæviendo ultra modum in eos, quibuſcum in ſtatu belli vivimus, quo vel perimitur hoſtis, vel inutile ſocietatis humanæ membrum efficitur. Conſervatio enim dictat & exigit, ut quantum poſſumus parcamus humano ſanguini, & ſi fieri poſſet nullo plane vel admodum exiguo ſanguine res tranſigatur. Homini hominem ſervare ſumma debet eſſe voluptas. Et quemadmodum neceſſitate coacti bellum ſuſcepimus, ita quoque cavendum, ne humanum ſanguinem niſi ſumma neceſſitate coacti, atque ita quaſi inviti profundamus. Quamobrem captivis & victis, quibus nocendi nobis omnis erepta facultas, parcere non humanitatis & clementiæ ratio, ſed & juris naturæ dictat, & Chriſtiana doctrina, qua nobis adeo charitas erga proximum commendatur, animis noſtris quaſi continuo inſuſurrat: ubi enim nullus damni metus, ibi nec juſta lædendi proximum cauſa, ut paulo ante annotavimus. *Captus hoſtis jam non eſt hoſtis, nomen geſtat ſupplicis.* Præclariſſime Cæſar apud Lucianum unica vocat belli præmia

—— *victis donare ſalutem.*

Romanos Imperatores clementia hac maxime uſos neminem fugere poteſt, qui in illis non plane hoſpes, & illud Virgilii, quod (inquit Auguſtinus) Dei proprium cum ſit, ſuperbæ quoque animæ ſpiritus afflatus affectat

Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.

Vivit enim captivus in ſervatoris ſui gloriam. Sic Reges illi, quorum mentio *Geneſ. cap.* 14. captum Loth, mulieres populumque abducunt, ſervant, non occidunt. Vid. quæ annotavimus *cap.* 8.

XIV. 1. Eaſdem ob cauſas vitam ſalvam paciſcentium, ſive in prælio ſive in obſidione non repudianda deditio. Ideo Arrianus in deditos editam a Thebanis ſtragem, ait, fuiſſe non Græci moris, οὐχ Ἑλληνικὴν σφαγήν. Ac ſimiliter Thucydides libro III, ἑκόντας τε ἐλάβετε, καὶ χεῖρας προϊσχομένους. Ὁ δὲ νόμος τοῖς Ἕλλησι μὴ κτείνειν τούτους: *Volentes nos & manus tendentes accepiſtis in poteſtatem. Mos autem Græcorum eſt tales non interficere.* Et apud Diodorum Siculum Syracuſani ſenatores: σώζειν τὸν ἱκέτην, ἄξιον τῆς μεγαλοψυχίας, *magno animo eſt ſupplici parcere.* Sopater: νόμος ἐστὶ τοὺς ἱκέτας σώζειν ἐν τοῖς πολέμοις: *moris eſt in bellis ſervare ſupplices.*

2. In obſeſſis oppidis obſervatum a Romanis antequam murum *Lib.* II. *de bello Gall.* aries percuſſiſſet. Cæſar Aduaticis denuntiat ſe eorum civitatem conſervaturum, ſi priuſquam aries murum attigiſſet ſe dedidiſſent. Qui mos nunc quoque obtinet in locis infirmis antequam machinæ igniariæ explodantur: in munitioribus, antequam in mœnia impetus fiat. *Off.* I. At Cicero, non tam quid fiat quam quid natura æquum ſit, reſpiciens, ſic ea de re pronuntiat: *Et cum iis quos vi deviceris conſulendum eſt, tum ii qui armis poſitis ad imperatorum fidem confugiunt, quamvis murum aries*

per-

percuſſerit, recipiendi. Notant Hebræi interpretes majoribus ſuis in more fuiſſe, ut quam oppugnarent urbem eam non cingerent corona, ſed partem liberam relinquerent effugere volentibus, quo minori ſanguine res tranſiret.

X V. Eadem æquitas jubet parci his qui ſine conditionibus ſe victori permittunt, aut ſupplices fiunt. *Trucidare deditos ſævum*, cenſente Tacito. Salluſtius ſimiliter de Campanis qui ſe Mario dediderant, cum *Ann.* XII. puberes interfectos, narraſſet addit, facinus fuiſſe contra jus belli, na- *Bell.* turale ſcilicet. Idem alibi: *non armatos neque in prælio belli jure, ſed ſup-* *Jug.* *Lib.* I. *plices interfectos.* Et Livio, ut jam diximus, *jure belli in armatos repugnan-* *de rep.* *teſque cædes.* & alibi: *qui deditis contra jus ac fas bellum intuliſſet.* Imo & *ord. Lib.* XLV. in hoc laborandum, ut potius metu ad deditionem cogantur quam ut interficiantur. Laudatur id in Bruto, qui adverſarios οὐκ εἴασεν ἐμβαλεῖν, ἀλλὰ περιίππευσεν φείδεσθαι κελεύων, ὡς μετὰ μικρὸν ἰδίων ἐσομένων: *non paſſus eſt impetu oppugnari, ſed equitatu circumdedit: parci jubens ut mox ſuis futuris.*

C O M M E N T A R I U S.

QUi vitam ſalvam paciſcuntur deditione æqua, ſive in prælio, ſive in obſidione recipiendi ſunt, ut ait Auctor; quæ tamen regula ſuas habet exceptiones. Si accepti, non ambigendum quin iis parcendum; quippe qui ſe dedidit, paciſci cum hoſte videtur ſalvam ſibi vitam fore, accipiendo autem ſe dedentem, in tacitam hanc conditionem videtur conſentire, fides autem etiam hoſti ſervanda. Verum an non neceſſitatis, ſaltem humanitatis ſit recipere, qui ſeſe dedere offerunt, quæritur? Et cum Auctore dicendum, humanitatem dictare ac ſuadere, ne ſanguis humanus temere ſunderetur, recipiendos eſſe. Scribit Tullius: *Hi qui armis poſitis ad imperatoris fidem confugiunt, quamvis murum aries percuſſerit, recipiendi ſunt.* 1. *off.* Quamobrem Scipio admotis jam ſcalis ad mœnia urbis Hiſpaniæ, oppidanis per caduceatorem petentibus abitum pacatum, annuit & receptui canit, atque cum ſive auditum non eſſet, ſive non obtemperatum, & urbs vi caperetur & ſæviretur, factum emendat, & punit etiam ſuos. Verum, ut dicere incepimus, habet hæc regula ſuas exceptiones, ut etiam annotavimus *cap.* 4. ita ut etiam aliquando recipere ſe dedere volentes recuſare poteſt dux vel imperator exercitus, quod ejus relictum arbitrio, ſi vero juſta non ſubeſt cauſa, admittenda videtur deditio, ob rationes jam adductas. Vid. quæ annotavimus *cap.* 4. cum quo conferenda ea, quæ *hoc cap.* diſputat Auctor.

X V I. 1. Adverſus hæc æquitatis ac juris naturalis præcepta exceptiones adferri ſolent minime juſtæ, nempe ſi talio exigatur, ſi terrore opus ſit, ſi pertinacius reſtitum ſit. Atqui hæc non ſufficere ad juſtam cædem facile intelliget qui eorum meminerit quæ de juſtis occidendi cauſis ſupra ſunt prodita. A captivis & deditis aut dedere ſe *Vide* cupientibus periculum non eſt: ut ergo juſte occidantur oportet cri- *Vict. de jure belli* men antecedat, & quidem tale quod æquus judex morte vindican- *n.* 49. & dum cenſeret. Atque ita videmus interdum in captos aut deditos ſævi- 60. tum, aut deditionem ſub vitæ pacto non acceptam, ſi qui de injuſtitia belli convicti, tamen in armis perſtitiſſent, ſi immanibus convitiis famam hoſtis laceraſſent, ſi fidem violaſſent, aut aliud gentium jus, ut legatorum, ſi transfugæ eſſent.

2. At talionem natura non admittit niſi in ipſos qui deliquerunt: neque ſufficit quod hoſtium unum quaſi corpus fictione quadam intelligatur, ut ex iis poteſt intelligi quæ de pœnarum communicatione

Lib. II. c. XXI. ¶. 18. De pace II. Plut. Tim. & Dione.

ſupra a nobis tractata ſunt. Apud Ariſtidem legimus: πῶς οὐκ ἄτοπον κατηγορεῖν μὲν καὶ λέγειν ὡς ἁμαρτήματα συμβαίη, μιμεῖσθαι δ' ἀξιοῦν ὡς ὀρθῶς ἔχοντα; *Nonne abſurdum, ea quæ accuſes & prave facta dicas tanquam recta velle imitari?* Accuſat Syracuſanos hoc nomine Plutarchus, quod Hicetæ uxores ac liberos occiderint, ideo tantum quod Hicetas Dionis uxorem ſororem & filium interfeciſſet.

3. Utilitas etiam quæ ex terrore in poſterum ſperatur, ad jus dandum cædis non pertinet; ſed ſi ſubſit jus, poteſt inter cauſas eſſe ob quas jus non remittatur.

4. Obſtinatius autem ſtudium in ſuas partes, ſi modo cauſa earum non ſit omnino inhoneſta, ſupplicium non meretur, ut apud Procopium differunt Neapolitani: aut ſiqua ejus pœna eſt, non debet ad mortem pervenire: neque enim id ſtatueret æquus judex. Alexander cum in oppido quodam quod acrius reſtiterat puberes omnes juſſiſſet interfici, viſus eſt Indis bellare latronum more: eamque famam reveritus Rex victoria clementius uti cœpit. Melius idem Mileſiis quibuſdam parci voluit, ὅτι γενναῖοί τε καὶ πιστοὶ αὐτῷ ἐφαίνοντο, *quod eos videret generoſos ac ſuis fidos eſſe*, quæ Arriani verba ſunt. Phyto Reginorum prætor cum ob pertinacius defenſam urbem a Dionyſio ad cruciatus & mortem raperetur, exclamavit, eo quod urbem noluiſſet prodere ſupplicio ſe affici, cujus ultionem Deus brevi eſſet exacturus. Diodorus Siculus pœnas has iniquas, ἐκνόμους τιμωρίας vocat. Valde mihi placet votum quod eſt apud Lucanum:

Lib. I. Goth. — Polyan. libro IV.

Vincat, quicumque neceſſe
Non putat in victos ſævum diſtringere ferrum,
Quique ſuos cives quod ſigna adverſa tulerunt
Non credit feciſſe nefas.

Dum tamen civium nomine intelligamus non hujus aut illius regionis, ſed communis illius ex humano genere conſtantis cives.

5. Multo vero minus cædem juſtam facit dolor ex accepta clade, ſicut Achillem, Æneam, Alexandrum amicis ſuis ſanguine captorum aut ſe dedentium parentaſſe legimus. Itaque Homerus merito illud accinit:

Κακὰ δὲ φρεσὶ μήδετο ἔργα.
Facinuſque animo verſabat iniquum.

XVII. Sed & ubi delicta ſunt talia ut morte digna videri poſſint, miſericordiæ erit ob multitudinem eorum aliquid decedere de ſummo jure, cujus clementiæ auctorem ipſum habemus Deum, qui Cananæis eorumque vicinis populis longe flagitioſiſſimis pacem offerri voluit, quæ vitam ipſis ſub tributaria conditione concederet. Pertinet huc Senecæ dictum: *In ſingulos ſeveritas imperatoris diſtringitur: ac neceſſaria eſt venia ubi totus deſeruit exercitus. Quid tollit iram ſapientis? Turba peccantum.* Et Lucani illud:

Lib. II. De Ira, cap. 10.

Tot ſimul infeſto juvenes occumbere letho

Sæpe

Sæpe fames pelagique furor, ſubitæque ruinæ,
Aut cœli terræque lues, aut bellica clades,
Nunquam pœna fuit.

Ne nimium multi pœnam ſubirent ſortitio comparata eſt, inquit Cicero. Sal- *Pro Cluent.*
luſtius ad Cæſarem: *Neque quiſquam te ad crudeles pœnas aut acerba judicia invocat, quibus civitas magis vaſtatur quam corrigitur.*

COMMENTARIUS.

STatim diximus exceptiones etiam habere ea, quæ de humanitate & clementia in victos, ſive deditos, ſive captivos & ſupplices diſputavimus. Scilicet ſi ſe dedere volentes ad extremum reſtiterint, atque ita victor neceſſe habuit multorum ſanguine fuſo victoriam ſibi parare, quamvis non videantur pœna digni, qui ad ultimum vitæ halitum ſe ſuoſque tueri & defendere conati, imo potius præmio afficiendi quam puniendi, qui in bello pertinacius reſiſtunt; attamen ubi nulla ſpes evadendi & depellendi hoſtem, temeritatis potius & ſummæ ferociæ argumentum eſt obſtinatius reſiſtere, atque hac ratione occaſionem præbere, ut humano ſanguine madeant hinc inde manus, cui parcendum dictat humanitas & clementia, quamobrem reſpui poteſt ſerius oblata pactio in pœnam temeritatis & ferociæ, ut alii ejuſmodi exemplis a ſimili ferocia excuſentur. Ratio cur denegatur excuſat factum victoris, quod alias ſummam ſævitiam & crudelitatem forte nonnullis redolere videretur, utpote quod ad bonum finem tendit, ſcilicet conſervationem humani generis, conſervando ab internecione & interitu ſingulas partes, quem conſequi non licet, niſi durius adhibeatur ejuſmodi medium, quod non ſponte ſed invitus ſuſcipit victor. Violenta quandoque remedia adhibere, ſi molliora non ſufficiunt curando morbo, naturalis ratio non vetat, ſed præcipit. Quod enim durum videtur primo intuitu, illud æquum & juſtum, ponderatis rationibus actum circumſiſtunt, homo rationi obtemperans judicabit. *Inexpertus belli, qui non intelligit, quod qui afficit alium malo, etiam ut ferat, rationis eſt*, ait Pindarus *Nem.* 4. De Thracibus tradit Flor. hoſtibus cruentiſſimis *lib.* 3. ſuis moribus domitos fuiſſe; *quippe in captivos igne, ferroque ſævitum eſt.* Crudeliſſimis enim hoſtibus facinora immania ſine talionis pœna ſi remittamus, ad ea illos quaſi invitare videmur; impunitatis enim ſpes maxima peccandi illecebra. Altera exceptio eſt in his, qui alias enormiter deliquerunt, & nefandorum criminum exiſtunt auctores: quia enim ob patrata facinora pœnas dare merentur, abſurdum utique eſſet, propterea eos impunitatem conſequi oportere, quia ultroneam deditionem offerunt ſub conditione ſalutis, quam non meriti. Quod etiam locum habet in his, qui pariter quidem rei non ſunt, verum recuſant ad mortem dedere facinoroſos, niſi ſub conditione ſalutis, hi patrocinando delinquentem videntur & tacite approbare facinus, & proinde quodammodo omnes participes fieri delicti. Vid. 2 *Sam. cap.* 20. vid. *cap.* 4. Delinquentium vero multitudo veniam non tribuit, niſi circumſtantiis ponderatis, paucorum interitu præveniri poteſt, ne malum latius ſerpat. Alibi enim annotavimus, quod homini non ſit homine prodige uti, teſte Seneca, quamobrem præter neceſſitatem ſævire non licet: pœnarum enim infligendarum facultatem neceſſitas largita eſt ſummis imperantibus, ſcilicet ut hac ratione deterreantur improbi & ad quævis facinora admittenda natura proni homines a malefaciendo & delinquendo. Quippe ſi ſcelera impunita manerent, vita noſtra & omnia, quæ ad eam tuendam ſunt neceſſaria, expoſita forent inſidiis, rapinis, furtis & facinoroſorum hominum pravis machinationibus ac concuſſionibus. Quamobrem non bene meretur de humano genere, qui ſceleribus ſua non decerneret ſupplicia; impunitatis enim ſpes, ut ſtatim diximus, invitat ad delinquendum alios, qui formidine pœnæ a malefaciendo avocantur. Itaque non quovis tempore miſericordiæ & veniæ locus, etiamſi delinquentium ſat magna turba, qui eadem peccati labe contaminati, ejuſdem ſceleris & facinoris ſocii eadem pœna digni. Verum cum finis pœnæ humanæ ſit ſecuritatis publicæ conſervatio, quatenus in foro humano delinquentibus imponitur, & reparatio, ut annotavimus *lib.* 2. *cap.* 20. quid foret de humano genere & ſocietate illa, qua homines ſibi devincti natura, ſi impune ſibi nocere & quæcunque mala inferre poſſent. Nihil eſſet aliud quam latronum multitudo. Eo uſque itaque pœnis procedendum, præſertim ob delictorum frequentiam, donec terrorem ſufficienter omnibus facinoroſis hominibus, qui publicam ſecuritatem violare & vitæ tranquillitatem perturbare auſi, incuſſum videamus. Quod ſi id effici poſſe putamus paucorum interitu, univerſam multitudinem morte multandam non arbitror, ob rationes jam allegatas. Forte enim ſuperſtites aliorum exemplo deterrebuntur a delinquendo & ad meliorem mentem redibunt. Verum cum omnes criminis ejuſdem participes, & proinde æquum jus, æqualem exigit de omnibus, qui deliquerunt, pœnam ſumere, ſortitio comparata eſt, qua ratione metus ad omnes, pœna autem ad paucos pervenit. De Romanorum decreto, multitudine militari peccante, ſcribit Cicero ab Auctore allegatus *in orat. pro Cluentio* habita. Plutarchus *in vita Craſſi* hunc morem pervetuſtum fuiſſe tradit, qui minorem

damno

Digitized by Google

damno ignominiam continet, plurimumque adſpicientibus horrorem injicit. Idem in Scipione Africano notat, quod Scipione ipſo morbo implicito, cum inter milites orta magna ſeditio, rem ipſam Scipio ad conſilium retulit, cujus major pars in eos, a quibus initium tumultus ortum erat, animadvertendum, & reliquis ignoſcendum, cenſuit: ſic enim fieri poſſe, ut pœna ad paucos, exemplum ad multos perveniret. Pertinet huc decimationis ritus. Sic Julius Cæſar apud Dionem *lib.* 41. ſorte ad mortem ſeditioſos delegit audaciſſimos quoſque. Narrat & Suetonius Auguſtum cohortes, ſi quæ ceſſiſſent loco, decimatas hordeo paviſſe. Sic Opilium Macrinum Jul. Capitolin. *in ejus vita* refert, cum ſeditiones paterentur militares, milites decimaſſe. Teſtatur Diodor. Siculus *lib. bibliot.* quo tempore cum Xerxe pugnandum erat & Perſis, pro communi libertate & patria tuenda, Græcos ſtatuiſſe, Diis decimandos devovendosque illos Græcos, qui Xerxis partes tenuiſſent, ſi belli victores evaſiſſent: defecerant enim ad Xerxem Dolopes, & Mileſii.

XVIII. 1. De obſidibus quid ex jure naturæ ſtatuendum ſit accipi poteſt ex iis quæ in ſuperioribus dicta a nobis ſunt. Olim cum vulgo crederetur quiſque in vitam ſuam id juris habere, quod in res alias quæ in proprietatem veniunt, atque id jus conſenſu aut tacito aut expreſſo a ſingulis perveniſſe ad civitatem, minus mirandum eſt ſi obſides privatim innoxios ob peccatum civitatis morte affectos legamus, ſive tanquam ex ſuo peculiari conſenſu, ſive tanquam ex publico cui & ſuus includeretur. At poſtquam verior ſapientia nos docuit dominium in vitam Deo exceptum, ſequitur ut ſolo conſenſu nemo jus cuipiam dare poſſit in vitam aut ſuam aut civis ſui. Atque ideo Narſeti bono duci atrox viſum de innoxiis obſidibus ſupplicium ſumere narrat Agathias: de aliis alii: etiam Scipionis exemplo, qui ajebat ſe non in obſides innoxios, ſed in ipſos qui defeciſſent ſæviturum: nec ab inermi ſed ab armato hoſte pœnas expetiturum.

Vid. de jure belli, n. 43.

Lib. 1.

Livius libro XXVIII.

2. Quod autem ex recentioribus Juriſconſultis non ignobiles, conventiones tales valere dicunt ſi moribus firmentur, accipio, ſi jus vocant ſolam impunitatem, quæ in hoc argumento ſæpe venit ſub tali nomine: ſin a peccato immunes putant qui ex conventione ſola vitam adimunt alicui, vereor ne & fallantur ipſi, & periculoſa auctoritate alios fallant. Plane ſi qui obſes venit eſt aut ante fuit in numero graviter delinquentium, aut poſtea fidem a ſe datam in re magna fefellit, fieri poteſt ut ſupplicium injuria vacet.

Menoch. arb. q. 7.

3. At Clœliæ quæ non ſua ſponte, ſed civitatis juſſu obſes venerat, cum tranato Tyberi effugiſſet, *apud regem Ethruſcum non tuta ſolum ſed & honorata virtus fuit*, quæ Livii in hac re enarranda verba ſunt.

Lib. II.

COMMENTARIUS.

IN obſides, qui fidei publicæ ſervandæ cauſa hoſti dantur, ſævire nefas eſt, uti dicere incepimus *cap.* 4. quia jure naturæ vetitum abſque juſta cauſa hominem vita privare. Juſta autem cauſa eſt meritum perſonæ, atqui obſides hoſti in ſecuritatem datos omni crimine, quod ultimo ſupplicio puniri dignum ſit, vacuos ſupponimus, nulla poteſt ſubeſſe juſta cauſa, cur vita privandi. Fides enim non ſervata obſidibus non imputanda, quamobrem nec juſta cauſa hoſti, cur in eos ſæviret & gladio animadverteret, etiamſi ea conditione dediti; quippe nulla conventione nec ullo pacto vel uſu caveri aut introduci poteſt, ut pro alieno crimine vita alicui adimatur: repugnat enim ejuſmodi pactum juri divino & naturæ, quamobrem tanquam ipſo jure nullum corruit, & proinde pro non adjecto habetur; loquimur de juſtitia interna. Quamobrem merito D. D. ſtatuunt graviſſimum eſſe, ut quis teneatur pro delicto alterius, ideo ejuſmodi pœnam evitandam eſſe, quæ jure communi ſolos auctores ſuos tenet, non autem non delinquentes. Pactum igitur

tur & promiſſio facta in oppoſitum tanquam exorbitans & odioſa eſt reſtringenda & fugienda. Cæpol. *conſil.* 690. Non me fugit quandoque gentium moribus valere ejuſmodi conventiones, verum in foro divino iniquæ habentur, & juſtitia interna deſtituuntur, quamobrem licet impunitatem in foro humano concedant illi, qui licentia & facultate, quam ſibi ex ejuſmodi conventione & pacto acquiſivit, in obſides utitur, attamen non liberatur a pœna lege divina conſtituta in homicidas. Nemo ſibi ſtipulari poteſt, nec etiam alteri concedere facultatem exercendi ea, quæ per ſe illicita, & proinde moraliter vetita, quamobrem hominis diſpoſitioni non ſubjacent. Imo licet accedat conſenſus ipſorum, qui in ſecuritatem dantur, ut fide non ſervata, in ſe ſævire poſſet hoſtis: nemo enim adeo amplam in vitam ſuaque membra poteſtatem habet, ut ſemetipſum obligare ad mortem ſubeundam poſſet. *Natura*, inquit Auctor noſter, *hominum ſuum eſt vita, non quidem ad perdendum, ſed ad cuſtodiendum, corpus, membra, famam, & id genus alia bona, lib.* 2. *cap.* 17. Quiſque quidem vitam poſſidet tanquam ſuum patrimonium, verum de ea non tanquam de rebus aliis diſponendi facultatem habet, verum Deo in vitam hominis dominium exceptum, quamobrem adimi nequit pacto privatorum. Ea lege conceſſa homini vita, ut eam tueretur, quamdiu ſupremo rerum Arbitro placet nos in hac vitæ ſtatione conſervare ad ſui gloriam patriæque ſalutem, noſtri noſtrorumque commodum. Itaque nulla ipſo jure conventio ejuſmodi, qua homo privata auctoritate vitam alii oppigneerat, quia non habet dominium in vitam, quamobrem nemo ob fidejuſſionem occidi poſſe annotavimus *lib.* 2. *cap.* 21. §. 11. Obligationem ad pœnam corporalem non valere tradunt D. D. Cæpol. *conſil.* 690. Fruſtra opponitur quod pro patria quilibet vitam profundere poteſt ſalva conſcientia; atqui hic etiam agitur de publica ſalute, de liberanda patria ab hoſtium dominatione vel belli calamitate; ergo nec videtur illicitum pro ea obtinenda ſeſe devovere. Verum reſp. qui pro defenſione patriæ juſto in bello militat, verſari in re licita omni jure probata, quamobrem & facultatem habet vitam & corpus exponendi mortis periculo, quod non tamen propria auctoritate, quam quidem conceſſu divini Numinis facere videtur, idque eo magis quia cum defenſione patriæ pari paſſu ambulat defenſio ſui ipſius. Juſta itaque hic ſubeſt cauſa; verum quod quis pro fide interpoſita ſervanda ſeſe obligat ad pœnam corporalem, imo vitæ amiſſionem, in eo patriæ ſalus & defenſio verſatur; ſed criminis alieni in ſe tranſlatio eſt per ſe illicitum; quippe abſque juſta cauſa nemini vitam auferre, multo minus ſponte deponere, vel mortis periculo temere objicere licet. Nulla autem hic juſta cauſa: fidem enim violare quemadmodum nemini licet, ita nec patriæ: eſt enim res moraliter turpis, & proinde per ſe omni tempore & caſu illicita, ejus vero pœnam in ſe ſuſcipere non poteſt alius, quia innocens puniretur, quod jure divino & naturæ vetitum; non licet malum facere, ut inde bonum eveniat, ut alibi annotavimus, & patriæ fidem violanti prodeſſe cum ſui damno, imo interitu. Præterquam quod hac ratione nec patria abſolvitur crimine violatæ fidei, nec etiam obligatione, qua tenetur hoſti præſtare, quod promiſit, quamobrem nullam utilitatem ex morte civis capit. Nulla enim obligatione ſolvi poteſt, niſi præſtando quod promiſſum; ergo vitam rem inæſtimabilem quaſi nullo in pretio habendam mortis periculo objicit obſes; quod e diametro repugnat rationibus, quas ſtatim allegavimus. Recte vero addit Auctor exceptionem in obſide, qui eſt aut ante fuit in numero graviter delinquentium, aut poſtea datam a ſe fidem in re magna fefellit: tum enim non ob alienum, ſed proprium crimen punitur. Verum an pœna capitis ideo in eum poſſit animadverti, non adeo liquidum: pro delicti enim gravitate mitius vel gravius ſontes puniendos, dictat æquitatis ratio.

XIX. Illud adhuc addendum eſt, omnes commiſſiones quæ ad jus conſequendum aut bellum finiendum nullius ſunt uſus, ſed meram habent virium oſtentationem propoſitam, id eſt, ut Græci loquuntur, ἐπίδειξιν ῥώμης μᾶλλον ἢ πρὸς πολεμίους ἀγῶνα, & cum officio Chriſtiani hominis & cum ipſa humanitate pugnare. Itaque ſerio hæc vetare debent rectores, inutiliter fuſi ſanguinis rationem ei reddituri cujus vice gladium geſtant. Quippe & Salluſtio laudati duces qui incruento exercitu victoriam deportarent. Et de Cattis notæ virtutis populo Tacitus: *rari excurſus & fortuitæ pugnæ*. *Arr. lib.* 1.

COMMENTARIUS.

MErito Auctor ſtatuit non temere vitam mortis periculo exponendam, & proinde congreſſiones & certamina, quæ ad jus conſequendum, vel bellum finiendum nullius ſunt uſus, ſed virium duntaxat meram habent oſtentationem propoſitam, non concedenda vel per-

mittenda a rectoribus, quibus incumbit cura, ne ſanguis humanus inutiliter profundatur, eoſque meminiſſe oportet, aliquando Deum a ſuis manibus inutiliter fuſum repoſciturum.

CAPUT XII.

Temperamentum circa vaſtationem, & ſimilia.

I. *Quæ vaſtatio juſta ſit & quatenus.*
II. *Abſtinendum a vaſtatione ſi res nobis fructuoſa ſit & extra hoſtis poteſtatem.*
III. *Si magna ſit ſpes celeris victoriæ:*
IV. *Si hoſtis habeat aliunde quo ſe ſuſtentet:*
V. *Si res ipſa ad bellum fovendum nullius ſit uſus.*
VI. *Hoc maxime locum habere in his quæ ſacra ſunt aut ſacris accedunt:*
VII. *Item religioſis:*
VIII. *Utilitates quæ ex tali moderatione ſequuntur annotata.*

I. 1. Res alterius ut perdere quis ſine injuria poſſit, horum trium unum antecedat neceſſe eſt: aut neceſſitas talis quæ in primi dominii inſtitutione excepta debeat intelligi; ut ſi quis tertii gladium quo uſurus ſit furioſus periculi ſui evitandi cauſa in amnem projiciat, quo ipſo tamen caſu manere obligationem damni reſarciendi ex veriore ſententia alibi diximus: aut debitum aliquod procedens ex inæqualitate; nimirum ut res perdita imputetur in illud debitum quaſi percepta, alioqui enim jus non eſſet: aut meritum aliquod malum cui pœna talis par ſit aut cujus menſuram pœna non excedat; nam ut recte notat ſani judicii Theologus, ut propter pecora abacta aut domos aliqnas incenſas totum regnum vaſtetur, æquitas non fert: quod & Polybius vidit, qui in bello non in infinitum vult vagari pœnam, ſed uſque eo ut delicta æquo modo expientur. Et hæc quidem cauſæ & intra hos duntaxat fines faciunt ut abſit injuria.

Lib. II. c. II. §. 9. — *Vict. de jure bel. n. 52. & 56.* — *Lib. V.*

2. Cæterum niſi cauſa ntilitatis ſuadeat, ſtultum ſit nullo ſuo bono nocere alteri. Ideo qui ſapinnt, utilitatibus moveri ſolent, quarum præcipua eſt illa qnam annotavit Onoſander: τὴν γῆν τῶν πολεμίων φθειρέτω καὶ καιέτω καὶ τεμνέτω. Ζημία γὰρ χρημάτων καὶ καρπῶν ἔνδεια μειοῖ πόλεμον, ὥσπερ ἡ οὐσία τρέφει. *Hoſtium terram perdere, urere, populari meminerit. Nam & pecuniarum & frugum penuria bellum minuit quantum auget copia:* a quo non diſcrepat illud Procli, στρατηγικὸν τὸ τῶν ἀγωνιστῶν περικόπτειν τὴν εὐπορίαν, *boni eſt imperatoris hoſtium copias undique accidere.* De Dario Curtius: *credebat inopia debellari poſſe nihil habentem niſi quod rapiendo occupaſſet.*

Strat. c. 6. — *Herod. l. I. Pol. lib. IV.*

3. Et illa quidem populatio ferenda eſt quæ brevi ad pacem petendam hoſtem ſubigit; quo genere belli uſus Halyattes in Mileſios, Thraces in Byzantios, Romani in Campanos, Capenates, Hiſpanos, Ligures, Nervios, Menapios. At ſi recte rem expendas, plerumque admittuntur talia odio magis qnam prudenti ratione. Ferme enim evenit ut aut cauſæ illæ ſuadentes ceſſent, aut ut aliæ ſint validiores quæ diſſuadeant.

Front. Strat. III. c. 4. Liv. l. V. VII. XXXIV. XL. Cæſ. de bello Gal. lib. VI.

COM-

COMMENTARIUS.

Videtur mihi huic potiſſimum fundamento inniti licentia, quam jus belli tribuit, hoſtium res diripiendi, agros devaſtandi, tecta diruendi, urbes delendi; ſcilicet ſui defenſioni & juris obtinendi, damnique dati reparationem ac teſtitutionem conſequendi cuique a natura facultati, adhibendo ejuſmodi media, quæ idonea eſſe poſſunt eum, qui nos injuria laceſſivit, ad eas anguſtias redigere, ut ſatius ducat, nobis ſatisfacere, quam diutius manus conſerere & in ſtatu belli nobiſcum vivere. Nullum vero efficacius remedium excogitari poteſt, quam quo vires inimici ac hoſtis atteruntur atque debilitantur, ut quaſi invitus cogatur injuriæ reparationem offerre, atque in pacem redire. Quamobrem diripere, vaſtare, corrumpere, & id genus alia belli facinora admittere, quo ejus vires debilitari poſſunt, nulla vetant jura. Verum ut annotavimus *cap.* 5. & hic modum ſervanre æquitatis & humanitatis ratio poſtulat, atque proportio quædam obſervanda inter pœnam & delictùm pro menſura meriti, etiam licentia ejuſmodi vel arctius vel latius patet. Facile hic in exceſſu peccatur ob furorem & rabiem, quæ belligerantium animos ſolet obſidere. Unde Seneca: *Arma non ſervant modum, nec temperari facile, nec reprimi poteſt ſtricti enſis ira.* Recte itaque monet Auctor, niſi cauſa utilitatis ſuadeat, ſtultum eſſe nullo ſuo bono nocere alteri. Quamobrem, ut dicere incepimus, finis reddit licentiam illam licitam, qui alius eſſe non poteſt, quam ut hac ratione debilitentur vires hoſtium, & proinde eo facilius debellari poſſint, atque ut eo citius animum hoſtilem deponens inimicus, nobiſcum in pacem redeat. Quamobrem ea deſtruere, quæ nec propriis rebus emolumenti, nec hoſtibus detrimenti aliquid adferunt, rabioſi potius ac furentis, quam ſanioris judicii hominis ad juſtitiæ & æquitatis normam viventis eſſe, merito nonnulli ſtatuunt. Atque hoc ſenſu Cicero *pro domo ſua, bellum hoc horrificum, nefarium, omni imbutum odio* dicit, *quod parietibus, tectis, columnis, & poſtibus fiat.*

II. 1. Id evenit primum ſi nos ipſi rem frugiferam ita teneamùs ut hoſtibus non poſſit eſſe in fructu. Quo proprie ſpectat lex divina quæ in vallum bellique opera vult impendi arbores feras, frugiferas vero aſſervari ad victum; addita cauſa, quod non ut homines ita & arbores adverſum nos in prælium conſurgere poſſint, quod ex rationis ſimilitudine Philo etiam ad agros frugiferos producit legi hæc verba affingens: *Quid rebus inanimis quæ & mites ſunt & mites fructus ferunt, iraſceris? An vero in morem hominum qui hoſtes ſunt inimicitiæ ſignificationem arbores produnt, ut pro his quæ faciunt aut facere minantur, ſtirpitus evellendæ ſint? Quin proſunt victoribus, præbentque copiam rerum, quas neceſſitas exigit, imo & ad voluptatem. Non ſoli homines tributa ferunt, ſed meliora arbores ſtatis temporibus, ac talia ut ſine iis vivere non detur.* Joſephus vero ad eundem locum, ſi vocem edere poſſent arbores, clamaturas ait, inique ſe, cum belli cauſæ non ſint, perferre belli pœnas. Neque aliunde, ni fallor, originem habet illud Pythagoricum apud Jamblichum: ἥμερον φυτὸν καὶ ἔγκαρπον μήτε βλάπτειν, μήτε φθείρειν: *manſuetam frugiferamque arborem nec lædere nec exſcindere fas eſto.*

De Creat. magiſtr.

2. Porphyrius vero, mores Judaicos deſcribens libro de non edendis animalibus quarto, legem hanc, conſuetudine, ut puto, interprete, etiam ad animantia ruris operi inſervientia producit. Nam his quoque ut in bello parceretur a Moſe præceptum ait: Thalmudica vero ſcripta & Hebræi interpretes addunt, legem hanc porrigendam ad rem quamvis quæ ſine cauſa peritura ſit; ut ſi ædificia comburantur, eſculenta ac potulenta corrumpantur. Conſentit cum hac lege ducis Athenienſis Timothei prudens moderatio, qui, narrante Polyæ-

no, οὐκ ἐπέτρεπεν οὔτε οἰκίαν οὔτε ἔπαυλιν καθαιρεῖν, οὐ μὴν οὐδὲ ἥμερον δένδρον ἐκκόπτειν, *non patiebatur aut domum, aut villam dirui, aut arborem frugiferam exſcindi.* Exſtat & lex Platonis de Republica quinto, μήτε γῆν τέμνειν, μήτε οἰκίας ἐμπιπράναι, *ne terra vaſtetur, ne domus incendantur.*

3. Multo vero magis hoc locum habebit poſt plenam victoriam. *Off. 1.* Corinthum exciſam non probat Cicero, ubi tamen fœde tractati erant *Pro domo ſua ad Pont.* Romanorum legati: idemque alibi horrificum, nefarium, omni imbutum odio dicit bellum quod parietibus, tectis, columnis, poſti- *Lib. XXVI.* bus fit. Laudat Livius Romanorum lenitatem victa Capua, quod *Troadibus.* non ſævitum ſit incendiis ruinîſque in tecta innoxia muroſque. Agamemnon apud Senecam:

Equidem fatebor (pace dixiſſe hoc tua
Argiva tellus liceat) affligi Phrygas,
Vincique volui; ruere & æquari ſolo,
Etiam arcuiſſem.

Joſ. VI. 4. Sane docet nos ſacra hiſtoria urbes quaſdam a Deo damnatas *II Reg. III. 19.* excidio: etiam contra legem illam generalem arbores Moabitarum juſſas exſcindi. Verum non factum id odio hoſtili, ſed in juſtam deteſtationem facinorum, quæ aut publice erant cognita aut Deo judice tanti æſtimata.

COMMENTARIUS.

ABſtinendum primum ab ejuſmodi rerum depopulatione, quæ nobis fructuoſa eſſe poteſt, & extra hoſtis poteſtatem: cauſæ enim ſuadentes depopulationem hic ceſſant, imo potius diſſuadet utilitas, quam ex conſervatione iſtius rei capere poſſumus, utpote quæ fructuoſa nobis eſſe poteſt. Quamobrem *Deut.* 20. lege divina vetitum Iſraelitis, ne ſuccidérent arbores frugiferas ad extruendas contra civitatem machinas, ſed aſſervarent in cibum. Ratio autem eſt, quod plus ſibi obſidentes damni intuliſſent Iſraelitæ, quam obſeſſis hoſtibus, dum ſe fructibus arborum privarent. Qui itaque ejuſmodi arbores exſcindunt, ſibi ipſi nocere videntur, vel humani generis hoſtem ſe profiteri, dum in rem ſibi & aliis utilem ſæviant. Vetat itaque lex omnem crudelitatem, unde nihil percipi poteſt utilitatis, ſed contra damnoſa eſt. Aliud vero dicendum, ſi hæc via ad expugnationem hoſtium & deditionem urbis faciat, quamobrem ſi arbores etiam frugiferæ impedimento erant, ne urbem vel appropinquare, vel in eam immittere poſſent, utique eas ſuccidere lege non vetabatur. Lignum enim eſt, non homo, nec poteſt bellantium contra te augere numerum. *Plantam manſuetam & frugiferam nec læde nec perde*, monet Pythagoras *apud Jamblichum.* Excepta enim neceſſitas ejuſmodi. Hanc legis prohibitionem non univerſalem ſed ſpecialem aliqui ſtatuunt interpretes, utpote quæ duntaxat intelligenda de terra Chananæa, *quam habitaturi erant Hæbræi, & in qua conſitas arbores frugiferas ſervare ſibi debebant, etiam in alium annum, quia ſemel tantum in anno arbores fructus ferunt, potuiſſetque contingere ad initium hyemis continuari obſidionem*, uti ad h. l. commentatus eſt vir doctiſſimus Joannes Clericus. *Nam ad terras quod attinet*, inquit, *quas invadere nolebant, parum eorum intererat, an in iis remanerent arbores, an vero caderentur.* Sic videmus juſſu Eliſæi in Moabitide cæſas arbores, quod illic habitare nollent Hæbræi. 2. *Reg. cap.* 3. 19. Philo in libro περὶ φιλανθρωπίας, & Joſephus *lib.* 4. *cap.* 8. Verum univerſalem eſſe legis rationem merito ſtatuit ſummus Theologus Franciſc. Burmannus, ob æquitatis rationem, in qua fundata, quæ cum univerſalis, univerſalem produci effectum, id eſt obligationem, qua tenebantur Iſraëlitæ hoc jus belli obſervare, nulla gente excepta, quibuſcum bellandum ipſis, niſi gentium quarundam neſandiſſima facinora & peccata graviorem mererentur pœnam, ita ut ne quidem arboribus frugiferis parcendum ſpeciali edicto voluit ſupremus rerum Arbiter, pro delicti gravitate menſura pœnæ vel aggravatur vel minuitur, imo etiam quandoque pœna extraordinaria vindicatur, quæ non definita legibus, ſed arbitraria, ut teſtatur exemplum Moabitarum 2. *Reg.* ubi Propheta præcipit graſſari adverſus Moabitas, exciſione arborum frugiferarum, ſane contra legem, ſed ſic merebantur illorum execrabilia opera Deo nota, cujuſmodi juſſus ſpecialis non tollit vel abrogat legem generalem, cui occaſionem præbuerant innumeris neſandiſſimis

ſimis criminibus ſuis, ut inquit ſtatim laudatus Theologus, tum etiam Auctor noſter. Eſt hæc diſpenſatio divina in punitionem majorem, quæ non trahenda in conſequentiam.

III. 1. Secundo eveniet quod diximus etiam in dubia agri poſſeſſione, ſi magna ſpes ſit celeris victoriæ, cujus præmium & ager & fructus futuri ſint. Sic Alexander Magnus milites, narrante Juſtino, a populatione Aſiæ prohibuit, *parcendum ſuis rebus præfatus, nec perdenda ea quæ poſſeſſuri venerant.* Sic Quintius Philippo Theſſaliam tranſcurrente populabunda manu, ipſe hortatus eſt milites, ut Plutarchus loquitur, iter facere tanquam per conceſſam & ipſorum jam factam regionem. Crœſus Cyro ſuadens ne Lydiam populandam militi daret: *non meam*, inquit, *urbem, non res meas diripies: nihil enim ad me jam iſta pertinent: tua ſunt: tua illi perdent.* *Lib.* XI. *Vita Flamini.* *Herod. l.* I.

2. Aliter qui faciunt in eos non male quadrant illa Jocaſtæ ad Polynicem verba Thebaidibus Senecæ:

Petendo patriam perdis: ut fiat tua
Vis eſſe nullam, quin tuæ cauſæ nocet
Ipſum hoc quod armis vertis infeſtis ſolum,
Segeteſque adultas ſternis, & totos fugam
Edis per agros. Nemo ſic vaſtat ſua.
Quæ corripi igne, quæ meti gladio jubes,
Aliena credis.

Par ſenſus apud Curtium illis verbis: *quicquid non corrupiſſent hoſtium eſſe confeſſi.* Unde non longe abeunt ea quæ Cicero in literis ad Atticum diſputat, adverſus Pompeji conſilium fame patriam necandi. Atque hoc nomine Alexander Iſſius culpat Philippum libro Polybii XVII, cujus verba Latine hunc in modum vertit Livius: *In bello non congredi (Philippum) æquo campo, neque collatis ſignis dimicare, ſed refugientem incendere ac diripere urbes, & vincentium præmia victum corrumpere. At non ſic antiquos Macedonum Reges, ſed acie bellare ſolitos, urbibus parcere quantum poſſent quo opulentius imperium haberent. Nam de quorum poſſeſſione dimicetur tollentem nihil ſibi præter bellum relinquere, quod conſilium eſſe?* *Lib.* IX. *Ep.* 7, 9, 10. *Lib.* XXXII.

COMMENTARIUS.

A populatione etiam abſtinendum, quoties ſit ſpes magna celeris victoriæ: eo enim caſu ſibi magis nocere videtur quam hoſti, res ſuas non hoſtium deſtruere. *Etenim ea diſperdere, quorum gratia bellum inſtituitur, & bellum ipſum relinquere, eſſe validiſſima inſaniæ opus*, ait Polybius *lib.* 17. Ita Lacedæmonii neque villas Meſſeniorum demoliebantur, nec arbores ſuccidebant, quoniam ſuum jam illum agrum cenſebant. Pauſ. *lib.* 4. Et ita Timotheus jubet fructibus parci, quibus fruerentur parta victoria, teſte Polyæno. Qui aliter agunt, in eos quadrant quæ adducit tum ex Seneca, tum etiam Curtio aliiſque Hiſtoricis, quibus addi poſſunt, quæ apud Plutarchum legimus *cap.* 8. de Demetrio, a quo, cum alteram Babylonis arcium, (duæ enim erant,) occupaviſſet, & præſidio firmaſſet, *militibus permiſſum, ut quantum poſſent ex agris prædam agerent, confirmavit Seleuco regnum, quod tanquam alienum infeſtans, videbatur ipſi concedere.*

IV. 1. Tertio idem fiet ſi hoſtis habere poſſit aliunde quo ſe ſuſtentet: puta ſi mare, ſi fines alii pateant. Archidamus apud Thucydidem

dem in oratione qua Lacedæmonios ſuos a bello in Athenienſes dehortatur, quærit quas belli gerendi ſpes habeant: an forte, quod militum copia valeant, ſperent Atticum agrum a ſe facile poſſe vaſtari: atqui, inquit, habent illi & terras alias ſuæ ditionis (Thraciam & Ioniam intelligens) & maritimis advectionibus adipiſci poſſunt ea quorum indigent. Tali ergo ſtatu optimum factu ut agricultura etiam in ipſo collimitio tuta maneat: quod ſub tributo utrique parti præſtando factum diu in Belgico-Germanico bello nuper vidimus.

2. Eſtque id conſentaneum mori veteri Indorum, apud quos, ut Diodorus Siculus loquitur, τῶν γεωργῶν ἱερῶν καὶ ἀσύλων ἐωμένων οἱ πλησίον τῶν παρατάξεων γεωργοῦντες, ἀνεπαίσθητοι τῶν κινδύνων εἰσί: *Agricolæ intacti ſunt ac veluti ſacroſancti, imo prope caſtra & agmina opus faciunt ſepoſiti a periculo.* Addit, τὰς χώρας τῶν ἀντιπολεμούντων οὔτ' ἐμπυρίζουσιν, οὔτε δενδροτομοῦσιν: *Hoſtium agros neque urunt, neque exſcindunt arbores.* Poſtea: οὐδεὶς ἂν πολέμιος περιτυχὼν γεωργῷ κατὰ τὴν χώραν ἀδικήσειεν, ἀλλ' ὡς κοινοὺς εὐεργέτας ἡγούμενοι πάσης ἀδικίας ἀπέχονται; *Hoſtis nemo cuiquam agricolæ damnum dat, ſed id hominum genus ut commune beneficium ab injuriis omnibus immune præſtatur.*

3. Inter Cyrum quoque & Aſſyrium conveniſſe ait Xenophon ut
cum agricolis pax eſſet, cum armatis bellum. Sic Timotheus partem agri
maxime frugiferam elocabat colonis, ut Polyænus narrat: imo quod
Oecon. Ariſtoteles addit, ipſos etiam fructus vendebat hoſtibus, & ex ea pe-
11. cunia ſtipendium præbebat militi: Quod a Viriato etiam factum in
C. 2. de Hiſpania teſtis eſt Appianus. Idque ipſum in eo quod diximus Bel-
treug. & pace. gico-Germaniæ bello ſumma cum ratione & utilitate fieri vidimus,
Nic. Damaſc. exteris mirantibus.

4. Hos mores humanitatis magiſtri canones Chriſtianis omnibus
Ælian. ut majorem cæteris humanitatem debentibus ac profitentibus imitan-
v. 14. dos proponunt, ideoque non agricolas tantum, ſed & animalia qui-
Dion. Chryſ. bus arant, & ſemina quæ ad agrum portant, extra belli periculum
orat. LXIV. poni volunt; nimirum ſimilem ob cauſam ex qua civiles leges quæ ad
l. executores C. arandum uſui ſunt vetant in pignus capi, & apud Phrygas ac Cyprios
quæ res olim, poſtea apud Atticos & Romanos bovem aratorem occidere ne-
pign. fas erat.

COMMENTARIUS.

PAulo ante annotavimus parcendum hiſce rebus, quarum depopulatio nec nobis utilis, nec hoſti damnum adfert. In devaſtandis agris, & rebus hoſtium corrumpendis debet verſari aliqua utilitas, quin parcendum hiſce dictet æquitas. Non licet temere & abſque juſta cauſa perdere quæ in uſum hominis creata ſunt, multo minus devaſtare agros, urbes evertere & delere, atque hac ratione innumeris calamitatibus proximum involvere, ut vita ipſi ſupplicium, mors ſolatium videatur. Excipio juſtam cauſam, quæ dictat victori, quem modum ſervare oportet. Quod ſi hoſtis aliunde habere poſſit, quæ ad vitam tuendam ſeque ſuſtentandum neceſſaria, quem in finem agri devaſtantur, arbores exſcinduntur, domus evertuntur? Non oportet enim ex ſola vindictæ cupiditate hominem Chriſtianum ſævire in ea unde nullum damnum ſibi imminet. Recte monet Auctor, hoc rerum ſtatu optimum factu, ut agri cultura etiam, ex qua maximam utilitatem capit humanum genus, in ipſo collimitio tuta maneat, ſub onere tributi præſtandi a poſſeſſoribus utrique bellantium parti, vel fructuum hoſti dandorum, quorum ex venditione redacta pecunia militi ſtipendium præbeat.

Sig

Sin vero religio fuit gentilibus, eis, qui agriculturæ inſerviunt, atque ita ſuo labore nobis ſubminiſtrant vitæ tuendæ neceſſaria, parcere, quanto magis oportet nos Chriſtianorum ſacris initiatos hanc moderationem & humanitatem imitari, quibus innoteſcit non ex lumine naturæ duntaxat, ſed etiam divina revelatione, quænam humanitatis officia a nobis exigit charitas, qua proximum, imo etiam hoſtes & inimicos proſequi debemus; atque hoc fundamento innituntur veterum quorundam Conciliorum canones, qui non tantum agricolas, ſed & animalia quibus arant, tum etiam ſemina quæ portant ad agrum, belli periculo exponi nolunt, humani generis commodo & ſuſtentationi conſulere volentes. Quamobrem in favorem agriculturæ civiles leges vetant, ne in pignus capiantur, quæ ad arandum uſui eſſe poſſunt. *l. 7. Cod. quæ res pign.* Quod enim leges civiles vetant ne Reſpublica detrimenti quid inde caperet, idem vetat humanitatis & æquitatis ratio fieri, ne genus humanum, imo ne proximus quid damni inde ſentiat. Imo adeo agrorum culturæ favêre nonnullæ gentes ac nationes, ut apud quaſdam & quidem moratiſſimas, Atticos & Romanos, nefas haberetur bovem aratorem occidere. *Bovis tanta fuit apud antiquos veneratio*, inquit Columella, *ut tam capitale eſſet bovem necaſſe quam civem.* Et Varro *de re ruſt. cap. 5. de bove.* *Hic ſocius hominum in ruſtico opere, & Cereris miniſter. Ab hoc antiqui manus ita abſtineri voluerunt, ut capite ſanxerint, ſi quis occidiſſet. Qua in re teſtis Attica, teſtis Peloponneſus.*

V. Quarto evenit, ut res quædam ejus ſint naturæ quæ ad bellum faciendum aut ducendum nihil momenti habeant: quibus rebus parci etiam manente bello ratio vult. Huc pertinet Rhodiorum oratio *Lib. xv.* ad Demetrium urbicapum pro pictura Ialyſi, ſic a Gellio Latine ex- *c. 31.* preſſa: *Quæ malum ratio eſt ut tu imaginem iſtam velis incendio ædium facto diſperdere? nam ſi omnes ſuperaveris, & oppidum hoc totum ceperis, imagine quoque illa integra & incolumi per victoriam potieris: ſin vero nos vincere obſidendo nequieris, petimus conſideres, ne turpe tibi ſit quia non potueris Rhodios vincere, bellum cum Protogene mortuo geſſiſſe.* Polybius rabioſi eſſe animi *Lib. v.* ait ea perdere quæ nec hoſti perdita vires adimant, nec perdenti emolumentum adferant, qualia ſunt, porticus, ſtatuæ, & ſimilia. Mar- *Verr. II.* cellus, laudante Cicerone, *ædificiis omnibus Syracuſarum, publicis & privatis, ſacris & profanis, ſic pepercit quaſi ad ea defendenda cum exercitu non expugnanda veniſſet.* Idem poſtea: *Majores noſtri relinquebant iis quæ jucun- Lib. IV. da victis, nobis levia videbantur.*

COMMENTARIUS.

Annotavimus *cap. 5. §. 2.* Deorum templa & loca ſacris peragendis deſtinata, apud nonnullas gentes tanta in veneratione habita fuiſſe, ut a belli furore & immani hoſtium ſævitia exempta eſſe oportere exiſtimarint. Verum ejuſmodi reverentia nobis potius adſcribenda earundem ſuperſtitioni, quam ſolida ratione niti videtur, ut ibidem annotavimus. Verum rabioſi hominis ac plane furentis eſſe diximus ea deſtruere ac devaſtare, quæ nec propriis rebus emolumenti, nec hoſtibus detrimenti quid adferunt: neque enim ad internecionem uſque pugnandum cum hoſtibus, vir bonus exiſtimabit, ſed quoad eorum, qui deliquerunt, malefacta purgata ſunt, atque correcta, niſi ſpecialis lex divina, vel delicti gravitas extraordinariam efflagitet pœnam, uti alibi annotavimus. Quid vero templa, quid loca ſacris faciundis deſtinata mali admiſerunt? cur devaſtari & everti merentur? ſaltem inter Chriſtianos, ubi pacis conſilia & monita, non belli furorem oportet hominum mentibus inſtillari. *Sunt quædam belli jura, quæ ut facere, ita pati fas. Sata exuri, dirui tecta, prædas hominum, pecorum agi, miſera magis, quam indigna patienti eſſe. Sed cum Diis inferunt, cum ſuperis bellum nefarium. Omnia ſepulchra diruta, omnium nudatos manes, nullius oſſa terra tegi. Circa omnia templa Philippum circumtuliſſe infeſtos ignes: ſemuſta & truncata ſimulacra Deorum inter proſtratos jacere poſtes templorum*, queruntur Athenienſes apud Livium *lib.* 31. Teſtatur quoque Florus *lib.* 2. Philippum ultra jus victoriæ in templa, aras, ſepulchra ſæviiſſe. Sic Alexander cavit, ne templa, ne luci violarentur Thebis exciſis. Poſſent innumera id genus exempla ex profanis hiſtoriis deſcribi, quæ gentium quarundam ſummam pro templis & ſacris locis venerationem produnt, quod, licet natura ad feritatem & ſævitiam in hoſtes proclives, attamen ſacris abſtinuerint. Tradit Jovius *lib.* 14. immanem illum Tamerlanem templis pepercisse.

perciſſe. Et quanquam templa ſacris deſtinata per ſe nec ſancta nec religioſa magis nobis videntur, quam cætera loca publica uſui hominis deſtinata, ut alibi annotavimus, attamen nolim ea violari, ſi nihil inde emolumenti vel utilitatis capi poſſit. Quemadmodum nec porticus, ſtatuæ, nec publica ornamenta ac monumenta: in hiſce enim deſtruendis ac devaſtandis, quid aliud conſpicitur quam ſumma crudelitas & ſævitia, humanitatis modum excedens, quæ Deo exoſa. Cui etiam accedit, quod ejuſmodi rabies ſæpius conjuncta videatur cum divini Numinis & omnis religionis contemptu, etiamſi improba eorum religio, quorum templa violantur: alienæ enim non convitiandum religioni, ne & noſtræ remaledicatur ſanctiſſimæ per provocatos, monet Joſephus in antiquitatibus. Vid. tamen exceptiones ab hac regula *cap. 5.*

VI. 1. Hoc vero ſicut in aliis ornamentis valet ob eam quam jam diximus cauſam, ita ſpecialis ratio accedit in iis quæ ſacris uſibus dicata ſunt, quanquam enim & hæc, ut alibi diximus, publica ſuo modo ſunt, atque ideo impune per jus gentium violantur, tamen ſi nullum inde periculum ſit, conſervari talia ædificia & quæ eis accedunt
Syl. de bello, p. 3. n. 5. ſuadet rerum divinarum reverentia, inter eos maxime qui eundem Deum ex eadem lege colunt, etiamſi forte ſententiis quibuſdam aut ritibus diſſideant.

2. Thucydides jus ait fuiſſe inter Græcos ſui temporis, ἰόντας ἐπὶ τῶν ἀλλήλων, ἱερῶν τῶν ἐνόντων ἀπέχεσθαι, *ut qui in hoſticum impetum facerent a locis ſacris abſtinerent.* Alba a Romanis diruta Deûm templis temperatum ait Livius. De Romanis Capua capta ſic Silius libro XIII.

Ecce repens tacito percurrit pectora ſenſu
Religio & ſævas componit numine mentes.
Ne flammam tædaſque velint, ne templa ſub uno
In cinerem ſediſſe rogo.

Lib. XLII. Adverſus Q. Fulvium Cenſorem dictum narrat Livius: *Obſtringere eum religione populum Romanum ruinis templorum tanquam non iidem ubique Dii im-*
Lib. XLIV. *mortales ſint, ſed ſpoliis aliorum alii colendi exornandique.* At Marcius Philippus ad Dium cum veniſſet metari ſub ipſo templo, ne quid in loco
Lib. IV. ſacro violaretur, juſſit. Narrat Strabo Tectoſages qui cum aliis pecunias Delphicas rapuerant, placandi numinis cauſa domi eaſdem cum additamento conſecraſſe.

Lib. II. 3. Ad Chriſtianos ut veniamus, commemorat Agathias Francos templis peperciſſe, ut qui cum Græcis eſſent ejuſdem religionis. Imo & hominibus ob templa parci ſolitum, quod (ne profanarum gentium quæ multa ſunt exempla adferam, quippe cum morem hunc κοινὰ τῶν Ἑλλήνων νόμιμα Scriptores vocent) in Gothis Romæ captoribus ſic
Diod. l. XIX. laudat Auguſtinus: *Teſtantur hoc Martyrum loca & baſilicæ Apoſtolorum quæ*
Libro I. de Civit. Dei. *in illa vaſtatione victos ad ſe confugientes ſuos alienoſque receperunt, hucuſque cruentus ſæviebat inimicus: ibi accipiebat limitem trucidationis furor: illo ducebantur a miſerantibus hoſtibus, quibus* (malim *qui*, nam diſtinguit mitiores a durioribus) *etiam extra ipſa loca pepercerant ne in eos incurrerent, qui ſimilem miſericordiam non haberent: qui tamen etiam ipſi alibi truces atque hoſtili more ſævientes poſteaquam ad loca illa veniebant, ubi fuerat interdictum quod alibi jure belli licuiſſet, tota ſæviendi refrænabatur immanitas, & captivandi cupiditas frangebatur.*

VII.

VII. 1. Quod de ſacris dixi idem de religioſis intelligendum eſt, etiam de iis quæ in honorem mortuorum ſtructa ſunt. Nam & hæc, quanquam jus gentium impunitatem iræ in iſta exercendæ indulget, violari non poſſunt niſi contempta humanitate. Summam eſſe ratio- *L. ſunt* nem ajunt Juriſconſulti quæ facit pro religione. Tam pro religioſis *perſonæ. D. de re-* quam pro ſacris pia exſtat Euripidis ſententia Troadibus: *ligioſis.*

Μῶρος δὲ θνητῶν ὅστις ἐκπορθεῖ πόλεις,
Ναούς τε τύμβους θ', ἱερὰ τῶν κεκμηκότων,
Ἐρημίᾳ δοὺς αὐτὸς ὤλεθ' ὕστερον.

Homo quiſquis urbeis vaſtat & dis Manibus
Sedes ſacratas, templaque, haud recte ſapit:
Nam ſimilis ipſum peſtis excidii manet.

Apollonius Tyanæus de cœlo a gigantibus oppugnato fabulam ſic interpretabatur: ὑβρίσαι εἰς τοὺς νεὼς αὐτῶν καὶ τὰ ἕδη, *vim eos intuliſſe Deorum templis ac ſedibus.* Statio Annibal ſacrilegus, qui *Deûm face miſcuit aras.*

2. Scipio capta Carthagine milites donis ornat, χωρὶς τῶν εἰς τὸ Ἀπολλώνειον ἁμαρτόντων, inquit Appianus: *exceptis qui in Apollinis templum peccaverant.* *Punic.* Trophæum a Mithridate ſtructum Cæſar, ut narrat Dio, *Lib. XLII.* καθελεῖν οὐκ ἐτόλμησεν ὡς τοῖς ἐμπολεμίοις θεοῖς ἱερωμένον, *tollere auſus non eſt, ut belli Diis ſacratum.* Marcus Marcellus quæ victoria profana fecerat religione impeditus non attigit, ait Cicero Verrina quarta: & ibidem addit, hoſtes eſſe aliquos qui in bello religionis & conſuetudinum jura retineant. Idem alibi Brenni bellum fano Apollinis illatum, nefarium dixit. Pyrrhi factum, qui Proſerpinæ theſauros ſpoliaſſet, fædum vocat Livius & in Deos ſuperbum. Simile Himilconis Diodorus ἀσέβειαν *Lib. XIV.* & εἰς θεοὺς ἁμάρτημα. Philippi bellum idem ille Livius nefarium, quaſi Diis ſuperis inferiſque illatum: etiam furorem, ac ſcelera. Florus de eodem: *Philippus ultra jus victoriæ in templa, aras, ſepulchra ſæviit.* Eandem hiſtoriam tangens Polybius hoc addit judicium; τὰ μήτε τοῖς ἰδίοις πράγμασιν ἐπικουρίαν μέλλοντα, μηδ' ἡντινοῦν παρασκευάζειν, μήτε τοῖς ἐχθροῖς ἐλάττωσιν πρός γε τὸν ἐνεστῶτα πόλεμον, ἐκ περιττοῦ καὶ ναοὺς, ἅμα δὲ τούτοις ἀνδριάντας καὶ πᾶσαν δὴ τὴν τοιαύτην κατασκευὴν λυμαίνεσθαι, πῶς οὐκ ἂν εἴποι τις εἶναι τρόπου καὶ θυμοῦ λυττῶντος ἔργον; *Quæ neque nobis ad bellum futura ſunt uſui, nec hoſtibus incommodatura, ea ire perditum, templa maxime & quæ in iis ſimulacra & ſimilia ornamenta, quis neget malæ mentis & præ ira furibundæ eſſe opera?* Atque ibidem talionis non admittit excuſationem.

COMMENTARIUS.

DE religioſis egimus *cap.* 5. §. 3. atque ibidem annotavimus humanitatis ratione vetari in mortuos ſævire, eorumque oſſa & corpora indecenter tractare, quamobrem rem impiam & execrabilem merito viri graves ac generoſi exiſtimarunt, cæſorum hoſtium cadavera ſepultura prohibere aut in ea ſævire: defuncti enim non bella gerunt, nec ab iis aliquod damnum metuendum, ſed hoſtes eſſe deſierunt qui vitam cum morte commutarunt, & homines eſſe deſierunt. *Stultus, qui expugnata urbe, templa & tumulos, & ſacra mortuorum dat ſolitudini.* apud Eurip. *Troad.* Vid. ſup. annot. Et Iſocr. *Panegyr.* de Perſis ſermonem babens, in eorundem exprobrationem inquit: *Quid rerum omnium habemus, in quod barbari non animo ſunt hoſtili? Qui & ſimulacra Deorum & templa ſpoliare, & comburere non dubitarunt. Quare*

laudandi ſint Jones, quod diris eos exſecrationibus devoverunt, qui templa cremata inſtaurarent, aut iiſdem fundamentis inædificarent; non quod deeſſet, unde ea reficerent, ſed ut monumenta poſteris eſſent barbarorum impietatis, & nemo fidem iis haberet, qui ad eum modum in templa Deûm auſi graſſari: & qui non tantum noſtris corporibus, ſed & religioni bellum intulerunt. Fabius contra Tarentinæ urbis everſor, quod a ſimulachrorum deprædatione ſe abſtinuerat, laudatur apud Liv. *lib.* 26. Vide quæ §. 6. annotavi.

VIII. 1. Quanquam vero proprie inſtituti noſtri hic non eſt quid ex uſu ſit inquirere, ſed laxam bellandi licentiam adducere ad id quod natura licitum, aut inter licita melius eſt, tamen ipſa virtus vilis hoc ſæculo ignoſcere mihi debet, ſi quando per ſe contemnitur, ex utilitatibus ipſi pretium facio. Primum igitur moderatio iſta in ſervandis rebus quæ bellum non morantur magnum hoſti telum eripit, deſperationem. Archidami dictum eſt apud Thucydidem, μὴ γὰρ ἄλλο τι νομίζετε τὴν γῆν τῶν πολεμίων, ἢ ὅμηρον ἔχειν, καὶ οὐχ ἧσσον ὅσῳ ἄμεινον ἐξείργασται, ἧς φείδεσθαι χρὴ ὡς ἐπιπλεῖστον, καὶ μὴ εἰς ἀπόνοιαν καταστήσαντας αὐτοὺς ἀληπτοτέρους ἔχειν. *Terram hoſtilem non aliud quam obſidem cenſete, tantoque meliorem quanto magis exculta eſt: quare & ut plurimum ei parcendum eſt, ne deſperatio hoſtes reddat invictiores*: Idem Ageſilai conſilium cum Acarnanibus, contra quam

Xen. hiſtor. Gr. IV. ſentiebant Achæi, liberam reliquit ſementem, ajens quo plus ſeviſſent eo pacis cupidiores fore. Hoc eſt quod dicit Satyra: *Spoliatis arma ſuperſunt.* Livius narrans captam a Gallis urbem: *Placuerat*, inquit, *principibus Gallorum non omnia concremari tecta, ut quodcunque ſupereſſet urbis id pignus ad flectendos hoſtium animos haberent.*

2. Adde quod ſpeciem hoc præfert manente bello magnæ de victoria fiduciæ: & quod clementia apta per ſe frangendis & conciliandis

Lib. XXXIV. animis. Annibal apud Livium in Tarentino agro nihil violat: *apparebat*, ait, *non id modeſtia militum aut ducis, niſi ad conciliandos Tarentinorum animos fieri.* Simili de cauſa Auguſtus Cæſar de Pannoniis rapina abſtinebat: cauſam Dio adfert,

Lib. XLIX. ἤλπιζε γὰρ ἐθέλοντας αὐτοὺς ἐπάξεσθαι. *Sperabat enim fore ut ſic eos ſine vi ſibi adjungeret.* Timotheus ea cura quam ſupra nar-

Lib. III. ravimus præter alia πολλὴν τὴν εὔνοιαν τῶν πολεμίων ἐθήρευεν, ait Polyænus, *magnam ab hoſtibus ipſis benevolentiam captabat.* De Quinto & qui cum eo erant Romanis Plutarchus cum quæ ſupra diximus commemoraſſet, addit: *Hujus modeſtiæ non multo poſt fructum cepêre. Nam ut in Theſſaliam perventum eſt defecerunt ad eum urbes. Tum vero & qui intra Thermopylas habitabant Græci Quintium ardentibus votis deſiderabant: Achæi vero renuntiata Philippi amicitia ſocietatem adverſus eum cum Romanis inierunt.* De Lingonum civitate quæ bello, quod ductu Cerealis, auſpiciis autem Domitiani in Civilem Batavum ejuſque ſocios gerebatur, populationem

Lib. V. *c.* 3. formidatam evaſerat ſic narrat Frontinus, *quod contra exſpectationem inviolata nihil ex rebus ſuis amiſerat, ad obſequium reducta ſeptuaginta millia armatorum tradidit ei.*

3. Conſiliis contrariis contrarii quoque eventus. Exemplum dat

Lib. XXVI. Livius in Annibale: *Præceps in avaritiam & crudelitatem animus, ad ſpolianda quæ tueri nequibat, ut vaſtata hoſti relinquerentur, inclinavit. Id fœdum*

con-

conſilium cum incœpto tum etiam exitu fuit; neque enim indigna patientium modo abalienabantur animi, ſed cæterorum etiam: quippe ad plures exemplum quam calamitas pertinebat.

4. Veriſſimum autem ſentio quod a Theologis quibuſdam notatum eſt, & ſummarum poteſtatum & ducum qui Chriſtianos ſe & a Deo & ab hominibus haberi volunt officium eſſe, violentis urbium direptionibus & ſiquid his ſimile eſt intercedere, ut quæ abire non poſſint ſine graviſſimo multorum innocentium malo, & ſæpe ad belli ſummam parum proficiant: ita ut bonitas Chriſtiana fere ſemper, ipſa quoque juſtitia plerumque ab ipſis abhorreat. Majus ſane eſt Chriſtianorum inter ſe vinculum quam olim Græcorum fuit, quorum bellis nequa urbs Græca exſcinderetur cautum erat Amphictyonum decreto. Et Alexandrum Macedonem narrant veteres nullius rei a ſe actæ magis ductum pœnitentia quam quod Thebas evertiſſet. *Ægid. Regius de actibus ſupern. diſput. 31. dub. 7. num. 127.*

COMMENTARIUS.

QUamquam Auctoris noſtri intentionis aciem eo potiſſimum collimare perſpicimus, ut belli gerendi ratio omni ex parte ad juſtitiæ & æquitatis & honeſtatis normam ita attemperata atque accommodata ſit, ne quid a juſti regula deflectat, & proinde non ſit ejus proprie inſtituti inquirere quid ſuadet utilitas & belli prudentia, quam diſſuadet ac vetat æquitatis & honeſtatis ratio. Verum cum ſæpius illi, qui caſtra ſequuntur, & armis tractandis aſſueti in ore habeant illud Marii, præ armorum ſtrepitu leges exaudiri non poſſe, in bello nihil injuſtum quod utile, maxime inter ſe oppoſita eſſe jus & arma, bellum ab omni jure abeſſe. Hinc Auctor noſter etiam ab inſtituto ſuo non omnino alienum merito exiſtimat, ut ſi quis a recti ſenſu & juſtitiæ tramite aberrans, utilitate non honeſtate metienda cenſet ea, quæ belli jure permiſſa ac licita habentur, illam tanquam medium, quo etiam obtineri poteſt, quod intendit, amplectatur, dum juſtitiam & honeſtatem ac æquitatem cum utilitate conjungat, ut hac ratione, qui virtutis amore nequeunt avocari ab immoderata in hoſtes ſævitia & crudelitate, eam moderentur ac temperent propter utilitates, quas ſibi inde provenire poſſe perſpiciunt. Quarum primo loco collocat, quod tali moderatione magnum hoſti telum eripiat *deſperationem*; durum quippe telum, & rari victi ſunt, qui extrema neceſſitate coacti pugnarunt. Deſperatio rabidos facit, qui nihil metuunt, aut vincunt, aut magna clade vincuntur. Deſperatis virtutem redit, Politicorum axioma eſt, quamobrem non adigendus ad eam hoſtis. Cui etiam accedit, quod ſpeciem præferat magnæ de victoria fiduciæ. Tertio, quod clementia per ſe apta frangendis & conciliandis animis. Sic Scipio in Hiſpaniam miſſus, innata ſibi humanitate & benevolentia, non ſolum militum animos ſibi devinxit, ſed etiam conciliata clementiæ fama, totam Hiſpaniam Romanæ ditionis fecit. Humanitas, ut inquit Valerius Maximus *lib.* 5. vincit iram, proſternit odium, hoſtilemque ſanguinem hoſtilibus lacrymis permiſcet. Libenter vero cum Auctore noſtro ſubſcribo quorundam Theologorum opinioni, imo cur non omnium dicam, quorum animus ſanioris doctrinæ præceptis imbutus, qui ſentiunt humanarum poteſtatum & ducum, qui Chriſtianos ſe profitentur, & a Deo, qui inſpicit interiores animi receſſus, & ab hominibus haberi volunt, officium eſſe, violentis urbium direptionibus, & ſi quid ſimile, intercedere, utpote quæ eadem calamitate innocentes juxta nocentes opprimant, quod e diametro repugnat juſtitiæ, & a bonitate Chriſtiana eſt alienum: præſtat enim juri ſuo renunciare, & remittere injuriam, quam ejus vindicandæ cauſa innocentem opprimere & graviſſimo malo afficere.

CAPUT XIII.

Temperamentum circa res captas.

I. *Res etiam hoſtilium ſubditorum bello captas retinere ad modum debiti:*
II. *Non etiam in pœnam alieni criminis.*
III. *Debitum hic intelligi etiam quod in bello ſubnaſcitur. Exempla.*
IV. *Humanitatis eſſe, ſummo jure hic non uti.*

I. 1. SEd neque peccato vacare aut a reſtitmtionis onere immunis cenſeri debet rerum hoſtilium in bello juſto captura. Quippe ſi id quod recte fit ſpectas, non nltra licitum eſt capere ant habere quam cauſa ſubeſt debendi in hoſte: excepto quod etiam extra eam ad ſecuritatem neceſſariam res poſſunt detineri, ſed reſtituendæ ceſſante periculo, in ſe aut in pretio, ſecundum ea quæ libro II. cap. II. tractavimus. Nam quod & in re pacatorum liceret, multo magis in re hoſtium licet. Hoc igitur eſt capiendi quoddam jus ſine acquirendi jure.

Vict. de jure belli, n. 55, 56. Cajetan. in ſum. pecc. verb. belli damnum. Covar. ad d. cap. peccatum, p. II. n. II. Vict. de jure belli, n. 39. & 41. Molina II. tract. diſp. 117.

2. Cum autem deberi aliquid nobis poſſit aut ob inæqualitatem rerum, aut ex pœna, poteſt ex utraque cauſa acquiri res hoſtilis ſed cum diſcrimine tamen. Nam ſupra diximus, ex debito illo priore non res tantum debentis ſed & ſubditorum ejus ex introdncto jure gentium quaſi fidejuſſione obligari. Quod quidem jus gentium alterius generis credimus quam illud quod in impnnitate ſola aut externa vi jndiciorum conſiſtit. Nam ſicut in res noſtras ex conſenſu privato noſtro ei quicum actum eſt non externum modo ſed & internum jus quæritur, ſic & ex communi qnodam conſenſu, qui ſingulorum conſenſum vi quadam in ſe continet, quo ſenſu lex πόλεως συνθήκη κοινή, *communis pactio civitatis* dicitur. Atque id in hoc negotii genere placuiſſe gentibus eo eſt credibilius, quia hæc lex gentium non ſola majoris mali vitandi cauſa, ſed etiam juris cuique ſui conſequendi gratia introdncta eſt.

II. At in altero debendi genere quod pœnale eſt, non video gentium conſenſu tale jus in res ſubditorum eſſe proditum. Odioſa enim eſt talis rerum alienarum obligatio, ideoque latius produci non debet quam actum appareat. Neque vero par eſt utilitas in poſteriore hoc & in priore debendi genere. Nam prius illud eſt in bonis, poſterius hoc non eſt, ideoque perſecutio ejus ſine damno omitti poteſt. Nec obſtat quod ſupra de jure Attico diximus. Nam ibi homines obligabantur non ex eo proprie quod civitas puniri poterat, ſed duntaxat ad cogendam civitatem id facere quod facere debebat, id eſt judicium reddere in ſontem, quod debitum ex officio ad prius illud non ad poſterius debendi genus refertur: aliud enim eſt debere punire, aliud debere aut poſſe puniri, quanquam ex ceſſatione circa illud hoc ſequi ſolet, ſed ita ut diſtincta ſit cauſa illa & hoc effectum. Ergo pœnæ nomine acquiri res ſubditorum hoſtilium non poterunt, ſed eorum dun-

Lib. III. cap. 2.

duntaxat qui ipſi deliquerint, in quibus & magiſtratus continentur qui delicta non puniunt.

COMMENTARIUS.

QUamvris eorum, quæ in bello ex hoſtibus capiuntur, dominium juſto acquiratur titulo, & proinde poſſeſſorem tutum reddat in foro conſcientiæ, cavendum tamen ne peccetur in exceſſu, ne juſtum excedat modum, ne plus capiat quam ſubeſt in hoſte debendi cauſa, ne excedat prætenſionem, ob quam bellum fuit ſuſceptum. Quamobrem Auctor *cap.* 6. §. 1. jure naturæ bello juſto ea nobis acquiruntur, quæ aut paria ſunt ei, quod cum nobis ſit debitum alitet conſequi non poſſumus, aut etiam quæ nocenti damnum inferunt infra æquum pœnæ modum. Sed moribus gentium ſine fine & modo fit dominus eorum quæ hoſti eripit, etiamſi excedant longe prætenſionem. Itaque moderatur licentiam jure gentium introductam jus naturæ. Verum vix juris gentium nomine venire poſſe, quod cum rationis dictamine non convenit, ſæpius annotavimus. Utpote quod ratio inter homines conſtituit, & quod gentes ratione edoctæ receperunt, jus gentium eſt, quamobrem jus gentium fundatum in ratione. Quidquid igitur rationi tepugnat, perperam juris gentium nomine inſigniri mihi videtut. Diltinguit Auctor intet jus externum & internum; verum eam diſtinctionem probare non poſſumus, quia quidquid jultum, ab omni parte juſtum eſſe debet, tum in foro poli tum etiam ſoli, atque huic normæ actus noſtri reſpondere debent, antequam juſti dici poſſunt. Quod mali mores introduxerunt, a naturali ratione & æquitate alienum per abuſum juris gentium nomine venit, ut alibi annotavimus. Optime vero Auctor noſter, ut hanc licentiam prava conſuetudine introductam attemperaret & ad juſtitiæ normam accommodaret, hoc capite tractat de temperamento circa res captas. Verum poſſet nobis objici, ſi gentium tacito conſenſu potuerit concedi dominium earum rerum capienti, quæ in bello injuſto quoad cauſam, juſto vero quatenus ſolenne ex hoſtibus capiuntur, ita ut etiam in foro poli tutus quis eſſe poſſit, cur non etiam concedere poteſt in bello juſto capienti licentiam ſine fine & modo capere, & earundem dominium nanciſci, cum ſit rerum ſuarum quiſque arbiter & moderator, & poterit de iis pro lubitu ſtatuere: quod verum & proinde etiam abſque ulla cauſa in alium transferre earundem dominium poteſt, etiam in bello injuſto captarum: nullum enim in eo reſidet vitium morale. Verum conſentire vel paciſci nequeunt gentes, ut ultra debitum quis ſibi rem alienam capiat, vel metitum pœnam infligat, quia eſt per ſe & natura ſua illicitum, cujus generis ejuſmodi exceſſus, uti cuivis notum, qui non omnem recti ſenſum exuit. Quod vero per ſe illicitum, nulla ratione licitum effici poteſt; ergo nec in actum deduci. Quamvis itaque bellum juſtum ſit, quatenus juſta ex cauſa ſuſceptum, juſte etiam geri debet, id eſt, ne belli licentia a juſti & recti tramite deviet modumque excedat. Permittit jus naturæ tum etiam ei innixum jus gentium, ut in naturæ ſtatu, in quo conſtitutæ ſummæ poteſtates, id eſt, propria auctoritate, quod ſibi debetur, perſequantur, reumque ad injuriæ vel damni reparationem vel rei injuſte ablatæ reſtitutionem vi & armis cogant, ſi molliora non ſufficiant remedia: ea enim prius tentanda, antequam virum bonum & juſtum decet ad illud quod extremum eſt pervenire. Ultra enim quod ſibi debetur capere aut habere facultatem non habet, quamobrem modum excedendo peccat, & a juſtitiæ tramite aberrat, quod actum reddit vitioſum, & proinde tanquam rei alienæ capiens malæ fidei, id eſt, injuſtus poſſeſſor habetur, unde ad reſtitutionem obligatur ejus, quod ultra debitum conſecutus. Itaque proportio erit obſervanda arithmetica intet damnum, quod bello cauſam præbet, & inter belli licentiam, ita ut non liceat plus armis perſequi, quam conſecuti eſſemus, ſi ſponte ſua adverſarius nobis ſatisfacere voluiſſet, nec plus pœnæ ſumamus quam noxæ commiſſum, computatis ſimul impenſis in violentam juris exſecutionem factis, ut ſtatim videbimus. Dupliciter autem deberi nobis aliquid poteſt, vel ob inæqualitatem rerum, vel ex delicto. Poteſt ex utraque cauſa acquiri res hoſtilis. Verum notandum, quod obligatio, quæ ex puriore debito dimanat, non duntaxat Principis patrimonium, qui forte cum alio Principe contraxit, ſed etiam civium bona eodem juris vinculo adſtringit, ita ut pro conſequendo debito ea capi poſſint & acquiri. Cujuſmodi jutis conſtitutio in ratione & æquitate fundata, ut patet ex rationibus ab Auctore adductis. Vid. annot. *cap.* 2. At vero in altero debendi genere, quod ex maleficio ſive delicto imperantis & magiſtratuum oritur, non eandem ſibi juris rationem locum vindicare gentes voluiſſe Auctor ſtatuit. Cum enim odioſa ſit ejuſmodi rerum alienarum obligatio, gentium conſenſus magis coarctari quam extendi debet, ſaltem non latius produci debet quam actum appareat; cum autem videatur placuiſſe, ut res ſubditorum ex contractu Principis tantum obligatentur ad ſatisfactionem & compenſationem, ad pœnam non debet produci. Cujuſmodi conſenſus interpretatio fundatur in rationibus, quas ad opinionem ſuam

adſtruendam Auctor adfert. Verum alibi annotavimus civibus tam arctiſſimum cum civitate ſive Principe, qui ſummæ rerum præeſt, & cujus perſona univerſam ſocietatem repræſentat, vinculum intercedere, ut actus Principis etiam civibus eatenus imputari poſſint, quatenus unum idemque corpus cum eo conſtituunt, eandemque perſonam repræſentare videntur, Ita ut ſubditorum ſemper eadem præſumatur cauſa, eademque mens & animi ſententia, quæ eſt Principis. Quamobrem, ut alibi diximus, non tam ob alienam, quam propriam culpam pœnam pati videntur. Conſentire enim hac ratione videntur omnes cives circa factam injuriam, & proinde quoque Principem bello laceſſitum defendere velle creduntur, ut inquit Zeigl. Nulla igitur fiet injuria ejuſmodi ſubditis, ſi eorum bona bello capiantur, & in ipſos quoque vindicta exerceatur. *Hactenus enim*, inquit, *conſenſus, qui eſt inter caput & membra, inter Principem & ſubditos, & conformis totius corporis myſtici compages ſufficientem præbet cauſam, & ſufficiens argumentum, ejuſdem injuriæ reos haberi debere cives in univerſum omnes.* Quod vero inquit Auctor, parem non eſſe utilitatem in poſteriore hoc & primo debendi genere, quia prius illud in bonis eſt, poſterius vero non eſt. Huic recte reponit doctiſſimus Zeiglerus, quod eatenus quoque eſt in bonis, quatenus injuria accepta ex commenſuratione ad bona æſtimatur, qua ratione etiam is creditor dicitur, cui ex delicto aliquid debetur. *l. 12. ff. de V. S.* Ubi Juriſconſultus: *Sed etſi ex delicto debeatur, mihi videtur poſſe creditoris loco accipi.* Debitor enim ex delicto relationem ſuam habet ad creditorem. *Debitor enim non eſt ſine creditore, non magis quam maritus ſine uxore*, ut inquit Vacon *lib. 3. declam. 45.*

Silv. verb. bellum, n. 10. diſt. n. 5 t. Bart. in l. ſi quid bello, D. de cap. Lib. XXVII. Libro XXXIII.

III. Cæterum res ſubditorum & capi & acquiri poſſunt non tantum ad conſecutionem debiti primarii unde ortum eſt bellum, ſed & ſubnaſcentis, ſecundum ea quæ diximus initio hujus libri. Et ſic accipiendum eſt quod ſcribunt Theologi quidam, capta in bello non compenſari cum debito principali: intelligendum enim hoc uſque dum ſecundum ſanum judicium ſatisfactum ſit de eo damno quod in ipſo bello datum eſt. Sic in diſceptatione cum Antiocho Romani, Livio narrante, impenſam quæ in bellum facta eſſet omnem præſtare regem æquum cenſebant cujus culpa bellum excitatum eſſet. Apud Juſtinum eſt *impenſas belli lege juſta ſuſcepturus*: Apud Thucydidem damnantur Samii χρήματα τὰ ἀναλωθέντα ἀποδοῦναι, *ſolvere belli impenſas*. Et alibi ſæpe. Quod autem victis juſte imponitur, idem & bello juſte extorquetur.

COMMENTARIUS.

DAmni & injuriæ reparatio, quam jure belli conſequi neceſſitate coacti, non conſiſtit duntaxat in ſimplici ſatisfactione & compenſatione debiti primarii, quod bello ſuſcipiendo cauſam præbuit. Verum huic accedunt cauſæ ſubnaſcentes, quæ debitum primarium non duntaxat maxime augent, ſed etiam ſæpius ſuperant, atque proinde actori, qui juris ſui perſequendi & obtinendi cauſa vim adhibere neceſſe habuit, facultatem tribuunt, res ſubditorum quoque capiendi, ad ſatisfactionem & compenſationem debiti ſubnaſcentis, quo nomine veniunt ſumptus & impenſæ, in militiam erogatæ, tum etiam damna hoſtilia, quæ durante bello contigerunt, uti annotavimus *cap. 1. §. 3. Si Galli irruentes in terram Hiſpanorum juſſu Regis ſui pagum incendiſſent, non ideo fas erat Hiſpanis integrum regnum Galliæ occupare, ſed ſolum quatenus juſtitia & æquitas permittit Gallorum illam injuriam vindicare, adductis etiam belli expenſis*, ut ait Franciſc. a Victor. *de jur. bell. n. 56. Fas eſt*, inquit Molina, *in bello juſto occupare ea omnia, quæ ad nos pertinent, acciperequе de bonis hoſtium compenſationem damnorum omnium, quæ intulerunt, nec non impenſas omnes belli. Impenſarum nomine intelligendo, non ſolum ſumptus belli, ſed etiam juſtam mercedem pro laboribus, quos ſubierunt, & periculis, quibus ſe expoſuerunt, quatenus belli ſumptibus non fuerunt hæc perſoluta.* Quam concluſionem in ea ratione fundatam ſtatuit, *quod judex juſtus ea omnia exercere poteſt in eum malefactorem, in quem juriſdictionem habuerit, ad eaque omnia eum cogere, quin & ad ea omnia, quæ pœnæ rationem non habent, malefactor ipſe tenetur non exſpectata ſententia: ſed Princeps aut Reſpublica, quæ juſtam belli cauſam habet adverſus aliam Rempublicam, judicis rationem ſubit comparatione illius ad illam puniendam. Ergo illa omnia fas ſunt in bello juſto. Unde apparet*, ut inquit doctiſſimus Zeiglerus, *tutius abſtineri bello ex parte debitoris, quam exſpectari, tum etiam ſuſceptum quam cito per ſatisfactionem finire. Quippe quo plus bellum juſtum perſeverat,*

hoſti-

hoſtibus repugnantibus, damnaque inferentibus, eo plus accreſcunt belli impenſa, damna, injuria ac delicta, eaque ratione plus fas eſt poſtea accipere in compenſationem ac pœnam juſtam, quo fit ut licet in principio juſtum non eſſet accipere integram provinciam aut regnum: perſeverante tamen bello, hoſtibuſque repugnantibus, juſtum interdum efficiatur id totum, & aliquid amplius in compenſationem juſtamque pœnam uſurpare, uti inquit Molina *de juſt. & jur. tract. 2. diſp. 117.*

IV. 1. Cæterum ſciendum eſt quod & alibi meminimns, latius patere caritatis quam juris regulas. Qui divitiis floret immiſericordiæ rens erit ſi inopem debitorem omnibus reculis ſuis excutiat ut ipſe ultimum quadrantem conſequatur, multoque magis ſi is ipſe debitor in id debitum venerit ſua bonitate, ut ſi pro amico fidejuſſerit, ipſe autem nihil pecuniæ verterit in rem ſuam. Miſerabile enim eſt, ut ait pater Quintilianus, ſponſoris periculum. Tamen tam durus creditor contra jus ſtricte dictum nihil facit.

2. Quare exigit humanitas ut his qui extra culpam ſunt belli, quique non alio quam fidejuſſorio nomine obſtricti ſunt, relinquantur res iſtæ quibns nos facilius quam ipſi careamus, præſertim vero ſi ſatis appareat illos ipſos id quod eo modo amiſerunt a civitate ſua non recuperaturos. Huc pertinet quod Babylone capta Cyrus militibus dixit: οὔκουν ἀδικίᾳ γε ἕξετε ὅ, τι ἂν ἔχοιτε, ἀλλὰ φιλανθρωπίᾳ οὐκ ἀφαιρήσεσθε ἤν τι ἐᾶτε ἔχειν αὐτούς. *Injuſte quidem non poſſidebitis quæ tenetis: ſed ſi quid non auferetis hoſtibus, id veſtræ erit humanitatis.*

3. Notandum & hoc, cum in ſubſidium introductum ſit jus hoc in bona ſubditorum innocentium, quamdiu ſpes eſt nos noſtrum ſatis facile conſequi poſſe ab originariis debitoribus, aut ab iis qui jus non reddendo ſponte ſua debitores ſe faciunt, ad eos venire qui culpa vacant, etiamſi concedatur cum ſtricto jure non pugnare, abire tamen ab humanitatis regula. *Ægid. Regius de actibus ſupernaturalibus, diſp. 31. dub. 7. n. 117.*

4. Exempla hujus humanitatis exſtant paſſim in hiſtoria præſertim Romana, ut cum agri hoſtibns devictis ea conditione conceſſi ut in civitatem venirent, id eſt victæ civitati cederent, aut cum ex agris modicum honoris gratia veteri poſſeſſori relinquebatur. Sic a Romulo Vejentes agri parte mulctatos narrat Livius. Sic Uxiis Alxander Macedo agros quos habuerant dedit vectigales. Sic deditas urbes non diripi ſæpe legas: & ſupra diximus, non perſonis tantum ſed & rebus agros colentinm cnm laude & ex pio Canonum præſcripto parci, ſaltem ſub tributo; & ſub ſimili tributo ſolere & mercibus concedi a bello immunitatem. *L. in agris de acq. rer. dom. d. l. in agris l. ſi verberatus, §. non ſi ager. D. de rei vind. Vict. de jure belli, n. 40. Sil. in verb. bellum, p. 1. §. 10. num. verſ. 3. Arr. lib. III.*

COMMENTARIUS.

Alibi refutavimus hanc opinionem. Lex naturæ ſive moralis omnibus ſuis partibus abſoluta & perfecta, & proinde nos obligat omnia illa officia præſtare ſocio, quæ charitas exigit, quamobrem quæ charitatis etiam juris regulæ. Qui legem moralem tanquam normam vivendi amplectitur, eique conſentaneam vitam degere facultatem haberet, utpote tanquam præmium adimpletæ legis, & proinde vere juſtus vitam æternam ſibi petere jure poſſet. Vere autem juſtus diei nequit, qui non omnes omnino juſtitiæ partes adimplet, id eſt, univerſaliter juſtus; quippe cum lex moralis ſit regula obligans ad id quod rectum ſive juſtum eſt, ſic latiſſime patet, ita ut omnes omnino virtutes amplectatur, omne id quod virtuoſum & quod honeſtum.

ſtum. Perfecta enim eſſe lex nequiret, niſi univerſalis, omnes virtutes omnia officia complectens, quæ tum Deo, tum proximo, tum nobiſmetipſis debemus. Qui enim obſervat juris regulas, honeſte vivit, ſuum cuique tribuit, alterum non lædit; quæ præcepta adeo late patent, ut omnia tum charitatis, tum humanitatis, clementiæ, miſericordiæ, aliaque id genus officia complectitur. Quamobrem qui legem moralem ſive naturalem obſervat, ille charitatis officia adimplere neceſſe habet; quod charitas exigit etiam lex efflagitat, utpote quæ charitatem exercere præcipit, & quidem ita præcipit, ne in defectu peccemus. Verum cum hanc quæſtionem latius *lib.* I. tractavimus, non diutius huic inhærebimus. Exempla, quæ adſert Auctor, non evertunt, quæ diſputamus. Qui jure ſuo utitur, neminem lædit, quamobrem nec contra charitatis regulam peccare videtur, qui a debitore licet inopi ſatisfactionem & ſolutionem debiti exigit, utitur jure ſuo, ergo neminem lædere videtur. Quod debitor inops, ipſe vero creditor divitiis florens, dona fortunæ, & proinde neminem jure ſuo privare poſſunt. Quod ſi quis de jure ſuo aliquid remittit, & non ad ultimum quadrantem debitorem perſequitur, charitas non exigit tanquam debitum, ſed commendat potius, & ut voluntati ac arbitrio cujuſque relinquatur, nullam vero neceſſitatem imponit. Idem lex commendat, dum charitatem præcipit; utpote quæ, ſi ordinata eſt, incipere oportet a ſe ipſo, & proinde ut prius mihi conſulam antequam aliis proſpiciam, ſuadet. Verum eo non aufert alicui facultatem jus ſuum perſequendi adverſus debitorem, qui eodem jure obligatus ſuum cuique tribuendi, & proinde creditori ſatisfaciendum ad ultimum etiam dodrantem, etiamſi forte in id debitum ſua bonitate venerit: eo enim non immutatur natura debiti, neque proinde jus, quod creditor habet, neque obligatio, quæ debitori incumbit ad ſatisfaciendum creditori imminuitur, aut ei aliquid detrahitur. Unde juſtitia velato capite depingi ſolita, utpote quæ, nulla habita ratione perſonarum, ſuum cuique tribuit. Charitatem, miſericordiam, humanitatem, clementiam & liberalitatem virtutes eſſe non inficior, quas exercere hominem imprimis Chriſtianum decet, tum etiam lex imperat; verum termini habiles hic ſunt ponendi. Ex alio capite charitatis, humanitatis & id genus ejuſmodi officia, juris noſtri perſecutio deſcendit, unum non tollit alterum, nec ſibi invicem contraria, modo juris perfecti & imperfecti diſtinctam habeamus rationem. Qui debitum ſuum exigit jure perfecto, ei opponi nequit inopia debitoris, ut remittat debitum vel in totum vel pro parte, quaſi humanitatis vel charitatis lege hæc ſibi impoſita eſſet neceſſitas; quippe fortius jus perfectum, cui cedit imperfectum; verum de hoc alibi diſputavimus, quæ hic repetere non lubet. Nec jure reponere mihi poteſt debitor, quod inclementer & inhumane adverſus eum ſim, dum meam exigam debiti perſolutionem ad ultimum quadrantem, quin ipſi objicere poſſim, quod injuſte mecum agat, dum tribuere mihi recuſat, quod debet. Injuſtus nec inhumanus videtur, qui petit atque exigit perſolutionem ſive ſatisſactionem debiti, dum hanc facultatem ipſi naturalis tribuat ratio. Clementiæ atque humanitatis officia tum ſibi potiſſimum locum vindicant, ſi quis abſque juris ſui læſione & damno præſtare ea poteſt, atque tum demum vim ſuam exſerit illa obligatio, quæ ex jure perfecto cuique incumbit, ſi facienti non admodum moleſta & oneroſa. Nolumus tamen ad eas anguſtias redigendi debitorem creditori ſalva charitate & humanitate, tam amplam facultatem concedere, ut etiam vitæ ſubſidia in debiti ſolutionem ei auferat, nihil ipſi relinquat unde vitam tueri poſſet, niſi ipſe egeat. Verum quoniam talis obligatio fundatur in ſocietate & cognatione naturali, confundi non debet cum illa, quæ deſcendit ex jure ſpeciali, quod quis ſibi alterius voluntate & conſenſu ſive tacito ſive expreſſo acquirit: qui enim ſeſe alteri obligat unde acquirit jus perfectum in ſe vel bona ſua, juri perfecto quaſi renunciaſſe videtur, quatenus una per alteram quaſi eluditur vel tollitur, & proinde ex eo capite creditorem jure ſuo utentem inclementiæ vel inhumanitatis accuſare jure nequit. Verum cum jura cognationis non omnino tolli nequeant, & proinde per ſolutionem debitore ad ultimam neceſſitatem redacto, quaſi reviviſcere incipit jus cognationis & ſocietatis humanæ, atque efflagitat charitas & humanitas, ne proximo egenti vitæ ſubſidia recuſemus. Atque hoc fundamento innititur quod inopem debitorem non ad ultimum quadrantem conſequendum omnibus reculis exutiamus, quia ſi eget, nobis incumbit ei ſubvenire juxta charitatis & humanitatis officia: homines enim in mutuum adjutorium nati. Statuit Auctor humanitatis officium efflagitare ab eo, qui juſtum ſuſcepit, ut prius a debitore originario debitum exigatur, antequam ad alios innocentes deveniatur, utpote qui duntaxat in ſubſidium teneri videntur, quamobrem quamdiu ſpes eſt noſtrum nos facile conſequi poſſe ab originariis debitoribus, non veniendum ad eos, qui culpa vacant. Verum ex iis, quæ paulo ante annotavimus, facile perſpicimus hanc diſtinctionem inter ſubditos reos & innocentes in bello locum ſibi vindicare non poſſe, propterea quod omnes cives præſumuntur idem nolle & velle, quod Principi placet, atque eorundem mens & ſententia eadem quæ eſt Principis, & proinde eandem ſovere cauſam ac defendere cenſentur. Unde æquo jure omnes tenentur belli jura pati, omni ſublata diſtinctione, omnes tanquam originarii debitores habentur, niſi forte conſtet eſſe, qui Principis ſui aut concivium cauſam ſuam facere nolint. Zeigletus *lib.* 3. *cap.* 13.

CAPUT

CAPUT XIV.

Temperamentum circa captos.

I. *Quouſque capere homines liceat juſtitia interna:*
II. *Quid interno juſtitiæ dominio in ſervum liceat:*
III. *Non licere occidere innocentem.*
IV. *Non punire inclementer.*
V. *Non operas nimium graves imponere.*
VI. *Peculium quomodo domini, quomodo ſervi.*
VII. *An ſervis fugere liceat.*
VIII. *An e ſervis nati domino teneantur, & quatenus.*
IX. *Quid faciendum ubi captorum ſervitus in uſu non eſt.*

I. 1. Quibus in locis captivitas hominum & ſervitus in more eſt, ſi internam juſtitiam reſpicimus, limitanda primum eſt ad rerum inſtar, ut ſcilicet eo uſque licita ſit talis acquiſitio quouſque debiti aut primarii aut ſubnaſcentis quantitas patitur, niſi forte in ipſis hominibus peculiare ſit delictum quod libertatis damno puniri æquitas ferat. Hactenus igitur nec ultra juſtum bellum gerens in hoſtis ſubditos captos jus habet, idque in alios valide transfert.

Vict. de jure belli, n. 41. Leſ. li. II. c. 5. dub. 5. Covar. c. peccatum, p. II ¶. 1. Molina. diſp. 120. & 121. Valentia diſp. 3. q. 16.

2. Erit autem æquitatis & bonitatis officium hic quoque ea adhibere diſcrimina, quæ cum de interficiendis hoſtibus ageretur ſupra annotata ſunt. Demoſthenes in epiſtola pro Lycurgi liberis laudat Philippum Macedonem quod non omnes qui inter hoſtes fuerant ſervos feciſſet: καὶ γὰρ οὔτε δίκαια εἶναι πρὸς ἅπαντας τὰ αὐτὰ, οὔτε καλὰ ἡγεῖτο, ἀλλὰ τὴν τῆς ἀξίας προσθήκην συλλογιζόμενος τὰ τοιαῦτ' ἐπέκρινεν. *Neque enim*, inquit, *eadem in omnes aut æqua aut honeſta cenſebat, ſed rem exputans cum acceſſione ejus quod quiſque meruiſſet, etiam in talibus velut judicem agebat.*

COMMENTARIUS.

Capite quod præcedit annotavimus quouſque in ſatisfactione & compenſatione petenda & obtinenda procedendum, & quænam proportio obſervanda; eadem quoque obſervanda circa captos, iis ſcilicet in locis, ubi captivitas hominum & ſervitus in more eſt. Verum quærit Zeiglerus, quis faciet æſtimationem hominum captorum, ut juſta ſervetur proportio? Utique victor minus ſe accepiſſe, alter plus perdidiſſe cauſabitur. Cum utrique belligerantes ſuperiorem non habeant, nullique niſi ſibi rationem facti dare adſtricti ſint, & proinde neminem arbitrum vel judicem agnoſcunt, niſi quem eligere ſponte conveniunt. Cujuſque conſcientiæ relicta belli gerendi ratio, tum etiam æſtimatio damni dati, quamobrem ipſi judicant quantum ſufficit capere ex rebus hoſtium, ut damni dati reparatio fiat. Sic etiam de captorum numero eorumque pretio cognoſcet ipſe belli auctor, juſtamque definiet proportionem. Quemadmodum de juſtitia cauſæ ex qua bellum ſuſcipitur penes Principes judicandi arbitrium; ita quoque totius belli gerendi rationem temperat & accommodat ad illam agendi normam & regulam, quam ipſe judicat eſſe juſtam. Interna juſtitia, quæ cujuſque hominis conſcientiæ innata, in deliberationem hic adhibenda, quæ facile demonſtrabit proportionem, æſtimatione facta damni & rerum, quæ ad ſatisfactionem & reparationem capta vel capi poſſunt ex hoſtibus. Vid annot. *cap. præced.* §. 1.

II. 1. Sed primum notandum hic eſt, jus illud quod quaſi ex fidejuſſione pro civitate oritur neutiquam tam late patere, quam jus quod ex delicto naſcitur in eos qui pœnæ ſervi fiunt. Unde Spartanus qui-

dam captivum ſe dicebat non ſervum. Nam ſi rem recte inſpicimus,
jus hoc generale in captos ex bello juſto par eſt ei juri quod habent domini in eos qui ſe paupertate coacti in ſervitutem vendiderunt: demto
quod etiam magis miſeranda eſt eorum calamitas qui non ſuo facto
ſpeciali ſed regentium culpa in eam ſortem deveniunt. Δεινότατον δοριαλώ-
Plataico. τους γενέσθαι: *Res acerbiſſima eſt belli jure captivum fieri*, teſte Iſocrate.

2. Eſt ergo ſervitus hæc perpetua obligatio operarum pro alimen-
Sen. de benef. lib. III. c. 22. tis itidem perpetuis. Chryſippea definitio huic generi ſervorum optime congruit: *Servus eſt perpetuus mercenarius.* Et lex Hebræa eum qui
inopia coactus ſe vendidit diſerte mercenario comparat, Deut. XV.
18, 40, 53. & in redemtura ejus operas ita vult ipſi prodeſſe ſicut fructus ex agro vendito percepti prodeſſent veteri domino, Deut XVIII.
50.

3. Multum ergo diſtat id quod impune in ſervum fit ex gentium jure,
& id quod naturalis ratio fieri ſinit. Ex Seneca ſupra citavimus: *Cum
1 de Clem. c. 18. in ſervum omnia liceant, eſt aliquid quod in hominem licere commune jus animantium vetet.* Philemonis illud eodem tendit:

Κἂν δοῦλος ᾖ τις, οὐδὲν ἧττον, δέσποτα,
Ἄνθρωπος οὗτός ἐστιν ἂν ἄνθρωπος ᾖ.

Here, quiſquis eſt homo natus, quamvis ſerviat
Is ſervitutem, tamen eſſe homo non deſinit.

Ep. XLVII. Alibi item Seneca: *Servi ſunt, imo homines: ſervi ſunt, imo contubernales: ſervi ſunt, imo homines amici: ſervi ſunt, imo conſervi.* Quæ & apud
Coloſ. IV. 1. Macrobium legas ſenſum plane eundem habentia cum Pauli Apoſto-
Epiſt. VI. 9. li dicto: *Domini, jus & quod æquum eſt ſervis præſtate, gnari vobis quoque Dominum eſſe in cœlo.* Et alibi vult dominos cum ſervis non minaciter
agere, eo quod jam diximus argumento, quod & ipſi Dominum in
Lib. VII. c. XIV. Pad. ultim. cœlo habeant qui ad talia qualitatum diſcrimina non attendat. In
Conſtitutionibus quæ Clementi Romano aſſcribi ſolent legitur, οὐκ ἐπιτάξεις δούλῳ σου, ἢ παιδίσκῃ ἐν πικρίᾳ ψυχῆς, *cave ſervo aut ancillæ imperes acerbo animo.*
Clemens Alexandrinus ſervis nos uti vult tanquam alteris nobis, quando homines ſunt non minus quam nos, ſecutus ſapientis Hebræi dictum, εἰ ἐστί σοι οἰκέτης, ἄγε αὐτὸν ὡς ἀδελφὸν, ὅτι ὡς ἡ ψυχή σου. *Si ſervum habeas, ut fratre utere, talis enim eſt qualis tu.*

COMMENTARIUS.

CAp. 7. annotavimus, ſervitutem neutiquam ad crudelitatem trahendam, quamobrem non licitum jure gentium, quod in ratione fundatur atque ex ea originem habet, ut ſæpius annotatum, ultra modum & humanitatem ſævire. Non attendi hic debet abuſus poteſtatis & imperii in ſervos quarundam gentium; quippe earundem prava conſuetudo jus non facit, ſed quid dictat ratio inquirendum, atque ea debet eſſe moderatrix in ſervos imperii ſive dominii. Non ex hominum numero delentur per ſervitutem, verum extrinſeca tantum mutatur conditio, ſtatus libertatis in ſtatum ſervitutis, cujuſmodi ſervitutis impoſitio tollit quidem jura libertatis, non autem humanitatis. Quamvis ſervus, homo tamen, quem humano modo tractari oportet. Sermonem habemus de ſervis, qui non alium dominum habent, quam ipſam quodammodo pœnam, cui ſubditur. Qui vero belli jure captus & in ſervitutem redactus, non deterioris conditionis fit, atque fiunt illi, qui ſe paupertate coacti in ſervitutem vendiderunt. Quamobrem Auctor hanc ſervitutem vocat perpetuam obligationem operarum,

pro

pro alimentis itidem perpetuis. Supponit itaque quaſi tacitam conventionem inter dominum & ſervum, & quaſi contractum innominatum, do ut facias, do tibi alimenta, ut mihi ſervias, vel ſervio tibi, ut mihi alimenta præbeas, quæ nulla intercedit: obligatio enim ad præſtandas operas deſcendit ex jure poteſtatis & imperii ſive dominii in ſervi perſonam jure belli acquiſiti. Unde dicitur ſervitus conſtitutio juris gentium, qua quis contra naturam ſive voluntatem invitus alieno dominio & imperio ſubjicitur. Cujuſmodi ſervitium præſtare non ſub conditione, ut alimenta ſibi præbeantur, ſervus tenetur, ſed ex jure ſervilis conditionis & ſtatus, in quo belli fortuna conſtitutus; tenetur alimenta præbere dominus ex æquitate tum etiam humanitate: iniquum enim eſſet operas exigere & alimenta denegare, tum etiam inhumanum illum fame enecare, qui ejuſdem generis & naturæ nobiſcum particeps. Quamobrem non videtur mihi, licet forte in quibuſdam non in omnibus cum mercenario, nec etiam cum eo, qui inopia coactus ſe in ſervitutem vendidit, comparari poſſe, atque in eo quoque differt, qui inopia adactus ſe vendidit; mercenarius conducitur ſolum, ut per diem operetur, ſervus autem die noctuque hero paratus eſſe debet. Non cum mercenario, quia ille ea conditione præſtare operas convenit, & quaſi una merces ipſi debetur victus. Durior quoque eſt conditio ſervi quam mercenarii, & major ab eo labor exigitur, tum etiam majus imperium, imo dominium potius, quam in mercenarium, ut eſt caſtigare & corrigere etiam verberibus ſervum licet domino, quod mercenarius pati neutiquam tenetur; utpote qui operas duntaxat elocabat, dominium in corpus non transferebat, id eſt, non fiebat dominus perſonæ ſed tantum operæ manuum & miniſterii ejus, ut apud Maimonidem. Nec etiam cum ſervis emptitiis comparari ſervi jure belli capti poſſunt; quippe neque Ebræo, cui addictus ita ſervus, ſive Ebræus ſive Proſelytus, fas erat domino dominari cum duritia, ut in ſervos aliarum gentium aſſolebat, ſed leniter tantum ejuſce miniſteriis uti, atque illis quæ libero homine, ſi ſervitus ipſa avellet, non eſſent indigna. Deinde qui inopia ſe vendidit, ea mente id facit, ut victum ſibi pro miniſterio præbeat dominus, atque hoc pactum ſi non expreſſum ſaltem tacitum intervenit; hinc non præſtito victu operarum quoque præſtandarum neceſſitas & obligatio evaneſcit. Ex eo neutiquam inferre animum induxi, domini in ſervum jure belli captum infinitam eſſe poteſtatem, ſed ampliorem, tum etiam durius hoc ſervitutis jugum, quam alterius. Ex antedictis enim apparet, omnem ſævitiam, atrocitatem ac crudelitatem in ſervos me improbare, quam etiam jure naturæ vetitam arbitror. Servi quidem ſunt, ſed etiam homines nobiſcum ejuſdem generis & originis, ut dicere incepimus, quamobrem ut homines tractandi. *Vis tu cogitare illum, quem tuum ſervum vocas, ex iiſdem ſeminibus ortum, eodem frui cœlo, æque ſpirare, æque mori*, uti ait Seneca *Epiſt.* 47. Sic Epictetus apud *Arrian. lib.* 1. *diſſ.* 13. *Non recordaberis quis ſis, quibus imperes? nonne cognatis? nonne fratribus? nonne a Jove oriundis?* Mite hujuſmodi imperium in ſervos maxime commendat Apoſtolus 2. *Corinth. cap.* 4. vid. *Epiſt. ad Epheſ.* 6. 9. & quæ annotavimus *cap.* 7.

III. Jus ergo vitæ & necis quod dicitur in ſervum domino præſtat ut domeſticam habeat juriſdictionem, ſed nimirum eadem religione exercendam qua publica exercetur. Hoc voluit Seneca cum dixit, *in mancipio cogitandum non quantum illud impune pati poſſit, ſed quantum tibi permittat æqui bonique natura, quæ parcere etiam captivis & pretio paratis jubet:* qui & alibi, *Quid intereſt*, ait, *quali quis teneatur imperio, ſi ſummo tenetur?* quo loco comparat ſubditum ſervo, & ait diſpari titulo paria in illos licere: quod certe in hac parte vitæ adimendæ & ſi quid eo accedit veriſſimum eſt. *Majores noſtri*, ait idem Seneca, *domum noſtram puſillam rempublicam eſſe judicarunt:* & Plinius: *Servis reſpublica quædam & quaſi civitas domus eſt.* Cato Cenſorius, narrante Plutarcho, ſi quis ſervus capital admiſiſſe videretur de eo ſupplicium non ſumebat niſi poſtquam damnatus eſſet, etiam conſervorum judicio. Quicum conferenda verba Job XXXI. 13. & deinceps.

1 de Clem. 18.
Lib. III. *de Benef. c.* 18.
Ep. XLIII.

COMMENTARIUS.

Quod dominus jus vitæ & necis in ſervos habet non repugnat rationi vel æquitati; quippe in ſtatu naturali antequam in civitatem coaliti mortales erant, quiſque paterfamilias merum habuit imperium tanquam Princeps & caput familiæ in ejus membra, quod in ſocie-

tatem civilem coaleſcentes, tranſtulerunt in eum, cui ſocietati tuendæ præfecerunt. Quod itaque jus vitæ & necis habeat dominus in ſervum, non a ratione alienum, modo caveat ne abutatur hoc imperio; abutitur vero, quoties abſque juſta cauſa pœna capitali vel ſimili graviſſima afficit ſervum. Recte Auctor monet domeſticam hanc juriſdictionem eadem religione, qua publicam exercendam.

IV. Sed & circa minores pœnas, puta verbera in ſervos, adhibenda eſt æquitas, imo & clementia. *Non opprimes eum, non dominaberis ei dure*, ait lex divina de ſervo Hebræo, quod nunc prolata vi proximitatis ad omnes ſervos debet extendi, Deut. xv. 17, 45, 53. Ad quem locum ſic Philo: Θεράποντες τύχῃ μὲν ἐλάττονι κέχρηνται, φύσεως δὲ τῆς αὐτῆς μεταποιοῦνται τοῖς δεσπόταις, τῷ δὲ θείῳ νόμῳ κανὼν τῶν δικαίων ἐςὶν ἐ τὰ τύχης, ἀλλὰ τὲ τῆς φύσεως ἐναρμόνιον. Διὸ προσήκει τὰς κυρίες μὴ κατακόρως χρῆσθαι ταῖς ἐξεσίαις κατὰ τῶν οἰκετῶν, ἀλαζονείαν καὶ ὑπεροχίαν καὶ δεινὴν ὠμότητα ἐπιδεικνυμένες. Ταῦτα γὰρ ἐκ ἔςι δείγματα ψυχῆς, εἰρηνικῆς, ἀλλ' ὑπ' ἀκρασίας τὸν ὑπεύθυνον (male editum ἀνεύθυνον) κολαζέσης κατὰ τυραννικὴν δυναςείαν. *Servi quidem inferiores ſunt, natura autem pares dominis: ac divinæ legi juſti regula eſt, non quod fortunæ ſed quod naturæ congruit. Ideo non oportet dominos poteſtate ſua in ſervos proterve uti, nec eam materiam ſumere ſuperbiæ & inſolentiæ & diræ feritatis. Hæc enim ſigna animi non placidi ſed male temperati, & in ſubditos tyrannico quodam dominatu ſævientis. Num quidnam æquum eſt*, ait Seneca, *gravius homini & durius imperari quam imperatur animalibus mutis? atqui equum non crebris verberibus exterret dominandi peritus magiſter; fiet enim formidoloſus & contumax niſi eum tactu blandiente permulſeris.* Et mox: *quid ſtultius quam in jumentis quidem & canibus erubeſcere iram exercere, peſ-*
Exod. *ſima autem conditione hominem eſſe?* Hinc eſt quod Hebræa lege ſervo aut
xxi. 26, ancillæ non pro oculo tantum ſed & pro dente excuſſo, per injuriam
27. ſcilicet, libertas debebatur.

COMMENTARIUS.

IN puniendo ſervo aliquando ſeveritas clementiæ præferenda, ſcilicet ſi natura ad peccandum proclivis, ſeverius in eum animadvertendum, ut eo magis a malefaciendo deterreatur, verum nunquam modum excedere oportet, & proinde temperare ac moderari iracundiam, quæ ſæpius in cauſa, quod in exceſſu peccamus. Tutius autem eſt plus clementiæ quam ſeveritati indulgere.

V. 1. Sed & operæ cum modo exigendæ ſunt, & valetudinis ſer-
Exo. xx. vorum humanæ habenda ratio. Quod ipſum præter alia ſpectat lex
10. xxiii. Hebræa in Sabbathi inſtitutione, nimirum ut laboribus aliquod da-
2. *Deut.* x. retur ſpiramentum. Et C. Plinii epiſtola ad Paulinum quæ ſic incipit:
14. *Video quam molliter tuos habeas, quo ſimplicius confitebor tibi qua indulgentia meos tractem. Eſt mihi ſemper in animo Homericum illud* ἐκυρὸς δὲ πατὴρ ὡς ἤπιος ἦεν, *& hoc noſtrum paterfamilias.*

Ep. 2. In eadem voce veterum humanitatem obſervat & Seneca: *Ne*
xlvii. *illud quidem videtis quam omnem invidiam majores noſtri dominis, omnem contumeliam ſervis detraxerint? dominum patremfamiliæ appellaverunt, ſervos familiares.* Dion Pruſæenſis optimum regem deſcribens: δεσπότην δὲ ἐχ᾽ ὅπως τῶν ἐλευθέρων, ἀλλὰ μηδὲ τῶν δέλων χαίρειν καλέμενον; *domini nomen adeo in homines liberos*

non uſurpat, ut & in ſervos eo abſtineat. Ulyſſes apud Homerum ſervos (*Od. φ.*) qnos fidos reperit apnd ſe ait futuros eo loco quaſi Telemachi filii ipſius fratres eſſent. Tertullianus: *Gratius eſt nomen pietatis quam poteſtatis: etiam familiæ magis patres quam domini vocantur.* Hieronymus ſive Paulinus ad Celantiam: *Familiam tuam ita rege & conſtitue ut te matrem magis tuorum quam dominam videri velis, a quibus benignitate potius quam ſeveritate exige reverentiam.* Auguſtinus: *Domeſtica pax a juſtis patribus ita* (*Lib. xix. de Civit. Dei, cap. 16.*) *olim adminiſtrata eſt, ut ſecundum hæc temporalia bona filiorum ſortem a ſervorum conditione diſtinguerent, ad Deum autem colendum omnibus domus ſuæ membris pari dilectione conſulerent: quod naturalis ordo ita præſcribit, ut nomen patrisfamilias hinc exortum ſit, & tam late vulgatum, ut inique etiam dominantes hoc ſe gaudeant appellari. Qui autem veri patresfamilias ſunt, omnibus in familia ſua tanquam filiis ad colendum & promerendum Deum conſulunt.*

3. Similem pietatem in voce puerorum, qua ſervos ſignificabant, annotavit Servius ad illud Maronis, *Claudite jam rivos pueri;* nec diſſimile quod Heracleotæ ſervos ſuos Mariandynos δωροφόρυς, id eſt, *donatarios* appellabant, ἀφαιρῦντες τὸ πικρὸν τῆς προσηγορίας, *parcentes acerbitati nominis*, ut ad Ariſtophanem vetus interpres Calliſtratus notabat. Laudat Germanos Tacitus, quibus ſervi tanquam coloni habebantur. Theano in epiſtola: δικαία χρῆσις ἵνα μήτε διὰ τὸν κόπον κάμνωσι, μήτε ἀδυνατῶσι διὰ τὴν ἔνδειαν. *Juſtus mancipiorum hic eſt uſus, ut nec præ labore deficiant, nec per egeſtatem impares ſint ferendo.*

C O M M E N T A R I U S.

CUm enim ſervus nobiſcum ejuſdem naturæ particeps, oportet ejus rationem haberi in operis exigendis & imponendis, ne vires excedant, cumque iiſdem naturæ imbecillitatibus obnoxius, quid humeri ferre valent examinandum incumbit domino, ſi forte morbo implicitus, vel aliquo naturæ vitio laborat, vel a labore plane excuſandi, vel ſaltem moderari debet, & ad vires accommodari. Ipſa divina lex nobis hic exemplar eſſe poteſt, quomodo tractare ſervum nobis incumbit: cum enim in finem quoque ſabbathum inſtitutum videtur, ut ſuccurreretur ſervo, ne aſſiduo labore abſumeretur. Sancitum enim lege Hebræa: *Sex diebus operibus tuis incumbes, ſeptimo vero die ceſſabis, cum ut bos, aſinuſque tuus requieſcant, tum ut verna tuus & peregrinus reſpirent.* *Exod.* 23: 12. Quamobrem addit Moſes *Deut.* 5. ut meminerint ſe ſervos fuiſſe in Ægypto, ubi experti fuiſſent quam dura ſervitutis conditio: nulla enim ibi quies concedebatur, ſed quotidianum penſum nulla dierum diſtinctione habita crudeliter exigebatur, & proinde clementer tractarent ſervos, ne nimio labore conſumant, ſed diſcerent commiſereri afflictis, & parcere ſervis. Dominium in ſervos jus quidem dominis tribuit quaſcunque operas imponere, ut pro earum conditione & viribus præſtent; verum maxime abutitur hoc in ſervos dominio vel immoderatis laboribus, ſi inedia, nuditate, vel injuſto ſupplicio, aut aliqua alia ratione indebita, valetudini aut corpori eorum noceant, imo lethaliter peccant, uti inquit Molina *tract.* 2. *diſp.* 38. *Famulis utendum tanquam nobis ipſis: ſunt enim homines ſicut nos*, inquit Clemens Alexandrinus. Tractandos ſervos ſuaviter monet Ariſtoteles 1. *Pol.* Iſidorus *lib.* 9. *origin. cap.* 7. ait: *Paterfamilias dictus, quod omnibus in familia ſua poſitis tanquam pater filiis patria dilectione conſulit, ſervorumque conditionem a filiorum affectu non diſcernit, ſed quaſi unum membrum amplectitur: hinc enim exorſum eſt nomen patrisfamilias.*

VI. 1. Pro opera ut diximus alimenta ſervo debentur. *Servis*, ait Cicero, (*D. off.* 1.) *non male præcipiunt qui ita jubent uti ut mercenariis: operam exigendam, juſta præbenda.* Ariſtoteles: (1. *Oecon.*) δύλῳ μισθὸς τροφή, *Servo pro mercede alimenta.* Cato: (*v. Lib.* 111. *de Ben. Ad Phorm.*) *Familiæ ut bene ſit provideto, ut algeat, ne eſuriat: Eſt ali-*

Digitized by Google

quid, ait Seneca: *quod dominus præſtare ſervo debeat: ut cibaria, veſtiarium.* In cibariis erant quaterni modii frumenti in menſem, quos præſtitos ſervis Donatus auctor eſt. Martianus Juriſconſultus eſſe ait quæ dominus neceſſe habet ſervo præſtare, ut tunicas & ſimilia. Damnatur ab hiſtoriis Siculorum crudelitas, qui captivos Athenienſes fame necabant.

a. 1. Sc. 1. L. Peculium naſcitur. D. de peculio. Thuc. l. vii. Diod. libr. xiii.

2. Inſuper Seneca dicto loco probat in quædam liberum eſſe ſervum, & beneficii quoque habere materiam ſi quid fecerit quod ſervilis officii modum excedat, quod non ex imperio ſed ex voluntate præſtetur, ubi ex miniſterio in affectum amici tranſitur, quod late explicat. His conſentaneum eſt, ut ſi quid ſervus, quemadmodum apud Terentium eſt, ſuum defraudans genium comparſit, aut ſucciſivi temporis diligentia quæſivit, id aliquo modo ſit ipſius. Non male Theophilus peculium definit οὐσίαν φυσικὴν naturale patrimonium; quaſi contubernium definias naturale matrimonium; ſed & Ulpianus peculium dixit puſillum patrimonium. Nec refert quod peculium dominus ſuo arbitrio adimere poteſt aut minuere: neque enim quod æquum eſt faciet, ſi ſine cauſa id faciat. Cauſam vero intelligo non pœnam modo, ſed & domini neceſſitatem: nam ſervi utilitas utilitatibus domini ſubeſt, magis etiam quam res civium civitati. Appoſite ad hanc rem Seneca: *non ideo nihil habet ſervus, quia non eſt habiturus, ſi dominus illum habere noluerit.*

Inſt. quod cum eo qui in alt. p. L. depoſiti, ¶. 3. D. de peculio. VII. de benef. 14.

3. Et hinc eſt quod dominus non repetit ſi quid ſervo in ſervitute debitum poſt manumiſſionem ſolvit: quia (ut Tryphoninus ait) debiti vel non debiti ratio in condictione naturaliter intelligitur: Dominus autem ſervo debere naturaliter poteſt. Itaque ſicut clientes in uſum patronorum & ſubditos in uſum regum, ſic ſervos in uſus heriles contuliſſe legimus, ut ſi filia dotanda, ſi captivus filius redimendus, & ſi quid his eveniſſet ſimile. Plinius, ut ipſe in epiſtolis narrat, ſervis ſuis concedebat etiam quædam quaſi teſtamenta facere, id eſt dividere, donare, relinquere intra domum. Apud aliquas gentes etiam plenius quoddam res acquirendi jus ſervis conceſſum legimus, ſicut ſervitutis plures eſſe gradus a nobis alibi tractatum eſt.

L. ſi quid. D de con. indeb. Diony. l. 11. Lib. VIII. epiſt. 16. Lib. 11. c. v.

4. Ad hanc internam quam exponimus juſtitiam multos apud populos etiam jus illud exterius dominorum leges retraxerunt. Nam & apud Græcos ſervis durius habitis licebat πρᾶσιν αἰτεῖν *ad venditionem proclamare*, & Romæ ad ſtatuas confugere, aut præſidum implorare opem contra ſævitiam, vel famem, vel intolerabilem injuriam. Illud vero jam non ex jure ſtricto ſed ex humanitate & beneficentia veniet, interdum tali quæ & debeatur, ut poſt longas operas aut valde magnas libertas detur ſervo.

§. 2. Inſt. de his qui ſui vel al. jur.

5. Poſteaquam jure gentium ſervitus invaſit ſecutum eſt beneficium manumiſſionis, ait Ulpianus. Exemplo ſit illud Terentianum:

L. manumiſſiones. D. de Juſt. & Jure.

Feci

Feci e ſervo ut eſſes libertus mihi
Propterea quod ſervibas liberaliter.

Salvianus in uſu quotidiano eſſe ait ut ſervi etſi non optimæ ſaltem *Lib. III.*
non improbæ ſervitutis libertate donentur. Addit, *& illa quæ in ſervi-*
tute poſiti conquiſierant ex dominorum domo tollere non vetantur. Cujus beni-
gnitatis multa exempla in martyrologiis apparent. Et hic quoque *Deut. XV.*
laudanda benignitas legis Hebrææ, quæ ſervum Hebræum certo tem- *13.*
pore exacto manumitti omnino jubet, nec ſine donis; de cujus legis
contemtu graviter queruntur Prophetæ. Catonem majorem repre-
hendit Plutarchus quod ſervos ſenectute confectos venderet, imme-
mor ejus quæ eſt inter homines communis naturæ.

COMMENTARIUS.

DEbentur pro opera alimenta, verum non ex pacto ſive conventione expreſſa vel tacita, quæ ſervo facultatem tribuit jure perfecto ea exigere a domino, verum debentur ex humanitate & æquitate, debentur tanquam medium ſine quo ſervus operas præſtare nequit, ita ut a domino ſervus ea exigat tanquam medium neceſſarium, ſine quo idoneus eſſe nequit ad præſtandum quod exigit dominus. Cum enim aliunde nihil habeat, quo ſe ſuſtentat, ratio poſtulat, ut ea ipſi præbeat dominus, dum ejus utitur miniſterio & ſervitio. Alimentorum præſtatio non tantum cibaria, ſed etiam veſtiarium includit. Quamobrem conjungi ſolent victus & amictus. Adeo ut ſi dominus ſervo alimenta deneget, poſſit cogi illum alteri vendere. *l. 2. ff. de his qui ſui. Inſt. eod. §. fin.* Etiam beneficii in eo materiam eſſe, inquit Auctor, ut ſi quid præſtiterit quod ſervilem modum excedat, cujus in compenſationem vergit ſi peculium aliquod jure proprio ipſi permittatur, quod naturale ejus patrimonium vocatur, puſillum dicit patrimonium Ulpianus *l. 5. §. 3. ff. de pecul.* Quod ſervus permiſſu domini ſeparatum a rationibus dominicis habet, deducto inde ſi quid domino debetur, ut ait Tubero. Unde gloſſa annotat, quod peculii tota natura atque conditio a voluntate & deſtinatione unius, id eſt, ipſius domini, ſed quod ipſe dominus peculium eſſe voluit. Quamobrem dominus ſervo peculium totum vel adimere, vel augere, vel minuere poteſt. *l. 4. ff. de pecul.* Verum quod ſemel dominus ipſe dedit, ut haberet tanquam ſuum peculium, ſervi patrimonium recte vocatur, ſi jus naturale ſpectes, quia ejus proprium, & diſtinctum a rationibus dominicis, quamobrem augere vel minuere ſine juſta cauſa nequit, uti merito Auctor ſtatuit. Non inficior quemadmodum in ſervi perſonam dominium acquiſitum domino, ita etiam & in res ac bona, quæ perſonæ acceſſorium, ſimul domino competit, ut alibi annotavimus. Verum quatenus dominus permittit ſervo, ut ſibi peculium habeat, id eſt, patrimonium ſeparatum a rebus domini, quod ſuo arbitrio & diſpoſitioni ſubjacet, rennnciaſſe videtur dominus juri ſuo ſive dominio in ſervi peculium, reſervato tamen ſibi dominio eminenti, ut ita dicam, ita ut ob juſtam cauſam jure ſibi diſpoſitionem de peculio ſervi poſſit vindicare. Recte enim Auctor: nam ſervi utilitas utilitatibus domini ſubeſt, magis etiam quam res civium civitati. Quamobrem dominus non repetit, ſi quod ſervus in ſervitute debitum poſt manumiſſionem ſolvit: dominuin enim ſervo naturaliter obligari tradit Tryphoninus *l. 64. ff. de cond. indeb. Si quod dominus*, inquit, *ſervo debuit, manumiſſo ſolvit, quamvis exiſtimans ei ſe aliqua teneri actione, tamen repetere non poterit: quia naturale agnovit debitum: ut enim libertas naturali jure continetur, & dominatio ex gentium jure introducta eſt, ita debiti vel non debiti ratio in condictione naturaliter intelligenda eſt.* Cujus legis ſententiam hanc eſſe tradit Cujacius, ut libertas jure naturali continetur, & ſervitus jure gentium, quod & ipſum naturale eſt, ita & in condictionum quæſtione debitum & indebitum naturaliter accipitur, id eſt, jure gentium, non civiliter: & indebitum quidem natura ſive jure gentium condicitur, debitum natura non condicitur. Ad hanc internam juſtitiam poteſtatem dominicam in ſervos leges quarundam gentium retraxerunt, ut paulo ante annotavimus, eamque ſuis cancellis circumſcripſerunt, ita ut ſervis durius habitis juris remedium largitæ, quo ſemet ipſos tueri poterant adverſus nimiam ſævitiam & crudelitatem domini; & quamvis ſervo non permitteretur apud Romanos agere in judicio adverſus dominum ſuum, niſi in cauſa ſuæ libertatis, & in aliis quibuſdam eventibus, qui ad commune bonum ſpectant, *l. 49. ff. de jud.* permittitur tamen adire magiſtratum, eique denunciare injurias & damna, quæ a domino ſuo patitur: judicique præcipitur, ut ex officio ſuo procedat de plano ad inquirendam veritatem denunciati. *Inſt. de iis qui.* ubi Imperator Antoninus, ut ſi intolerabilis videatur ſævitia dominorum, cogantur ſervos ſuos bonis conditionibus vendere, ut pretium domino daretur. Atque *l. 1. ff. de offic. Præfect. urb.* habetur,

betur, ſi domini ſervos ſævitia, ſi duritia, ſi fame premant, ſi in obſcœnitatem eos compulerint vel compellant, apud Præfectum urbis exponant. Poſtquam jure gentium ſervitus invaſit, eodem quoque jure in ſolatium amiſſæ libertatis introducta manumiſſio, quæ quamvis voluntaria, excepto caſu quo in fraudem creditorum fieret, quod lege vetitum, in uſu tamen fuiſſe, ut ſervi etſi non optimæ ſaltem non improbæ ſervitutis, libertate donarentur, Salvianus notat. Lex Hebræa, propterea quod nimis durum videbatur, ut perpetuo ſervitutis jugo homo premeretur, hac æquitate mitigavit acerbum ſervitutis onus, utpote quæ certum tempus præfixit, quo finito, ſervum liberum dimittendum voluit, nec ſine donis: de poſſeſſione tua donando, de pecudibus, frumentis, vino, juxta abundantiam divinæ liberalitatis circa te. Quippe ut inquit Cicero 1. *off. Videndum enim ne major benignitas ſit, quam facultates. Dabo egenti, ſed ut ipſe non egeam*, ait Seneca *de benef.* 15. Quæ legis ratio cum æquitate ſumma nitatur, recte extenditur ad omnes, qui juſtam ſervitutem ſerviunt, præſertim quia eſt favorabilis.

Silv. verb. ſervitus. §. 3. *Fortunius in l. manumiſſiones, D. de juſt. & jur. Æg. Reg. de act. ſupern. diſp.* 31. *dub.* 7. *num.* 119. *Leſſius L.* 11. *c.* 5. *Deut.* XV. 13.

VII. Quæſtio hic incidit, an fugere fas ſit ei qui bello juſto captus eſt. Non de eo agimus, qui ſuo proprio delicto pœnam eam eſt commeritus, ſed qui publico facto in hanc fortunam decidit. Verius eſt fas non eſſe, quia ex conventione ut diximus gentium communi operas ſuas civitatis nomine debet. Quod tamen ita eſt intelligendum, niſi intolerabilis ſævitia hanc ipſi imponat neceſſitatem. Videri circa hanc rem poteſt reſponſum Gregorii Neocæſarienſis XVI.

VIII. 1. Movimus alibi dubitationem, an & quatenus nati ex ſervis domino teneantur interno jure, quæ hic ob ſpecialem bello captorum conſiderationem omitti non debet. Si parentes ſuo delicto pœnam mortis erant commeriti, poterunt eorum poſteri qui ſperabantur ad vitam ſervandam obſtringi ſervitio, quia alioqui exſtituri non fuerant. Nam & ob alimenta alioquin defutura prolem ſuam parentes in ſervitutem vendere poſſunt, ut ibi diximus. Tale eſt jus quod in Cananæorum poſteros Hebræis Deus concedit.

2. Pro debito autem civitatis ii quidem qui jam nati erant ut pars civitatis obligari poterant non minus quam parentes ipſi. At in nondum natis non videtur hæc cauſa ſufficere, ſed alia requiri: aut ex parentum conſenſu expreſſo accedente alendi neceſſitate, idque etiam in perpetuum: aut ex ipſa alimentorum præſtatione, idque duntaxat uſque dum operæ totum quod impenſum eſt expunxerint. Si quid ultra juris in hos domino datur, id videtur ex lege civili dominis plus æquo largientibus procedere.

IX. 1. At quas apud gentes jus illud ſervitutis ex bello in uſu non eſt, optimum erit permutari captivos: proximum dimitti pretio non iniquo. Hoc quale ſit præciſe definiri non poteſt: ſed humanitas docet non ultra intendi debere quam deducto ne egeat captus rebus neceſſariis: nam & leges civiles hoc multis indulgent qui ſuo facto proprio in debitum inciderunt. Alibi hoc pactis aut moribus definitur: ut apud Græcos olim mina, nunc inter milites menſtruo ſtipendio.

Quæſt. Gr.

Narrat Plutarchus olim inter Corinthios & Megarenſes bella geſta ἡμέρως καὶ συγγενικῶς, *manſuete & ita ut populos conſanguineos decebat*. Si quis captus eſſet, eum a captore habitum ut hoſpitem & fide de pretio accepta dimiſſum domum: unde natum δορυξένων nomen.

2. Ex-

2. Excelſioris animi eſt illud Pyrrhi a Cicerone laudatum:

Nec mi aurum poſco, nec mi pretium dederitis:
Ferro non auro vitam cernamus utrique:
Quorum virtuti belli fortuna pepercit
Eorundem libertati me parcere certum eſt.

Non dubium quin crediderit Pyrrhus juſtum a ſe bellum geri: tamen parcendum exiſtimabat eorum libertati quos probabiles cauſæ in bellum tuliſſent. Simile Cyri factum celebrat Xenophon; Philippi 11. Cyrop.
Macedonis poſt victoriam in Chæronea Polybius; Alexandri in Scythas Curtius; Ptolemæi regis & Demetrii, inter ſe non bello magis *Vita Dem.*
quam in captivos benignitate certantium, Plutarchus. Lyſimachum *Strabo lib. VII.*
vero Getarum Rex Dromichætes bello captum hoſpitem ſuum fecit, paupertatiſque ſimul Geticæ ac comitatis teſtem factum perpulit ut talibus amicis quam hoſtibus uti mallet.

COMMENTARIUS.

An fugere fas ſit ei qui juſto bello captus, diſputavimus *cap.* 7. atque cum Auctore ſtatuimus, ſervo fas non eſſe in foro conſcientiæ, domino invito, aufugere. Verum notandum quod ad natos etiam hoc jus porrigatur, neque id rationi repugnat, uti patet ex iis, quæ *lib.* 2. *cap.* 5. §. 19. tum etiam *cap.* 7. *h. l.* §. 2. annotavimus. Videtur Auctori non iniquum, ut in ſervos prognatos ex delicto parentis jus hoc porrigatur, ob rationem ab Auctore & nobis etiam *dict. cap.* adductam. Verum pro debito civitas in natos duntaxat, tanquam civitatis partes ac membra, in naſcituros autem porrigi non oportere ſtatuit, niſi accedat alia ratio, quam notat Auctor. Verum non opus eſt ut aliam hic fingamus vel excogitemus rationem, quam eſt vulgaris illa & omnibus nota, quæ ex ipſo dictamine rationis, tum etiam rei natura profluit, unica & vera ratio eſt, quam *dict. loc.* annotavimus, quod fœtus ſequitur conditionem ventris: eſt enim portio viſcerum matris, quamobrem non iniquum ut eidem ſervituti ſubjiciatur, cui mater ſubjecta: quod enim e re mea naſcitur, meum eſt; atqui ſerva non quoad operas duntaxat, ſed etiam corpus ad dominum pertinet; ergo nec injuria fit proli, quod ejuſdem cum matre ſit condirionis particeps. Atque hoc ſenſu dicitur ſervitio ſubjectus captæ uxoris Arminii uterus, apud Tacit. 1. *annal. cap.* 59. Hodie vero ubi jus ſervitutis in bello non eſt in uſu, optimum eſt, permutare captivos, vel juſto pretio redimere, de quo, ut alibi diximus, conveniri ſolet inter belligerantes, habita ratione perſonæ, ejuſve dignitatis & conditionis, ut juſta inveniatur proportio: nulla enim conventione facta æſtimatio ejus eſt in victoris arbitrio. Verum recte monet Gentilis, illud non immoderatum eſſe oportere: quibus vero cancellis hoc circumſcribendum ne moderationem juſtam excedat, non conveniunt D. D. Auctor noſter quouſque extendi poteſt docet, dum inquit, humanitatem ſuadere non ultra intendi debere, quam deducto, ne egeat captus rebus neceſſariis. Inter Græcos auri libra ſe redimebant, teſte Bodino *de Republ. lib.* 1. *cap.* 5. Gloriatur Scipio, Scipionis Africani pater, *emiſſos Carthaginienſes duovicenis denariis æſtimatos fuiſſe*, apud Liv. *lib.* 21. Verum cum hæc incerta ſint, melius eſt, ut pactis expreſſis ſuper his conveniatur, quæ olim *Quartier*, noviſſimo vocabulo *Cartel* appellari ſolent, ac pretium quod iis definitur, *Rantſoen* dicitur vulgari vocabulo. Interim vero, dum captus eſt, eum tractare oportet pro ſua conditione indulgenter. Atque ad Magiſtros militum pertinere, inquit Gentilis, eorum cavere duritiem, qui contra jus gentium affligunt hominem captum. Excelſioris vero animi eſt illud Alexandri: *Me non mercatorem memini eſſe, ſed Regem, captivos, ſi placet reddi, dono dabimus honeſtius, quam pretio remittimus.*

CAPUT XV.

Temperamentum circa acquiſitionem imperii.

I. *Quatenus juſtitia interna permittat imperium acquiri.*
II. *Laudabile eſſe hoc jure in victos abſtinere.*
III. *Sive eos miſcendo victoribus:*
IV. *Sive relinquendo imperium his qui habuerant:*
V. *Interdum impoſitis præſidiis:*
VI. *Aut tributis etiam & ſimilibus oneribus:*
VII. *Utilitas ab hac moderatione indicatur.*
VIII. *Exempla: & de mutata forma reipublicæ apud victos.*
IX. *Imperium ſi aſſumendum ſit, recte partem ejus victis relinqui.*
X. *Aut certe libertatem aliquam.*
XI. *Præcipue in religione.*
XII. *Saltem victos clementer haberi oportere; & cur?*

Vid. de jure belli, n. 38. & 95.

I. Quæ in ſingulos aut exigitur æquitas aut laudatur humanitas, tanto magis in populos aut in populorum partes, quanto in multos inſignior eſt & injuria & beneficentia. Juſto bello ut alia acquiri poſſunt, ita & jus imperantis in populum, & jus quod in imperio habet ipſe populus: ſed nempe quatenus fert aut pœnæ naſcentis ex delicto aut alterius debiti modus. Quibus addenda eſt cauſa vitandi periculi ſummi. Sed hæc cauſa plerumque cum aliis miſcetur, quæ tamen ipſa tum in pace conſtituenda tum in utenda victoria maxime ſpectanda eſt. Nam cætera eſt ut remittantur ex miſericordia. In publico autem periculo, quæ modum excedit, ſecuritas immiſericordia eſt. Iſocrates ad Philippum, τῶν βαρβάρων ἐπὶ τοσοῦτον ἐξαρκέσει κρατεῖν ὅσον ἐν ἀσφαλείᾳ καταστῆσαι τὴν σαυτοῦ χώραν: *barbari hactenus edomandi ſunt, quantum ſatis erit ut tuam regionem in tuto colloces.*

Jugurth. De rep. VII. c. 14. & 15. & X. Nic. c. 7. De Off. I.

II. 1 Criſpus Salluſtius de Romanis veteribus, *Majores noſtri religioſiſſimi mortales nihil victis eripiebant præter injuriæ licentiam.* Digna quæ a Chriſtiano diceretur ſententia: quicum illud ejuſdem convenit: *Sapientes pacis cauſa bellum gerant, & laborem ſpe otii ſuſtentant.* Ariſtoteles non ſemel dixerat, πόλεμον εἶναι εἰρήνης χάριν, ἀσχολίαν δὲ σχολῆς, *bellum pacis & negotium otii cauſa inſtitutum.* Nec aliud vult Cicero, cujus hoc eſt ſanctiſſimum effatum: *Bellum ita ſuſcipiatur ut nihil aliud niſi pax quæſita videatur.* Ejuſdem & hoc ſimile: *Sic ſuſcipienda bella ſunt ob eam cauſam ut ſine injuria in pace vivatur.*

Th. 1. 2. q. 40. art. 1. ad 3. Wil. Mat. de belli ſec. requiſ. q. 7. De civ. Dei lib. IV. 15. C. I. v. 13.

2. Nihil hæc diſtant ab his quæ nos docent veræ religionis Theologi, finem belli eſſe amovere ea quæ pacem perturbant. Ante Nini tempora, ut ex Trogo alibi dicere cœpimus, fines imperii tueri magis quam proferre mos erat; intra ſuam cuique patriam regna finiebantur: Reges non imperium ſibi, ſed populis ſuis gloriam quærebant, contentique victoria imperio abſtinebant: quo nos retrahit quantum poteſt Auguſtinus, cum ait: *Videant tamen ne forte non pertineat ad viros bonos gaudere de imperii latitudine.* Qui & hoc addit: *felicitas major eſt vicinum habere concordem quam vicinum malum ſubjugare bellantem.* Adde quod in ipſis Ammonitis Propheta Amoſus ſevere reprehendit hoc ſtudium proferendorum per arma finium.

COMMENTARIUS.

REcte hic procedit Auctoris argumentum a ſingulis hominibus ad populum univerſum, adeo ut, quæ æquitas exigitur in ſingulos, vel laudatur humanitas, tanto magis in populos aut populorum partes Eadem hic juris verſatur ratio: conſtat enim cœtus vel ſocietas civilis aut univerſitas, ſive partes ejus ex hominum multitudine, qui in unum quaſi corpus coaliti, quaſi unum tantum totum unanique perſonam repræſentent. Quod itaque æquitas exigit & ſuadet humanitas, obſervandum circa ſingulos homines qua homines, idem ſibi jus locum vindicat in ſocietate ſive plurimorum hominum cœtu; quippe conditio illa adventitia non mutat conditionem naturalem, quamobrem eadem jura & humanitatis officia, quæ dictat æquitas & naturalis ratio, homini proximo præſtanda, inter populos & gentes locum habere debent. Eadem relatio, quam homines habent inter ſe in ſtatu naturali, inter gentes & diverſos populos obtinet. Quemadmodum autem juſto bello alia acquiri poſſunt, ita quoque jus imperantis in populum, & jus quod in imperio habet ipſe populus, modo juſtæ ſubſunt cauſæ; juſtas autem cauſas recenſet Auctor. Sin vero alias publica ſalus atque utilitas, tum etiam ſecuritas in tuto eſſe poteſt, laudabile victori eſt, hoc jure abſtinere in victos propter humanitatem. Non oportet Principem, imprimis Chriſtianis ſacris initiatum, in bello ſuſcipiendo ullum alium habere finem, niſi ut debellatis ſuperbis in otio & pace vivere liceat; debellati autem ſatis videntur, dum ipſis omnis nocendi facultas erepta. Jure imperii eos multare, quibus abſque hoc jure injuriæ licentiam eripere poteſt victor, ab humanitate alienum: pace enim obtenta, quæ belli finis, cætera potius remittere generoſi animi eſt; *bellorum fines egregii, quoties ignoſcendo tranſigatur*, apud Tacit. 12. *annal. cap.* 19. & nota ac teſtimonium non ex imperii libine, quæ haud juſta belli cauſa, ſed pacis ſtudio bellum ſuſcepiſſe, ut liceat vivere in ſecuritate. *Nullum*, inquit Cicero, *bellum a civitate optimâ ſuſcipitur, niſi aut pro fide, aut pro ſalute*, ea in tuto collocata, contentum eſſe victorem oportet. Sed quis ignorat illud Salluſtii: *Unicam eamque veterem cauſam bellandi eſſe prof ndam cupidinem imperii & divitiarum*; quæ ſolet juſtitiæ velo tegi & quaſi obumbrari. Nec hac cupidine vacui Ammonitæ, verum diſplicere hanc belli cauſam denunciavit iis Propheta. *Inferre bella finitimis, & inde ad cætera procedere, ac populos ſibi non moleſtos, ſola regni cupiditate conterere & ſubdere, quid aliud quam grande latrocinium nominandum*, inquit Auguſtinus *de civ. Dei lib.* 4. *cap.* 6. Vid. quæ *lib.* 1. *cap.* 1. annotavimus.

III. Ad hoc antiquæ innocentiæ exemplar proxime acceſſit veterum Romanorum prudens modeſtia: *Quid hodie eſſet imperium*, ait Seneca, *niſi ſalubris providentia victos permiſcuiſſet victoribus? Conditor noſter Romulus*, ait apud Tacitum Claudius, *tantum ſapientia valuit ut pleroſque populos eodem die hoſtes, deinde cives habuerit*: addit, exitio Lacedæmoniis & Athenienſibus nihil aliud fuiſſe quam quod victos pro alienigenis arcebant. Livius rem Romanam auctam dicit hoſtibus in civitatem recipiendis. Exempla exſtant in hiſtoriis Sabinorum, Albanorum, Latinorum, deinde aliorum ex Italia: donec poſtremo *Cæſar Gallos in triumphum duxit, idem in curiam.* Cerialis in oratione ad Gallos quæ apud Tacitum: *Ipſi plerumque legionibus noſtris præſidetis: ipſi has aliaſque provincias regitis. Nihil ſeparatum clauſumque.* Et mox: *Proinde pacem & vitam, quam victi victoreſque eodem jure obtinemus, amate, colite.* Tandem, quod mirandum maxime, in orbe Romano qui ſunt, ex conſtitutione Imperatoris Antonini cives Romani effecti ſunt, quæ verba ſunt Ulpiani. Ex eo, ut Modeſtinus ait, Roma communis patria eſt. Et de ea Claudianus:

L. 11. de Ira, c. 34.
Ann. v.
Lib. 1.
L. in orbe, D. de ſtat. hom. l. Roma. D. ad munic.

Hujus pacificis debemus moribus omnes,
Quod cuncti gens una ſumus.

COMMENTARIUS.

Hinc victi Sabini fuſique in civitatem Romanam recepti, atque in unum idemque corpus coaluerunt cum Romanis, imo imperii conſortes fiunt, commune regnum vocat Livius; unde auctæ inde Romani imperii vires, ut teſtatur Cicero *pro Corn. Balbo. Illud vero*, inquit, *ſine ulla dubitatione maxime noſtrum fundavit imperium, & populi Rom. nomen auxit, quod princeps ille creator hujus urbis Romulus, fœdere Sabino docuit, etiam hoſtibus recipiendis augeri hanc civitatem oportere. Cujus auctoritate & exemplo nunquam eſt intermiſſa a majoribus noſtris largitio & communicatio civitatis. Itaque ex Latio multi & Tuſculani, & Lanuvini, & ex cæteris generibus, gentes univerſæ in civitatem ſunt receptæ : ut Sabinorum, Volſcorum, Hernicorum, quibus ex civitatibus, ne coacti eſſent civitatem mutare, ſi qui noluiſſent, nec, ſi qui eſſent, civitatem noſtram beneficio populi Rom. conſecuti, violatum fœdus eorum videretur.* Idem fere Dionyſ. Hal. *lib.* 1. *Cum*, inquit, *Romulus ſibi cognominem urbem condidiſſet, ſumpto, quod hodieque retinent, nomine, gens temporis proceſſu ex minima evaſit in maximam, & in illuſtriſſimam ex obſcuriſſima, dum latium egenos ad ſe humaniter recepit, & civitatem impertit devictis bello viris fortibus*, &c. *Quibuſcum*, inquit idem *lib.* 2. *ſi Græcorum conſuetudines comparem, non poſſum laudare Lacedæmonios, Thebanos, Athenienſeſve, opinione ſapientiæ celebres : qui ad retinendam generis nobilitatem, vel nullos vel raros in jus civitatis admittebant, ut interim taceam hoſpites a quibuſdam pelli ſolitos*, &c.

IV. 1. Alia moderatæ victoriæ ſpecies eſt, victis aut regibus aut
Sen. Troad. populis relinquere quod habuerant imperium. Sic Hercules, Priami

> *Hoſtis parvi victus lacrymis,*
> *Suſcipe, dixit, rector habenas,*
> *Patrioque ſede celſus ſolio:*
> *Sed ſceptra fide meliore tene.*

Æl. IV. 5. *Herod.* VII. *de Clem.* 1. *cap.* 21. Idem Victo Neleo, filio ejus Neſtori regnum permiſit. Sic Perſæ reges victis regibus regnum relinquebant. Sic Cyrus Armenio: Sic Poro Alexander. Laudat hoc Seneca, *nihil ex rege victo præter gloriam ſumere.* Et Polybius celebrat Antigoni bonitatem, qui cum Spartam haberet in poteſtate reliquerit ipſis τὸ πάτριον πολίτευμα καὶ τὴν ἐλευθερίαν, *rempublicam majorum ac libertatem.* Quo ex facto maximas per Græciam laudes conſecutus ibidem narratur.

2. Sic Cappadocibus permiſſum a Romanis uti qua vellent reipu-
Livius lib. XXXII. blicæ forma : Et multi populi poſt bellum relicti liberi. *Carthago libera cum ſuis legibus eſt*, ajunt Rhodii ad Romanos poſt bellum Puni-
Mithrid. cum ſecundum. Pompejus, τῶν εἰλημμένων ἐθνῶν τὰ μὲν αὐτόνομα ἠφίει, inquit Appianus, *ex devictis gentibus quaſdam reliquit liberas.* Et Quintius, Ætolis dicentibus pacem firmam eſſe non poſſe niſi Philippus Macedo regno pelleretur, dixit ſententiam, eos dixiſſe immemores Romanorum moris, victis parcendi : addidit : *Adverſus victos mitiſſimum quemque*
Ann. XII. *maximum animum habere.* Apud Tacitum eſt: *Zorſini victo nihil ereptum.*

V. Interdum ſimul cum conceſſione imperii conſultum victorum ſecuritati. Sic a Quintio decretum, Corinthus redderetur Achæis, ut in Acrocorintho tamen præſidium eſſet: Chalcidem ac Demetriadem detineri, donec cura de Antiocho deceſſiſſet.

COMMENTARIUS.

Verum videndum ne obſit hæc benignitas, videndum quales ſunt victi, an non alieno potius quam ſuo imperio regi debeant, atque victori magis conſultum, ut ſibi pareant.

Perſarum

Perſarum Reges, Regibus victis, regna relinquere ſub ſe ſolebant, teſte Thucydide. Lacedæmonii non tributarios quidem faciebant, ſed hoc duntaxat, ut ſocii ſub paucorum principatu Rempublicam adminiſtrarent, accommodantes ad Laconicum morem. Tradit Eutropius Pompejum hac humanitate erga Tigranem uſum, ut ipſi, diadema ſuum in manibus collocanti, repoſuerit, atque honorifice eum habuerit, partem regni ſibi vindicaſſe, partem Tigrani reliquiſſe integram tractandam. Eadem moderatione & humanitate uſus Corbulo in Tigranorum civitatem: cum enim oppidani legatos miſiſſent ad Corbulonem ducem Romanorum, qui afferrent ac denunciarent, *patere mœnia intentos populares ad juſſa, ſimul hoſpitale domum coronam auream traderent*, quam accepit cum honore, nec quidquam urbi detractum. Tacit. 14. *annal. cap.* 24.

VI. Tributorum quoque indictio ſæpe non tam ad factorum ſumtuum reſtitutionem quam ad ſecuritatem & victoris & victi in poſterum pertinet. Cicero de Græcis: *Simul illud Aſia cogitet, nullam a ſe neque belli externi, neque diſcordiarum domeſticarum calamitatem abſuturam fuiſſe ſi hoc imperio non teneatur: id autem imperium cum retineri ſine vectigalibus nullo modo poſſit, æquo animo parte aliqua ſuorum fructuum pacem ſibi ſempiternam redimat atque otium.* Petilius Cerialis apud Tacitum pro Romanis apud Lingonas aliosque Gallos ſic diſſerit: *Nos quanquam toties laceſſiti jure victoriæ id ſolum vobis addidimus quo pacem tueremur. Nam neque quies gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendiis, neque ſtipendia ſine tributis haberi queunt.* Eodem pertinent & alia quæ expreſſimus cum de inæquali fœdere ageremus, tradere arma, claſſem, elephantos, non habere arcem, non exercitum.

L. 1. ad Qu. frat. epiſt. 1. — *Hiſt. IV.* — *Lib. 11. c. XV. ¶. 7. 3.*

COMMENTARIUS.

Exteris victis tributa injungere ſoliti Romani, non tam ad factorum ſumptuum reſtitutionem, quam ad ſecuritatem victoris & victi. Verum non puto, inquit Zeiglerus, victori ea multum conferre ad ſecuritatem apud victos. Aſpera hæc ſemper in vulgi auribus & animis, nec alia crebrior odiorum ſeges. Lipſ. *lib. 4. civ. doctr. cap.* 11. Tributum enim & ſtipendium, vectigal, ſervitutem demonſtrant, qua nihil magis exoſum populo libero. *Agri tributo onuſti, hominum capita ſtipendio cenſa, notæ ſunt captivitatis*, ait Tertullianus *Apolog.* Sic Annibal dictus a conſule vectigal, ſtipendiarius, ſervus. Tacit. 2. *annal.* Vectigalia ſervitutes, vel adinſtar ſervitutum. *Bald.* 3. *conſ.* 370. Quamobrem Judæi, qui ſe liberos volebant, de cenſu Cæſari non dando diſputabant.

VII. 1. Ut autem victis relinquatur ſuum imperium, non tantum humanitatis eſt ſed ſæpe & conſilii. Inter Numæ inſtituta laudatur, quod a Termini ſacris omnem ſanguinem abeſſe voluit: ſignificans ad quietem & certam pacem nihil utilius quam ſuis ſe finibus tenere. Optime Florus: *Difficilius eſt provincias obtinere quam facere: viribus parantur, jure retinentur.* Cui non diſſimile apud Livium illud: *facilius parari ſingula quam teneri univerſa*: & Auguſti dictum apud Plutarchum: μεῖζον τῦ κτήσασθαι μεγάλην ἡγεμονίαν τὸ διατάξαι τὴν ὑπάρχυσαν. Darii regis legati Alexandro: *Periculoſum eſt peregrinum imperium: difficile eſt continere quod capere non poſſis. Facilius eſt quædam vincere quam tueri: quam Hercule expeditius manus, noſtræ recipiunt quam continent.*

Plut. quæſt. Rom. 15. — *Libro XXVII.*

2. Quod Calanus Indus & ante eum Oebarus Cyri amicus explicabant corii ſimilitudine, quod alia parte ſe tollat ſi ſimul aliam pede preſſeris: Et T. Quintius apud Livium comparatione teſtudinis, tutæ ad *Liv. l. 37.*

ad ictus ubi collecta in ſuum tegmen eſt, obnoxiæ atque infirmæ ſimul exſeruerit ſui partem. Plato III de legibus huc aptat Heſiodi dictum; *Omni dimidium plus*. Et Appianus notat non paucos populos qui ſub Romano imperio eſſe vellent ab ipſis repudiatos: aliis etiam reges datos. *Val. Max. IV. I.* Scipione Africano judice jam ſuis temporibus tantum Roma poſſidebat ut avidum eſſet quicquam ultra appetere: abunde felix ſi nihil ex eo quod obtinebat amitteret. Itaque & luſtri condendi carmen, quo Dii rogabantur ut res populi Romani meliores amplioreſque facerent, ita emendavit, precatus ut eas perpetuo incolumes ſervarent.

COMMENTARIUS.

UT enim cæteris rebus, ita etiam imperiis ſuus eſt modus, quem ſi excedis, ruet aut manibus alienis, aut tuis, aut etiam nullis. Optime Ariſtoteles 7. *polit. cap.* 4. *Aliquis eſt etiam civitatibus magnitudinis modus, quemadmodum & aliarum rerum omnium; animantium, plantarum, ſeu arborum, inſtrumentorum juſta magnitudo eſt. Etenim unumquodque horum neque ſi nimis puſillum ſit, neque ſi magnitudine modum ſuperet, poteſtatem aut vim ſuam incolumem conſervabit. Sed interdum natura ſua prorſus orbatum erit, alias nullam utilitatem adferret.* Nam uti canit Lucanus *lib.* 1. *verſ.* 81.

In ſe magna ruunt: lætis bene numina rebus
Creſcendi poſuere modum.

Unde de Romano imperio Livius teſtatur, illud eo tandem creviſſe, ut mole laboraret ſua. Grandius enim regnum omne ſemet ſuis terit viribus. Hinc Horatius *epod.* 16.

Suis ipſa Roma viribus ruit.

Hinc Claudianus *de bell. Gildon. verſ.* 103. inducit Romam querentem ſe premi mole ſua.

--- *Heu proſpera fata!*
Quid mali ſeptenos montes, turbamque dediſtis,
Quæ parvo non poſſet ali? Felicior eſſem
Anguſtis opibus: mallem tolerare Sabinos
Et Veſos: brevior duxi ſecurius ævum.
Ipſa nocet moles, utinam remeare liceret
Ad veteres fines, & mœnia pauperis Anci!
Sufficerent Etruſca mihi, Campanaque culta,
Et Quincti Curiique ſeges, patriæque petenti
Ruſticus, & proprias ferret dictator ariſtas.

Unde Florus *lib.* 3. *cap.* 12. *Ac neſcio an ſatius fuerit populo Romano, Sicilia & Africa contentum fuiſſe, aut his etiam ipſis carere dominanti in Italia ſua, quam eo magnitudinis creſcere, ut viribus ſuis conficeretur. Quæ enim res alia furores civiles peperit, quam nimia felicitas? Syria prima nos victa corruit: mox Aſiatica Pergameni Regis hæreditas. Illæ opes atque divitiæ afflixêre ſeculi mores, merſamque vitiis ſuis, quaſi ſentina, Rempublicam peſſum dedere.* Quamobrem merito Auguſtus ſupremis ejus tabulis, quibus inter alia addiderat conſilium coercendi intra terminos imperii, *ut contenti præſenti fortuna, non cuperent fines imperii proferre: quippe quum difficulter imperium tantum ſervari poſſit, periculum fore, ne plura appetendo parta quoque amitterent.* Dion. *lib.* 56. Prudenter itaque Hydapſes apud Heliodorum *lib.* 9. *Non abutor fortuna, ad cupiditatem plus præ cæteris habendi, neque in immenſum prolato imperium propter victoriam, ſed contentus finibus, quos initio natura poſuit, Ægyptum ab Æthiopia cataractis diſcernens.* Huc pertinet prudens adhortatio Iſocratis ad Nococlem: *Æmulare, non eos qui latiſſime imperium propagarunt, ſed qui id quod habent rectiſſime adminiſtrant.* Vera autem magnitudo Reipublicæ conſiſtit, non tam in acquirendo multa, & longe lateque propagandis imperii finibus, quam in bene conſervando & rite adminiſtrando parta & acquiſita; nec plura affectanda & ambienda, quam continere poſſis.

VIII. Lacedæmonii, & initio Athenienſes, in captas civitates nullum ſibi vindicabant imperium: tantum eas republica uti volebant ad ſuam accommodata. *Thu. I.* Lacedæmonii quidem ſub primorum potentia, *Iſoc. Pan.* Athenienſes ſub arbitrio populi, ut Thucydides, Iſocrates, Demoſthenes nos docent, *Demoſt. orat. de Cherſ.* ipſe etiam Criſtoteles quarti de republica capite XI, & quinti VII, quod ipſum in comœdia ſic notat Heniochus *Diod. Lib. XIII. & XV.* illorum temporum ſcriptor:

Γυναῖκε δ' αὐτὰς δύ' ἐταράττετόν τινε,
Ἀεὶ συνοῦσαι' δημοκρατία θατέρᾳ

Ὀνομ'

Ὄνομ᾽ ἐςὶ, τῇ δ᾽ ἀριςοκρατία θατέρῃ,
Δι᾽ ἃς πεπαρῳνήκασιν ἤδη πολλάκις.

Tum geminæ ad illas acceſſerunt mulieres
Quæ cuncta conturbarunt: Optimatitas
Eſt nomen alteri, alteri Popularitas,
Quarum incitatu pridem externatæ fuerunt.

Simile eſt quod Tacitus ab Artabano narrat Seleuciæ factum: *Plebem* Ann. VI.
primoribus tradidit, inquit, *ex ſuo uſu: nam populi imperium juxta libertatem, paucorum dominatio regiæ libidini propior eſt.* Sed ejuſmodi mutationes an ad victoris ſecuritatem faciant, non eſt noſtræ inſpectionis.

IX. Si minus tutum ſit omni in victos imperio abſtinere, temperari tamen res poteſt, ut aliquid imperii relinquatur ipſis aut ipſorum
regibus. Populi Romani conſuetudinem vocat Tacitus ut haberet *in-* Hiſt. II.
ſtrumenta ſervitutis & reges. Eidem *Antiochus inſervientium regum ditiſſimus*, βασιλεῦς Ῥωμαίων ὑπήκοοι, in commentariis de Muſonio: & apud Strabonem circa finem libri ſexti: Lucanus,

Atque omnis Latio quæ ſervit purpura ferro.

Sic apud Judæos manſit ſceptrum in Synedrio etiam poſt confiſcatio-
nem Archelai. Euagoras Cypri rex, ut apud Diodorum eſt, dicebat Lib. XV.
velle ſe Perſæ obedire, ſed ut regem regi. Et Dario victo aliquoties Lib. XVII.
hanc conditionem ferebat Alexander, ut ipſe imperaret aliis, parē-
ret Alexandro. Nos de modis miſcendi imperii diximus alibi. Qui- Lib. I. cap. II. §. 17.
buſdam pars regni relicta, ſicut veteribus poſſeſſoribus agrorum pars. Lib. III. c. VIII. 3.

COMMENTARIUS.

PAulo ante dicere incepimus, Lacedæmonios voluiſſe, ut ſocii ad Laconicum morem accommodarent regiminis ſive Reipublicæ ſuæ formam, & proinde ſub paucorum principatu eam adminiſtrarent, quam Ariſtocraticam diximus alibi eſſe regiminis formam. Ita quoque Athenienſes ſuadebant ſociis, ut illam tenerent Reipublicæ formam, qua utebantur ipſi, id eſt, Democratica, in qua penes populum ſummum rerum arbitrium. Ita Romanus populus optimatium ſtatum ſovebant, quamobrem Reges tollere & ad ſuam optimatium ſectam provincias & civitates conſtituere ipſi placebat. Verum in mutando Reipublicæ ſtatu imprimis attendi debet genium populi: ad ejus enim ingenium attemperanda atque accommodanda eſt imperii forma, tum etiam deſpiciendum ne quid cum coſuetudinibus inveteratis pugnet: non quævis enim forma cuivis populo adaptari poteſt, uti notavit Zeiglerus ex *Piccart. lib.* 3. *polit. cap.* 13. Quod ſi vero minus ſit tutum, nihil detrahere imperio, aut de eo aliquid imminuere, poteſt tamen moderatione in acquirendo & vindicando ſibi imperio uti victor, poteſt partem ſibi arrogare, partem victis relinquere, quæ ſibi nocitura non videtur, ut ſaltem umbram veteris Reipublicæ & imperii quædam veſtigia & quaſi rudera retineat. Sic quamdiu ſtetit Reſpublica Hebræorum, & umbra ac imago Reipublicæ manebat. Sceptrum non in totum ablatum, quamvis imperii ſplendor admodum obſuſcatus, in provinciam redacta ſub Auguſto Judæa, conceſſum tamen Judæis, ut ſuis legibus viverent ſuaque juxta proprias leges judicia haberent, etiam poſt Archelai relegationem Viennam, ita ut ſceptrum apud Judæos manſiſſe in Synedrio videatur, donec captis & combuſtis a Tito Hieroſolymis, tota Judæorum politia, tum ſacra, tum civilis everſa & evulſa, ipſa gente pene deleta, uti annotavimus *lib.* 1. *cap.* 2. §. 7.

X. Sed & cum omne imperium victis eripitur, relinqui illis poſſunt circa res privatas & publicas minores ſuæ leges ſuique mores &
magiſtratus. Sic in Bithynia proconſulari provincia Apamæa civitas Lib. X.
privilegium habuit ſuo arbitrio rempublicam adminiſtrandi, ut Pli- epiſt. 56. & 84.

nii

& 111. nii epiſtolæ nos docent; & alibi, Bithynis ſui magiſtratus, ſuus ſena-
& 113. tus. Sic & in Ponto Amiſenorum civitas legibus ſuis utebatur Luculli
Ib. epiſt. 93. beneficio. Gothi victis Romanis leges reliquerunt Romanas.

XI. 1. Hujus indulgentiæ pars eſt avitæ religionis uſum victis niſi perſuaſis non eripere: quod ut victis pergratum ita victori innoxium probat Agrippa oratione ad Cajum, quam Philo recitat in legationis ſuæ renunciatione. Et apud Joſephum, tum ipſe Joſephus tum Titus imperator rebellibus Hieroſolymitis objiciunt, quod Romanorum beneficio ſacris ſuis tanto cum jure uterentur, ut templo alienigenas arcere poſſent etiam capitis periculo.

2. At ſi falſa apud victos religio, ne vera opprimatur, recte curabit victor, quod Conſtantinus fecit fractis Licinii partibus, & poſt eum Franci aliique reges.

COMMENTARIUS.

QUod ſi victor omne ſibi imperium vindicet, ut ſæpius factum a Romanis, quoties populos devictos ſuæ adjiciebant ditioni, qui neceſſe habebant parere Romanorum magiſtratibus, quos mittere ſolebant ad adminiſtrandam provinciam, poſſunt tamen illis relinqui circa res privatas & publicas ſuæ leges, ſuique mores, ritus ac magiſtratus, quemadmodum Romani victis quibuſdam gentibus permiſerunt. Sic Græcis libertas data ut inter ſe diſceptarent legibus ſuiſque judiciis, tum etiam judicibus uterentur. Unde Cicero *lib. 6. epiſt.* 1. *Multaque ſum ſecutus Scævola, in iis illud, in quo ſibi libertatem cenſent Græci datam, ut Græci inter ſe diſceptent ſuis legibus.* & paulo poſt: *Græci vero exultant, quod peregrinis judicibus utuntur.* Peregrini vero judices erant ipſi Græci, qui utebantur ſuis legibus. Epiſtola ſecunda: *Omnes ſuis legibus & judiciis uſa αὐτονομίαν adepta revixerunt.* Varro de lingua Latina quarto, dicebant Peregrinum, qui ſuis legibus uteretur, *Varronis locus ſic intelligendus*, inquit, vir omni eruditionis genere florentiſſimus Joan. Georg. Grævius in ſuis notis ad d. l. *Romanis peregrinos dictos, qui ſuis legibus utuntur, hoc eſt, qui non ſunt cives Romani.* Sic & Amiſenorum civitas ſuis legibus utebatur beneficio & indulgentia Romanorum Imperatorum, unde Plinius *Trajano lib.* 10. *epiſt.* 93. *Amiſenorum civitas & libera & fæderata beneficio indulgentiæ tuæ legibus ſuis utitur.* Vide diſtinctionem quam ipſe Imperator facit inter civitates ſuis legibus, & eas quæ Romano juri obſtrictæ erant *Epiſt. ſeq.* Idem teſtatur de provincia Achaja *lib.* 5. *epiſt.* 24. Umbram tamen hoc & ſpeciem libertatis beneficium vocat: aliud enim eſt præeſſe cæteris, aliud pendere ab aliis: nam quamvis ſuis legibus viverent, nutu tamen Romanorum regebantur. Hujus indulgentiæ quoque pars avitæ religionis uſum victis niſi perſuaſis non eripere, alibi annotavimus; quod conſcientiæ vis inferri & proinde cogi non debeat ad amplectendam religionem, quæ conſcientiæ dictamini repugnat. *A natura eſt religio*, inquit Cicero, *quam innata quadam nobis vis affert: & inſinuat cælum ac terra*, 2. *de invent.* Non debent injici conſcientiæ circa divinum cultum vincula, non cogi, ſed perſuaderi debet religio & inſtillari mentibus. Non eſt humani ſed divini fori religionem hominum animis inſinuare, ut late illud diſcuſſimus *Diſſert. de ſanctitate ſummi imperii civilis.* Quamobrem potius omnem religionem tolerandam cenſeo, quam homines invitos obtorto quaſi collo & pœnarum ac ſuppliciorum metu, tum etiam vario tormentorum & cruciatuum genere, quæ humanam imbecillitatem longe excedunt, adigere, ut avitæ religioni, quam ſibi veram credunt, renuncient, & falſam amplectantur. Falſam voco, quæ non per ſe quandoque falſa, ſed quam quis falſam eſſe etiam opinionis errore ſibi perſuaſit. Ex eo tamen inferri nolo etiam ejuſmodi ferendam religionem, quæ, ut ita dicam, contra naturam eſt, id eſt, adverſatur primis nobis innatis divinitatis ideis & religionis principiis, eam penitus extirpandam & eradicandam e bene conſtituta Republica cenſeo, & delendam eorum memoriam ſtatuo, qui illam fovere & profiteri non diſſimulant, quibus ſumma religio eſt, nullam religionem ſive cultum divinum habere, nullam poſt mortem voluptatem exſpectandam ſibi perſuadentes; dum negant Deum eſſe ſupremum judicem, qui ſua ſceleribus ſupplicia, virtutibus præmia decernit. Sublato enim divini Numinis metu, nihil ſanctum & intactum ab improborum hominum violatione conſervari poteſt, tolluntur cognationis, humanitatis, charitatis, & liberalitatis officia, & ſocietatis humanæ tuendæ vincula diſſolvuntur, & ſic homo homini inſidiari & nocere propriæ utilitatis promovendæ cauſa fas eſſe creditur, qua ratione ſtatus belli inducitur, quo humano generi nihil magis exitioſum excogitari aut fingi poteſt. Quamobrem e Republica eſt ejuſmodi opiniones delere

ex hominum animis, ſed & ejus auctores & fautores ex hominum ſocietate & conſortio ejicere, vel ſumma ope niti ut ſaniorem doctrinam & religionis ſenſum amplectantur. Eodem modo tractandi qui propria Dei negant, qui virtutes eſſentiales divinæ naturæ ineſſe inficiantur, eas enim qui negant, Deum negant. Nec ferendam cenſeo religionem falſam, id eſt, gentilium ſuperſtitionibus involutam, quamvis non tam vi quam perſuaſione ab eadem ad veri Dei cultum homines converti oportere cenſeam, miſericordia potius quam pœna digni, qui hiſce in tenebris ambulant: quod enim non ex malitia ſed errore & ignorantia provenit, veniam quandoque meretur, ſane rigorem juris eo caſu mitigari oportet. Non loquimur de ejuſmodi errore vel ignorantia, quæ ſupina & craſſa eſt, dum ignoramus ea, quæ omnibus etiam ſtupidiſſimis nota: illa enim nullam meretur veniam nec miſericordiam, redolet ea potius malitiam, vel ſaltem ſummam negligentiam, quæ non ab omni pœna liberat. Ejus generis eſt, ſi eo nomine venire poteſt, Atheorum error & ignorantia, utpote qui ea ignorare diſſimulant, quæ cuique natura demonſtrat, imo innata ſunt, adeo ut nulla gens tam extra mores projecta ſit, quin aliquos eſſe credat Deos, ut inquit Seneca. Qui cœlum & terram intuetur, & contemplatur mirabilem ordinem quo omnia diſpoſita, ille equidem in ſummam admirationem raptus, & conſcientia convictus, profiteri neceſſe habet, eſſe ſummum rerum omnium principium, quod ſine principio, cujus infinita ſapientia & potentia omnia creata & ordinata, ut ſingula conſerventur in ſuum finem, naturæ cujuſque convenientem; verum cum hæc omnia latius diſputavimus *dict. Diſſert.* non diutius hiſce immorabimur. Tales vero neutiquam, ut diximus, ferendos in bene conſtituta Republica, nec ulla venia vel miſericordia dignos, utpote quos longe pejores exiſtimo, quam idolorum cultores: hi enim, licet falſam, aliquam tamen religionem habent, nec Deum negant, ſed plures ſibi opinionis errore fingunt: verum enim non indigni qui Deos patrios, quos a majoribus acceperunt, colendos ſibi diligenter, & retinendos arbitrantur, quamobrem non vi, non pœnæ formidine, ſed perſuaſionibus in veritatis viam reducendi. *Religionem ſerva, quam a majoribus accepiſti*, Iſocratis monitum. Et Symmachus pro idolis majorum ad Imperatores: *Præſtate, oro vos, ut ea, quæ pueri ſuſcepimus, ſenes poſteris relinquamus.* Qua enim ſemel a teneris annis imbuti ſumus religione, non adeo facile illam abjicere poſſumus. Eſt in religione ſummum hominis bonum. Et ſic ſibi quiſque ſtatuit in ſua. An ſummus vero imperans, cui incumbit cura, providere, ne Reſpublica duntaxat detrimenti quid capiat, verum etiam ne querantur ſubjecti, ſe deſtitutos iis mediis, quibus ſummum bonum conſequi ſe poſſe arbitrantur, religionem tollit, illud conſequendi unica ratione. Interim poſſunt molliora remedia adhiberi ad convertendos ad veram fidem idolorum cultores. Idem etiam obſervandum circa alios, qui a regia religione in Republica diſſentiunt. Non vi cogendi, uti dicere incepimus, ſed perſuaſionibus convincendi, atque hac ratione elaborandum, ut in unam doctrinæ ac fidei harmoniam & conſonantiam tandem tot diverſæ religionum ſectæ coaleſcant. Quemadmodum omnis ſubita mutatio periculoſa, ita maxime in religione mutanda hoc ſibi locum vindicat proverbium: Quæ veterata ſunt, non adeo facile evelli poſſunt & immutari. Unumquodque eodem modo facile diſſolvitur, quo colligatum, ita etiam tempore diſſolvuntur tum corporis tum animi contracta quædam mala, & nonnulli morbi, & quæ ſenſim irrepſerunt, ſubito evelli non poſſunt, niſi ſummo cum vitæ periculo. Ejus generis ſunt omnes, quæ imbibuntur cum ipſo quaſi lacte opiniones, nec ullæ adeo tenaces quam illæ, quæ ad religionem pertinent, ob perſuaſionem, quam quiſque habet, nulla alia ratione ſummum bonum conſequi ſe poſſe. Cautiones itaque adhibendæ ſunt multæ, ne, dum malum eradicare nitimur, in pejus incidamus. Humanitate & moderatione imprimis opus ad finem propoſitum conſequendum. Omnis vis abſit, tum crudelitas & ſævitia, quæ deſperationem parit, unde tumultus & ſeditiones, inde Reipublicæ everſiones, ut rerum uſus ſatis docuit. Uſu hic venit, quod monet Propert. 2. *ecl.* 3.

— Primo taurus detrectat aratra:
Poſt venit aſſueto mollis ad arva jugo.

Qui univerſam religionem uno tempore alicujus populi, vel victi, mutare conabitur, mirabor ſi per ſuas calamitates non experiatur, quam ſit periculoſum repentina quaque Dei cultus everſio. *Nat. Com.* 3. Conſtantinus ad Chriſtianiſmum converſus, non ſubito & unico quaſi ictu idololatriam extirpavit, verum eam expulit, favendo magis Chriſtianam religionem amplectentibus.

XII. 1. Poſtrema cautio hæc eſt, ut in imperio etiam pleniſſimo & quaſi herili victi clementer habeantur, & ita ut eorum utilitates cum victoris utilitatibus ſocientur. Cyrus victos Aſſyrios jubebat bono eſſe animo, eandem ipſorum ſortem fore quæ fuiſſet, mutato tantum rege, manſuras ipſis domos, agros, jus in uxores, in liberos ut fuiſſet hactenus; quin ſi quis injuriam ipſis faceret, ſe ac ſuos vindices fore. Apud Salluſtium legimus: *Populo Romano melius viſum ami-* *Xen. de Cyri inſt. l.* IV.

cos quam ſervos quærere: tutiuſque rati volentibus quam coactis imperitare. Britanni temporibus Taciti delectum ac tributa & injuncta imperii munera impigre obibant ſi injuriæ abeſſent: has ægre tolerabant: jam domiti ut parêrent, nondum ut ſervirent.

Vit. Agr.

2. Privernas ille in Senatu Romano interrogatus qualem ab ipſis pacem Romani exſpectandam haberent: *Si bonam dederitis,* ait, *& fidam & perpetuam; ſi malam, haud diuturnam:* ratione addita: *ne credideris ullum populum, aut hominem denique, in ea conditione cujus eum pœniteat diutius quam neceſſe ſit manſurum.* Sic Camillus dicebat, firmiſſimum imperium eſſe quo obedientes gaudeant. Scythæ Alexandro: *Inter dominum & ſervum nulla amicitia: etiam in pace, belli tamen jura ſervantur.* Hermocrates apud Diodorum: καλλιςόν ἐςι τῷ νικᾷν τὴν νίκην ἐνεγκεῖν ἀνθρωπίνως: *non tam vincere pulchrum quam victoria clementer uti.* Salubris ad victoriæ uſum Taciti ſententia: *Bellorum egregii fines, quoties ignoſcendo tranſigitur.* In Cæſaris Dictatoris epiſtola eſt: *Hæc nova ſit ratio vincendi, ut miſericordia & liberalitate nos muniamus.*

Liv. l. VIII. *Liv. l. VIII.* *Curt. l. VII.* *Lib. XIII.*

COMMENTARIUS.

PLeniſſimum ſane imperium quod victoria ſive bello acquiſitum, quamobrem in patrimonio Principis eſſe dicitur, de quo pro lubitu diſponere poteſt; verum quamvis pleniſſimo jure teneatur, attamen non infinitam concedit poteſtatem ſæviendi in cives, eoſque tractandi crudeliter, clementia atque humanitas ubique locum ſibi vindicat, nec exulare poteſt ab hominum conſortio ac ſocietate. Videtur mihi illud vinculum, quo imperans & ſubditi ſeſe invicem devincti, ſive conſenſu ſive victoria acquiſitum imperium, ut quiſque a ſua parte officia præſtet, quæ cujuſque conditio ac ſtatus efflagitat, arctius quidem contrahi, verum diſſolvi penitus non poſſe: eo enim ipſo quo quis ſe Principem profitetur, ſimul quoque Principis officia præſtare obligatur, quemadmodum ſubdito incumbunt præſtare officia, quæ, natura dictante, conditio & ſtatus in quo collocatus, exigit. Sic imperare Principis, obſequi civis eſt officium. Verum meminiſſe oportet Principem hominibus ratione præditis, natura ſibi æqualibus, non brutis animalibus imperare, quamobrem tractandi ut homines, clementer, moderate, eorum ſalutem & utilitatem tueri & promovere ſibi incumbere: imperium enim nihil aliud quam cura alienæ ſalutis, nulla habita diſtinctione qua ratione imperium ad ipſum pervenit; quippe hoc officium cum imperio ac poteſtate civili conjunctum tam arctiſſimo vinculo, ut ſeparari nequeat ab eo, quin imperii civilis nomen amittat. Principes terrarum a Deo ſunt inſtituti, non quidem ut propria lucra quærant, ſed ut communem populi utilitatem procurent, inquit Thomas; nec etiam præſumendum, gentes adeo late victoriæ licentiam extendere voluiſſe, ut eo Princeps imperium in cives acquirere poſſet contrarium fini iſti, quem in conſtituendo imperio ſibi propoſuerunt, id eſt, propriæ ſalutis & utilitatis conſervationem, tum etiam procurationem: amor enim, quo quiſque erga ſemetipſum afficitur, aliud ſuadet. Unde Ariſtoteles 1. *Polit.* *Quod imperat & paret ſalutis cauſa conjungitur.* Ad quem finem conſequendum collimare debet omnis civilis poteſtas. Quæ ſibi duntaxat conſulit, ſubditorum utilitate neglecta, tyrannica merito dicitur, quæ extirpanda ex ſocietate humana, tanquam humano generi exitioſa, ut alibi latius diſcuſſimus. Belli enim jura non tollunt ea, quæ ratio dictat, quamobrem nihil victori permittunt, quod rationis dictamini repugnare poſſit, ratio debet eſſe norma & regula, quæ omnes actiones ab homine proficiſcentes moderari & temperare debet, quovis in ſtatu degit, hæc eſt fundamentum cui ſubnixum jus gentium, imo fons & origo ex qua profluit, ut ſæpius annotavimus. Itaque victori leges præſcribit, intra quas belli jura conſiſtunt. Circumſpiciendum itaque quid ratio ſuadeat vel diſſuadet, atque ea in conſilium adhibita, nunquam ab juſti & æqui regula aberrabimus, vel humanitatis & clementiæ officia præſtare negligemus.

CAPUT

CAPUT XVI.

Temperamentum circa ea quæ jure gentium poſtliminio carent.

I. *Internam juſtitiam exigere ut reddantur quæ hoſtis noſter alii injuſto bello eripuit.*
II. *Exempla.*
III. *An quid deduci poſſit.*
IV. *Etiam populos ſubditos aut populorum partes reddendas his quorum fuerant ſi ab hoſte injuſte occupati ſint.*
V. *Quo tempore obligatio reddendi extinguatur.*
VI. *Quid faciendum in dubia cauſa.*;

I. 1. QUouſque ex bello juſto res capientium fiant, diximus ſupra, quibus de rebus deducenda ſunt quæ recipiuntur poſtliminii jure, ſunt enim hæc pro non captis. At quæ bello injuſto quæruntur reſtituenda diximus, nec ab iis tantum qui ceperunt, ſed & ab aliis ad quos res quoquo modo pervenit. Nemo enim plus juris ad alium transferre poteſt quam ipſe habuit, ajunt juris Romani auctores, quod Seneca breviter explicat, *nemo poteſt quod non habet dare.* Dominium internum non habuit qui primo cepit; quare nec illud habebit qui cauſam ab ipſo obtinet: dominium ergo ſecundus aut tertius poſſeſſor accepit, quod docendi cauſa externum vocamus; id eſt, commodum hoc ut ubique judiciaria auctoritate ac manu pro domino tuendus ſit: quo tamen ſi utatur adverſus eum cui res malo facto erepta eſt, faciet non probe.

L. Si noxale, ¶. ex his, D. de nox. act. l. traditio. D. de acq. rer. dom. Lib. v. de benef. c. 12.

2. Nam quod de ſervo qui a latronibus captus mox ad hoſtes pervenerat reſponderunt Juriſconſulti nobiles, verum eſſe eum ſubreptum eſſe, nec quod hoſtium fuiſſet aut poſtliminio rediiſſet ei rei impedimento eſſe; idem ex naturali jure reſpondendum eſt de eo qui bello injuſto captus mox bello juſto aut alia ratione in alterius venit poteſtatem. Nam in jure interno bellum injuſtum a latrocinio nihil diſtat. Atque in hanc ſententiam ex facto conſultus reſpondit Gregorius Neocæſarienſis, cum Pontici quidam res civium a barbaris captas recepiſſent.

L. Latrones, D. de capt. Ægid. Regius de act. ſupern. diſt. 31. dub. 7. num. 122. Can. x.

COMMENTARIUS.

DIximus earum rerum, quæ in bello ſolenni ex hoſtibus capiuntur, dominium acquiri capienti jure belli, tum etiam conſenſu tacito, ſine quo dominium ad alium tranſire nequit; conſenſu autem tacito nititur bellum ſolenne; quippe cum nulla alia in ſtatu naturali, in quo vivunt gentea ac nationes, juria ſui perſequendi ratio natura prodita, neceſſitate exigente tacite gentes conſenſiſſe videri debent, ut cuique facultas eſſet hoc medio uti, ad conſequendum quod ab altero jure perfecto petere atque exigere poterat, alterique concederet idem jua, quod ipſe ſibi in alterum conceſſum exiſtimabat. Quamobrem jure gentium bellum introductum & approbatum tacito quaſi gentium conſenſu, cum ratione naturali nullum aliud juria perſequendi & conſequendi remedium proditum ſit; eodem autem conſenſu, quo bellum ſolenne, etiam ejuſdem effectus nituntur, quorum in numero, ut *cap.6.* diſputavimus, ut res hoſtium capientia in dominium tranſeant, nulla habita ratione cauſæ, quæ bellum ſuſcipere moverit Principem, num juſta vel injuſta fuerit, modo ſolenne bellum, id eſt, ſuſceptum & indictum ſive denunciatum ab eo, qui belli gerendi habet poteſtatem. Unde ſequitur ex bello juſto res capientium fieri non ſolum in foro ſoli, ſed etiam poli, ob rationes quas *dict. cap.* notavimus; ſalvo tamen jure poſtliminii, ubi illud ſibi locum vindicat, & eatenus illas pro non captis haberi, inquit

Auctor,

Auctor, etiamſi juſto in bello, ſcilicet juſta ex cauſa ſuſcepto, & proinde ab omni parte juſto captæ, non quaſi revera captæ non eſſent, & capientium non fierent, verum quatenus finguntur numquam captas fuiſſe, cum in eodem ſtatu redierint, & proinde pro non captis habentur. At quæ bello injuſto quæruntur, reſtituenda ſtatuit Auctor, quia non juſto titulo quæſita; bellum injuſtum, quia ex injuſta cauſa ſuſceptum; quamvis juſtum ratione ſolennitatis, caret tamen juſtitia intrinſeca morali, quamobrem intrinſece injuſtum, & proinde omnes effectus ejuſdem naturæ, quatenus hominis conſcientiam gravant, qui ex ejuſmodi effectu ſibi utilitatis ac commodi quid acquirere velit; unde ſequitur ejus ex injuſto bello res capientium fieri non poſſe, quia titulus injuſtus, abſque juſto vero titulo dominium tranſire nequit, nec acquiſiti juſta poſſeſſio rei alienæ in foro ſcilicet poli. Quamobrem in conſcientia quis tenetur reſtituere res omnes, quas ex hoſtibus cepit, tum etiam ille ad quem res quoquo modo pervenit: nemo enim plus juris in alium transferre poteſt quam ipſe habet; atqui primus poſſeſſor injuſto titulo ſibi eas acquiſivit, non poteſt alterum juſtum poſſeſſorem efficere, ac proinde eodem jure tenetur rem a non vero domino acceptam reſtituere ei, qui jure naturæ dominus eſt. Quæ omnia ſecundum juſtitiam internam diſputat Auctor. In foro enim humano revera dominium ad capientem pervenit, & quidem jure gentium, id eſt, jure taciti gentium conſenſus, quod in ratione fundatum diximus, introducto. Quamvis gentes non potuere ex bello injuſto bellum juſtum facere quoad cauſam, id eſt, internam juſtitiam, potuêre tamen circa dominii tranſlationem ejuſmodi jura introducere, quæ rerum humanarum ſtatus efflagitare ipſis videbatur: cum enim quiſque rerum ſuarum eſt liber moderator & arbiter, poteſt earundem dominium transferre quolibet modo, & qualibet ex cauſa. Quamobrem annotavimus *cap. 6.* quamvis actus primus, cujus occaſione licentiam alienа diripiendi & ſibi acquirendi dominium cuique bello operam navanti competit, careat juſtitia interna, attamen effectus ea non deſtitui, quia alia ratione nituntur, ut ibidem videre eſt, nimirum conſenſu domini rem ſuam abdicantis & cedentis ei, qui belli jure eam cepit. Unde non externum duntaxat ſed internum dominium acquiſiviſſe ſibi videtur hoſtis, quatenus alter jure perfecto id repetere nequit ex gentium jure: nam eo jure fingitur conſenſu tacito in capientem tranſlatum dominium, cujuſmodi fictionem neceſſitas ipſa introduxit. Verum eo non ſatisfactum omnino juſtitiæ internæ, quatenus homo eorum quæ agit rationem reddere tenetur ſummo rerum arbitro, cujus ad imaginem conditus, & proinde devinctus ut omnes actus, qui a ſe proficiſcuntur, reſpondeant ſanctitati & juſtitiæ divinæ. Quamvis dominium rei belli jure captæ domini conſenſu videatur acquiſitum, & proinde poſſeſſor in conſcientia eatenus tutus, attamen quia actus primus caret juſtitia cauſæ, cujus ipſe auctor, apud ſupremum judicem actus ejuſmodi capientem reum facit læſæ juſtitiæ divinæ, atque conſcientiam gravat, non ex eo quod hoſti ſua eripit, atque ita proximum lædit; quippe non videtur alterum lædere, qui utitur jure ſuo, qui ſibi acquirit, quæ capere jure gentium conſenſu humano introducto licet, & proinde cui homines tanquam tot membra ſocietatis humanæ obtemperare neceſſe habent, atque ultro in ea, quæ juris gentium ſunt, conſenſiſſe videntur: ipſa enim neceſſitate nititur conſenſus ejuſmodi tacitus; verum propterea quod divina juſtitia moralis, id eſt, interna, quatenus actus noſtri convenire debent cum origine noſtra, id eſt, innata rectitudine morali, ob divinæ imaginis communionem, exigit, ne proximum duntaxat, quicum nobis intercedit ſocietas & cognatio naturalis, verum ne aliquo modo divinam ſanctitatem & juſtitiam lædamus, non ſufficit, ut tanquam ſocietatis humanæ membra ſatisfaciamus officiis, verum tenemur etiam ſatisfacere officiis, quæ tanquam cœleſti ſemine oriundi, Creatori noſtro debemus, cæteris longe potioribus. Unde ipſe Chriſtus, date Cæſari quæ Cæſaris & Deo quæ Dei. Itaque non ſufficit, ut actus noſtri conveniant cum interna juſtitia, quatenus habent relationem ad proximum, ad conſervationem ſocietatis humanæ, ad proximi dilectionem; verum ut omnibus numeris ſit abſoluta juſtitia & conſummata, convenire debet cum ſanctitate divina, quæ in actibus humanis conſpicienda, & agentem omni culpa vacuum coram ſupremo judice pronunciat, cum imagine, qua ornati, id eſt, ut ab omni parte juſtus ſit actus, non tantum ratione cauſæ proximæ, ſed etiam remotæ. Juſta poſſeſſio videtur rei ex hoſtibus captæ, quia ex conſenſu tacito dominium jure belli acquiſitum nititur, & eatenus juſtus actus ratione cauſæ proximæ, quæ eſt conſenſus, verum injuſtus ratione cauſæ remotæ, quæ eſt actus primus belli ſuſcepti ex injuſta cauſa denunciatio, quæ occaſionem præbuit actui ſecundo. Cauſa quæ movet ad bellum ſuſcipiendum, non eſt cauſa ex qua dominium tranſit, ſed occaſionem præbet dominii acquirendi; atqui illa quatenus occaſionem præbet, etiam actus ſecundus fit particeps vitii, quod primo inhæret, ſequitur quamvis actus ſecundus, qui eſt dominii acquiſitio rei ex hoſte capto, per ſe videatur intrinſece etiam juſtus, quatenus conſenſu nititur gentium, attamen quia occaſione injuſti belli cauſatur, commaculatur quoque eodem vitio, unde etiamſi jure perfecto rei dominus repetere nequeat rem jure belli captam; utpote cui obſtat conſenſus tacitus, & proinde exceptio tranſlati dominii jure gentium, attamen tenetur alter ex actu primo, imo etiam ſecundo in foro conſcientiæ, quatenus eodem vitio laborat, reſtituere quidquid injuſto bello cepit; coram divino tribunali peccato non caret iſtiuſmodi actus, & proinde gravat conſcientiam ejus, qui jure belli

belli injuſti rei captæ dominium ſibi acquiſiviſſe prætendit, imo obligatur juſtitia interna ad reſtitutionem ejus, ſi extat, vel compenſationem damni, quod patitur cujus res fuit, nec tantum ille, ſed etiam alii ad quos res quoquo modo pervenit, quia non plus juris primus poſſeſſor transferre poteſt quam habuit ipſe. Vitium hoc tranſit cum ipſa re cui inhæret in foro conſcientiæ, & proinde poſſeſſorem ad reſtitutionem obligat, ſi in foro ſoli tutus eſſe velit, non tamen ex eo quaſi dominium internum non habuerit, imo re vera habet, quia habet ex jure gentium in ratione naturæ fundatum; verum quia actus, quo dominium acquiritur, particeps vitii, quod ex actu primo, qui occaſionem præbuit ſecundo, & proinde obligat capientem & omnes poſſeſſores ad reſtitutionem, uti dictum, in foro conſcientiæ, quia in eo ſecundum juſtitiam internam ab omni parte actus juſtus non eſt. Per ſe quidem juſtus, ſed injuſtus propter acceſſorium, quod ex actu primo ipſi communicatur. Verum cum jus civile non adeo conſcientiæ quam quidem actionum, quæ ab homine proficiſcuntur, quatenus relationem habent cum ſocietatis civilis conſervatione, & hominum inter ſe commercia concernunt, moderatrix ſit, hinc in acquirendo rerum dominio potiſſimum attendit cauſam & titulum ſeu modum jure humano introductum, & proinde eum, qui rem ex ejuſmodi titulo poſſidet, tuetur in poſſeſſione, atque ei dominium addicit. Imo etiam jus naturale & gentium, quatenus inſervit neceſſitati humanæ. Quamobrem in foro humano & civili ſocietate ubique judiciaria auctoritate ac manu pro domino tuendum jus civile voluit, qui rem armis captam poſſidet, imo illum quoque, qui a capiente bono modo & juſto titulo eam nactus eſt: habet enim illud ab auctore, quem jus gentium defendit. Negat vero Zeiglerus ubique judiciaria actione tuendos jus civile dictare. *Leges enim Romana*, inquit, *denegant actionem Publicianam illi poſſeſſori, qui titulum habet a fure. Etiamſi*, ut ampliat Jaſon in §. 3. *n.* 20. *Inſt. de act. furem eſſe ignoravit: quoniam vitium inhæret rei, cum furtivarum rerum nulla ſit uſucapio, eoque nec Publiciana actio. l.* 9. § *pen. ff. de Public. in rem act.* Verum notandum, Auctorem non habere ſermonem de furibus, qui proprie hoc nomine veniunt jure civili, verum de iis, qui ex injuſto bello res acquirunt, earumque dominium in alios transferunt, hoſce poſſeſſores ubique tuendos ſtatuit, quia jure gentium & proinde juſto titulo domini, quamobrem eodem jure facultatem nacti earundem dominium in alios transferendi, & juſtos rei captæ poſſeſſores efficiendi, qui in foro humano tuendi, dictante etiam ratione, quatenus neceſſitas humana ejuſmodi juris conſtitutionem exigit. Et quamvis illi, qui injuſtum bellum gerunt, latronibus & furibus aliquo modo comparari poſſint, comparatio tamen illa in foro humano nullum producit effectum, ſed in actione morali & interna juſtitia conſiſtit, uti annotavimus *cap.* 4. §. 3. cum his conferenda quæ annotavimus *cap.* 6. & 10.

II. 1. Reddendæ ergo res tales his quibus fuerant ereptæ, quod & factum ſæpe videmus. Livius cum retuliſſet a L. Lucretio Tricipitino victos Volſcos & Æquos, expoſitam ait in campo Martio prædam, ut ſuum quiſque per triduum cognitum abduceret. Idem cum narraſſet, Volſcos a Poſthumio dictatore fuſos: *Prædæ pars ſua cognoſcentibus Latinis atque Hernicis reddita: partem ſub haſta dictator vendidit.* Alibi: *Biduum ad recognoſcendas res datum dominis.* Idem ubi Samnitium de Campanis victoriam narraverat, *quod lætiſſimum victoribus fuit, captivorum recepta ſeptem millia & quadringenti: præda ingens ſociorum: accitique edicto domini ad res ſuas noſcendas recipiendaſque præſtituta die.* Mox ſimile recitat factum Romanorum: *Samnites Interamnam coloniam Romanorum occupare conati urbem non tenuerunt: agros depopulati cum prædam aliam inde mixtam hominum atque pecudum colonoſque captos agerent, in victorem incidunt conſulem ab Luceria redeuntem, nec prædam ſolum amittunt, ſed ipſi longo ab impedito agmine incompoſiti cæduntur. Conſul Interamnam edicto dominis ad res ſuas noſcendas recipiendaſque convocatis, exercitu ibi relicto, comitiorum cauſa Romam eſt profectus.* Alibi de præda agens, quam ad Ilipam Luſitaniæ urbem Cornelius Scipio ceperat, ſic ait idem ſcriptor: *Ea omnis ante urbem expoſita eſt, poteſtaſque dominis res ſuas cognoſcendi facta: cetera vendenda quæſtori data: quod inde effectum eſt, militi diviſum.* Poſt pugnam T. Gracchi ad Beneventum: *præda omnis, præterquam hominum captivorum, militi*

Lib. III.

Lib. X.

militi conceſſa eſt, & pecus exceptum eſt quod intra triginta dies domini cognoviſſent, eodem Livio auctore. *Lib. XXIV.*

Hiſt. l. II. 2. De L. Æmylio Gallorum victore Polybius, τὴν λείαν ἀπέδωκε τοῖς προσήκουσι, *prædam iis reddidit a quibus abacta fuerat.* Idem feciſſe Scipionem Plutarchus & Appianus narrant, cum Carthagine capta multa ibi inveniſſet donaria, quæ e Siciliæ urbibus & aliunde Pœni eo advexerant. *Plutar. Apoph. App. Punic.* Cicero Verrina de Juriſdictione Sicilienſi: *oppidum Himeram Carthaginienſes quondam ceperant, quod fuerat imprimis Siciliæ clarum & ornatum. Scipio qui hoc dignum populo Romano arbitraretur, bello confecto ſocios ſua per noſtram victoriam recuperare, Siculis omnibus, Carthagine capta, quæ potuit, reſtituenda curavit.* Idem late ſatis id ipſum Scipionis factum proſequitur Verrina de Signis. *Livius libro XXXI.* Rhodii naves quatuor Athenienſium captas a Macedonibus recuperataſque Athenienſibus reddiderunt. Sic Phaneas Ætolus reſtitui Ætolis æquum cenſebat quæ ante bellum habuiſſent. *Livius libro XXXIII.* Nec negabat T. Quinctius ſi de urbibus bello captis ageretur, & ſocietatis leges non rupiſſent Ætoli. *Strabo libro XIII.* Etiam bona, olim conſecrata Epheſi, quæ reges ſua fecerant, Romani in veterem ſtatum reſtituerunt.

COMMENTARIUS.

Reddendæ ex officio, dictante juſtitia interna, in foro conſcientiæ Deum non inſontem habiturum, qui proximo bona juſta ſine cauſa ablata & vi erepta injuſte ſibi retinet. Ex rationis dictamine gentes quoque perſpicere potuêre, non omni ex parte juſtam poſſeſſionem, quæ rei ex hoſte captæ injuſto bello acquiſita. Quamvis non agnoſcant verum Deum, ſumme ſanctum, & infinite juſtum, acerrimum vindicem eorum, qui injuſtitiæ operam dederunt, attamen conſcientia, cujus dictamine non deſtituti, ipſos judicat & pungit continuo, ob oculos ponens injuſtitiam, cujus labe intaminata eorundem facinora, unde ſibi lex ſunt, & judex conſcientia, quæ eos vel abſolvit, vel damnat. Reddere itaque potius quæ injuſte ablata nonnullæ gentes moratiores voluerunt, quam continuo a conſcientia injuſtitiæ accuſari. Cum ſibi enim quis conſcius cauſæ ex qua bellum ſuſceptum, ſimul quoque quaſi in aures inſuſurrat conſcientia, non ab omni parte juſtam poſſeſſionem earum rerum, quas occaſione belli ex hoſtibus cepit, quamvis conſenſu tacito domini niti fingatur, & eatenus juſto titulo videatur earundem jure belli acquiſitum dominium; attamen omni parte juſtum non eſt, quia occaſionem eidem præbuit bellum injuſtum, uti ſtatim diſputavimus. Hinc juſta piaque bella duntaxat gerenda rationis dictamen docuit gentiles.

III. 1. Quod ſi commercio res talis ad aliquem pervenerit, poteritne is ei, cui res fuit erepta, pretium a ſe numeratum imputare? *Lib. II. c. X. ¶. 9.* Conſentaneum eſt his quæ alibi diximus, poſſe imputari, in quantum ipſi qui rem amiſerat valitura fuerat deſperatæ poſſeſſionis recuperatio. Quod ſi tale impendium repeti poteſt, quidni & æſtimatio laboris ac periculi, perinde ac ſi quis rem alienam in mari perditam urinando eduxiſſet? *Geneſ. XIV. 16.* Appoſita ad hanc quæſtionem mihi videtur hiſtoria Abrahami cum quinque regum victor Sodoma rediret: וישב את כל הרכש ait Moſes, *Reduxit omnes illas res:* nempe quas a regibus captas ſuperius narraverat.

2. Nec alio referenda conditio regis Sodomorum quam fert Abrahamo, ut captivos redderet, cætera ſibi retineret pro labore & periculo. *Com. 20.* At ipſe Abrahamus vir non pii tantum animi, ſed & excelſi, ſibi

ſibi quidem nihil voluit ſumere: cæterum de rebus receptis (nam ad 21, 22,
eas, ut diximus, ſpectat iſta narratio) quaſi ſuo jure decumam Deo 23, 24.
dedit, detraxit ſumtus neceſſarios, & ſociis ſuis partem aliquam tribui voluit.

IV. Sicut autem res domino reddendæ ſunt, ita & populi & par- *Liv. l.* II.
tes populorum his qui jus imperii habuerant, aut etiam ſibi, ſi ſui *Xen. Hiſt.*
fuerant juris ante vim injuſtam. Ita Sutrium receptum reſtitutumque *Gr.* III.
ſociis Camilli ævo, ex Livio diſcimus. Æginetas & Melios ſuis urbibus reſtituerunt Lacedæmonii. *Liv.* XXXIII.
Græciæ civitates quas Macedones invaſerant a Flaminio redditæ libertati. Idem & in colloquio cum An- *Lib.* XXXIV.
tiochi legatis æquum eſſe cenſuit liberari Aſiæ urbes quæ Graji eſſent nominis, quas Seleucus Antiochi proavus bello ceperat, amiſſas receperat idem Antiochus: *Neque enim in Æolidem Ioniamque coloniæ in ſervitutem regiam miſſæ ſunt*, ajebat, *ſed ſtirpis augendæ cauſa, gentiſque vetuſtiſſimæ per orbem terrarum propagandæ.*

COMMENTARIUS.

ÆQuitatis rationi convenire diximus *lib.* 2. *cap.* 10. §. 9. ut illi, ad quem res talis commercio pervenit, reſtituatur, quantum ad ejus recuperationem dominum & antiquum poſſeſſorem impenſurum fuiſſe verοſimilius eſt, imo totum id, quod bonæ fidei emptor dedit, refundendum, quandoquidem fuit deſperata rei ejus recuperatio, quo facit *l.* 6. *ff. de captiv.* uti inquit Zeiglerus. Æquitas namque poſtulat, ut, quoties meæ operæ ceſſerunt in alterius utilitatem & commodum, is eas ſolvat, quatenus ſibi profuerunt, Molina *de J. & J. diſp.* 118. Quanto autem melior facta conditio domini per recuperationem rei amiſſæ, eo magis devinctus, ut ſatisfaciat ei, qui fecit, quod ipſe feciſſet, ſi ejuſmodi ſibi obveniſſet occaſio. Quod de privatis ſingulorum rebus, idem de publicis dicendum, ſcilicet ut populi & partes populorum reddantur his, qui jus imperii habuerunt, aut etiam ſibi, ſi ſui juris fuerant ante vim injuſtam.

V. Solet & de temporis ſpatio quæri, quo reddendæ rei obligatio interna poſſit exiſtingui. Sed hæc quæſtio inter ejuſdem imperii cives definienda eſt ex legibus ipſorum; (ſi modo illæ internum jus concedunt, non in externo ſolo conſiſtunt; quod ex verbis & propoſito legum prudenti inſpectione colligendum eſt:) inter eos vero qui alii *Lib.* II.
aliis externi ſunt, ex ſola conjectura derelictionis, de qua diximus *c.* 4.
alibi quantum inſtituto noſtro ſufficit.

VI. Quod ſi valde ambiguum ſit jus belli, optimum erit Arati Si- *Cic.*
cyonii conſilium ſequi, qui partim novis poſſeſſoribus perſuaſit ut *Off.* II.
pecuniam accipere mallent, poſſeſſionibus cederent; partim veteribus dominis ut commodius putarent numerari ſibi quod tanti eſſet quam ſuum recuperare.

COMMENTARIUS.

OBligatio interna, qua quis tenetur reddere & reſtituere, rem quæ ab injuſto poſſeſſore ad ſe pervenit, nullo temporis ſpatio, ne quidem longiſſimo evaneſcere aut exſtingui poteſt, quatenus quis ſibi conſcius vitii, quod rei inhæret, ejus dominium, quamvis juſto titulo acquiſierit, ſibi retinere nequit in foro conſcientiæ; quippe cum dominium nactus ab eo, qui in foro ſoli illud ſibi non juſta ex cauſa vindicaverat, nec ipſe tutus eſſe poteſt in conſcientia, non ignarus qua ex cauſa primus poſſeſſor eam acquiſivit. Quippe vitium illud,

quod

quod rei inhæret, & conſcientiam gravat, purgari nequit, niſi per reſtitutionem, quamobrem primus dominus, qui rem cepit, nunquam niſi reddita re, tutus eſſe poteſt coram tribunali divino, quia ſemper in mala fide. Verum qui bona fide rem nactus ab illo, qui jure belli dominus ſactus, & proinde bona conſcientia eam diu poſſedit, ad reſtitutionem non obligari veroſimilius ſecundum juſtitiam internam mihi videtur, ne dominia perpetuo incerta ſint, eaque incertitudo mater ac ſeges uberrima eſſet infinitarum diſcordiarum atque innumerorum bellorum cauſa. Ratio naturalis humanæ ſocietati tum etiam civili conſervationi inſerviens ſuadet, ut pro juſto poſſeſſore & domino habeatur, qui rem, quam bona fide nactus eſt, longo ſatis temporis ſpatio poſſedit; quamdiu autem poſſediſſe oportet, lege civili definitum, jure gentium definiendum arbitrio boni viri, & mihi videtur ejuſmodi temporis ſpatium ſufficere, quo potuit ad notitiam poſſidentis pervenire, dominium rei a non domino, in ſoro ſcilicet poli, ſe accepiſſe. Notandum quod notitiam poſſidentis duntaxat requiro; quippe hic non attendimus notitiam veteris domini, cui injuſto bello erepta; quippe cum renunciaſſe dominio rei ſuæ præſumitur, quæ in bello ſolenni ab hoſte ſibi erepta, nullum jus ipſi quo poſſit tanquam ſuam vindicare ne quidem a primo, multo minus a ſecundo vel tertio poſſeſſore. Quamobrem derelictionis conjectura tollere nequit internam obligationem, ſed ratio naturalis, quæ rei dominium ob rationem adductam ei addicit, qui rem ſatis longo tempore bona fide & juſto titulo poſſedit, quamobrem abſolvit poſſeſſorem ejuſmodi neceſſitate reſtituendi. Vid. *lib.* 2. *cap.* 4.

CAPUT XVII.

De his qui in bello medii ſunt.

I. *A pacatis nihil ſumendum niſi ex ſumma neceſſitate cum reſtitutione pretii.*
II. *Exempla abſtinentiæ & præcepta.*
III. *Quod ſit officium pacatorum circa bellantes.*

I. SUpervacuum videri poſſet, agere nos de his qui extra bellum ſunt poſiti, quando in hos ſatis conſtet nullum eſſe jus bellicum. Sed quia occaſione belli multa in eos, finitimos præſertim, patrari ſolent prætexta neceſſitate, re-
L. II. c. II. ¶. 10. petendum hic breviter quod diximus alibi, neceſſitatem ut jus aliquod det in rem alienam ſummam eſſe debere: requiri præterea ut ipſo domino par neceſſitas non ſubſit: etiam ubi de neceſſitate conſtat, non ultra ſumendum quam exigit: id eſt, ſi cuſtodia ſufficiat non ſumendum uſum, ſi uſus, non ſumendum abuſum: ſi abuſu ſit opus, reſtituendum tamen rei pretium.

II. 1. Moſes cum ſumma ipſum & populum neceſſitas urgeret tranſeundi per agros Idumæorum, primum ait tranſiturum ſe via regia, neque deflexurum in arva aut vineta: ſi vel aqua ipſorum opus haberet perſoluturum ſe ejus pretium. Idem præſtiterunt laudati & Græcorum & Romanorum duces. Apud Xenophontem Græci qui cum Clearcho Perſis pollicentur, nullo ſe damno iter facturos: & ſi venales commeatus præberent, neque eſculenta ſe neque poculenta cuiquam erepturos.

2. Dercyllides, narrante eodem Xenophonte, παρήγαγε τὸ ςράτευμα διὰ τῆς φιλίας χώρας μηδὲν βλάψας τοὺς συμμάχους, *copias duxit per fines pacatos. ita ut nullo detrimento ſocii afficerentur.* Livius de Perſeo rege: *Per Phthiotidem, Achaiam, Theſſaliamque ſine damno injuriaque agrorum per quos iter fecit in regnum rediit.* De Agidis Spartani exercitu Plutarchus: θέαμα ταῖς πόλεσιν ἦσαν, ἀβλαβῶς καὶ πρᾴως καὶ μονονουχὶ ἀψοφητὶ διαπορευόμενοι τὴν Πελοπόννησον: *ſpectaculum erant*

erant civitatibus clementer ac ſine noxa & pene ſine ſtrepitu peragrantes Peloponneſum. De Sulla Vellejus: *Putares veniſſe in Italiam, non belli vindicem ſed* *Lib.* 11.
pacis auctorem : tanta cum quiete exercitum per Calabriam Apuliamque cum ſingulari cura frugum, agrorum, urbium, hominum, perduxit in Campaniam. De Pompejo Magno Tullius: *Cujus legiones ſic in Aſiam pervenerunt, ut* *Pro lege*
non modo manus tanti exercitus, ſed nec veſtigium quidem cuiquam pacato nocuiſſe dicatur. *Manilia.* De Domitiano ita Frontinus: *Cum in finibus Ubiorum ca-* *Libro* 11.
ſtella poneret, pro fructibus eorum locorum quæ vallo comprehendebat pretium *Strat.* 11.
ſolvi juſſit, atque ea juſtitiæ fama omnium fidem ſibi adſtrinxit. De Parthica Alexandri Severi expeditione Lampridius: *Tanta diſciplina, tanta reverentia ſui egit, ut non milites ſed ſenatores dicerentur: quacumque iter milites faciebant, tribuni accincti, centuriones verecundi, milites amabiles erant: ipſum vero ob hæc tot & tanta bona provinciales ut Deum ſuſcipiebant.* De Gothis, Hunnis, Alanis qui Theodoſio merebant Panegyriſta: *Nullus tumultus, nulla confuſio, nulla direptio ut a barbaris erat; quin ſi quando difficilior frumentaria res fuiſſet, inopiam patienter ferebat, & quam numero arctarat annonam comparcendo laxabat.* Stiliconi Claudianus idem tribuit:

Tanta quies, tantuſque metus ſervator honeſti
Te moderante fuit, nullis ut vinea furtis
Aut ſeges erepta fraudaret meſſe colonum.

Et Beliſario Suidas.

3. Hoc præſtabat exacta cura proviſus rerum neceſſariarum, & bene ſoluta ſtipendia, & vigor diſciplinæ, cujus legem audis apud Ammianum: *pacatorum terras non debere calcari.* Et apud Vopiſcum Aure- *Lib.*
liano: *Nemo pullum alienum rapiat: ovem nemo contingat, uvam nullus au-* XVIII.
ferat, ſegetem nemo deterat, oleum, ſal, lignum nemo exigat. Item apud Caſſiodorum: *Vivant cum provincialibus jure civili: nec inſoleſcat animus qui ſe ſentit armatum: quia clypeus ille exercitus noſtri quietem debet præſtare Romanis.* His accedat illud Xenophontis expeditionis libro VI, μὴ ἀναγκάζειν πόλιν φιλίαν ὅ, τι μὴ αὐτοὶ ἐθέλοντες διδοῖεν: *civitatem amicam cogendam non eſſe ut quicquam daret invita.*

4. Ex quibus dictis optime interpreteris illud magni Prophetæ, *Luc.* III.
imo Prophetâ majoris monitum: μηδένα διασείσητε, μηδὲ συκοφαντήσητε, καὶ ἀρ- 14.
κεῖσθε τοῖς ὀψωνίοις ὑμῶν: *A concuſſione, a calumnia in quosvis abſtinete, contenti eſtote ſtipendiis veſtris.* Cui ſimile illud Aureliani apud Vopiſcum dicto loco: *annona ſua contentus ſit; de præda hoſtis, non de lachrymis provincialium habeat.* Nec eſt quod quis putet dici hæc pulchre, ſed præſtari non poſſe. Neque enim aut moneret hæc vir divinus, aut ſapientes legum auctores præciperent ſi crederent impleri non poſſe. Denique neceſſe eſt concedamus fieri poſſe quod factum videmus; ideo attulimus exempla, quibus accedat illud inſigne quod ex Scauro memorat Fron- *Lib.* IV.
tinus, pomiferam arborem quam in ſede caſtrorum fuerat complexa *c.* 1.
metatio, poſtero die abeunte exercitu intactis fructibus relictam.

5. Livius cum narraſſet milites Romanos in caſtris ad Sucronem *Libro*

 pro- XXVIII.

procacius egiſſe, & quoſdam eorum noctu prædatum in agrum circa pacatum iiſſe, adjicit, omnia libidine ac licentia militum, nihil inſtituto ac diſciplina militari geſtum. Eſt & alter inſignis ejus ſcripto- *Lib. XL.* ris locus, ubi iter Philippi per Denthelatarum agros narratur: *Socii erant, ſed propter inopiam haud ſecus quam hoſtium fines Macedones populati ſunt, rapiendo enim paſſim, villas primum, deinde quoſdam etiam vicos evaſtarunt, non ſine magno pudore regis, cum ſociorum voces nequicquam Deos ſocia-* *Ann. XII.* *les nomenque ſuum implorantes audiret.* Apud Tacitum Peligni turpis fa- *Hiſt. III.* ma, dum ſocios magis quam hoſtes prædatur. Idem Vitellianos notat per omnia Italiæ municipia deſides & tantum hoſpitibus metuendos. In Verrina quoque Ciceronis de Prætura urbana hæc eſt accuſatio: *oppida pacata ſociorum atque amicorum diripienda ac vexanda curaſti.*

Ægid. Regius de actibus ſupernaturalibus diſp 31. dub. 7. n. 95. 6. Atque hic omittere non poſſum Theologorum ſententiam, quam veriſſimam puto, regem qui quæ debet ſtipendia militibus non ſolvit, non tantum militibus teneri de damnis inde ſecutis, ſed & ſubditis ſuis & vicinis quos inedia coacti milites male habuerunt.

COMMENTARIUS.

Quamvis belli jura neutiquam concedant facultatem belligerantibus eripiendi eorum res, qui bello medii ſunt, id eſt, qui extra bellum ſunt poſiti, utpote in quos nullum jus bellicum competit, attamen non vetant eas occupare occaſione belli, neceſſitate ſumma exigente, non cum animo ſibi acquirendi, ſed conſulendi ſecuritati ſuæ, eas conſervandi & cuſtodiendi ſibi & domino, ſibi cuſtodiam quamdiu durat periculum imminens, quod alia ratione evitare non potuiſſet, ita ſi locum vel caſtellum, aut regionem occupaverit, id ipſum fit animo, domino proprietatem, ceſſante periculo, eam reſtituere, quamobrem nudam duntaxat loci cuſtodiam vindicaſſe, ſalva domino juriſdictione & fructuum perceptione, præſumendus. Cujuſmodi ſecuritas non deneganda finitimo vel vicino abſque ſuo damno, idque naturalis dictat ratio; denegatam vero propria auctoritate ſibi procurare ſui defenſio, quæ eſt juris naturalis, cuique facultatem tribuit, ſuppoſito quod ad eas anguſtias redacti ſumus, ut nulla nobis ſalutis expediendæ ſit alia ratio reliqua, tum quod ipſi domino par neceſſitas non ſubſit, ne vero ultra, quam neceſſitas exigit, hanc licentiam extendamus, eam ſuis limitibus circumſcribit Auctor. Si quid forte damni ex ejuſmodi occaſione patiatur verus dominus, hoc accidit præter intentionem agentis, & animo reparandi: nihil enim magis æquitati conſentaneum, quam ut indemnis præſtetur ille, cujus rebus in meam ſecuritatem uſus ſum. Vid. *lib.* 2. *cap.* 2. §. 10. Exemplum habemus inſigne in Moſis hiſtoria, quod adfert Auctor, uti etiam id annotavit *dict. cap.* Vid. ibidem annotat. Duci autem potiſſimum incumbit per alienum territorium exercitum ducenti pœnæ formidine & militaris diſciplinæ ſerveriori executione milites deterrere a furtis, rapinis. Verum ab altera parte quoque curare debet, ne earum rerum penuria laboret exercitus, quæ ad tuendam vitam neceſſaria, tum etiam ut ſtipendia bene perſolvantur: quid enim prodeſt militi earundem rerum copia, ſi non habeat quo ſibi victum comparare poteſt. Variæ olim leges militares conditæ, quibus militum licentia coercebatur, uti tradit de Aureliano Vopiſcus. Non omittenda lex Juſtiniani, *Duces, & quotquot exercitum obſervant, ſi a locis quæ tranſeunt, pecunias extorſerint, in duplum condemnentur.* Hinc monet Joan. Baptiſta, ut milites contenti eſſent ſtipendiis ſuis, nemini calumniam inferrent. *Luc. cap.* 3. Idem edixit Pertinax Imperator, ne cui ex populo contumaciam inferrent, neve quem viatorem pulſarent. Herodian. *lib.* 4. Verum ut ſeveriori militari diſciplinæ locus ſit, atque juſtitiæ conveniens pœnarum, quas leges ſtatuunt in facinoroſos, executio, cavendum tum Imperatori tum Duci, ne ipſe in culpa ſit & occaſionem præbeat malefaciendi, dum militibus ſtipendia ſolvi non curat, & proinde famis neceſſitate preſſi coacti aliunde ſibi vitæ ſubſidia quærere. Quamobrem non tam militi quam Imperatori vel Duci exercitus imputandum, ſi quid damni inde ſubditi vel vicini ſentiant, cujus reparatio ipſi incumbit, tanquam auctori damni dati.

III. 1. Viciſſim eorum qui a bello abſtinent officium eſt nihil facere

cere quo validior fiat is qui improbam fovet cauſam, aut quo juſtum
bellum gerentis motus impediantur, ſecundum ea quæ dicta a nobis
ſupra ſunt: In re vero dubia æquos ſe præbere utriſque in permitten- *Lib.* III.
do tranſitu, in commeatu præbendo legionibus, in obſeſſis non ſub- *cap.* I.
levandis. Corcyrenſes apud Thucydidem Athenienſium officii eſſe *Lib.* I.
ajunt, ſi extra partes eſſe velint, aut Corinthios prohibere ne ex agro
Attico militem conducant, aut idem ſibi permittere. Philippo Ma-
cedonum regi objectum a Romanis dupliciter ab eo fœdus violatum,
& quod ſociis populi Romani injurias fecerit, & quod hoſtes auxiliis
& pecunia juverit. Eadem urget T. Quintius in colloquio cum Nabi-
de: *Vos tamen, inquis, veſtramque amicitiam ac ſocietatem proprie non viola-
vi. Quoties vis te arguam id feciſſe? ſed nolo pluribus: ſummam rem comple-
ctar: quibus igitur rebus amicitia violatur: nempe his maxime duabus, ſi ſo-
cios meos pro hoſtibus habeas, ſi hoſtibus te conjungas.*

2. Apud Agathiam legimus hoſtem eſſe qui faciat quod hoſti pla- *Lib.* III.
cet; & in Procopio, in exercitu hoſtium eum cenſeri qui quæ pro- *Goth.* I.
prie ad bellum uſui ſunt hoſtili exercitui ſubminiſtrat. Demoſthenes *Phil.*
olim dixerat: ὁ γὰρ οἷς ἂν ἐγὼ ληφθείην ταῦτα πράττων καὶ κατασκευαζόμενος, οὗτος ἐμοὶ πο- III.
λεμεῖ, κἂν μήπω βάλλῃ μηδὲ τοξεύῃ. *Qui ea facit & machinatur quibus ego capi poſ-* *Liv.*
ſim, etiamſi nec feriat, nec jaculum emittat, hoſtis mihi eſt. M. Acilius Epi- *Lib.*
rotis qui milite Antiochum non juverant, ſed pecuniam ei miſiſſe in- XXXVI.
ſimulabantur, negavit ſcire ſe hoſtium an pacatorum numero eos ha-
bere deberet. L. Æmilius Prætor Tejos arguit, quod commeatu claſ- *L.* XXXVII.
ſem hoſtium juviſſent, vinum promiſiſſent: addens, ni eadem Ro-
manæ claſſi darent ſe pro hoſtibus eos habiturum. Memoratur & Cæ- *Plut.*
ſaris Auguſti dictum: ἔκσπονδον πόλιν εἶναι, πολέμιον ἔχουσαν παρ' αὐτῇ: *pacis jus amit-* *Bruto.*
tere civitatem, quæ hoſtem recipiat.

3. Proderit etiam cum utraque parte bellum gerente fœdus miſce-
re, ita ut cum utriuſque bona voluntate a bello abſtinere, & com-
munia humanitatis officia utriſque exhibere liceat. Apud Livium eſt: *Lib.*
pacem, quod medios decet amicos, optent, bello ſe non interponant. Archi- XXXV.
damus Spartæ rex Eleis, cum viderentur in Arcadum partes inclinare,
epiſtolam ſcripſit hoc tantum continentem: καλὸν ἡσυχία: *bonum eſt quie-
ſcere.*

COMMENTARIUS.

MEdiorum ſive eorum qui a bello abſtinent, officium eſt, nihil facere, quo validior fiat is, quem conſtat ex injuſta cauſa bellum ſuſcepiſſe, e contra juſtitia dictare, tum etiam ſocietatis humanæ conſervatio, a qua propria cujuſque ſalus pendet, exigere videtur, ut ejuſmodi ſocietatis perturbatores, tanquam in exitium generis humani nati, junctis viribus debellentur & opprimantur, aut quo impediantur juſtum bellum gerentibus motus, in conſcientia quis obligatus mihi videtur, eum potius adjuvare, ſi abſque gravi damno & periculo fieri poſſit, qui ex juſta cauſa, id eſt, injuria laceſſitus, bellum ſuſcepit, juſtitia, cujus virum probum & honeſtum oportet eſſe vindicem, id ipſum exigit, præterquam quod ſocietatis humanæ magnopere intereſt, ut nemo lædatur, ſuum cuique tribuatur, quamobrem fovere potius quam impedire bellum juſtum gerentis motus officium eſt viri juſti & probi. Verum cum belli eventus ſit admodum ambiguus & incertus, prudentia civilis ſuadere videtur, ne te-

mere nos immiſceamus bello, quod vicino aut finitimo forte nobis populo infertur, quamvis injuſtam ob cauſam: juſtitiæ enim ratio nec charitas proximi exigit, ut periculo, quod evitare poſſum, me exponam, niſi fœdere vel conventione devinctus ſim ſocium adjuvare, vel propria ſuadeat conſervatio, ne ſocio debellato & devicto in nos arma convertat hoſtis, ut hac ratione ſingulos opprimeret, quibus ſociatis armis impar eſſet. Quod ſi cauſa belli dubia, neutri favere ſalva juſtitia poſſumus, ſed æquo jure cum utraque parte agendum, tum annitendum, ut noſtra interceſſione exuant animum hoſtilem & in pacem redeant; verum quandoque vix mediam hic tenere viam licet *Qui enim neutri adhæret, utrique plerumque inviſus*, ut inquit Zeiglerus, *cumque eximiæ hoc prudentiæ opus ſit inter partes belligerantes ἀδιαφορίαν conſervare, & utraque pars id ſemper operam det, ut ſocium habeat & ſuis ſtudiis addictum, qui utrique hactenus æquum ſe præbuit, facile hinc colligitur quam inclinata ſit via, neutralitatis ut vocant jus perdendi.* Cum ab utraque parte ſollicitamur, ſæpe ad eas anguſtias redigimur, ut neceſſe habeamus alterutri parti adhærere. Damnat hanc ἀδιαφορίαν Machiavellus, utilius enim putat alteri ſe adjungere, quam neutram in partem inclinare. *Nam ſi inter ſe duo potentes confligant, tuam qui attingunt regionem qualeſcunque illi fuerint, ſive quod altero debellato ſit tibi a victore timendum, ſive non, utilius ſemper foret in utraque hujus rei conditione, ſi te patefacto apertum bellum geras. Si quidem primo loco niſi te aperias, ſemper ejus, cui victoria ceſſerit, eris præda, maxime cum victi, tum voluptate, tum jucunditate, nec ullum jus, ullamve rationem habebis, qua aut defendi aut recipi poſſis: nam belli victor ſuſpectos amicos, quique in rebus adverſis auxilio tibi eſſe nolunt, negliget: qui autem domitus jacet, is cum tu armis arreptis ejus aleam ſequi nolueris, te recipiet nunquam.* Et paulo poſt: *Principes, qui ſunt animi dubii, aut qui cernunt præſentia pericula, vitent, ſæpenumero eam ſequuntur viam, qua neutri habeantur. Verum cum Princeps audacter alterius partis fautorem ſeſe aperit, ſi is, cui ſe adjunxit, victor evaſerit: tam & præpotens habeatur, & ad ejus arbitrium relinquatur, nihilominus jam beneficii vinculum eſt illi injectum & amor propterea jam intercedit conciliatus, homines præterea non adeo inhoneſti ſunt & iniqui, ut tanto ingratitudinis exemplo illum oppreſſum velint. Adhac victoria ipſa non tam feliciter parantur, quin victor aliquam cogatur habere rationem præſertim juſtitiæ & æquitatis. Porro ſi is, cui adhærendum judicavit, victoria cadat, recipietur tamen ab eo, & quoad illi fuerit facultas, nunquam non aderit ſuppetias laturus.* Quid capiendum conſilii in hoc rerum ſtatu collocatus, relinquendum arbitrio ejus, qui ſummæ rerum præeſt, certum quid determinari mihi non poſſe videtur. Omnes circumſtantiæ & rationes ponderandæ pro præſenti rerum facie, & inde quid ſuadet utilitas & ſalus, facile patebit, ſequendum quod illa exigit. Si media via tuta, non ambigendum quin illa præferenda bello, cujus eventus admodum incertus. Satis autem tuta mihi eſſe videtur, ſi eum utraque parte bellum gerente conveniatur, ut communia humanitatis officia utriſque exhibere, atque ita cum utriuſque bona voluntate bello abſtinere liceat.

CAPUT XVIII.

De his quæ in bello publico privatim fiunt.

I. *AN privatim hoſti nocere liceat expoſitum cum diſtinctione juris naturalis, gentium & civilis.*

II. *His qui ſuo ſumtu militant, aut naves inſtruunt, quid per internam juſtitiam liceat reſpectu hoſtium.*

III. *Quid reſpectu ſuæ civitatis.*

IV. *Quid Chriſtianæ dilectionis regula ab ipſis exigat.*

V. *Quomodo bellum privatum cum publico miſceatur.*

VI. *Ad quod teneatur qui ſine mandato hoſtibus nocuit, cum diſtinctione explicatur.*

I. 1. QUæ diximus hactenus pleraque ad eos pertinent qui aut ſummum in bello arbitrium habent aut publica imperia exequuntur. Videndum etiam quid privatim in bello liceat, qua naturæ, qua divino, qua gentium jure. Narrat officiorum primo Cicero in Pompilii imperatoris exercitu militaſſe Catonis Cenſorii filium, ſed mox dimiſſam legionem in qua is militabat, cum nihilominus adoleſcens amore pugnandi in exercitu remanſiſſet, Catonem ſcripſiſſe ad Pompilium, ut ſi eum vellet remanere in exercitu, ſecundo eum ſacramento militiæ obligaret, addita cauſa, quia priore amiſſo, jure cum hoſtibus pugnare non poterat.

Addit

Addit & ipſa Catonis ad filium verba ex epiſtola, quibus eum monet *Plut.*
ut caveat ne prælium ineat: neque enim jus eſſe qui miles non ſit *Quæſt.*
pugnare cum hoſte. Sic & Chryſantam Cyri militem laudatum legi- *Rom. 39. & Mar-*
mus, qui hoſti imminens repreſſit enſem ſimul ac receptui canere *cello.*
audierat. Et Seneca: *inutilis miles dicitur qui ſignum receptui datum negligit.* *De Ira c. 9.*

2. Sed falluntur qui venire hoc putant ex jure gentium externo:
nam id ſi ſpectes, ſicut rem hoſtilem cuilibet occupare licet, ut ſu- *Lib. III.*
pra oſtendimus, ita & hoſtem occidere: nam illo jure hoſtes pro *cap. 6.*
nullis habentur. Venit ergo quod Cato monebat ex diſciplina mili-
tari Romana, cujus ea lex erat, Modeſtino notante, ut qui manda- *L. deſer-*
ta non ſervaſſet capite puniretur etiamſi res bene ceſſiſſet: mandata *torem D.*
autem non ſervaſſe intelligebatur etiam qui extra ordinem ſine ducis *de re milit.*
imperio in hoſtem pugnaſſet, ut Manliana imperia nos docent: ni- *Liv.*
mirum quia ſi id temere liceat, aut ſtationes desererentur, aut etiam *l. VIII.*
progrediente licentia exercitus parſve ejus inconſultis præliis implica-
retur, quod omnino cavendum erat. Itaque Salluſtius ubi Romanam
diſciplinam deſcribit, *in bello*, inquit, *ſæpius vindicatum in eos qui con-
tra imperium in hoſtem pugnaverant, quique tardius revocati prælio exceſſerant.*
Laco quidam cum hoſti imminens audito receptûs ſigno ictum repreſ-
ſiſſet, cauſam reddidit: ὅτι βέλτιόν ἐστι τοῦ φονεύειν τὸ πείθεσθαι τῷ ἄρχοντι: *quia præfe-
ctis parere ſatius eſt quam hoſtem occidere.* Et Plutarchus cur qui militia
ſolutus eſt occidere hoſtem non poſſit cauſam reddit, quod legibus
militaribus non teneatur quibus teneri debeant pugnaturi. Et apud *Lib. II.*
Arrianum Epictetus memoratum modo Chryſantæ factum referens; *c. 6.*
οὕτω πρoυργιαίτερον ἔδοξεν αὐτῷ τὸ τοῦ στρατηγοῦ πρόσταγμα, ἢ τὸ ἴδιον ποιεῖν; *tanto illi potius vi-
debatur ducis quam ſuam voluntatem exequi.*

3. At jus naturæ & internum ſi reſpicimus, videtur in bello juſto
cuilibet conceſſum ea facere quæ parti innocenti intra juſtum bellandi
modum profutura confidit: non etiam res captas ſuas facere, quia
nihil ipſi debetur: niſi forte pœnam juſtam exigat communi homi-
num jure. Quod poſtremum quomodo per Euangelii legem reſtrictum *Lib. II.*
ſit ex his quæ ſupra a nobis tractata ſunt intelligi poteſt. *c. 20. §. 10.*

4. Mandatum autem eſſe poteſt aut generale aut ſpeciale. Genera- *Serv.*
le, ut in tumultu apud Romanos Conſul dicebat, *qui rempublicam ſalvam* *ad VIII. Æneid.*
volunt me ſequantur. Imo & ſingulis interdum ſubditorum jus datur oc- *C. quan-*
cidendi etiam extra ſui tutelam, ubi id publice expedit. *do liceat unicuique l. I. & 2.*

COMMENTARIUS.

QUemadmodum bellum ſuſcipiendi arbitrium penes eum, qui civitati vel Reipublicæ præeſt, & proinde quidquid agit vel gerit, nomine civitatis & populi fit, unde publica quæ ab eo proficiſcuntur, qua Princeps. Hinc etiam publicum bellum dicitur, quia ſuſceptum ab eo, qui ſummæ rerum præeſt, & civitatis ſive populi perſonam ſuſtinet & repræſentat, in eum tranſlata facultas belli ſuſcipiendi, quæ in ſtatu naturali penes ſingulos reſidebat patresfamilias tanquam familiæ principes & capita, atque eodem ſenſu publica dici poterat, quatenus ſingulæ familiæ in eo rerum ſtatu, tanquam tot civitates & parvæ Reſpublicæ conſiderari poterant. Quidquid pater-

fami-

familias ſuſcipiebat, nomine familiæ, id eſt, quaſi publico, fiebat, quales omnes actus dicendi, qui ad conſervationem, defenſionem, & adminiſtrationem pertinebant, ejuſmodi actus duntaxat ab eo proficiſci poſſunt, quibus cura incumbit ne quid Reſpublica detrimenti capiat. Cujus generis belli denunciatio, cujus gerendi ratio & arbitrium penes ſummum magiſtratum, qui nullum agnoſcit ſuperiorem. Quemadmodum vero belli denunciatio, ita quoque omnia ejuſdem acceſſoria nituntur auctoritate publica, ſic omnes militum actus ſive ſpeciali mandato, ſive generali, ſive in publica expeditione, ſive extra eam fiant, publica auctoritate nituntur, atque in eadem, ut ita dicam, fundata eorundem juſtitia. Eodem modo, quo bellum ſuſceptum, geritur, id eſt, omnia quæ a privatis peraguntur, juſſu & mandato Principis fieri, & proinde non privatim, ſed publico nomine cenſentur, quamobrem licita quæ jure belli patrantur. Sunt autem privati vel peregrini, qui forte veniunt in auxilium, vel cives & ſubjecti Principis aut civitatis, quæ bellum gerit: neutri horum adverſus hoſtem quidquam facere vel tentare niſi juſſu ejus, cujus nomine bellum geritur, ſive expreſſo ſive tacito. Ejuſmodi juſſus ex ipſa belli denunciatione profluit, quo omnes, qui belligerantis partes ſequuntur, tuti in hoſtem ruere eique nocere poſſunt. *Quamobrem quamvis ſecundum jus naturæ ac internam juſtitiam, in bello juſto cuilibet conceſſum ſit ea facere, quæ parti innocenti intra juſtum bellandi modum profutura confidit, illa tamen publice fieri dicuntur, non privatim. Hoc certum eſt militem ante ſubditum eſſe non poſſe, quam Princeps bellum decreverit, etiamſi Reſpublica juſtiſſimas belli gerendi cauſas habeat: quia hæc cura ſpectat ad majeſtatem, quæ cives tanquam idonea inſtrumenta juri perſequendo adhibet. Dependent igitur omnes eorum actiones ab auctoritate publica, & quidquid in bello privatim faciunt, non recte faciunt: nam recta principium actionis non in ipſis ſubditis eſt, ſed in Principe*; unde concludit Henninges titulum hujus capitis non modicam contradictionem involvere, aliquid in bello publico privatim licere. Generale tacitum mandatum præcedit eorum actus, qui bello operam navant ipſo actu, id eſt, qui ſacramento militari adſtricti, ſed etiam ſubjectorum Principis læſi, quatenus membra civitatis, cui bellum illatum, quod licentiam cuique tribuit, hoſti nocere quantum quiſque poteſt. Nam & hi omnes pro patria, tum etiam ſui tutela hoſti damnum inferre poſſunt jure naturæ & gentium. Imo ipſa cauſæ juſtitia in bello, tum etiam defenſio ac ſui tutela facultatem hanc tribuunt, dictante jure naturæ & ei ſubnixum jure gentium; verum ut omnia ordine fiant, & bona obſervetur diſciplina, recte jure militari conſtitutum, ut omnia, quæ in exercitu ſuſcipiuntur, dependeant ab arbitrio & juſſu, ſive mandato Principis ſive ducis, ejuſque auctoritate gerantur, ex qua licentia bellica metienda, huic parere neceſſum habent, qui caſtra ſequuntur & militiæ nomen dederunt. Cujuſmodi diſciplinam adeo exacte obſervarunt Romani, ut qui mandata non ſervaſſet, etiamſi res bene ceſſiſſet, capite puniretur. Non eo, quaſi non fas eſſet jure naturæ ſive gentium hoſtem occidere privato, nondum militiæ ſacramento obligato, verum ut omnia ordine fierent, neque nimis amplam ſibi licentiam privati arrogarent, nihil licere voluerunt privato militi propria auctoritate agere, ſed ex mandato & juſſu ducis omnia peragenda & ſuſcipienda, quamobrem militiæ ſacramento obligabatur, abſque eo apud Romanos nefas habitum hoſtem ferire, adeo ut, qui ſecus feciſſet, cædis reus haberetur. Verum ut notat Auctor, venit quod Cato monebat ex diſciplina militari Romana, at jus naturæ, ſi internum reſpicimus, videtur in bello juſto cuilibet conceſſum ea facere, quæ parti innocenti intra juſtum bellandi modum profutura confidit, niſi quod mandatum plerumque accedat generale aut ſpeciale. Et generale quidem, ubi vel voce imperantis, vel lege etiam ſingulis jus datur. Exemplum mandati generalis occurrit apud Vellej. *lib.* 2. *cap.* 3.

II. 1. Speciale mandatum habere poſſunt non hi tantum qui ſtipendia percipiunt ſed & qui ſuo ſumtu militant, & qui, quod plus eſt, ſuo ſumtu partem belli adminiſtrant, ut qui naves inſtruunt ac ſuſtentant ſuis impendiis, quibus vice mercedis concedi ſolet ut capta ſua faciant, ſicut alibi diximus. Id vero quatenus procedat illæſa juſtitia interna & caritate non immerito quæritur.

L. III. c. 6.

2. Juſtitia aut hoſtem reſpicit aut ipſam civitatem cum qua contrahitur. Hoſti diximus eripi poſſe poſſeſſionem rerum omnium quæ bellum alere poſſunt, ſecuritatis cauſa, ſed hoc ſub onere reddendi: ipſum vero dominium ad compenſationem uſque ejus quod aut ab initio belli aut ex poſt facto civitati juſtum bellum gerenti debetur; ſive res ſint civitatis hoſtilis, ſive ſingulorum, etiam per ſe innocentium: bona vero nocentium etiam ex pœnæ cauſa adimi & acquiri capientibus

tibus poſſe. Fient ergo res hoſtiles eorum qui belli partem ſuo ſumtu adminiſtrant. Quod hoſtes attinet, hactenus ut is quem expreſſi modus non excedatur, quod æquo arbitratu æſtimandum eſt.

III. Adverſus ſuam autem civitatem juſtum juſtitiâ internâ id ipſum erit, ſi contractui æqualitas inſit, hoc eſt, ſi ſumtus & pericula tanti ſunt quanti prædæ alea: nam ſi hæc ſpes multo pluris valeat, reddendum erit civitati quod ſupererit, perinde ac ſiquis animum vili pretio jactum, incertum quidem, ſed tamen facilem & magnæ ſpei emiſſet.

COMMENTARIUS.

SPeciale vero habere poſſunt qui ſtipendia merentur, ſed & qui ſuo ſumptu militant, & qui, quod plus eſt, ſuo ſumptu bellum totum, ut apud Romanos bellum V. Fabii, apud Liv. *lib.* 2. *cap.* 4. aut ejus partem belli adminiſtrant, quales ſunt qni naves inſtruunt ac ſuſtentant, nobis Caepbaerders/ quibus vice mercedis concedi ſolet ut capta ſua faciant. Quouſque vero privatis hoc modo agere illæſa juſtitia interna & caritate liceat, Auctor noſter præclare exponit. Optandum eſſet, ut juxta haſce juſtitiæ regulas bella gererentur, eaſque ſibi militiæ operam navans quiſque pro agendi norma cum hoſte obſervaret. Reſpicit vero juſtitia aut hoſtem, aut ipſam civitatem cum qua contrahitur. Hoſti eripere poſſumus rerum omnium poſſeſſionem, quæ bellum alere poſſunt ſecuritatis cauſa, ſed hoc ſub onere reddendi, ſi pax commoda fiat, & ille aliter pro injuria ſatisfaciat, ut inqnit doctiſſimus Gronovius. Sui enim tutela & defenſio admodum favorabilis, ac multa permittit, quæ alias juſtitiæ repugnare viderentur, ipſum vero dominium ad compenſationem uſque ejus, quod ab initio aut ex cauſis ſubnaſcentibus debetur, ut annotavimus *cap.* 13. Reſpectu vero civitatis cum qua contraxerunt, id ipſum licet, ſi contractui æqualitas inſit, id eſt, ſi ſumptus & pericula tanti ſunt, quanti prædæ alea. Verum non videtur mihi adeo exacte hic æſtimationem fieri poſſe: cum enim vita ſit res inæſtimabilis, quamobrem ejuſdem periculum æſtimationem non recipit, oporteret prædæ inæqualitatem modum longe excedere, antequam ejus ratio habenda; alia compenſare facile poteſt cum vitæ periculo. *Præterquam*, ut ioquit Zeiglerus, *quod non invidendum erit hoc caſu illi, qui ſuo ſumptu militat, aliquod lucrum, præſertim cum tam benignus fuerit in Rempublicam ſuam civis iſte, dum facultatibus ſuis ei ſubvenire non dubitavit, ut merito ei propterea gratia debeantur.*

IV. Cæterum, etiam cum juſtitia ſtricte dicta non læditur, eſt ut peccetur adverſus id officium quod in aliis diligendis conſiſtit, præſertim quale Chriſtiana lex præſcribit, ut ſi appareat talem prædationem præcipue nocituram non hoſtium univerſitati, aut regi, aut his qui per ſe ſontes ſunt, ſed innocentibus, & quidem adeo ut eos detruſura ſit in ſummas calamitates, in quas etiam eos qui privatim nobis debent conjicere, immiſericordiæ foret. Quod ſi ad hæc accedat ut *Syl. in*
ea deprædatio neque ad finem bello imponendum, neque ad hoſtium *verbo bel-*
publicas vires accidendas notabile aliquod momentum habeat, tum *lum. n.* 8.
vero probo homine præſertim Chriſtiano indignus cenſeri debet *verſ.* 5.
quæſtus ex ſola temporum infelicitate.

COMMENTARIUS.

SI Marius olim negabat præ armorum ſtrepitu leges a ſe poſſe exaudiri, ac ipſe oris tam verecundi Pompejus auſus eſt dicere: *Armatus leges ut cogitem?* ac vulgi eſt opinio bellum ab omni jure longiſſime abeſſe, admodom difficile haſce internæ juſtitiæ regulas perſuaderi poſſunt iis, qui caſtra ſequuntur, & inter armorum ſtrepitum conſeneſcunt. Non admodum illi ſolliciti eſſe ſolent de caſibus conſcientiæ, nec ea, quæ ſunt in foro licita diſtinguere ab illis, quæ impune facere poſſunt in foro ſoli; haſce non curant ſubtilitates, qui omnis prorſus

ſus

ſus politioris ac humanioris doctrinæ rudes, humanitatis, charitatis, liberalitatis, clementiæ regulas, aliaque id genus officia quæ inter ſanguine conjunctos, amicos, vicinos & togatos locum ſibi vindicant parum curant. Dolus, aſperitas, injuſtitia, rabies, ira, propria eorum negotia, quibus æs triplex circa pectus, adeo ut hiſce juris interni regulis ad conſcientiæ forum nullus pateat aditus, unde Zeiglerus: Ego auſim confidenter aſſerere, ne milleſimo quidem inter milites hodiernos, imo in copioſo exercitu vix uni aut ne uni quidem perſuaderi iſtas juris interni regulas poſſe. Interim probe ſuo defungitur officio Grotius, & vel in idea Chriſtiani militis officium proponit.

V. Evenit autem interdum ut occaſione belli publici naſcatur bellum privatum, puta ſi quis in hoſtes inciderit, & vitæ aut rerum adeat periculum, quo eventu ea erunt obſervanda quæ de conceſſo tuendi ſe modo alibi diximus. *Lib. II. c. I.* Solet & conjungi auctoritas publica cum privata utilitate: ut ſi quis magno ab hoſtibus damno affectus impetret jus ex rebus hoſtium damna ſarciendi: quod jus definiendum eſt ex iis quæ de pignorationibus ſupra a nobis ſunt tradita. *L. III. c. 2.*

VI. At ſi quis miles aut alius, etiam in bello juſto, ædificia hoſtium incenderit, agros vaſtaverit, atque id genus dederit damna, non juſſus, adde cum neque neceſſitas ſubeſſet, neque juſta cauſa, teneri eum ad ſarcienda damna recte a Theologis eſt proditum. *Syl. in verbo bellum. p. I.* Merito autem addidi, quod ab illis omiſſum eſt, ſi juſta cauſa non ſubſit. Nam ea ſi adſit, tenebitur forte ſuæ civitati cujus leges transgreſſus eſt, non item hoſti cui nullam fecit injuriam. Non diſſimile eſt quod Carthaginienſis quidam Romanis Annibalem dedi poſtulantibus reſpondebat: *Non privato publicove conſilio Saguntum oppugnatum ſit, quærendum cenſeo: ſed utrum jure an injuria? Noſtra enim hæc quæſtio atque animadverſio in civem noſtrum eſt, noſtro an ſuo fecerit arbitrio: vobiſcum una diſceptatio eſt; licueritne per fœdus fieri.*

COMMENTARIUS.

Quæcunque a privatis in publico bello geruntur ac ſuſcipiuntur adverſus hoſtes, fiunt jure belli publici, & publica nituntur auctoritate, quemadmodum bellum publicum intercedit inter duos qui nullum ſuperiorem agnoſcunt, ita etiam inter cives & ſubditos utriuſque partis belligerantis. Poſſunt quidem privata certamina, ut ita dicam, incidere aliquando, verum ea fiunt auctoritate publica, ſunt illa acceſſoria belli publici & eodem jure gaudent, quamobrem ſi quis in hoſtes inciderit & vitæ aut rerum adierit periculum, non jure belli privati, ſed publici, non hoſtem depellere duntaxat, ſed in eum irruere & omni modo at ratione lædere poteſt: concurrit enim hic cum moderamine inculpatæ tutelæ vindicta publica, quamobrem qui hoſtem deprehendit, aſſultum nou exſpectare tenetur, ſed ipſe poterit tum invadere & agere non ſecus, quam ſi juſtis copiis in prælio contra hoſtes cum aliis commilitonibus tenderet, uti recte annotavit Henning. *comment. ad h. l.* Ut vero nimia licentia bellica, tum etiam crudelitas & ſævitia coerceatur, recte diſciplina militari cavebitur, ne quis miles etiam juſto in bello abſque juſſu ducis ædificia hoſtium incendat, vaſtet agros, atque id genus damna inferat, ſi neque neceſſitas, neque juſta cauſa ſubeſt; verum an in conſcientia miles teneatur damna iſtiuſmodi reſarcire, quæ forte non exigente neceſſitate, neque juſta ex cauſa dederit hoſti, poſito quod licentia militaris ejuſmodi licentiam non admerit? Et dicendum videtur eatenus teneri, quatenus modum exceſſit, ut alibi annotavimus. Quippe jure belli hoſti nocere, non repugnat naturali rationi, verum vetat modum excedere: omne enim nimium in vitium verti, in proverbium abiit, & proinde juri naturæ repugnat. *Eſt pœna modus, ſicut rerum reliquarum, & quædam mediocritas.* Quod ſi juſta cauſa ſubeſt, non tenebitur hoſti, cui nullam fecit injuriam, ſed civitati, cujus leges tranſgreſſus eſt.

CAPUT

CAPUT XIX.

De ſide inter hoſtes.

I. *Fidem deberi hoſtibus quibuſvis.*
II. *Refellitur ſententia quæ prædonibus & tyrannis fidem ſervandam negat.*
III. *Solvitur argumentum ſumtum ex eo quod tales pœnam merentur; & oſtenditur hoc non conſiderari ubi tanquam cum tali actum eſt.*
IV. *Non obſtare quod promiſſio metu extorta ſit, ſi ei qui promiſit metus illatus non ſit.*
V. *Aut ſi juramentum acceſſerit, quanquam id adverſus prædonem impune, quod homines attinet, violatur.*
VI. *Eadem aptata ad ſubditos bellantes.*
VII. *Specialis difficultas circa promiſſa ſubditis facta ob ſupereminens dominium tractatur:*
VIII. *Et oſtenditur talia promiſſa firmari civitatis jurejurando:*
IX. *Aut ſi tertius ſe interponat cui fiat promiſſio.*
X. *Mutatio ſtatus publici quomodo fiat.*
XI. *Metus exceptionem ad bellum ſolenne juris gentium non pertinere:*
XII. *Quod intelligendum de metu tali quem jus Gentium agnoſcat.*
XIII. *Servandam fidem & perfidis:*
XIV. *Non ſi conditio deficiat: quod locum haberet ſi alter parti pactorum non ſtet.*
XV. *Nec ſi juſta compenſatio opponatur:*
XVI. *Quamvis ex alio contractu:*
XVII. *Aut damno dato.*
XVIII. *Imo & ex pœna:*
XIX. *Quomodo hæc in bello locum habeant.*

I. 1. QUid quantumque in bello liceat diximus partim nude ſpectari, partim ex promiſſo antecedente. Parte priore abſoluta reſtat poſterior, quæ eſt de fide hoſtium inter ſe. Egregium eſt conſulis Romani Silii Italici dictum: *Lib. xv.*

Optimus ille
Militiæ, cui poſtremum primumque tueri
Inter bella fidem.

Xenophon oratione de Ageſilao, οὕτω μέγα καὶ καλὸν κτῆμα τοῖς τε ἄλλοις ἅπασι καὶ ἀνδρὶ δὴ στρατηγῷ, τὸ ὅσιόν τε καὶ πιστὸν εἶναί τε καὶ ὄντα ἐγνῶσθαι. *Tanta tamque præclara res eſt in omnibus quidem, ſed præcipue in ducibus, religionis & fidei obſervantes eſſe atque haberi.* Ariſtides Leuctrica quarta: ἐν εἰρήνῃ καὶ σπονδαῖς μάλιστα οἱ τὰ δίκαια ποιεῖν βουλόμενοι κρίνονται: *in pace aliiſque publicis conventionibus ſervandis maxime ſpectantur qui juſtitiæ ſtudent.* Ut enim recte dixit Cicero de finibus quinto, *nemo eſt qui non hanc affectionem animi probet atque laudet, qua non modo utilitas nulla quæritur, ſed contra utilitatem etiam conſervatur fides.*

2. Publica fides, ut apud patrem eſt Quintilianum, inter armatos hoſtes inducias facit, deditarum civitatum jura conſervat. Apud eundem alibi: *Fides ſupremum rerum humanarum vinculum eſt: ſacra laus fidei inter hoſtes.* Sic & Ambroſius: *Liquet igitur etiam in bello fidem &*
juſtitiam ſervari oportere. Et Auguſtinus: *Fides quando promittitur etiam hoſti* *Lib. II.*
ſervanda eſt contra quem bellum geritur: Nimirum hoſtes qui ſunt, homi- *c. 29.* *Epiſt. ccv.*
nes eſſe non deſinunt. At homines omnes qui ad rationis uſum perve- *ad Boniſ.*
nerunt capaces ſunt juris ex promiſſo. Camillus apud Livium ait, ſibi cum Faliſcis eam eſſe ſocietatem quam ingeneravit natura.

3. Ex hac autem ſocietate rationis & ſermonis naſcitur ea de qua agimus obligatio ex promiſſo. Neque vero putandum eſt, quia hoſti falſum eloqui aut licere, aut crimine vacare ex multorum ſententia ſu-

pra diximus, pari ratione hoc & ad fidem datam referri poſſe. Nam verum eloquendi obligatio eſt ex cauſa quæ bello fuit anterior, & bello tolli forte aliquatenus poteſt: at promiſſio per ſe jus novum confert. Vidit hoc diſcrimen Ariſtoteles quum de veriloquio agens ait:
Nic. IV. 19. ὐ περὶ τῦ ἐν ταῖς ὁμολογίαις ἀληθεύοντος λέγομεν, ὐδ᾽ ὅσα εἰς ἀδικίαν καὶ δικαιοσύνην συντείνει, ἄλλης γὰρ ἂν εἴη ταῦτ᾽ ἀρετῆς. *Non de eo loquimur qui in conventionibus verax eſt, & in iis quæ ad juſtitiam & injuſtitiam pertinent: ſunt enim hæc alterius virtutis.*

4. Pauſanias Arcadicis de Philippo Macedone: στρατηγὸν ἀγαθὸν ὐκ ἄν τις ὀρθῶς καλέσειεν αὐτὸν, ὅς γε καὶ ὅρκυς θεῶν κατεπάτησεν ἀεὶ, καὶ σπονδὰς ἐπὶ παντὶ ἐψεύσατο πίστιν τε ἠτίμασε μάλιστα ἀνθρώπων. *Bonum eum Imperatorem nemo recte vocaverit, ut qui pro more habuerit jusjurandum contemnere, fidem quavis occaſione violare, ita ut nulli homini fides vilior fuerit.* Valerius Maximus de Annibale: *Bellum adverſus populum Romanum & Italiam profeſſus adverſus ipſam fidem acrius geſſit, mendaciis & fallacia quaſi præclaris artibus gaudens, quo evenit ut alioqui inſignem ſui memoriam relicturus in dubio majorne vir an pejor haberi deberet, poneret.* Apud Homerum ſemet accuſant adacti conſcientia Trojani:
Ili. X.

Νῦν δ᾽ ὅρκια πιστὰ
Ψευσάμενοι μαχόμεθα· τῶ ὔ νύ τι κάλλιόν ἐστι.

Rumpentes fœdera ſacra
Juratamque fidem pugnamus, non quibus eſt fas.

COMMENTARIUS.

SUpra annotavimus, ſublata fidei ſervandæ neceſſitate, tolli omne inter homines commercium, diſtrahi ſocietatem, & nihil aliud ſequi ex hominum negotiis & convictu ac mutua conſuetudine poſſe, quam confuſionem, diffidentiam, cædes, inſidias, pravas machinationes, dolum, fallaciam, & perpetuum inter homines bellum. Quamobrem fides ſupremum rerum humanarum vinculum eſt, inter maxima generis humani bona eſt, tantæque auctoritatis fides eſt, ut etiam fœdera cum hoſtibus jungat & amicos faciat; non alia ratione, quam quod jure gentium receptum ſit, cum hoſtibus pacta facta valere. *l.* 5. *ff. de pact.* Vid. *lib.* 2. *cap.* 11. §. 1. *n.* 4. Quamvis bellum ſocietatem diſtrahat, attamen non tollit ea, quæ ſunt juris naturalis, perpetuam, id eſt, moralem obligationem continentia, quæ nullam admittunt diſpenſationem, quovis in ſtatu quis collocatus, & qualemcunque ſuſtinet perſonam. Ejus generis eſt obligatio, quæ naſcitur ex promiſſione, pactis ac conventionibus, ea non reſpicit perſonæ qualitatem & conditionem, modo capax ſit juris ex promiſſo, ſed quid actum ſit, quid conventum & promiſſum, attendit. Actus ipſe parit obligationem, qua fidem ſervare tenetur promittens, etiamſi cum hoſte rem habeat, quippe ſtatus belli non reddit hoſtem inhabilem ad recipienda quæ promiſſa, ſive potius acquirendum jus illud perfectum, quo ab altero exigere poteſt fidem datam ſervare, & proinde implere promiſſa, & præſtare quæ pacto vel conventione continentur: quamvis hoſtis, attamen homo eſſe non deſinit, id eſt, capax juris ex promiſſo. Cui etiam & altera accedit ratio, quæ fundatur in obligatione naturali, qua quiſque tanquam membrum humanæ ſocietatis tenetur elaborare, ne quid genus humanum detrimenti capiat. Magnum autem detrimentum caperet, uti dicere incepimus, ſublata fide, qua non tantum Reſpublica quælibet continetur, ut ait Cicero 3. *offic.* ſed & major illa gentium ſocietas. Huic autem detrahendæ cauſam qui præbet, humani generis quaſi hoſtem ſe declarat, propterea, quod quantum in ſe eſt, fidem fallendo, arctiſſimum ejus vinculum diſſolvit, & belli quaſi ſtatum perpetuum inducit, quo nihil magis humano generi exitioſum fingi poteſt. Forte dici poſſet cum hoſte ſocietatem jam diſſolutam, & proinde qui fidem non ſervat ſocietatem non diſſolvere pacem cum bello commutando; imo vero non diſſolvit duntaxat, ſed penitus tollere videtur, utpote cujus perfidia in cauſa eſt, quod alter non in pacem cum eo redeat, ſi durante belli ſtatu fidem fefellit; diffidentia, enim perpetuum fere inter homines bellum parit. Imo promittere hoſti quippiam, eſt ſocietatem aliquam cum ipſo inire, a qua recedere nec ſatisfacere officio ratione

tione illius initæ ſocietatis competenti, eſt ſocietatem humanam lædere. Præterquam quod etiamſi bellum diſſolvendo ſocietatem inter belligerantes tollere videatur quorundam officiorum commutationem & præſtationem, tum etiam commercium mutuum, quod intercedit inter nationes vel gentes, attamen non adimit facultatem belligerantibus pacta & conventiones, fœdera & contractus celebrare atque inire, qui obligationem mutuam pariunt, qua ſibi invicem devincti adimplere & ſervare contractum. Quamvis hoſtis, homo tamen eſſe non deſinit, cum quo intercedit juris naturæ communio, quod non dictat duntaxat ſed moralem neceſſitatem ſive obligationem imponit contrahentibus, qua tenentur ſibi mutuo ſervare fidem; cum hoſte contrahere, paciſci, fœdera inire voluntatis eſt, verum neceſſitatis contractum & fœdera ſancte ſervare. Unde argumentatur Franciſcus Hottomannus *quaſt. illuſtr. 7.* Inter quos alienis juris communio eſt, inter eos contrahitur obligatio. Atqui inter hoſtes juris eſt communio, juris ſcilicet ejus, quod gentium dicitur & naturalis. Ergo inter eos contrahitur obligatio. Per conſequens ex conventione hoſtium inter ſe, & ex data acceptaque fide tale naſcitur vinculum, quod rumpi ſine perfidia nequit. Hiſce add. quæ *cap.* 1. §. 18, 19. & *lib.* 2. *cap.* 13. §. 15. annotavimus.

II. 1. Et ſupra jam diximus non recipienda illa Ciceronis: *Nulla nobis ſocietas cum tyrannis, ſed potius ſumma diſtractio eſt.* Item: *Pirata non eſt ex perduellium numero definitus: cum hoc nec fides eſſe debet nec jusjurandum commune.* De tyranno etiam Seneca: *Quicquid erat quo mihi cohæret intercisa juris humani ſocietas abſcidit.* Ex quo fonte error Michaëlis Epheſii profluxit, qui ad quintum Nicomachiorum dixit, in tyranni uxorem adulterium non committi: quod ipſum pari errore quidam Judæorum magiſtri de alienigenis dixerunt, quorum conjugia pro nullis habent. *Lib. II. cap. XIII. ¶. 15. Lib. VII. de benef.*

2. Atqui belli piratici magnam partem Cn. Pompejus pactionibus confecit, vitam illis pollicitus & ſedes, in quibus ſine rapto viverent. Et tyranni interdum libertatem reddiderunt, impunitatem pacti. Cæſar belli civilis tertio, a Romanis ducibus cum prædonibus & fugitivis qui in Pirenæis erant montibus actum de compoſitione, ſcribit, quis dixerit ſi quid conveniſſet nullam inde exſtituram fuiſſe obligationem? Non habent quidem iſti ſpecialem iſtam communionem quam inter hoſtes in bello ſolenni & pleno introduxit jus gentium: at quia homines ſunt communionem habent juris naturalis, ut recte diſſerit Porphyrius libro de non eſu animalium tertio, ex quo naſcitur ut pacta ſervanda ſint. Sic Diodorus fugitivorum duci Apollonio a Lucullo fidem ſervatam memorat. *L. 56.* Et Dio ſcribit, ab Auguſto Crocatæ latroni perſolutum pretium capiti ejus impoſitum, cum ſe ipſe ſiſteret, ne fides violaretur.

COMMENTARIUS.

QUia etiam cum tyrannis & prædonibus intercedat juris naturalis communio, fidem eis datam non eſſe violandam, ſatis prolixe diſputavimus *lib.* 2. *cap.* 13. §. 15. Quamobrem depoſitum ex ipſo jure gentium reddendum latroni, reſpondit Tryphoninus, cujus juris communionem etiam cum fugitivis & prædonibus eſſe, ſtatuit ſummus Juriſconſultus Hottomannus *quaſt. illuſtr.* 7. Quamvis latrones ac prædones videantur tanquam nati in exitium humani generis, & proinde communes hoſtes, junctis viribus e hominum numero extirpandi, cum quibus nec ſocietas, nec commercium ullum intercedere poteſt, attamen homines eſſe non deſinunt, qui ſunt capaces juris, & habiles ad acquirenda quæ ſunt juris naturalis, cujus juris communio nulla ratione poteſt tolli, ita ut nulla ejuſdem obſervantia cum prædonibus nobis incumberet. Quemadmodum ejuſdem originis, ita quoque rationis participes; rationis autem communio inducit quoque communionem juris, quod ob rationis communicationem omnibus

bus hominibus commune, & proinde naturale, quia cum ipſa natura proditum, id eſt, natura rationali, juxta vero hoc juris dictamina, quæ per rationem nobis innoteſcunt, homo cum ſui ſimili vivendi & agendi modum ac normam ſibi præſcribit, id eſt, ſibi ipſe lex eſt. Obligatio itaque, quæ deſcendit ex hac lege, fundata in rationis dictamine naturalis, naturalis quia quaſi innata naturæ humanæ ſive homini, qui rationis capax & particeps. Eorum vero quædam abſolute omni tempore, loco, ſtatu obligant, alia pro certo rerum ſtatu vim obligandi habent, quo non exiſtente, vel mutato, evaneſcit quoque obligatio. Dictat ratio ſocietatem & amicitiam colendam cum omnibus hominibus, neminem lædendum, verum ſupponit pacem & concordiam: in ſtatu enim belli ceſſat neceſſitas ſive hæc obligatio, quatenus ſocietate diſtracta & interrupta amicitia, ceſſant quoque ſocietatis jura & commoda, quæ hominem devincit homini ad ſibi invicem præſtanda ejuſmodi officia, quæ jure ſocietatis præſtari oportet, atque etiam exigi poſſunt, & id genus alia poſſent exempla adduci. Dictat quoque ratio ſuum cuique tribuendum, honeſte vivendum, verum hæc juris præcepta ſemper & ubique, quovis in ſtatu obligandi vim habent, non duntaxat in pace, ſed & belli ſtatu, & proinde etiam cum hoſte obſervanda, quia hominem tanquam rationis participem ligant. Sic omnia quæ moralem turpitudinem vel neceſſitatem per ſe & ſua natura continent, ea neque mutationem, vel diſpenſationem patiuntur, ſed ubique quocunque in ſtatu quis verſatur, earundem obligatio ipſi incumbit, & agendi norma eſt, a qua recedere fas non eſt, quin & jus naturæ violet; ejuſdem generis eſt lex ſive rationis dictamen, quod fidem ſervare imperat. Primo qui fidem fallit, jus ſuum cuique non tribuit, quippe qui cum aliquo contrahit, fœdera init, conventiones & pacta celebrat, alteri tribuit jus & facultatem in ſe, qua poteſt exigere ut contractum ſervet, & præſtet ea, quæ pollicitus vel promiſit: fiunt enim ſibi mutuo debitores contrahentes ſive paciſcentes ad adimplendum contractum, quamobrem qui fidem non ſervat, alteri jus quæſitum aufert, non tribuendo quod ipſi præſtare debuiſſet. Atqui non incapax prædo vel latro, quatenus homo, juris naturalis, ex quo hæc obligatio deſcendit. Ergo nulla juſta poteſt ſubeſſe cauſa, cur ipſi non ſervanda fides. Præterquam quod fidem fallere, nulla habita ratione perſonæ, cui habenda, eſt res per ſe turpis & illicita, quia adverſatur juſtitiæ. Juſtitia autem non conſiderat cui, ſed quid præſtandum incumbit, ad ejus obſervantiam ſumus omnes devincti, quia eam colere moralis eſt neceſſitatis.

III. 1. Videamus tamen ecquid a Cicerone non allatum proferri ſpecioſius poſſit. Primum hoc eſt, quod qui atrociter malefici ſunt, neque pars ſunt ullius civitatis, hi a quovis homine puniri poſſunt ſi jus naturæ reſpicimus, ut alibi a nobis explicatum eſt. At qui puniri poſſunt ut vitam amittant, his & res & jura ſua poſſunt auferri: ſicut
Off. III. recte dixit idem Cicero: *Non eſt contra naturam ſpoliari eum, ſi poſſis, quem honeſtum eſt necare.* Inter jura autem eſt & hoc jus ex promiſſo quæſitum: poteſt igitur & hoc in pœnam ei auferri. Reſpondeo, proceſſurum hoc ſi non tanquam cum malefico actum eſſet; at ſi quando cum tali, qua talis eſt, actum eſt, ſimul de remittenda, quod hanc
Lib. II. *c.* XI. ¶. 7. rem attinet, pœna actum cenſeri debet; quia ſemper, ut alibi diximus, ea ſumenda eſt interpretatio, quæ cavet ne actus in vanum recidat.

2. Non male apud Livium Nabis, cum tyrannidem ipſi objiceret Quintius Flaminius; *De nomine hoc reſpondere poſſum, me qualiſcunque ſum eundem eſſe qui fui, cum tu ipſe mecum T. Quinti ſocietatem pepigiſti.* Et mox: *Jam feceram hæc, qualiacumque ſunt, cum ſocietatem mecum pepigiſtis.* Addit, *ſi quid ego mutaſſem, mihi meæ inconſtantiæ, cum vos mutetis, vobis veſtræ ratio reddenda eſt.* Locus eſt non diſſimilis in oratione Periclis, ad cives ſuos apud Thucydidem: τὰς πόλεις αὐτονόμους ἀφήσομεν, εἰ καὶ αὐτονόμους ἔχοντες ἐσπεισάμεθα. *Civitates ſocias liberas eſſe patiemur, ſi tales fuerant quo tempora factum eſt fœdus.*

COM-

COMMENTARIUS.

OPtime ad objectionem reſpondit Auctor, cui etiam addi poſſe mihi videtur, ut reſpondeamus Zeiglero, qui negat poteſtatem puniendi cuivis homini competere, cum nec imperium cuivis homini competat, quod jus ex promiſſo quæſitum auferri quidem regulariter debet ab eo, qui ſummum habet in contrahentes imperium, & proinde juſtam ob cauſam eorundem actus irritos facere poſſunt, vel ſaltem impedire, ne effectum habeant ſalva juſtitia intrinſeca, id eſt, morali, verum inſuper etiam cuique privato hanc facultatem a ſocietate humana, cujus membrum eſt, largitam ſecuritatis tuendæ cauſa, ut tanquam indigno in pœnam auferantur piratis jura ſibi quæſita ſocietatis nomine, quæ ſummum in partes & membra ſui conſervationis cauſa imperium habere non abſque ratione dicitur: verum id tum demum locum habebit, ſi quis non tanquam cum malefico egit, at quoties cum tali qua tali actum eſt, renunciaſſe videtur huic juri & facultati, atque ſeſe obligare voluiſſe ad fidem ſervandam; quippe contrariæ hæ voluntates non poſſunt ſubſiſtere in eodem mentis actu, ſcilicet ut cum aliquo, cujus conditio nec qualitates me fugiunt, paciſci & contractum celebrare, quo obligationem mihi impono ad ſervandum contractum, & tamen fidem fallere animum induxiſſe, quod ſi vero ejuſmodi habuerit intentionem, ſtatim peccat & læſæ juſtitiæ non reus duntaxat, quod jus ſuum cuique fidem fallendo non tribuit, quod revera debet ex contractu vel pacto, ſed pro impoſtore habendus qui aliud in lingua promptum, aliud in pectore clauſum habet; attamen fallax ejuſmodi animus impedimento eſſe non poteſt, quo minus ſibi ad præſtandum quod promiſſum devinctum habeat latro vel pirata; modo ſignis idoneis voluntatem declaraverit, & non ignarus conditionis ejus, quicum actum eſt.

IV. Deinde objici poteſt quod alibi diximus, eum qui metu cauſam dedit promiſſo teneri liberare promiſſorem, quia damnum dedit per injuſtitiam, id eſt, per actum pugnantem & cum natura libertatis humanæ & cum natura actus qui liber eſſe debuit. Hoc vero ſicut fatemur interdum locum habere, ita non ad omnia promiſſa prædonibus facta pertinet. Nam ut cui promiſſum quid eſt ad liberandum promiſſorem teneatur, opus eſt ipſe metu injuſto cauſam promiſſo dederit. Si quis ergo ut amicum vinculis eximeret promiſerit pretium, tenebitur: huic enim metus illatus non eſt qui ad contrahendum ſponte venit. *Lib. II. cap. XXI.*

V. Adde quod & qui injuſto metu coactus promiſit, teneri poterit accedente jurisjurandi religione, nam inde, ut alibi diximus, homo non homini tantum ſed & Deo obſtringitur, adverſus quem metus exceptio non eſt. Verum tamen eſt, ex tali vinculo ſolo promittentis heredem non teneri, quia in heredem tranſeunt quæ in humano ſunt commercio ex primæva dominii lege; at in his non eſt jus illud Deo quæſitum qua tale. Iterum illud quoque ex ſuperioribus repetendum eſt, ſi quis fidem juratam aut injuratam prædoni datam violet, eum eo nomine pœnam apud alias gentes non debiturum: quia odio prædonum placuit gentibus, quæ adverſus eos etiam vitioſe committuntur, diſſimulare. *Lib. III. c. IV. ¶. 18.*

COMMENTARIUS.

ALibi annotavimus promiſſionem metu factam non eſſe invalidam ipſo jure, ſe efficaciter obligare promiſſorem, ut præſtet & ſolvat quæ metu promiſit ſolvere vel præſtare, propterea quod conſenſum non excludat metus, qui contractum reddit efficacem, quamobrem promiſſorem non abſolvit a neceſſitate implendi contractum & ſervandi fidem, verum cum ab altera parte teneatur ille, qui metum intulit, reſtituere, quidquid commodi aut lucri perceperit ex injuria illata, exceptione repelli poteſt adverſarius promiſſi impletionem exigens, vel con-

conveniri, ut reſtituat quod accepit, aut damnum injuria illatum relarciat, obligatio, qua fidem ſervare tenetur promiſſor, non tam perire, quam elidi videtur. Verum quoniam cum latrone vel prædone non ſemper ex metu illato contrahitur, vel illi aliquid promittitur, hinc etiam nec qualitas vel vitium perſonæ inhærens tollit obligationem naturalem, qua tenemur abſque ulla exceptione ſervare fidem, ſolvendo quod promiſſum. Quamobrem recte Auctor non ad omnia promiſſa prædonibus facta pertinere inquit objectionem, quam hoc §. ſibi movet. Si vero metus & quidem juſtus non tollit obligationem, quæ præſtandi promiſſa & ſervandi fidem neceſſitatem imponit promiſſori, etiamſi latroni facta promiſſio; ergo ubi quis nullo metu coactus latroni quid promiſit, multo magis ei tenebitur; nec ulla exceptione ſe liberare poteſt. Quamobrem ſi quis miſericordia ductus latroni quid promittat, ut in ipſius gratiam aliquem incolumem dimittat, ſervanda fides, & ſolvendum quod promiſit. Juſtitia ſuum cuique tribuendum dictans hic non perſonæ vitium, ſed quid actum, conſiderat. Huic enim neque metus injuſtus illatus eſt, neque exceptiones capto competentes, idem mutuari poteſt, quia non iſtius ſed proprio nomine ſe obligavit, nec ſuam obligationem illius obligationi, quæ per exceptionem elidi potuit, ſuperſtruxit. Etſi enim moribus gentium aliter tractetur hoſtis, aliter latro vel pirata, non ideo tamen is ſtatim amiſit omnia juraquæ homini competunt, ſaltem ubi humano adhuc modo cum quibuſdam agit, ut dicere incepimus, & idem nobiſcum ſentit Puſendorſius. *Nam quando*, inquit, *mecum extra metum paciſcitur ſane non ut latro, ſed ut quivis alius homo agit. Communis autem hoſtis latro vocatur, quod non inſtar aliorum hoſtium certo alicui bellum indicat, ſed omnibus promiſcue, qui in ejus manus inciderint, hoſtilia intemet. Quo nomine etiam ad eundem coercendum non indicto bello, aut ſingulari militum auctoritate opus eſſe, ſed cuilibet contra hunc licentiam militia ipſa natura indulget. Nihilominus dici poteſt, quemadmodum ſtatus hoſtilis non obſtat, quo minus fides hoſti data ſervanda ſit; ſic nec communem illam latronis hoſtilitatem prohibere, quominus pacta cum illo inita ſervanda ſint: præſertim cum actus hoſtilitatis, dum pacta init, non exerceat latro.* Quod ſi acceſſerit jurisjurandi religio, eo arctius obligationis vinculum: non enim ſola perſona reſpicitur cui juratus, ſed, cui potiſſimum juratus, Deus eſt, qui ad obligationem pariendam ſufficit, ita ut etiamſi injuſtus metus acceſſerit, tamen tenebitur quis ad promiſſa, uti hanc quæſtionem prolixe tractavimus *lib.* 2. *cap.* 13. §. 14, 15, 17.

Lib. 1. *c.* IV. *Æl.* VI. 1. *Lib.* XI.

VI. Quid dicemus de ſubditorum bellis adverſus reges aliaſque ſummas poteſtates? His, etiamſi cauſam per ſe non injuſtam habeant, jus tamen per vim agendi deeſſe oſtendimus alibi. Poteſt interdum & tanta eſſe aut cauſæ injuſtitia, aut reſiſtendi improbitas, ut puniri graviter poſſit. Tamen ſi quaſi cum deſertoribus aut rebellibus actum ſit, pœna promiſſo opponi non poteſt ſecundum ea quæ modo diximus. Nam & ſervis fidem ſervandam veterum pietas exiſtimavit, credito Lacedæmonios iram divinam expertos, quod Tænarenſes ſervos contra pacta occidiſſent. Et Diodorus Siculus notat fidem ſervis datam in fano Palicorum nunquam a quoquam domino fuiſſe violatam. Metus autem illati exceptio & hic poterit elidi interpoſito jurejurando, ſicut M. Pomponius tribunus plebis jurejurando obſtrictus ſervavit quod L. Manlio metu coactus promiſerat.

VII. Sed hic ſupra priores ſpecialem difficultatem facit jus legis conſtituendæ & jus ſupereminens dominii in res ſubditorum quod civitati competit, & ejus nomine a ſummam poteſtatem habente exercetur. Id enim jus ad omnes ſpectat res ſubditorum, quidni etiam ad jus ex promiſſo bellico natum? quod ſi conceditur, videntur inanes fore omnes tales pactiones, ac proinde belli niſi per victoriam finiendi ſpes nulla. Sed notandum contra eſt, jus illud ſepereminens non promiſcue competere, ſed quatenus communiter expedit in regimine non dominico ſed civili, etiam regio. Plerumque autem communiter expedit pacta talia ſervari, quo ea pertinent quæ de præſenti ſtatu tuendo alibi dicta a nobis ſunt. Adde quod ubi hujus dominii uſum res exigit, compenſatio tamen facienda eſt, ut infra latius explicabitur.

COMMENTARIUS.

NUllus dubito quin cives juſtam quandoque cauſſam habere poſſint, cur armis adverſus Reges aliaſque ſummas poteſtates ſalutem ſuam tueri debeant; ideoqne perperam ſtatuit Auctor, jus deeſſe civibus vel ſubjectis per vim agendi, idque prolixe diſpntavimus *lib.* 1. *cap.* 3. *&* 4. Quemadmodum non infinita Regum ac ſummorum imperantium poteſtas, ſed circnmſcripta ſuis cancellis, ita & obſequium ac obedientia ſummis poteſtatibus debita habet eoſdem limites. Quamdiu Rex vel Princeps, imperio quo ornatus utitur ad conſequendum finem, qnem ſibi cives in eo transferendo propoſuerunt, id eſt, communem ſalutem tuendam, ac utilitatem ſubditorum promovendam, obſequi neceſſitas civibus incumbit, imo nec etiam ob aliquem exceſſum ea ſolvuntur; duris qnippe dominis obſequium præſtare, Chriſtianæ doctrinæ convenit. Verum ex eo non inferri debet, qnaſi ſummum illud imperium nullis cancellis circumſcriptum; conſiſtit enim in jure cives regendi, id eſt, eorum viribus & bonis, tum etiam perſonis utendi ad communem ſalutem & ſecuritatem, cujus conſervatio fuit in cauſa, cur naturalis libertatis jacturam facientes, & ſummo imperio, quod quiſque in ſtatu naturali habebat, renunciantes mortales in civitatem coaluerunt, conſtituto ſummo imperio, quod reſideret penes unum vel plures, quem ſummæ rerum præeſſe vellent, & impoſita ſingulis membris neceſſitate, huic obtemperare, ejns juſſa & mandata exequi ſine mora: verum huic delationi imperii quaſi tacita ineſt conditio, quæ obſequii debiti obligationem non infinitam efficit, ſcilicet ne imperio, qnod ad communem ſalutem & ſecuritatem tuendam & utilitatem procurandam, abutatur in exitium & detrimentum civium, quo caſu quaſi jure poſtliminii revertitur ad cives ipſo jure naturali, ntpote quod cuique ſui defenſionem commendat. Quamobrem ex juſta ejuſmodi cauſa jus per vim agendi recuperant cives tanquam adverſus Tyrannum, communem hoſtem, cum quo nulla nobis ſocietas, teſte Cicerone. Nec rebelles illi dicendi qui propriæ ſalutis tuendæ cauſa ipſo jure ſoluti obedientiæ vinculo arma adverſus Reges ſummaſque poteſtates capiunt, vid. quæ annotavimus *lib.* 1. *cap.* 4. §. 8. tum etiam quæ doctè & ornatè de hac materia diſputavit vir illuſtris Sidney *diſſert. de Reſpub. regimine*, Anglico ſermone conſcripta, ſed nuper in Gallicam linguam traducta & inſcripta *Diſcours ſur le Gouvernement*, quam ſumma cum animi voluptate perlegi, & ſummi Viri animi candorem, libertatis vehemens ſtudium, ſalva majeſtate, quam ſummis imperantibus intactam & illibatam conſervare populo incumbit, mirari ſatis non potui. Liber hoc rerum ſtatu perquam utilis, & dignus, ut non eorum duntaxat manibus teratur, qni apud Reges ac Principes Conſiliarii perſonam ſuſtinent, ſed eorum imprimis, qui in libera Republica nati, qualis noſtra hoc rerum ſtatu dici poteſt, boni cives haberi nequeunt, quin pro ejus conſervatione vitam profundere paratos eſſe oporteat, & inter eos, quibus ejus cura præ ceteris incumbit, illi ſcilicet, qui ad Reipublicæ clavum ſedent, quos velim ne pro libertate tuenda, omnia, quæ vel natura vel fortuna ipſis largita eſt, bona, conſecrare ac devovere recuſent, ut poſteris relinquamus quam a majoribus recepimus intactam libertatem, atque ita ipſis rebus & factis declarent ſe aſſertores, ſe vindices libertatis noſtræ: ut vero ea magis aſſerta eſt merito olim lege, quæ Reipublicæ, id eſt, libertatis fundamentalis merito dici poteſt, conſtitutum, primo ne peregrinis pateret ad honores aditus, tum etiam nt e civibus illi potiſſimum ad Reipublicæ gubernaculum admoverentur, qui cæteris virtute, ſapientia, divitiis, & natalium ſpleudore præcellerent. Hanc legem, quæ diu dormiviſſe videtur, tanquam libertatis noſtræ munimentum ac propugnaculum, in lucem revocare vobis P. C. commendo: ſumma enim veſtra gloria in eo potiſſimum verſatur, ut libertatis noſtræ vindices ac aſſertores ipſis rebus ac factis vos profiteamini, venia veſtra dixerim, hoc a vobis officium efflagitat, munus & dignitas quibus ornati, exigit, tum patriæ amor, tum etiam privati affectus, uxor, liberi ejuſdem a vobis implorant officii complementum. Quis vero tam abjecti animi eſſe poteſt, nt ſemel libertatis dulcedinem expertus, eam cum ſervili conditione commutaret? Quamobrem nec opus mea ad vos P. C. oratione, ut ea vobis commendarem libertatis noſtræ, id eſt, rei inæſtimabilis conſervationem: generoſi enim animi & libertatis amore correpti, toties præclara & ſpecioſa a vobis edita facinora, teſtantur, quantum abhorreatis ab ejuſmodi imperio, quod ſine fine ac modo uni defertur, uti plerumque ſolent in Monarchia Principi tribuere homines ad ſervitutem nati, Principum adulatores peſſimi, Regibus tamen ſive Monarchis neutiquam exoſi vel ingrati, utpote qui omnia omnino a ſuo arbitrio pendere volunt, & proinde imperium nullis legibus circumſcriptum ſibi vindicant, obſeqni duntaxat gloria relicta civibus: qnamobrem ejuſmodi ſerviles animi in gratia cum Principe eſſe ſolent, omnibuſque honoribus extolli, ut hac ratione etiam alii honorum immoderata cnpiditate capti, placido & æquo animo perferrent durum ejuſmodi ſervitutis jugum; cum vero in ejuſmodi imperii forma, quam Monarchicam dicimus, in qua unus fulminat Jupiter, unius purpura adoratur, hoc incommodum plerumque imperio admixtum eique cohæret, non quidem per ſe, ſed per accidens, quod Reges ac Principes ſemper ſolent ultra limites, quibus recta ratio imperium ſummum circumſcribit, illud per fas & nefas, etiam vi & armis prorogare & extendere, cum liberæ Rei-

publicæ forma nequit convenire, & proinde cavendum, ne ad exemplar imperii Monarchici, eidem ſimile imperium admiſceatur, quin adeo ſtrictis legibus coarctandum, ut re vera niſi umbram imperii habeat, in Republica mixta Monarchici quaſi perſonam ſuſtineat; uti in Republicà Veneta Dux, nomine magis, quam re imperat. Sed e diverticulo in viam. Diximus quod juſtam quandoque cives habere poſſunt cauſam, vi & armis ſeſe adverſus importunam Regis dominationem tueri; poteſt quandoque fieri ut ex injuſta cauſa impatientes imperii, ſubjecti, Regi reſiſtant, unde ſæpius bellum inteſtinum, primo caſu etſi nullam pœnam merentur, tamen tanquam rebelles tractari ſolent; quippe cum Principes ſibi, ut dicere incepimus, infinitam poteſtatem vindicent, nullam juſtam unquam civibus cauſam dari poſſe contendunt, ut adverſus ſe arma caperent. Quamobrem non cauſæ juſtitiam attendunt, ſed tanquam rebelles utroque caſu tractant. Verum quoties cum illis fœdus initum, pactiones factæ, quibus impunitas data pœna promiſſo opponi nequit, ut ex ante dictis patet. *Par enim inter Principem & ſubditos contrahentes naſcitur obligatio, & utrique eodem obligationis nexu tenentur, non obſtante quod alter cogi queat, alter nequeat, cum ea diverſitas non ex modo obligandi, ſed ex imperio ortum habeat*, uti inquit Zeiglerus: neque abſolvit jus legis conſtituendæ vel jus ſupereminens dominii in res ſubditorum, quod civitati competit, & ejus nomine a ſummam poteſtatem habente exercetur, a neceſſitate fidem ſervandi, uti oſtendit Auctor. Aliter vero Zeiglerus, qui dominium hoc merum figmentum ſtatuit, & ad imperii refert effectus, qui huic dominio alii tribuunt hanc difficultatem hac ratione tollit, ſcilicet, quod *cum imperium ad ſalutem publicam exercere debeat, publica autem ſalus obtineri nequeat, ubi res & jura ſubditorum ab imperantibus evertuntur, neque imperii quidem jure, id quod ſubditis promiſſum eſt, revocari poterit.* Verum ſalvo iſto jure ſupereminente dominii, quod figmentum mihi non videtur, commode objectioni, meo judicio, hac reſponſione ſatisfieri poſſe videtur; quod jus legis conſtituendæ & jus ſupereminentis dominii neutiquam ſummæ poteſtati competit in jura, quæ ſubjecti ſibi acquirunt ex conventione & contractu cum Principe ſuo; quippe eo reſpectu ſunt ei æquales, par vero in parem non habet imperium nec ſupereminens dominium: ſubjecti enim cum Principe qua tali contrahere nequeunt, quia Princeps qua talis civitatis perſonam, quæ ex civibus conſtat, ſuſtinet, quamobrem ſecum contrahere & paciſci videretur, atqui omnis contractus duas perſonas contrahentes ſupponit, quæ ſibi mutuo obligantur: nemo enim ſibi valide obligatur, Princeps conſiderat ut ſubjectis quibuſcum contrahit vel paciſcitur quoad illum actum æqualis, & proinde quoad jura illa, quæ ſubjectis ejuſmodi pacto vel contractu quæſita, Princeps tanquam privatus nullum ſupereminens dominium habet, ſed à ſua parte non minus quam ſubjecti, ſervare fidem tenetur, & implere contractum, ſolvere promiſſa, & ſatisfacere obligationi, quam ex fœdere, pacto, vel contractu ſibi ipſe impoſuit.

VIII. 1. Præterea poſſunt pacta ſanciri jurejurando, nec tantum a rege aut ſenatu, ſed & ab ipſa civitate, quomodo in leges ſuas Lacedæmonios jurare fecit Lycurgus, Athenienſes Solon, & ne perſonarum mutatione jus jurisjurandi intercideret repeti quotannis jusjurandum. Id enim ſi fiat, omnino ne publicæ quidem utilitatis cauſa recedendum a promiſſo erit: nam & de ſuo cedere civitas potuit, & verba poſſunt ita eſſe aperta ut nullam exceptionem admittant. Va-
Lib. 5. c. 3. lerius Maximus Athenas ita alloquitur: *Lege legem quæ te jurejurando obſtrictam tenet.* Romani hoc genus leges ſacratas appellabant, per quas ipſe populus Romanus, ut Cicero pro Balbo explicat, religione obligabatur.

2. Eſt ad hanc rem pertinens diſputatio per ſe obſcurior apud Livium libro tertio, ubi ex ſententia multorum Juris interpretum ait tribunos eſſe ſacroſanctos, non etiam ædiles, judices, decemviros, quorum tamen ſi cui noceretur id non jure fieret. Cauſa diſcriminis eſt, quod ædiles atque alii lege ſola defendebantur: quod autem poſtremum populus juſſiſſet id ratum erat, manente tamen lege nemini contra agere jus erat. At tribunos religio publica populi Romani tuebatur, nam jusjurandum interceſſerat, quod ab his ipſis qui juraverant ſalva religione tolli non poterat. Dionyſius Halicarnaſſenſis libro

bro ſexto: Βρῦτος ἐκκλησίαν συναγαγὼν συνεβούλευε τοῖς δημόταις ἱερὰν καὶ ἄσυλον, ἀποδεῖξαι τὴν ἀρχὴν νόμῳ τε καὶ ὅρκῳ βεβαιοῦντας αὐτῷ τὸ ἀσφαλὲς, ἐδόκει ταῦτα πᾶσι. *Brutus concione advocata auctor Quiritibus fuit ut magiſtratum hunc non lege tantum ſed & jurejurando inviolabilem redderent, quod omnibus placuit.* Hinc lex illa ſacrata appellatur. Ideoque improbatum fuit bonis factum Tiberii Gracchi, cum Octavio tribunatum abrogavit, dicens tribunitiam poteſtatem a populo habere ſanctimoniam, non adverſus populum. Ergo ut diximus jurejurando & civitas & rex obſtringi poterunt, etiam in cauſa ſubditorum.

COMMENTARIUS.

SOlet quandoque ad pacta ſancienda accedere jusjurandum, ut eo magis firma exiſtant, vel ſaltem ad illa ſervanda eo major religio ſit paciſcentibus ab iis recedere. Sic in leges ſuas jurare fecit Lycurgus Lacedæmonios, Athenienſes Solon, & ne perſonarum mutatione intercideret, quotannis repeti ſolebat. Verum quem in finem jusjurandum interponebatur a civitate; quippe ad producendam obligationem, qua cives tenerentur leges obſervare, & ad earundem normam vitam inſtituere & componere actiones ſuas, videtur ſufficere ipſa legis ſanctio, id eſt, voluntas ſummi imperantis, ubi unus ſummæ rerum præeſt, in Democratia voluntas populi: quod enim Principi ſive populo placuit, legis habet vigorem, cui omnes cives convenit obtemperare: verum cum lex ſit communis Reipublicæ ſponſio, *l. 1. 2. ff. de LL.* in quantum leges communiter populi ſuffragiis addita ſponſione confirmabantur, in eas populus jurare ſolebat, ut duplici quaſi vinculo alligatus majore religione leges obſervaret, nec in perpetuum mutaret illas; vel etiam apponi jusjurandum poteſt legibus, quibus fundata Reſpublica, quo obligatur civitas, eas in perpetuum tanquam baſin & fundamentum, quo innititur Reipublicæ fabrica, vim ſuam habituras, quo ſpectavit jusjurandum, quod Lycurgus a Lacedæmoniis præſtari voluit, ut æterna legibus a ſe latis maneret auctoritas, a quibus recedere fas non eſſet. Exciperem tamen neceſſitatem, utpote quæ etiam in omni jurejurando excepta videtur; neceſſitatis autem eſt, ſi publica utilitas ſuadeat a promiſſo recedere, atque mentem jurantis ita ſemper interpretari oportet, ne publicæ ſaluti vel utilitati noceat. De ſuo quidem cedere civitas poteſt, non præſumitur ſibi nocere voluiſſe, & quid ſi verba aperta, admittenda tamen exceptio: nec puto ratum haberi a Deo jusjurandum præſtitum tanquam appoſitum vel adjectum rei illicitæ, qualis eſt renunciatio propriæ ſalutis ac utilitatis. Omnes leges, quæ fundamentales vocari ſolent, pro fundamento ac baſi habent populi ſalutem. Ejuſmodi leges, quæ jurejurando confirmabantur, ut ad earundem obſervationem religionis vinculo eo arctius populus ſe obſtrictum exiſtimaret, ſacratas appellabant Romani. Sacratas leges dictas cenſet Feſtus, *quod eas plebs, cum a Patribus ſeceſſiſſet, Caſſio Cominioque Coſ. anno ab U. C. CCLX. jurata in monte ſacro ſciverit.* Quamobrem & inter ſacratas leges ea, qua jurejurando interpoſito, Tribunos ſacroſanctos eſſe plebs voluit. Sacroſanctum enim eſſe, ait Feſtus, quod jurejurando interpoſito inſtitutum eſt. Cujus generis Tribuni plebis, non vero Ædiles, ejuſdem ordinis, qui lege tantum, non religione defendebantur. Unde Livius Tribunos vetere jurejurando plebis, cum primum eam poteſtatem creavit, ſacroſanctos eſſe, non etiam Ædiles, Judicem, Decemviros. Cauſam diſcriminis tradit Auctor, quam non probat doctiſſimus Gronovius in notis ſuis, quem vide.

IX. Sed & tertio, qui metum non intulit, promiſſio valide fiet: nec ſcrutabimur quid aut quatenus ejus interſit, quæ juris Romani ſunt ſubtilitates. Natura enim omnium hominum intereſt ut hominibus aliis conſulatur. Sic Philippo pace cum Romanis inita jus ſæviendi in Macedonas qui in bello ab eo defecerant ademptum legimus. *Livius libro* XXXIX.

COMMENTARIUS.

QUippe nullum in eo reſidet vitium, quod acquiſitionem juris adverſus promiſſorem impedire poſſet, non inſtigante ſcilicet vel colludente cum eo, qui metum intulit, cui promiſſio facta. Attamen & hic, ſi reddiderit id, aut liberaverit eo promiſſorem, quod hic occa-

ſione metus incuſſi dedit vel promiſit. Poſito quod metus ideo incuſſus, ut tertio aliquid daretur aut promitteretur, quo pertinet *l.* 14. §. 3. *ff. quod met. cauſ.* ut inquit Zeiglerus.

X. Sed & quemadmodum probavimus alibi, ſtatus mixtos interdum exiſtere, ſicut de ſtatu puro in purum ita & in mixtum tranſiri pactis poteſt: ita ut ſubditi qui fuerant incipiant ſummum habere imperium, aut certe partem ejus, etiam cum libertate partis ejus vi tuendæ.

COMMENTARIUS.

PAtet ex exemplis, quæ alibi adduximus, de mixtura ejuſmodi ſermonem habentes, Reſpublicas ab una forma in aliam pacto convento mutatas.

XI. 1. Bellum vero ſolenne, id eſt, publicum utrinque & indictum, ſicut alia habet peculiaria in jure externo poſita, ita & hoc, ut quæ in eo bello aut ejus finiendi cauſa promittuntur adeo ſint valida ut ex cauſa metus injuſte illati invito eo, cui promiſſa ſunt, in irritum deduci non poſſint: quia ſicut alia multa quantumvis vitio non carentia ex jure gentium pro juſtis habentur, ita & metus qui tali bello utrinque infertur. Quod ni id placuiſſet, bellis talibus quæ valde ſunt frequentia nec modus nec finis potuiſſet imponi: quod tamen fieri intereſt *De Off. III.* humani generis. Et hoc poteſt intelligi jus illud eſſe bellicum quod *Verr. IV.* cum hoſte ſervandum ait Cicero, cui & alibi dictum, hoſtem in bello jura retinere, ſcilicet non tantum naturalia, ſed & quædam ex gentium conſenſu orta.

2. Neque tamen hinc ſequitur, eum qui tale quid bello injuſto extorſit, ſalva pietate ſalvis viri boni officiis poſſe retinere quod accepit, aut etiam cogere alterum ut ſtet pactis ſive juratis ſive injuratis. Intus enim, & ipſa rei natura id injuſtum manet: neque interna hæc injuſtitia actus tolli poteſt, niſi ex novo & vere libero conſenſu.

XII. Cæterum quod metum dixi haberi pro juſto qui bello ſolenni infertur, de eo metu intelligi debet quem jus gentium non improbat. Nam ſi ſtupri inferendi metu extortum ſit quippiam, aut alio terrore contra datam fidem, verius erit rem conſtitutam intra jus naturale: quia jus gentium ad talem metum ſuam vim non porrigit.

COMMENTARIUS.

EX iis, quæ de bello ſolenni jure gentium ejuſque effectibus paulo ante diſputavimus, ſatis clare patet, ea quæ, durante belli ſtatu, vel etiam finiendi ejus cauſa promittuntur, ſub prætextu metus injuſti illati nec reſcindi nec irrita reddi poſſe. Cum enim bellum juſtum jure gentium, nec metus occaſione ejuſmodi belli illati injuſtus dici poteſt, quatenus ille, qui metum paſſus eſt, nullam habet juſtam cauſam recuſandi promiſſionem adimplere, quaſi metu ſibi extorta. Quamobrem captum bello juſto, id eſt, ſolenni teneri ad conventum redemptionis pretium, nec juſte ſe excuſare, quod coactus promiſerit, alias non promiſſurus ſi liber fuiſſet, recte annotavit ex Chriſtinæo Zeiglerus. Quid vero in conſcientiæ foro hoc caſu incumbit ei, qui bellum quidem ſolenne, ſed injuſta ex cauſa ſuſcepit, tum etiam iis, quibus non ignota belli cauſa, in eo militant, ex antedictis ſatis patet, quamvis in foro humano juſtam non habeat cauſam promiſſor, ſe liberare neceſſitate præſtando promiſſa, & ſervandi contractum, ex eo tamen non liberatur ille, qui tale quid bello injuſto extorſit, neceſſitate reſtituendi

tuendi quod accepit, niſi accedat novus conſenſus promiſſoris, quo actus injuſtitia in foro conſcientiæ tollitur, uti ſatis prolixe ſupr. oſtenſum. Qualem autem metum juſtum intelligit Auctor, tradit *ſeq.* §. Metus enim hujuſmodi pro juſto neutiquam haberi poteſt, qui moralem continet turpitudinem, & quo quis aliquid per ſe illicitum inferre minatur. Quamobrem non convenit militibus partes ſuas tueri per ſtupra & adulteria, ſi alia id genus nefanda facinora, quæ jure naturæ vetita, & proinde jure gentium permiſſa cenſeri nequeunt.

XIII. 1. Servandam autem fidem etiam perfidis & nos in generali tractatione ſupra diximus, & idem docet Ambroſius: quod haud dubie porrigendum ad hoſtes quoque perfidos, quales Pœni, quibus Romani fidem ſancte ſervaverunt. *Senatus non eos quibus hoc præſtabatur aſpexit*, ait in hoc argumento Valerius Maximus. Et Salluſtius: *Bellis Punicis omnibus, cum ſæpe Carthaginenſes & in pace & per inducias multa nefanda facinora feciſſent, nunquam ipſi per occaſionem talia fecere.* *Lib. II. c. XIII. §. 16.* *Lib. VI. c. 6.*

2. Appianus de Luſitanis fœdifragis, quos Sergius Galba nova pactione deceptos trucidaverat: ἀπιστίᾳ μὲν ἄρα ἀπιστίαν μετιὼν, οὐκ ἀξίως δὲ Ῥωμαίων μιμούμενος βαρβάρους. *Perfidia perfidiam ultus contra Romanam dignitatem barbaros imitabatur.* Eoque nomine idem Galba poſtea a Libone tribuno plebis accuſatus eſt: quam rem narrans Valerius Maximus, *Miſericordia*, inquit, *illam quæſtionem non æquitas rexit:* (male editur *texit*) *quoniam quæ innocentiæ tribui non poterat abſolutio, reſpectui puerorum data eſt.* Cato in Originibus ſcripſerat, niſi pueris & lacrymis uſus eſſet, pœnas eum daturum fuiſſe. *Lib. VIII. c. I.* *Cic. de Orat. lib. I. & Bruto.*

COMMENTARIUS.

Servanda fides perfidis ſcilicet, ut *lib. 2. cap.* 3. §. 16. annotavimus, quoties diverſi generis ſunt promiſſa, nempe ſi alia res loco vel tempore promiſſum non ſervaverit alter, ſervandum cuique erit, quod promiſit: ſeparatæ enim obligationes, quamobrem unius tranſgreſſio non perimit alteram. Quod ſi autem alterius promiſſio reſpectum habet alterius promiſſionis, quæ ei quaſi conditio fuit impoſita, qua deficiente, ipſa promiſſio evaneſcere videtur. Unde illud axioma non repugnat juri naturæ, quod fidem ſervandam dictat, quod perfido in eodem negotio non ſit ſervanda fides, reciprocæ fidei præſtandæ neceſſitas, quæ in eodem negotio & contractu eo animo celebrato & perfecto, contrahentibus hinc inde incumbit, exigit ab utraque parte complementum: fruſtra enim id a me exigit, qui illud a ſua parte recuſat. Vide ibidem *annot.* quæ hic repetere nobis moleſtum, & lectori injucundum foret. Uti multa hic applicat Auctor, quæ alibi tractavimus.

XIV. Sed ſimul ſciendum eſt, duobus modis fieri poſſe ut quis a perfidia vacet, nec tamen id faciat quod promiſſum eſt, defectu ſcilicet conditionis, & per compenſationem. Defectu conditionis non vere liberatur promiſſor, ſed eventus oſtendit nullam eſſe obligationem, ut quæ non niſi ſub conditione contracta erat. Et huc referendus caſus ſi prior alter non implerit quod ex ſua parte implere tenebatur. Nam unius ejuſdemque contractus capita ſingula alia aliis ineſſe videntur per modum conditionis, quaſi expreſſum eſſet, hæc ita faciam ſi & alter faciat quæ promiſit. Ideo Tullus Albanis reſpondens, *Deos teſtes facit, uter prius populus res repetentes legatos aſpernatus dimiſerit ut in eum omnes expetant clades belli.* Non tenebitur pro ſocio, ait Ulpianus, *qui ideo renunciavit, quia conditio quædam qua ſocietas erat inita ei non præ-* *L. ſi convenerit, D. pro ſocio.*

præſtatur. Hanc ob cauſam quoties alia mens eſt, ſolet diſerte poni, ut ſi contra hanc aut illam partem quid fiat, cætera non eo minus rata maneant.

COMMENTARIUS.

Obligationis efficacia pendet ab exiſtentia conditionis, nec revera debetur quidquam pendente conditione, imo incipit tantum deberi exiſtente conditione ſub qua promiſſio facta, arg. *l.* 213. *ff. de V. S.* & vere liberari promiſſor mihi videtur deficiente conditione; quippe cum ab ea pendebat ejuſdem efficacia, ſive obligatio, qua ad fidem ſervandam tenebatur promiſſor, ipſo jure liberatus: conditione enim exiſtente promiſſio jus & facultatem tribuit ei cui facta, conveniendi promiſſorem tanquam debitorem, ut ſibi promiſſum ſolvat, ſuſpenditur tam diu promiſſionis efficacia, ita ut nec actionem ad petendum, nec obligationem ad ſolvendum producat promiſſio ſub conditione facta, quamobrem exiſtente conditione deberi incipit promiſſor: *l.* 41. *ff. de condit. & demonſtr.* nondum enim perfectus contractus quamdiu conditio non extat: ex imperfecto enim contractu nulla obligatio. Ex conditionali ſtipulatione tantum ſpes eſt debitum iri. §. 4. *Inſt. de V. O.* Quamobrem cum pendente conditione necdum obligatio nata ſit, id quod ſub conditione debetur, ante eventum conditionis non recte ſolvitur, & proinde ſi pendente conditione ſolutum ſit, repeti poteſt. *l.* 16. *l.* 18. *l.* 48. *ff. de cond. indeb.* Unde perfidia vacat qui deficiente fidei ſervandæ cauſa ſive obligatione, non præſtat fidem, eatenus tamen ex promiſſione, cui conditio adjecta, obligatio dimanat, quatenus promiſſor non poteſt eam revocare, pendente conditione, invito eo, cui facta.

Lib. II. *c.* VII. §. 2. XV. Compenſationis originem alibi indicavimus, cum diximus nos, ſi quod noſtrum eſt, aut quod nobis debetur, conſequi aliter non poſſumus ab eo qui noſtrum habet, aut nobis debet, tantundem in re quavis accipere poſſe: unde ſequitur, ut multo magis poſſimus id quod penes nos eſt, ſive corporale eſt ſive incorporale, retinere. Ergo quod promiſimus poterit non præſtari, ſi non amplius valet quam res noſtra quæ ſine jure eſt penes alterum. Seneca libro de beneficiis ſexto: *Sic debitori ſuo creditor ſæpe damnatur, ubi plus ex alia cauſa abſtulit quam ex credito petit. Non tantum inter creditorem & debitorem judex ſedet qui dicat pecuniam credidiſti. Quid ergo? agellum quem non emeras poſſides: æſtimatione facta debitor diſcede qui creditor veneras.*

XVI. Idem erit ſi ex alio contractu is quicum negotium eſt plus aut tantundem debet, idque ego aliter conſequi non valeo. In foro quidem, ut idem Seneca ait, actiones quædam ſeparantur, nec confunditur formula: ſed illa exempla, ut ibidem dicitur, certis legibus continentur, quas neceſſe eſt ſequi: lex legi non miſcetur: eundum eſt qua ducimur. Jus gentium iſta diſcrimina non agnoſcit, ubi ſcilicet alia juris obtinendi ſpes non eſt.

XVII. Idem dicendum erit ſi qui promiſſum urget non contraxerit, ſed damnum dederit. Seneca ibidem: *Colonum ſuum non tenet, quamvis tabellis manentibus, qui ſegetem ejus proculcavit, qui ſuccidit arbuſta, non quia recepit quod pepigerat, ſed quia ne reciperetur effecit.* Mox alia addit exempla: *Pecus abegiſti, ſervum ejus occidiſti.* Deinde: *licet me comparare inter ſe quantum profuerit mihi quiſque aut quantum nocuerit; & tum pronunciare utrum plus debeatur mihi, an debeam.*

XVIII. Poſtremo & quod ex pœna debetur ei quod promiſſum eſt poteſt contribui, quod eodem loco late explicatur. *Et beneficio gra-*

tia

tia debetur, & injuriæ ultio; nec ego gratiam illi debeo, nec ille mihi pœnam; alter ab altero abſolvimur. Mox: *comparatione facta inter ſe beneficii & injuriæ videbo an etiam ultra mihi debeantur.*

COMMENTARIUS.

DE origine compenſationis egimus *lib.* 2. *cap.* 7. §. 2. Eſt autem compenſatio debiti & crediti inter ſe contributio, ut inquit Modeſtinus *l.* 1. *ff. de compenſat.* ſive quando ideo aliquid deberi deſinit, quia eidem ipſe creditor rem ejuſdem generis, & quæ tantidem eſt, liquido debet. In ſtatu naturali, in quo quiſque ſui juris, lex naturæ cuique facultatem tribuit, propter jus ad rem vel in re, ut, quod meum eſt, perſequi atque exigere poſſim, tum etiam neceſſitatem impoſuit eam detinenti, ut ejus in me transferat dominium, vel patiatur, ut ex ejus bonis mihi ſatisfaciam, in compenſationem ejus, quod mihi debet, tantundem accipiendo. Unde ſequitur ut multo magis poſſimus, id quod penes nos eſt, ſive corporale ſive incorporale, retinere, donec alter præſtiterit, quod noſtrum eſt vel nobis debetur. Unde concludit Auctor, illud etiam quod promiſimus poſſe non præſtari, ſi non amplius valet quam res noſtra, quæ ſine jure eſt penes alterum, quod non admittit Zeiglerus, nec abſque ratione. Actuum quidem ejuſmodi compenſationem, ut quia ille non præſtat, quod noſtrum eſt, nec nos eidem præſtare debeamus, quæ promiſimus: rerum vero inter ſe non ilico inducitur compenſatio: quid enim ſi utrinque certa ſpecies fuerit debita? Utique non civili tantum, ſed etiam naturali juri congruit, ut, id quod debetur, ſolvatur: invito enim creditori aliud pro alio ſolvi nequit. Compenſatio autem nihil aliud eſt quam ſolutio. *l.* 19. *ff. de liberal. cauſ.* Unde cum individua debentur, aliud pro alio ſolveretur, ſi ſpecies cum ſpecie, diverſi generis ſcilicet, compenſare liceret: quod neutiquam eſt admittendum, quia cadit in ſpeciebus probabilis affectio, neque vice mutua funguntur. Idem erit, ſi ex alio contractu is, quicum negotium eſt, plus aut tantundem debet, idque ego conſequi aliter nequeo. Jus gentium, in ratione fundatum, quod in conſcientiæ foro obſervandum, non attendit illas ſubtilitates, quas in foro civili excogitarunt Juriſconſulti, in foro civili ſeparantur actiones quædam ne formula confundatur, ita ut, qui apud me pecuniam depoſuerit, idem mihi poſtea furtum fecerit, & ego cum illo furti agam, & ille mecum depoſiti, utrique integra manet actio, nec una alteram perimit. Qui apud me pecuniam depoſuit, agit mecum actione depoſiti, ut ipſi reddam pecuniam, nec compenſari poſſum cum furto, ſed conveniendus furti actione. Verum jus gentium diſcrimina iſta non cognoſcit, ſufficit in foro conſcientiæ debitum ſubeſſe, quod alia ratione conſequi non poſſum niſi per hunc compenſationis modum. Sed & debito opponere poſſum damnum æquipollens a creditore datum, ut & multum mihi exſolvendum, in quam ob injuriam mihi datam judex creditorem condemnavit, uti exemplis illuſtrat Auctor.

XIX. 1. Sed ſicut ſi quid inter litigantes convenerit, ei quod promiſſum eſt opponi lite manente non poterit, aut actio de qua lis erat, aut litis damna & impenſæ, ita nec manente bello compenſari poterit aut id unde ortum eſt bellum, aut quidquid bellico gentium jure fieri ſolet. Negotii enim natura, ne nihil actum ſit, oſtendit conveniſſe ſepoſitis belli controverſiis. Nam alioqui nulla eſſet pactio quæ non poſſet eludi: nec forte male huc aptem quod apud eundem, quem jam laudavi aliquoties, Senecam eſt: *Nullam excuſationem receperunt (majores) ut homines ſcirent fidem utique præſtandam. Satius enim erat a paucis etiam juſtam excuſationem non accipi, quam ab omnibus aliquam tentari.*

2. Quæ ergo ſunt quæ compenſari cum eo quod promiſſum eſt poterunt? nimirum ſi quid alter, quamvis ex alio contractu inter bellum inito debet: ſi damnum dedit intra induciarum tempora: ſi legatos violavit, aut aliud quid fecit quod inter hoſtes jus gentium damnat.

3. Obſervandum tamen ut inter eaſdem perſonas fiat compen-

ſatio,

ſatio, ac ne jus tertii cujuſquam lædatur; ita tamen ut ſubditorum bona pro eo quod civitas debet jure gentium obligata intelligantur, ut alibi diximus.

Libro III. *c.* II. §. 2. 4. Addamus & hoc, generoſi eſſe animi ſtare fœderibus etiam poſt aliquid injuriæ acceptum: quo nomine ſapiens Indus Jarchus laudabat regem, qui læſus a vicino fœderato, ὃ παρέλυσε τοὺς ὅρκους, οὕτω βεβαίως ὀμωμοκέναι φήσας, ὡς μηδὲ ὁπότε ἠδικεῖτο λυπεῖν αὐτόν: *Non diſceſſit a jurata fide, ajens tam ſancte ſe juraſſe ut alteri ne poſt acceptam quidem injuriam nociturus eſſet.* (*Philoſt. lib.* III. *c.* 9.)

Lib. II. *c.* XI: XIII. XV, XVI. 5. Quæ vero de fide hoſtibus data incidere ſolent quæſtiones, ferme omnes ſolvi poſſunt ſi adhibeantur regulæ ſupra traditæ, cum de vi, tum quorumvis promiſſorum, tum ſpeciali jurisjurandi, fœderis, ac ſponſionum, & de regum jure ac obligatione, deque ambiguis interpretandis diſſertavimus. Tamen ut & antedictorum uſus ſit manifeſtior, & ſi quid præterea controverſi eſt diſcutiatur, ſpecialium quæſtionum frequentiores atque illuſtriores attingere non pigebit.

COMMENTARIUS.

Recte Auctor noſter monet, ſi quid inter litigantes convenit, & quod promiſſum eſt, lite manente, opponi non poſſe, aut actionem, de qua lis erat, aut damna vel impenſas. Quod hoc modo illuſtrat Puſendorſius: V. G. eſt mihi lis ſuper aliquo de hereditate; ea lite pendente, ipſi domum vendo. Hic ſane in ſolutum mihi imputare nequit eam hereditatem, vel ſumptus in ejus petitionem factos; quippe cum nondum ſit liquidum, an hereditas illa debeatur. Et negotii natura oſtendit, conveniſſe inter nos, ſepoſita ea lite: alias enim nihil actum eſſet. Sic etiam inter bellantes, ſi quid inter ſe fuerint pacti, non re tota compoſita, nequit alter a pacto reſilire propter cauſam aut continuationem belli, nec etiam ad jus tertii extendi debet controverſia: requirit enim compenſatio eaſdem perſonas. Excepto quod ſubditorum bona pro eo, quod debet civitas jure gentium, obligata intelligantur ob rationem, quam alibi allegavimus.

CAPUT

CAPUT XX.

De fide publica qua bellum finitur, ubi de pacis pactione, de ſorte, de certamine condicto, de arbitrio, deditione, obſidibus, pignoribus.

I. *FIdei inter hoſtes diviſio ad ordinem ſequentium.*
II. *Pacem facere in regio ſtatu eſſe regis.*
III. *Quid ſi rex ſit infans, furioſus, captivus, exſul?*
IV. *In procerum aut populi ſtatu jus pacis facienda eſſe penes plures.*
V. *Quomodo imperium aut pars imperii aut regni bona pacis cauſa valide alienentur.*
VI *Quatenus ex pace per regem facta populus aut ſucceſſores teneantur.*
VII. *Res ſubditorum pace concedi poſſe ob utilitatem publicam, ſed cum onere damni reſarciendi*
VIII. *Quid de rebus jam bello amiſſis.*
XI. *Non diſtingui hic inter quæſita jure gentium & jure civili.*
X. *Utilitatem publicam apud externos pro probata haberi.*
XI. *Regula generalis in pace interpretanda.*
XII *In dubio credi conventum ut res maneant quo ſunt loco, quod quomodo accipiendum.*
XIII. *Quid ſi convenerit ut reſtituantur omnia in eum ſtatum quo ante bellum fuerant?*
XIV. *Tunc, qui ſui juris cum eſſent ſponte ſe alicui ſubjecerunt, non reddi.*
XV. *Damna bello data remiſſa in dubio cenſeri.*
XVI. *Non etiam quæ ante bellum privatis debebantur*
XVII. *Pœnas etiam ante bellum publice debitas in dubio remiſſas cenſeri.*
XVIII. *Quid de jure privatorum ad pœnas?*
XIX. *Jus quod ante bellum publice obtendebatur, ſed controverſum erat, facile cenſeri remiſſum.*
XX. *Capta poſt pacem reddenda.*
XXI. *De pacto reddendarum rerum quæ bello capta ſunt, regulæ quædam.*
XXII. *De fructibus.*
XXIII. *De nominibus regionum.*
XXIV. *De relatione ad pactum antecedens: & de eo per quem ſtetit.*
XXV. *De mora.*
XXVI. *In dubio interpretationem faciendam contra eum, qui leges dedit.*
XXVII. *Diſtinguuntur, novam bello cauſam præbere, & pacem rumpere.*
XXVIII *Quomodo rumpatur pax faciendo contra id quod omni paci ineſt.*
XXXIX. *Quid ſi ſocii vim intulerint?*
XXX. *Quid ſi ſubditi? & quomodo eorum factum approbatum cenſeri debeat?*
XXXI. *Quid ſi ſubditi alii militent?*
XXXII. *Quid ſi ſubditis nocitum ſit? ubi diſtinctio adhibetur.*
XXXIII. *Quid ſi ſociis? ubi item diſtinguitur:*
XXXIV. *Quomodo rumpatur pax faciendo contra id quod in pace dictum eſt.*
XXXV. *An facienda diſtinctio capitum pacis.*
XXXVI. *Quid ſi pœna ſit adjecta?*
XXXVII. *Quid ſi neceſſitas obſtiterit?*
XXXVIII. *Pacem manere ſi id velit is qui læſus eſt.*
XXXIX. *Quomodo rumpatur pax faciendo contra id quod eſt de ſpeciali natura cujuſque pacis.*
XL. *Amicitiæ nomine quid veniat?*
XLI. *Subditos & exſules recipere an contra amicitiam ſit.*
XLII. *Sorte quomodo bellum finiatur.*
XLIII. *Quomodo condicto certamine, & an id licitum.*
XLIV. *An factum regum populos hic obliget.*
XLV. *Quis victor cenſendus.*
XLVI. *Quomodo per arbitrium finiatur bellum, & arbitrium hic intelligi ſine provocatione.*
XLVII. *Arbitros in dubio intelligi adſtrictos juri:*
XLVIII. *Arbitros de poſſeſſione pronuntiare non debere.*
XLIX. *Quæ ſit vis deditionis puræ.*
L. *Quod officium victoris circa eos qui ſic ſe dedunt.*
LI. *De deditione conditionata.*
LII. *Obſides dari qui poſſint & debeant.*
LIII. *Quod jus in obſides.*
LIV. *An fugere obſidi liceat.*
LV. *An obſes in aliam cauſam recte retineatur.*
LVI. *Mortuo eo, pro quo quis obſes venit, obſidem liberari.*
LVII. *Rege qui obſidem dedit mortuo, an obſes teneatur?*
LVIII. *Obſides interdum principaliter obligari: & alterum ex alterius facto non teneri.*
LIX. *Pignorum obligatio qualis?*
LX. *Luendi jus quando amittatur.*

I. INter hoſtes quæ conveniunt, fide aut expreſſa aut tacita conſtant. Fides expreſſa aut publica eſt aut privata. Publica aut ſummarum poteſtatum aut inferiorum. Quæ ſummarum eſt poteſtatum aut bello finem imponit, aut eo manente vim habet. In his quæ bellum finiunt ſpectantur principalia &

& acceſſiones. Principalia ſunt ipſa quæ bellum finiunt, ſive actu ſuo, ut pactiones, ſive ex conſenſu ad aliud relato, ut ſortes, prælii exitus, arbitri pronuntiatio, quorum illæ mere ſunt fortuitæ, alia duo caſum temperant cum viribus animi aut corporis, aut cum facultate judicante.

Vide lib. II. c. XV. ¶. 3. II. Pactiones inire quæ bellum finiant, eorum eſt quorum eſt bellum. Rei enim ſuæ quiſque moderator. Unde ſequitur ut in bello utrinque publico hoc eorum ſit qui ſummi imperii exercendi jus habent. Regis igitur hoc erit in ſtatu vero regio, modo is rex etiam jus habeat non impeditum.

Vide lib. I. c. III. ¶. 24. III. 1. Nam rex qui ætatis eſt ejus, quæ judicii maturitatem non habet, (quod in regnis aliquibus lege definitur, alibi probabilibus conjecturis erit æſtimandum) qui imminutæ mentis eſt pacem facere non poteſt. Idem dicendum eſt de rege captivo, ſi modo regnum ex conſenſu populi ortum habet. Non enim credibile eſt a populo imperium delatum ea lege ut & a non libero exerceri poſſit. Ergo & hoc caſu imperii non quidem jus totum, ſed exercitio & quaſi tutela erit penes populum, aut eum cui id populus commiſerit.

2. De his tamen quæ privatim ſua ſunt ſi quid pepigerit rex etiam captivus valebit, ad exemplum eorum quæ de privatis conventionibus dicemus. Quod ſi exſul ſit Rex, pacemne facere poterit? Sane, ſi conſtet eum non obnoxium vivere: cæteroqui parum a captivo ſors ejus diſtabit: nam ſunt & laxæ cuſtodiæ. Regulus ſententiam in Senatu dicere recuſavit, dicens quamdiu jurejurando hoſtium teneretur non eſſe ſe Senatorem. *Cic. de Off. II.*

COMMENTARIUS.

QUoniam homini cum homine naturalis intercedat cognatio, quamobrem hominem homini inſidiari ſummum nefas habetur, nihil magis naturæ humanæ convenit, quam ut homines ſe mutuo amore proſequantur, humanitatis, benevolentiæ & caritatis officia ſibi invicem præſtent, eorumque commutatione ſibi mutuo devincti tranſigant. Cui etiam accedit, quod, cum ad ſocietatem colendam nati ſimus, oporteat quemque ſumma ope niti, ut eam, quantum poteſt, tueatur, eamque tuendo, ſibi quoque conſulat: homines enim in mutuum adjutorium nati, alter alterius eget auxilio, quamobrem naturâ ad ſocietatem colendam proni. Itaque ſive hominem, tanquam ſocietatis membrum, ſi abſque relatione ad illam reſpicias, nihil magis ſibi convenit, quam ſocietatem cum ſui ſimili tueri. Atqui bellum eam diſtrahat atque diſſolvat, apparet quantum poſſumus, illud evitandum & declinandum. Quando vero, neceſſitate exigente, vi & armis jus noſtrum perſequi coacti ſumus; annitendum omni ratione bellum cum pace commutare: finis enim belli pax eſſe debet. Bellum ſuſcipimus, ut in pace vivere liceat, & eum, qui modo hoſtis, amicum & ſocium nobis conciliemus: nulla enim ſalus bello. Hinc etiam Auctor noſter cum ad finem operis ſui de Jure Belli & Pacis properaret, de fide publica, qua bellum finitur, diſputare incipit. Penes quem autem ſumma in Republica poteſtas, penes eum quoque belli ac pacis reſidet arbitrium. Itaque in Imperio Monarchico penes Regem, quemadmodum penes Optimates in Ariſtocratia, in Democratia penes Populum. Recte autem addit Auctor, in ſtatu vere Regio; quippe quandoque Rex procerum ſuperiorum conſenſum vel ad bellum ſuſcipiendum vel ad pacem faciendam adhibere neceſſum habet, quoties id juris ſive in deferendo imperio ſibi populus vel ejus nomine imperii proceres reſervarunt, & proinde accipiendo imperii faſces, mutua interpoſita fide, tale quid promiſerit, Rex tenetur vi promiſſi ad utrumque negotium rite peragendum convocare eos, qui partes ſuas in pu-

publicis his actibus ſtipulati ſunt, ut inquit Henninges. Quod ſi facere omiſerit, peccat in legem Reipublicæ fundamentalem. Quippe cum per bellum univerſa Reſpublica in ſummum adducatur diſcrimen, ſecuritatis ſuæ cauſa populi nonnulli vel eorum nomine proceres ſuas quoque partes ſibi ſtipularunt. Quemadmodum etiam in pace facienda, utpote quæ immatura Reipublicæ quandoque majus detrimentum adferre poteſt quam ipſum bellum, quantas ſecum calamitates trahet. Ex hiſce patet Ducem belli ſive exercitus pacis faciendæ poteſtatem neutiquam habere, niſi ea ipſi nominatim demandata exemplo procuratoris ad lites dati, ut inquiunt D. D. qui tranſigendi facultatem non habent, *l. 60. ff. de procurat.* quoniam ſemper eſt hoc videndum, ne quis mandati fines excedat. Præterquam quod nemo licet impune ea, quæ ſummi imperii ſunt, propria auctoritate arrogare. Quamobrem apud veteres Romanos, quo tempore penes populum ſumma Reipublicæ fuit, paces populo inconſulto factæ vim nullam habuerunt: quin etiam acriter reprehenſi, punitique merito fuerint, qui eo audaciæ proceſſerant, ut id attentaſſent. Salluſtius ſermonem habens de pace inter Aulum Romani exercitus Ducem & Jugurtham Numidarum Regem facta: *Semper*, inquit, *ita, uti par fuerat, decernit, ſuo atque populi injuſſu nullum potuiſſe fœdus fieri.* Verum, quod diximus, in ſtatu vere Regio, penes Regem arbitrium pacis & belli eſſe, ita intelligendum, ſi Rex jus non habeat impeditum, id eſt, ſi neque naturali neque morali impedimento hæc facultas affecta ſit. Naturale impedimentum poteſt eſſe vel judicii immaturitas, vel mentis diminutio. Quo autem ætatis anno imperio maturus Rex erit, quorundam populorum legibus definiri ſolet, quod ſi definitum non eſt, ex probabilibus conjecturis æſtimandum ſtatuit Auctor. Verum mihi videtur non opus eſſe, ut adeo ſolliciti ſimus de ætate Regis; quippe ſi infans, ſive pubertati proximus, ſive maturus ſive immaturus imperio, quæ cum Rege ipſo vel adminiſtratoribus & conſiliariis ejus perſonam ſuſtinentibus contractum firmum ratumque eſſe oportere dictat ratio naturalis, tum etiam imperii natura, ac Reipublicæ conſtitutio exigit. Quidquid enim agit Rex populi nomine agit, itaque ſive infans ſive imperio tractando idoneus, populus idem manet, & ejuſdem nomine, tam adminiſtratoribus a populo vel proceribus electis, & Regis tutelam habentibus peragi quam ab ipſo Rege poſſunt. Regis enim infantia vel minorennitas publicis actibus vim ſuam adimere nequit, quin imperium concideret: ſi enim nihil firmum vel ratum eſſet, quidquid cum Rege minore vel infante, vel ejus tutoribus contractum vel geſtum, vel ſaltem ſub prætextu læſionis reſcindi poſſet, aut contra eam in integrum reſtitutio locum habere poſſet, nullum commercium cum eo haberi poſſet; imo & interna civitatis fabrica corrueret, cum nemo Regi credere vel fidem habere poſſet, nemo cum eo contrahere vel paciſci vellet. Quamobrem conducit Regi, ne ætatis exceptionem ipſi competere ſtatuamus, ſed quidquid agit adhuc infans vel pubertati proximus, vel potius ejus nomine adminiſtratores, quibus tutela Regis ſive regni demandata, firmum ac ratum ſit, ac ſi a Rege majorenne vel imperio maturo actum eſſet. Quod ſi in omnibus publicis negotiis ad ſtatum Reipublicæ pertinentibus id ſtatuendum, multo magis in re adeo favorabili, quam pax eſt. De minore adulto non ambigendum D. D. ſtatuunt, quia ei non danda ſit reſtitutio in integrum ad ſtatum belli prætextu læſionis in tractatibus pacis, tum quia hæ tales cauſæ publicæ maturiori conſiliariorum judicio tractantur, ut allegata captio probabilis non ſit, tum quia bellum ſubjacet fortuitis caſibus, & belli injuriæ pace remittuntur, quibus præſertim ad calamitatem generis humani reſtitutio danda non eſt, uti inquit Textor *Synopſ. jur. gent. cap. 19.* ac idem dicendum putat in caſu, quo Rex infans, id eſt, ſeptennio major. Ideoque non omni plane judicio orbatus, & idem dicendum ſtatuit, ſi non a ſolo Rege, ſed Regiis forte tutoribus atque miniſtris deliberata atque concluſa fuerit. (Verum quis dubitat regni negotia Rege adhuc infante non tractari & concludi a Regis miniſtris.) Ut enim pupillus in privatis cauſis obligari poteſt ex contractu tutoris rite facto, ſic multo magis Rex infans aut immaturi judicii in cauſa publica, præſertim quia magis intereſt generis humani, ne tali ſpecie cum publico gentium damno uſque ad maturiorem Principis ætatem ſuſpendatur. Idem dicendum de Rege mente capto vel furioſo: quæ enim interim ab adminiſtratoribus geruntur in bello vel in pace rata habenda. De Rege captivo cum Auctore noſtro idem ſtatuo, cum Reſpublica neque Regnum ſubſiſtere poſſit abſque imperio, quod civium actiones dirigit ad unum eundemque finem, qui eſt conſervatio totius, & publicæ utilitatis promotio, neceſſum eſt, ut exercitium ſummi imperii, quod a Rege capto exerceri nequit, ipſo jure ad populum tanquam ſubjectum commune, in quo radicaliter ineſt, revertatur, ſi modo ex conſenſu populi regnum ortum habeat; quamobrem Franciſco I. Galliarum Rege captivo circa negotium pacis cum Carolo V. expreſſe conventum eſt, ut Rex e cuſtodia dimiſſus atque libertatem priſtinam nactus capita pacis confirmaret, argumentum Regis captivi promiſſionem invalidam eſſe, adeoque populum non tenere. In Principe captivo hoc putem non eſſe neceſſe, ut ei obtemperent ſubditi. Unde Scoti ſe Regi ſuo non parituros pronunciant apud Buchananum, utpote qui in aliena poteſtate. Unde Delfinus aliique Principes Galliæ abnuunt pacem cum his conditionibus facere, quas illorum Rex accipiebat in Anglia captivus, teſte Polydoro *lib. 19.* Cui etiam accedit altera ratio, quod hic deficit conſenſus populi, quamobrem quoque imperii exercitium evaneſcit; quippe populus præſumitur ea lege imperium detuliſſe, ut a Rege libero exerceretur, penes quem vero

non eſt imperii exercitium, penes eum nec pacis faciendæ poteſtas: belli enim & pacis arbitrium imperii ſummi effectus, quamobrem eo deſtitutus Rex captivus. Præterquam quod Rex captivus quaſi pro mortuo habendus quoad regni adminiſtrationem, & proinde quamdiu captivus manet, pro eo ſtatu nihil poteſt diſponere vel ſtatuere de rebus, quæ regni adminiſtrationem ſpectant. Quod ſi vero regnum ſit patrimoniale, cum Regis captivi perſona ſimul tranſit in poteſtatem victoris, ut alibi annotavimus, & proinde pacis faciendæ poteſtas Regi ſervo prorſus eripitur; quod ſi vero hoſtis juri ſuo tacite renunciat, & cum Rege tanquam libero pacem facere velit, nullus dubito, quin hoc caſu abſque conſenſu populi eam facere poſſit, ut alibi annotatum. Atqui apud nos jus ſervitutis in uſu non ſit, Rex captivus imperium in patrimonio habens retinet, quamobrem quemadmodum de cæteris rebus, quæ privatim ſua ſunt, paciſci, ita etiam de regno patrimoniali diſponere poteſt valide. Quid de Rege exſule dicendum quærit Auctor? Diſtinguit Auctor noſter utrum ſervire teneatur ei, cujus intra fines degit, nec ne? Eo caſu pacis faciendæ poteſtatem ei ereptam cenſet, quia ſimilis captivo. Sed recte alii diſtinguendum cenſent, utrum Rex profugus exilio jus regni amiſerit forte ex delicto, an retinuerit, & injuſtis de cauſis in exilium compulſus ſit per ſeditionem, tyrannidem vel vim hoſtilem. Priori caſu denegant Regi exuli jus pacis, & merito; quippe regno exutus pariter amittit ſummi imperii jura ac commoda. Quod ſi vero non juſta ex cauſa in exilium abire coactus, non videtur regnum, nec proinde ſummæ majeſtatis jura, quorum in numero jus pacis faciendæ amiſiſſe. Quamvis in ſtatu exilii actualem regni adminiſtrationem amiſerit, & proinde eatenus captivo ſimilis, attamen diverſitas ſupereſſe videtur quoad jus adminiſtrandi, quod captivus amittit captivitate, exſul non æque exilio injuſto, ſeditione vel tyrannide. Verum cum omnis imperii vis potiſſimum conſiſtat in conſenſu obedientium, hi vero imperium aſpernantur Regis exulis, quid utilitatis ac commodi ex ejuſmodi pacificatione apud eum pervenire poteſt, qui cum tali Rege paciſcitur? Sed optime reſpondet Textor *Synopſ. Jur. Gent. cap.* 20. *Quod ne ſic quidem effectu ſuo caret conventio vel fœdus, primum quia revera rebelles ordines vel ſubditi ex præmiſſis obſtringuntur, ac ſi non pareant, faciunt contra obligationem, non ſolum externam, ſed & internam, quæ in conſcientiæ foro vim ſuam ac effectum habet, ſemper autem oportet in quæſtionibus juris gentium, jus a mero facto diſtinguere; deinde ſubeſt ſpes reſtitutionis, quo caſu non tantum Rex ab exilio in regnum reſtitutus teneretur jam a tempore conventionis ex pace anteriori, ad minimum ab eo tempore, quo iſta pax publice innotuiſſet; ergo capta interim deberent reſtitui, perinde ac alias facta pace a Rege actu adminiſtrante.*

IV. I. In procerum aut populi imperio jus paciſcendi erit penes majorem partem, illic conſilii publici, hic civium ſententiæ dicendæ jus ex more habentium, ſecundum ea quæ diximus alibi. Itaque
Lib. II. c. V. ¶. 17. ſic pacta obligabunt etiam eos qui aliter ſenſerunt: Livius, *Ubi ſemel decretum erit, omnibus id etiam quibus ante diſplicuerit pro bono atque utili fœdere defendendum.*
L. XXXII. Dionyſius Halicarnaſſenſis, δίκαιον πείθεσθαι τοῖς ὑπὸ πλειόνων κριθεῖσιν, *parendum his quæ pars major cenſuerit.*
L. XI. Appianus, δεῖ πάντας τὸ κριθὲν ἀπροφασίστως ποιεῖν: *Omnes decreto obſequi tenemur, nulla admiſſa excuſatione.*
L. VI. *Epiſt.* 13. Plinius: *quod pluribus placuiſſet, cunctis tenendum.* Quos autem obligat pax, iiſdem & volentibus prodeſt.

COMMENTARIUS.

Hunc ordinem indicat ipſa quaſi neceſſitas; quippe impoſſibile eſſet ubi tot capita, ut ulla negotia publica ad finem perduci poſſent vel conſilia capi, niſi major pars ad ſe minorem traheret, unde ſæpius magnum Reſpublica pateretur damnum, præſertim quoties ejus naturæ ſunt deliberationes, quæ feſtinationem efflagitant. Dictare quoque videtur idem ſana ratio, ut minor cedat majori, & proinde quod a majori parte actum, id cæteri ratum habeant, quamobrem tanquam omnes feciſſe exiſtimandum. Vide quæ diſputavimus *lib.* 2. *cap.* 5. §. 17. ubi ſatis prolixe hanc quæſtionem tractavimus.

Vaſ. Cont. ill. l. I. *c.* 4. *ibi multos alle-* V. I. Nunc de rebus pactioni ſubjectis videamus. Imperium aut omne aut ejus partem reges, quales nunc ſunt plerique, regnum habentes non in patrimonio ſed tanquam in uſufructu, paciſcendo alienare

nare non valent. Imo antequam regnum accipiant, quo tempore populus adhuc ipſis ſuperior eſt, lege publica tales actus in futurum plane irriti reddi poſſunt, ita ut nec ad id quod intereſt obligationem pariant. Atque id populos voluiſſe credibile eſt, ne alioqui ſi ad id quod intereſt ſalva eſſet actio contrahenti, ſubditorum bona pro debito regis caperentur, ac ſi de non alienando imperio vana eſſet cautio.

gat. & c. 5. vide ſupra libro 11. c. VI. ¶. 3. & ſeq.

2. Ergo ut imperium totum valide tranſeat, populi totius conſenſu opus eſt, qui expediri poteſt per partium legatos quos Ordines vocant. Ut pars aliqua imperii valide alienetur duplici opus eſt conſenſu, & corporis, & ſpecialiter ejus partis de qua agitur, ut quæ invita a corpore cui coaluit avelli nequeat. Sed pars ipſa tamen valide in ſe imperium tranſcribet ſine populi conſenſu, in ſumma atque alias inevitabili neceſſitate, quia eam poteſtatem credibile eſt exceptam, cum ſocietas civilis coita eſt.

3. At in regnis patrimonialibus quo minus rex regnum alienet nihil impedit. Fieri tamen poteſt ut talis rex partem aliquam imperii alienare non valeat, ſi nempe regnum ſub onere ejus non dividendi in proprietatem acceperit. Bona vero quæ regni dicuntur quod attinet, poſſunt & hæc in patrimonium venire regis duobus modis, aut ſeparabiliter, aut individue cum ipſo regno. Si hoc modo, transſcribi poterunt, ſed non niſi cum regno: ſi illud, etiam ſeorſum.

4. Qui vero reges in patrimonio regnum non habent, his vix eſt ut jus regni bona alienandi conceſſum videatur, niſi diſerte id appareat ex primitiva lege aut more cui contradictum nunquam ſit.

Lib. 11. c. VI. §. 13.

COMMENTARIUS.

Quamvis omne imperium originem habeat a conſenſu & voluntate populi, quoad primam inſtitutionem, interjecto tameo tempore non eodem modo acquiſitum & tranſlatum ad ſucceſſores, quo rerum primordio conſtitutum. Unde quidam Reges imperium pleno jure proprietatis poſſidere, ut qui juſto id ſibi quæſiverunt bello; quidam illud tantum utiliter, id eſt, jure uſufructuario poſſidere dicuntur; quidam jure temporario illud habent, uti Dictator apud Romanos, quod jure uſufructuario tenetur, nititur conſenſu populi, quamobrem abſque conſenſu alienari nequit paciſcendo, ita ut nihil egiſſe videatur Rex etiamſi delationi non adjecta ejuſmodi clauſula, qua alienandi imperii vel ejus partis poteſtas interdicitur Regi: quod enim meum eſt, abſque conſenſu meo in alium transferri nequit; atqui imperium conſenſu populi delatum, radicaliter & quoad proprietatem manet penes populum, penes Regem uſusfructus ſive ejus exercitium; ergo invito populo alienare id non poteſt. Alienatio enim ſupponit proprietatem ſive dominium ejus rei, quæ alienatur; atqui imperium eſt in patrimonio populi; ergo penes populum facultas illud alienandi paciſcendo: nec opus ut ejuſmodi facultas lege Principi adimatur; quippe ſimplex imperii ſummi delatio ſatis indicat penes quem imperium originarie reſidet; & proinde cui competit facultas de eo diſponendi, qua ſeſe privare voluiſſe non præſumitur, niſi expreſſe dilationi adjecerit, ſe non duntaxat uſumfructum & exercitium imperii, ſed etiam concedere inſuper poteſtatem illud alienandi & cedendi cui placuerit, ut annotavimus *lib.* 2. §. 6. Ad majorem vero cautelam tum etiam ut conſtet Regi quam late patet imperium, quod tanquam beneficium populi poſſidet, ne ſuper ea re oriatur controverſia, ſolet quandoque legibus fundamentalibus regni hiſce cancellis circumſcribi, ne Regi liceat abſque populi conſenſu imperium vel in totum vel pro parte quovis modo alienare, & ſi quid tale fecerit, nihil egiſſe videatur, quo caſu ex ejuſmodi actu nulla plane, ne quidem ad intereſſe, obligatio naſcitur, atque id populum voluiſſe veriſimile eſt, ob rationem ab Auctore allegatam. Atque fruſtra hic allegatur publica

utilitas

utilitas aut neceſſitas; quippe ubi agendi facultas deeſt, nihil ea operari poteſt, vel effectum juris producere. Verum hiſce non immorabimur, ſed remittimus lectorem ad ea quæ *lib.* 1. *cap.* 3. §. 11. & *lib.* 2. *cap.* 6. annotavimus, ex quibus omnia explicanda, quæ de alienatione totius imperii ſive ejus partis regiæ, & bonis coronæ ſive quæ regni dicuntur, diſputat Auctor noſter.

Lib. II. *c.* XIV. ¶. 10. & *ſeq. Vaſq. d. c.* 5. *n.* 9. *Supra lib.* III. *cap.* VIII. ¶. 2.

VI. Sed & quatenus promiſſo regis populus ac ſimul ſucceſſores obligentur alibi diximus: nempe quatenus obligandi poteſtas ſub imperio comprehenſa eſt, quod nec in infinitum protrahi, nec ad anguſtias nimias arctari debet, ſed ita intelligi ut valeat quod probabili ratione nititur. Plane aliud erit ſi quis rex ſimul ſubditorum dominus ſit, neque tam civile quam familiare imperium acceperit: ut qui bello victos in ſervitutem redigunt: aut ſi in perſonam quidem dominium non habeat, ſed in res habeat, ut Pharao in terra Ægypti ex emto, & alii qui advenas in ſuum privatum receperunt. Nam hic jus præter regium accedens efficit ut ex eo conſiſtat, quod alioque per ſe ſolo regio jure conſiſtere non poſſet.

COMMENTARIUS.

Cui juriſdictio data eſt, ea quoque conceſſa eſſe videntur ſine quibus juriſdictio explicari non potuit, inquit Javolenus *l.* 2. *ff. de juriſd.* Sic etiam in quem ſummum contulerunt imperium cives, ipſi quoque ejuſmodi conceſſiſſe poteſtatem dicendum, ſine qua imperium tractari nec Reſpublica adminiſtrari nequit, & proinde eadem poteſtas, quam cœtus, qua ſociata hominum multitudo unum corpus unam quaſi perſonam repræſentans, habet in ſe, competit ei, quem ſocietati tuendæ præfecerunt, non infinita, ſed pro ea menſura quam Reipublicæ adminiſtratio efflagitat, uti annotavimus *lib.* 2. *cap.* 14. §. 12. ubi hanc quæſtionem diſcuſſimus. Atqui Reipublicæ utilitas & publica neceſſitas ſæpius exigunt, ut delicta contrahantur, contractus celebrentur, Princeps utique efficaciter contrahere poteſt, & contrahendo civitatem obligat ad exſolvenda debita, implendum contractum, fidem datam præſtandam, & ſi quod id genus negotium geſtum, ratum habendum, quaſi ipſe feciſſet, quod nomine civitatis egit Rex vel Princeps.

VII. 1. Diſputari & hoc ſolet, quid in res ſingulorum poſſint pacis cauſa ſtatuere, qui reges ſunt, nec in res ſubditorum aliud jus habent quam regium. Alibi diximus res ſubditorum ſub eminenti dominio eſſe civitatis, ita ut civitas, aut qui civitatis vice fungitur iis rebus uti, eaſque etiam perdere & alienare poſſit, non tantum ex ſumma neceſſitate, quæ privatis quoque jus aliquod in aliena concedit, ſed ob publicam utilitatem, cui privatas cedere illis ipſi voluiſſe cenſendi ſunt qui in civilem cœtum coierunt.

Vaſ. lib. 11. *c.* 5. *Rom. conſ.* 310. *Syl. in verb. belli.* 1. §. 43.

2. Sed addendum eſt, id cum fit, civitatem teneri his qui ſuum amittunt ſarcire damnum de publico, in quod publicum nomen & ipſe qui damnum paſſus eſt, ſi opus eſt, contribuet. Neque hoc onere levabitur civitas ſi nunc forte ei præſtationi par non ſit, ſed quandocumque copia ſuppetit exſeret ſeſe quaſi ſopita obligatio.

COMMENTARIUS.

Rationem annotavimus, cur publica ſalus & utilitas, privata civium utilitate potior, *lib.* 2. *cap.* 14. §. 8. ubi ea, quæ hoc §. tractat Auctor, examinavimus.

VIII. Neque illud indiſtincte admitto quod dicit Ferdinandus Vaſquius, agnoſcere civitatem non debere id damnum quod jam bello datum eſt, eo quod jus belli talia permittat. Nam jus illud belli populos alios ſpectat, ut alibi expoſuimus: partim & hoſtes inter ſe, non cives inter ſe, qui cum ſocii ſint æquum eſt ut communia habeant damna quæ ſocietatis cauſa contingunt. Plane civili lege & hoc conſtitui poterit, ut rei bello amiſſæ cauſa nulla adverſus civitatem actio ſit, ut ſua quiſque acrius defendat. *Lib. I. Cont. Ill. c. 4. in fine. Lib. III. c. VI. §. 2. c. x. ¶. 5. L. cum duob. ¶. quidam. D. pro ſocio.*

COMMENTARIUS.

SI civitas teneatur damnum, quod quiſque occaſione belli patitur, ex publico reſarcire, forte non ſufficeret ærarium. Mihi dicendum videtur, damnum quod bello datum æquo animo perferendum, nec ad illud reſarciendum civitatem teneri, niſi quantum verſum in communem utilitatem, vel juſſu Principis perferre quis debuit: ſolet enim ſæpius edicto prohiberi, bona ab incendio & ruina redimere, hoc caſu damnum, quod cives patiuntur, e publico reſarciendum æquum; verum cum præſumatur bellum conſenſu & voluntate omnium civium indictum ac ſuſceptum, etiam præſumitur ſuo quiſque periculo belli mala & calamitates, quas ſecum trahit, ſuſtinere animum induxiſſe: qui enim vult antecedens, etiam debet velle conſequens, quod immediate ex antecedente profluit, idque imprimis in bello, ob defenſionem ſuſcepto & indicto, locum habet. Quis eſt, qui non ſui defenſionis cauſa quævis mala & incommoda perferre vellet atque ſubire? Aliud dicendum, ſi qui cives non ab hoſte, ſed ad hoſtem debellandum vel ſocietatis tuendæ cauſa in bonis ſuis aliquid damni præ cæteris perferre tenetur, utique eo caſu æquum ut e publico illud compenſetur, ne quis cum alterius jactura ſua conſervet. Vid. quæ annot. *lib. 2. cap.* 14.

IX. Sunt qui latum diſcrimen collocant inter ea quæ civium ſunt ex gentium jure & ea quæ eorundem ſunt ex jure civili, ut in hæc jus laxius regi concedant, etiam auferendi ſine cauſa & compenſatione, in illa non item: Perverſe: nam dominium ex qualicunque cauſa ortum ſit, ſuos ſemper effectus habet ex ipſo jure naturali, ut ſcilicet auferri nequeat niſi ex cauſis quæ aut dominio inſunt ſuapte natura, aut ex dominorum facto ortum habent.

COMMENTARIUS.

HOc diſcrimen nulla ratione niti, ſupra *lib.* 2. *cap.* 14. §. 8. annotavimus, & proinde rejiciendum exiſtimavimus. Vid. rationes ibidem a nobis adductas.

X. Sed hæc inſpectio, ne niſi ex publica utilitate res privatorum concedantur, regem ſpectat & ſubditos, ut illa de damno ſarciendo civitatem & ſingulos. Nam externis, qui cum rege contrahunt, ſufficit factum regis, non tantum ob præſumptionem quam ſecum adfert dignitas perſonæ, verum etiam ob gentium jus, quod bona ſubditorum obligari ex facto regis patitur. *Lib. III. c. 11.*

COMMENTARIUS.

ILla diſquiſitio, utrum bona civi privato ſint auferenda an condonanda, in Monarchia ad Regem ſpectat, utpote cui hoc arbitrium cum ſummo imperio competit ex conſenſu & voluntate civium. Ut vero ſingulis damnum hoc modo extra ſuam ratam farciatur, univerſitas civium obligatur Rege exigente. Exteri vero, quibus ea bona traduntur, juſto titulo eorundem dominium & poſſeſſionem acquirunt, & proinde bona conſcientia poſſidere poſſunt, etiamſi

forte

forte citra neceſſitatem & publicam utilitatem ſubjectis ablata: ſufficit enim factum Regis, qui in bona civium eminens habet dominium, an vero juſtam ob cauſsm hoc jure utitur, non inquirendum incumbit exteris, qui cum Rege contrahunt, præterquam quod præſumitur juſtam ſubeſſe cauſam. Cui etiam accedit, quod nulla ratio foret cum extrancis tranſigendi, niſi ſtatuamus rite geri, quæ a capite civitatis geruntur. Quod ſi ſecus fiat, Rex tenetur civibus rationem reddere adminiſtrationis ſuæ. Quod reſtringendum puto ad ejuſmodi actus, qui regulariter adminiſtrationem civilem ſpectant, & ex natura ſummi imperii profluunt; quippe paulo ante notavimus non omnes Regis actus effectum juris producere, ſed quandoque evaneſcere quaſi nihil actum, quoties imperii & poteſtatis ſuæ terminos nimis longe lateque exceſſit, quo caſu nec ei, qui cum Rege contraxit, jus quæſitum aufertur, cum ejuſmodi actus ipſo jure nullus, & proinde, uti ſtatim diximus, effectum juris habere nequit.

L. II. c. XI. 1. Circa interpretandas pacis conventiones obſervandum eſt
16. ¶. 11, 12. quod ſupra a nobis eſt traditum, quo quidque plus habet favoris, eo laxius accipiendum: quo longius abit, eo reſtrictius. Si jus naturæ merum ſpectamus, maximus favor in eo eſſe videtur ut ſuum quiſque conſequatur, quod Græci dicunt ἕκαστον ἔχειν τὰ ἑαυτοῦ: & proinde videtur ambigue poſitorum interpretatio eo ducenda, ut qui juſta arma habuit id conſequatur ob quæ arma ſumpſit, & damna ſumptuſque recuperet: non item ut pœnæ nomine quicquam lucretur, id enim eſt odioſius.

2. Sed quia ad pacem veniri vix ſolet injuriæ confeſſione, ideo ea ſumenda eſt in pactis interpretatio quæ partes quoad belli juſtitiam quam maxime æquet: quod fieri ſolet duobus maxime modis: aut ut quarum rerum turbata bello poſſeſſio eſt, ex formula juris antiqui componatur: (quæ verba ſunt Menippi in oratione qua de fœderum generi-
Livius libro XXXIV. bus differit) aut ut res maneant quo ſunt loco: quod Græci dicunt ἔχοντες ἃ ἔχουσι.

XII. 1. Ex his duobus poſterius in dubio magis eſt ut præſumatur, quia facilius eſt, & nullam inducit mutationem. Hinc eſt illud quod
L. in bello. D. de captivis. a Tryphonino notatum eſt, ut in pace illis demum captivis poſtliminium ſit de quibus id in pactis erat comprehenſum, ut recte emendare Fabrum diximus ſupra, & certis argumentis evicimus. Sic &
Supra hoc libro. c. 9. transfugæ non reddentur niſi convenerit. Nam transfugas jure bel-
L. quanquam. D. de acq. rer. dom. li recipimus: id eſt per jus belli licet nobis admittere & noſtris aſſcribere eum qui partes mutat. Res cæteræ tali pacto manent penes tenentem.

Dec. T. III. conſ. 74. 2. Illud autem *tenere* non civiliter ſed naturaliter ſumitur: in bellis enim ſufficit facti poſſeſſio, nec alia attenditur. Agros autem dixi-
Supra libro III. c. 6. ¶. 4. mus ita teneri ſi munitionibus quibuſdam clauſi ſunt: nam temporariam inſeſſionem ut per ſtativa hic non ſpectari. Demoſthenes pro Cteſiphonte feſtinatum ait a Philippo ut quæ poſſet loca occuparet,
Supra l. III. c. VII. §. 4. gnarus ut res erat, pacis confecto negotio, retenturum ſe quæ teneret. Incorporalia non tenentur niſi per res quibus adhærent, ut ſervitutes prædiorum, aut per perſonas quarum ſunt, dum ne in ſolo quod hoſtium fuit exercenda ſint.

XIII. In altero illo paciſcendi genere quo reſtituitur poſſeſſio bello turbata, notandum eſt, ultimam quæ ante bellum fuit poſſeſſionem

reſpici,

reſpici, ita tamen ut privatis dejectis interdicto aut vindicatione apud judicem experiri liceat.

COMMENTARIUS.

Est communis eaque in naturali ratione & æquitate fundata juris regula, quod odioſa ſint reſtringenda, favorabilia extendenda, atque hanc regulam Auctor noſter circa interpretandas pacis conventiones locum ſibi vindicare merito ſtatuit, unde quo quidque plus habet favoris, eo laxius accipiendum, quo longius abit, eo reſtrictius: præſumitur enim ab æquitate naturali quam minimum recedere voluiſſe pacis auctores. Hinc feciali jure æquitatem præſcriptam eſſe inquit Cicero 1. *off.* Si merum autem jus naturæ ſpectemus, maximus favor in eo eſſe videtur, ut quiſque conſequatur quod ſuum eſt. Quamobrem verborum ambigue poſitorum eo ducenda interpretatio, ut ille, qui juſtam belli ſuſcipiendi cauſam habuit, conſequatur id ob quod arma ſumſit, & damna ſumptuſque recuperet: quid enim æquitati magis convenit, quam ut ille, qui ſuum cuique tribuere denegavit, & proinde cauſam & occaſionem belli ſuſcipiendi juſtam alteri præbuit, ſolvat impenſas ſumptuſque, qui ad bellum juris ſibi perſequendi cauſa gerendum neceſſarii, atque hac ratione damnum quod dedit etiam reſarciat. Verum cum neuter belligerantium volens fateatur injuriam ſe feciſſe, verum juſtitiæ velo belli cauſam quamvis iniquiſſimam & ab omni juſtitiæ ſpecie longe remotam ſolent tegere belligerantes, recte monet Auctor ideo eam ſumendam in pactis interpretationem, quæ partes quoad belli juſtitiam maxime æquet. Quibus autem id modis fieri poteſt, docet Auctor; aut ut poſſeſſio bello turbata reſtituatur in eum ſtatum, in quo fuit ante bellum; aut ut res maneant quo ſunt loco, & quiſque partium teneat, quod jure belli occupavit, ſive corporale ſive incorporale. Ex hiſce duobus in dubio poſterius magis eſt, ut præſumatur, propterea quia facilius eſt, & nullam mutationem inducit. Vid. quæ annotavimus *cap. 9. & 7. §. 4.*

XIV. At ſi quis ſui juris populus ſponte ſe bellantium alteri ſubjecerit, ad eum reſtitutio non porrigetur, ut quæ ad ea tantum pertineat quæ vi, metu facta ſunt, aut alioqui & dolo non niſi in hoſtem licito. Sic pace inter Græcos Thebani Platæam retinuerunt, dicentes, οὐ βίᾳ ἀλλ' ὁμολογίᾳ αὐτῶν προχωρησάντων καὶ οὐ προδόντων ἔχειν τὸ χωρίον, *habere ſe eum locum non vi, non proditione, ſed eorum quorum erat libera voluntate.* Parique jure Niſæa penes Athenienſes manſit. Eadem diſtinctione adverſus Ætolos utebatur T. Quinctius: *Captarum*, inquiens, *urbium illa lex. Theſſaliæ civitates ſua voluntate in ditionem noſtram venerunt.* *Livius libro* XXXIII.

COMMENTARIUS.

Imo quid ſi vi metuwe coactus populus alteri bellantium ſe ſubjecerit, non tamen video, quomodo ad eum porrigi queat reſtitutio, quæ fieri debet per interpretatiouem, præſertim quando alterius, cum quo tranſactum eſt, nihil intereſt, populum iſtum ſui juris fieri, uti inquit Zeiglerus.

XV. Si nihil aliud convenerit, omni pace id actum cenſeri debet ut quæ bello data ſunt damna eorum nomine actio non ſit, quod de damnis etiam privatim acceptis intelligendum eſt: nam & hæc belli effecta ſunt. In dubio enim ita cenſentur contrahere voluiſſe bellantes, ut neuter injuſtitiæ damnaretur.

COMMENTARIUS.

Damna, quæ hoſti ab hoſte inferuntur jure belli, reſarcire neuter belligerantium senetur, nulla ejus in pacis inſtrumento facta mentione, quia juſte illata cenſentur, & proinde eorum nomine nulla competit actio, idque ex præſumpta voluntate belligerantium, utpote qui

qui jure gentium, quo jus belligerandi ſibi vindicare poſſunt, & proinde approbare videntur omnes belli effectus, qui immediate ex eo deſcendunt ac naſcuntur, ſubjacentes, efficere nequeunt, ne illud in belli negotiis locum ſibi vindicet; atqui illud tribuat facultatem hoſti nocendi & damna inferendi; ergo ſi qua illata, jure illata cenſeri debent; quod autem jure factum, ejus nomine nulla poteſt actio moveri, idque eo magis, quia tacito quaſi gentium conſenſu introductum, quamobrem ſibi mutuo hanc facultatem impune lædendi conceſſiſſe videri debent. Quamobrem recte monet Zeiglerus, probe diſcernenda eſſe damna, quæ a militibus data, ab iis, quæ ab inimicis data ſunt. De hiſce ſermonem habet Auctor; quippe ſi milites noſtri per latrocinia damnum mihi dederint, quin eorum nomine agere adverſus eos poſſim etiam poſt pacem initam nullus dubito inquit, cum non jure belli id fecerint, ſed manifeſte crimen publicum commiſerint. Verum hæc actio magis videtur tendere ad pœnam quam ad compenſationem, cum admodum exiguæ eorum facultates & ſæpius ad vitam honeſte tuendam vix ſufficiant, inanis ſæpe actio ad compenſationem ob debitoris inopiam. Accedit ratio Auctoris, quod ita contrahere voluiſſe bellantes in dubio cenſeantur, ut neuter injuſtitiæ damnaretur: actio enim damni reſarciendi ſupponit non dure datum fuiſſe.

Dec. Conſ. 61. XVI. Non tamen & quæ privatis deberi cœperunt belli tempore condonata cenſeri debent: nam hæc non belli jure quæſita ſunt, ſed bello tantum exigi vetita. Itaque ſublato impedimento vim ſuam retinent. Jus vero quod ante bellum fuit, quanquam nemini facile ademptum conſeri debet, (hanc enim ob cauſam maxime ut ſua tenerentur res publicæ civitateſque conſtitutæ ſunt, ut recte ait Cicero) L. II. Off. intelligendum id tamen de eo jure quod ex rerum inæqualitate naſcitur.

XVII. De jure ad pœnas non æque. Nam id jus quatenus inter ipſos reges aut populos verſatur remiſſum ideo conſeri debet, ne pax non ſatis pax ſit ſi veteres ad bellum cauſas relinquat. Quare & ignorata hic venient ſub verbis generalibus, ut de mercatoribus Romanis quos a Carthaginenſibus merſos ignorabant Romani, narrante Appiano. Κράτισται διαλλαγαὶ ἐν αἷς οὐδέν ἐστιν ἔγκοτον οὐδὲ μνησίκακον, inquit Dionyſius Halicarnaſſenſis: *optimæ conciliationes quæ iram & offenſarum memoriam delent.* Iſocrates Plataica: εἰρήνης οὔσης οὐ πρέπει μνησικακεῖν περὶ τῶν τότε γενομένων: *In pace non decet ante peccata exſequi.*

XVIII. De privatorum jure ad pœnam non tanta eſt ratio ut remiſſum cenſeatur: quia ſine bello judiciis expediri poteſt: Tamen cum hoc jus non ita noſtrum ſit ut quod ex inæqualitate naſcitur, & pœnæ ſemper aliquid odii habeant, levis verborum conjectura ſufficiet, ut hoc quoque donatum intelligatur.

COMMENTARIUS.

Communis D. D. ſententia eſt, hoſtilitatem ſupervenientem non liberare debitorem a neceſſitate ſive juris vinculo, quo tenetur creditori ſuo ſolvere debitum. Nec obſtat, quod, conſtante bello, capta ab hoſtibus, fiunt capientis, nec quod licitum eſt hoſtes prædari, & proinde quoque licitum videri debeat retinere debita, idque eo magis, quia reſtitutionis cauſa favorabilior quam vis bellica. Quippe præmiſſa hæc non procedunt quoties ex prædatione hoſtium fides præſtita læderetur, quia illa etiam hoſtibus ſervanda. Itaque caſus belli ſuperveniens non debet irritare debitum initio legitime contractum. De jure ad pœnas aliud ſtatuendum; quippe id jus, quod publice competit, pace remiſſum cenſeri debet, ut cauſæ odiorum & proinde belli de novo ſuſcipiendi, quantum fieri poteſt, tollantur. Quod privatim competit, non adeo facile remiſſum intelligitur, quia ſine bello in judiciis perſequi poteſt creditor jus ſuum, ideoque abſque armorum ſtrepitu expediri illud poteſt. Attamen ob rationem ab Auctore adductam levis verborum conjectura ſufficiet, ut hoc quoque donatum intelligatur, ubique paci & concordiæ favendum, tum publicæ, tum privatæ, eſt res admodum favorabilis tum

humano generi, tum etiam civili ſocietati, & proinde quantum fieri poteſt, eo ſemper ducenda interpretatio, ut etiam ſinguli homines in pace & concordia vivant, eo nos ducit Chriſtiana religio & proximi caritas.

XIX. Quod vero diximus jus quod ante bellum fuit ademtum facile cenſeri non debere, id in privatorum jure firme tenendum eſt, in jure autem regum & populorum facilius eſt ut condonatio aliqua intelligatur facta, ſi modo verba ut conjecturæ non improbabiles ſuppetant: maxime vero ſi jus de quo agitur non liquidum erat, ſed in controverſia poſitum. Benignum enim eſt credere id actum ut belli ſemina evellerentur. Idem quem modo laudavi Dionyſius Halicarnaſſenſis: *L. III.* οὐκ ἀποχρῆ τοῦτο μόνον ἡμᾶς σκοπεῖν ὅπως ἂν τὴν παροῦσαν ἔχθραν διαλυσαίμεθα πρὸς ἀλλήλους, ἀλλ' ὥστε μηδ' αὖθίς ποτε πολεμήσωμεν ἔτι δεῖ παρασκευάσασθαι. Οὐ γὰρ ἀναβολὰς ποιησόμενοι τῶν κακῶν συνηλύθαμεν, ἀλλ' ἀπαλλαγάς. *Non tam cogitandum eſt de ſarcienda in præſens amicitia, quam id curandum ne bello iterum implicemur: neque enim ad differenda ſed ad auferenda mala convenimus;* quæ poſtrema verbo tenus ferme deſumpta ſunt ex Iſocrate, oratione de Pace.

COMMENTARIUS.

IN jure Regum & populorum facilius eſt ut aliqua condonatio facta intelligatur, quia quantum bellum humano generi tum etiam ſocietati civili magis nocet, quam privatorum lites & diſcordiæ, quæ abſque ſanguinis effuſione terminari poſſunt, eo fortior præſumptio pro condonatione & remiſſione juris facta in jure Regum & populorum, ut belli ſemina penitus evellerentur, atque hoc animo Reges ac Principes bellum cum beata pace commutaſſe præſumuntur, ut parceretur ſanguini humano, idque eo magis credendum, ſi jus, de quo agitur, non erat liquidum, ſed in controverſia poſitum.

XX. Quæ poſt perfectas pactiones capta ſunt reddenda ſatis conſtat. Sublatum enim jam erat belli jus.

XXI. At in pactionibus quæ ſunt de reddendis his quæ bello capta ſunt, primum latius interpretandæ quæ mutuæ ſunt quam quæ claudicant: deinde quæ de hominibus agunt plus favoris habent quam quæ de rebus: & inter eas quæ de rebus hæ quæ de agris plus quam quæ de rebus mobilibus: & quæ de his quæ penes publicum ſunt plus quam quæ penes privatos: & inter eas quæ penes privatos, plus illæ quæ reddi jubent lucrativo titulo poſſeſſa quam oneroſo, ut quæ emtionibus, quæ dotibus tenentur. *Alc. v. reſp. 17.* *Cic. de Off. II.*

COMMENTARIUS.

FInito bello, ejuſdem quoque effectus ceſſant, & proinde quæ poſt perfectas pactiones capiuntur jure belli capientis fieri nequeunt, quamobrem reddenda ſunt vero poſſeſſori, ad quem ipſo jure tranſeunt. At vero in pactionibus, quæ ſunt de reddendis his, quæ bello capta, latius interpretandæ, ubi ab utraque redditur, quam ubi ab altera tantum parte. Deinde, quæ de hominibus agunt, plus habent favoris quam quæ de rebus. Itaque in reddendis poſt pacem factam promptitudine rebus, homines vi belli ablati, cæteris rebus animatis vel inanimatis, mobilibus vel immobilibus præferendi. Quamobrem nihil prius Lacædemoniis fuit, quam ut Spartani ab Athenienſium duce in Pylo intercepti redderentur. Proximo loco poſt homines agri habentur, atque hi in rebus mobilibus in repetitione præferuntur, atque merito, cum de agrorum limitibus proferendis vel conſervandis frequentiſſima moveantur bella. Mobilibus in rebus plus favoris habent, quæ penes publicum ſunt quam quæ penes privatos.

 Nam

Nam & conquiri facilius & reddi expeditius poſſunt; quæ vero penes privatos ſunt, minus ægre extorqueri poſſunt, ſi ipſi ceperint aut donatione acceperint, quam quæ titulo operoſo ab iis poſſidentur, ut quæ per emptionem aut mercedis loco aquiſiverunt.

App. civ. v. XXII. Cui pace res conceditur ei & fructus conceduntur a tempore conceſſionis, non retro, quod recte defendit Cæſar Auguſtus contra Sextum Pompejum, qui Peloponneſo ſibi conceſſa ſimul etiam tributa quæ pro exactis annis debebantur ſibi vindicabat.

COMMENTARIUS.

REcte Zeiglerus, ſi belli tempore occupata & poſſeſſa res fuit, putat etiam toto eo tempore, quo poſſeſſa fuit, jure belli fructus deberi, ut maxime interveniente pace novus titulus acceſſit: qui enim belli tempore occupavit, juſto poſſidet jure gentium dominii titulo, quamobrem lucratur fructus rei poſſeſſæ, utpote qui omni jure domino cedunt.

XXIII. Nomina regionum accipienda ex uſu præſentis temporis, non tam vulgi quam peritorum. Nam a peritis negotia talia tractari ſolent.

COMMENTARIUS.

AGitata olim fuit hæc quæſtio inter Reges Galliæ & Hiſpaniarum, uti videre eſt apud Guicciardinum *lib.* 5. ab Auctore in notis ſuis allegatum.

XXIV. Habent & illæ regulæ frequentem uſum quoties relatio ſit ad pactum antecedens aut vetus, toties repetitas cenſeri qualitates aut conditiones priore pacto expreſſas: Et pro faciente habendum qui facere voluit, ſi per alterum, quicum controverſia eſt, ſtetit quo minus fieret. *Quint. decl. CCXLVIII.*

XXV. Quod vero quidam ajunt moræ purgationem intra breve tempus admitti, verum non eſt, niſi improviſa neceſſitas impedimento fuerit. Nam quod canones nonnulli purgationi tali favent mirum non eſt, cum eorum officium ſit Chriſtianos ad ea permovere quæ caritati mutuæ conveniunt. At in hac quæſtione de pactis interpretandis non jam quærimus quid melius ſit, imo nec quid a quoque religio & pietas expoſcat, ſed ad quid cogi poſſit, quod totum verſatur in eo jure quod externum diximus.

COMMENTARIUS.

NUlla difficultate laborat quod ſtatuit hic Auctor, ex natura negotii geſti profluunt hæ regulæ, magis ambigendum an non æquitati conveniat ut admittatur moræ purgatio ob breve tempus. Mirum videtur Zeiglero, dum omnia Grotius per totum hoc opus ad æquum & bonum reducit, & conſcientias ubique inſtruit, cur ita rigidus hic ſit, ut ne breve quidem tempus in re tanti momenti admittere velit, cum tamen & juris civilis interpretes, qui in foro externo ſatis rigoroſi ſunt, modicum & quidem ex arbitrio judicis determinandum tempus admittant. Verum hujus rigoris æquitatem in ea ratione fundatam ſtatuunt, quod etiam breve tempus ad magnas rerum converſiones valere poteſt. Si igitur ad impleudas pacis conditiones alteri mora indulgeretur, facile foret occaſionem nanciſci a pactis reſiliendi. Accedit quod alter exercitum, qui utique magno ſumptu ſuſtentatur, non prius tuto poſſit dimittere, quam conditiones pacis fuerint impletæ. Pufend. *lib.* 8. *cap.* 8.

XXVI. In dubio autem ſenſu magis eſt ut contra eum fiat interpretatio qui conditiones elocutus eſt, quod eſſe ſolet potentioris: (eſt ejus qui dat non qui petit conditiones pacis dare, ait Annibal) ſicut & contra venditorem fit interpretatio. Habet enim quod ſibi imputet qui non apertius locutus eſt: alter autem quod plures ſenſus recipiebat, id ſuo jure accipere potuit in partem ſibi utiliorem, unde alienum non eſt quod Ariſtoteles dixit: διὰ τὸ χρήσιμον τῆς φιλίας οὔσης ἡ τοῦ παθόντος ὠφέλεια μέτρον ἐστὶν, *Ubi utilitatis cauſa amicitia eſt, ibi ejus qui accipit utilitas ejus quod debetur menſura eſt.* *L. Veteribus D. de pactis.*

COMMENTARIUS.

IN dubiis fit interpretatio contra conditiones ferentem, arg. *l.* 39. *ff. de pact.* Ferre autem conditiones pacis, ejus eſt, qui plus armis valet, & belli exitu plus poteſt. Imputet ſibi quod non per clariora verba ſibi proſpexerit.

XXVII. Quotidiani uſus & illa diſputatio eſt, quando pax rupta cenſeatur: quod Græci vocant παρασπόνδημα. Non enim idem eſt novam bello cauſam præbere & pacem rumpere: ſed multum inter hæc intereſt, tum ad committendam pœnam a peccante, tum ad liberandam in cæteris fidem ejus in quem peccatum eſt. Rumpitur pax tribus modis, aut faciendo contra id quod omni paci ineſt, aut contra id quod in pace dictum eſt aperte, aut contra id quod ex pacis cujuſque natura debet intelligi.

XXVIII. Contra id quod omni paci ineſt fiet, ſi vis bellica inferatur, nimirum ubi nulla nova ſubeſt cauſa: quæ ſi probabiliter adferri poteſt, ſatius eſt injuſtitiam ſine perfidia quam cum perfidia admiſſam credi. Illud Thucydidis vix opus habet moneri: λύουσι τὰς σπονδὰς οὐχ οἱ ἀμυνόμενοι, ἀλλ' οἱ πρότεροι ἐπιόντες, *Pacem rumpunt non qui vim vi arcent, ſed qui priores vim inferunt.* Hoc poſito, a quibus & quibus illata vis armata pacem ſolvat videndum eſt.

XXIX. Qui ſocii fuerunt ſiquid tale faciant, pacem rumpi video eſſe qui ſentiant. Nec nego ita conveniri poſſe, non proprie ut ex alieno facto alius fiat pœnæ obnoxius, ſed ut pax non videatur plene inita, ſed ſub conditione, partim poteſtativa partim caſuali. Verum hoc modo facta pax, ni manifeſte appareat, credi non debet: eſt enim enorme, & communi pacem facientium voto non convenit. Ergo qui vim intulerunt, aliis non adjuvantibus, pacis ruptæ tenebuntur, & in eos bellandi jus erit, non in alios: contra quam Thebani aliquando contra Lacedæmoniorum ſocios dixerunt. *Pauſ.* IX.

COMMENTARIUS.

DIſquirit hic Auctor noſter, quando pax rupta cenſeri debeat: longe enim differt ex nova cauſa ſuſcipere bellum, & pacem factam rumpere. Rumpitur autem tribus modis. Ex quibus perſpicimus Auctorem hic ſermonem habere de pacis ruptura, quæ ex juſta cauſa procedit, quoties ſcilicet ex altera parte pax violatur per injuſtam contraventionem; quando non præſtatur quod præſtari debuit, vel fit quod fieri non debuiſſet juxta pacis conditiones. Poteſt

enim quandoque pax rupta dici etiam juſtam ob cauſam. Verum diſputat Auctor de pacis ruptura ex injuſta cauſa facta. Notandum vero, quod non dicitur pacem rumpere, qui offendit vel invadit adverſarium non ex veteri cauſa propter quam pax ſuit facta, ſed ex nova. Pax dicitur rumpi, ſi ex veteri cauſa ſequatur offenſio; ſecus ſi ex nova cauſa fiat offenſio, quo caſu pax non dicitur rumpi ſecundum communem opinionem D. D. uti inquit Gail. *de pac. publ. cap.* 4. *n.* 45. Quia omnes conventiones intelligantur ſub clauſula: *Niſi cauſa ſubveniat, niſi culpa acceſſerit ejus, cui promiſſio iſta fit: & pactio fœderis rebus ſic ſtantibus.* Igitur de novo offendenti & ſic ſrangenti fidem pacis, juſte etiam pax non ſervabitur. Fruſtra enim quis fidem ſibi ſervari poſtulat, qui fidem ſervare recuſat. Sed notandum quod alii D. D. hanc concluſionem etiam ad veterem cauſam extendant, eo ſcilicet caſu, quando illa in pace non fuit comprehenſa. Ita enim Farinac. *de var. ac div. crim. q.* 107. *part.* 32. *n.* 410. *ut cautio de non offendendo non cenſeatur rupta non ſolum ex offenſione ſecuta ex nova cauſa, ſed etiam ex offenſione illata non ex ea cauſa, ob quam fuit praſtita cautio, ſed ob aliam antiquiorem.* Sermonem habet de cautione de non offendendo, quæ paci inſimulari ſolet. Verum cum pacis inſtrumento inſeri ſolet clauſula illa, quæ univerſalem amneſtiam continet, in noſtro caſu hæc extenſio locum ſibi vindicare nequit. *Pace conſtituta non decuit veteres offenſas ulciſci*, ait Iſocrates. Rumpitur autem pax tribus modis: quorum primus eſt, quando aliquid fit contra id quod omni paci ineſt, quoties vis bellica infertur citra novam cauſam, quod varie conſiderari poteſt, ratione inferentium, ſi ſocii ſuere, qui arma movent, pacem rumpi nonnulli ſentiunt. Si cautum fœdere communi pluribus eſſet, uno pacem ſrangente, fracta pro omnibus cenſebitur, & ab omnibus in ſolidum, etſi pœna non deberetur in ſolidum, at virilibus. Sic Thebani contendebant, pace a Lacædemoniis violata, ejuſdem affines omnes eſſe in culpa, quibus communi fuiſſet ſœdere cautum. Nam ſocii ſunt corpus unum. Alber. Gentil. *de jur. bell. lib.* 3. *cap.* 24. Auctor vero noſter putat conveniri quidem ita poſſe, non quidem proprie, ut ex delicto ſocii ſocius teneatur, & pœnæ fiat obnoxius, ſed ut pax non videatur plene inita, ſed ſub conditione partim poteſtativa partim caſuali. *Verum male ſibi proſpicit*, inquit Zeiglerus, *qui ejuſmodi pacem init; quippe quod tota ea reſolvatur in fidem tertii. Poteſtativa enim*, inquit, *quam Grotius hic ſubſternit, conditio id tantum continet, velle contrahentem facere vel curare, ne ſocius arma capiat. Quod ſi hac in re omnem diligentiam adhibuerit, magis eſt ut liberetur promiſſor, quam ut bello redintegrato ad arma compellatur.* Cum Auctore noſtro ſtatuendum puto, nulla facta ejuſmodi conventione, offendi eos non poſſe, qui vim nullam intulerunt, nec adjuvarunt vim inferentes: nemini enim debet alienum delictum vel injuria nocere, aut jus ex pacificatione quæſitum propterea eripi, quamobrem pace rupta facultatem offendendi ex altera parte utpote odioſam ſtricte interpretandam recte ſtatuit Textor, ita ut non extendatur ad conſortes rumpentis *Synopſ. Jur. Gent. cap.* 23. Cui accedit, quod quiſque præſumitur velle, ut ſuæ ſecuritatis atque tranquillitatis conſervatio non ex alieno ſed proprio arbitrio penderet; ex alieno vero penderet arbitrio ejuſdem perturbatio, ſi alienum delictum vel injuria noceret alteri, aut jus ex pacificatione quæſitum poſſet eripi. Poſſet hic applicari illa juris regula, quod unumquodque debeat eodem modo diſſolvi, quo colligatum. Quamobrem quemadmodum arbitrio cujuſque, & conſenſu ac facto & voluntate pax inita, ita quoque diſſolvitur & rumpitur eodem conſenſu & facto, atque hanc facultatem ſibi integram ſervare voluiſſe quiſque præſumitur. Hæc fuit mens & intentio paciſcentium, & communi quoque pacem facientium voto illud convenit.

XXX. Si quid ſubditi per vim armatam faciunt ſine juſſu publico, videndum erit an privatorum factum publice probatum dici poſſit: ad quod tria requiri, ſcientiam, puniendi potentiam, & neglectum, *Lib.* II. *c.* XXI. ¶. 2. & *ſeq.* ex his quæ ſupra tractavimus facile poteſt intelligi. Scientiam evincunt facta manifeſta aut denuntiata. Potentia præſumitur niſi defectio appareat. Neglectum oſtendit elapſum temporis ſpatium quale in quaque civitate ad crimina punienda ſumi ſolet: Et talis neglectus decreto idem valet, nec aliter accipiendum quod ait apud Joſephum Agrippa, regem Parthum arbitraturum pacem rumpi, ſi ſubditi ſui contra Romanos armati procedunt.

XXXI. Quæri ſæpe ſolet an & hoc locum habeat, ſi cujus ſubditi non per ſe arma moveant, ſed aliis bellum gerentibus militent. *L.* VII. Certe Cerites apud Livium ſe purgant, ſuos non publico conſilio militaſſe,

litaſſe. Eademque Rhodienſium fuit defenſio. Et verius eſt, ut id quoque permittendum non ſit, niſi probabilibus argumentis appareat actum aliud, ut nunc interdum fieri ſolet, exemplo veteri Ætolorum, quibus pro jure erat ἄγειν λάφυρον ἀπὸ λαφύρου, *ex omni præda prædam ſumere*; cujus moris hanc vim eſſe ait Polybius: κἂν ἕτεροί τινες πολεμῶσι πρὸς ἀλλήλους, ὄντες Αἰτωλῶν φίλοι καὶ σύμμαχοι, μηδὲν ἧττον ἐξεῖναι τοῖς Αἰτωλοῖς ἄνευ κοινοῦ δόγματος καὶ παρ' ἀμφοτέροις πολεμοῦσι τὴν χώραν ἄγειν τῶν ἀμφοτέρων. *Etiamſi non ipſi ſed alii bellum gerant amici ipſorum aut ſocii, ut eo non minus Ætolis liceat citra publicum decretum utrique parti militare, & utrinque prædas agere.* Livius de iiſdem: *Juventutem adverſus ſuos ſocios publica tantum auctoritate demta militare ſinunt, & contrariæ ſæpe acies in utraque parte Ætolica auxilia habent.* Olim Ethruſci negato Vejentibus auxilio, ſi qui ſuæ juventutis voluntarii ad id bellum irent, non impediebant.

Gell. VII. c. 3. *Polyb. libro XVII.* *Liv. lib. V.*

COMMENTARIUS.

SUpra *cap.* 21. §. 2. annotavimus civitatem vel univerſitatem non teneri ex facto ſingulorum ſine facto ſuo aut remiſſione, quamobrem in formula fœderum: SI DEFEXIT PUBLICO CONSILIO. Quam privatus fecit injuriam ea non poteſt civitati aut univerſitati imputari, niſi factum approbaverit, atque ita particeps delicti fuerit, quod tribus contingit modis, ab Auctore allegatis. Quod paucorum audacia committitur, a publico conſilio ſejungendum. Unde a Rhodiis Romani, cauſam belli arripientes, admonentur, *ne unius amentiam civitati aſſignarent, ſuo quemque periculo furere.* Accedentibus vero tribus requiſitis non abſque ratione pax rupta cenſetur, ſive ſubditi per ſe arma ſumant, ſive aliis militando operam ſuam præbeant, ni actum ſit aliud, uti nunc interdum ſolet fieri. *Hac infamia*, inquit Henninges, *præcipue Germani noſtri laborant, fere enim inter Chriſtianos nullum bellum eſt, in quo non ab utraque parte Germanos videas. Imo, quod adhuc pejus eſt, etiam contra propriam patriam externis hoſtibus militare ſolent, idque ad libertatem Germanicam atque ſua privilegia referunt.*

XXXII. 1. Rurſum pax rupta cenſeri debet, non modo ſi toti corpori civitatis ſed & ſi ſubditis vis armata inferatur, nimirum ſine nova cauſa. Nam ut omnes ſubditi tuti ſint pax initur: eſt enim pax actus civitatis pro toto & pro partibus. Imo & ſi cauſa nova ſubſit, per pacem licebit ſe ſuaque defendere. Naturale enim hoc, ut ait Caſſius, arma armis repellere: ideo abdicatum inter pares non eſt ut facile credatur. Ulciſci autem aut ablata recuperare per vim non licebit niſi poſtquam judicium erit negatum: Hæc enim res moram fert: illa non fert.

L. vim vi. D. de vi & vi arm.

2. At ſi quorum ſubditorum ita perpetuum ſit maleficium ac juri naturæ contrarium, ut quod faciunt id credendi ſint omnino facere rectoribus ſuis improbantibus, & in eos judicium poſtulari non poſſit, quales ſunt qui piraticam exercent, ab his & res recuperare & ultionem expoſcere licebit tanquam a deditis. At alios innocentes eo nomine armis impetere id vero eſt contra pacem.

COMMENTARIUS.

EſT enim civitas corpus unum, quod ex diverſis membris conſtat, cui cum partibus ſuis quam arctiſſimum intercedit conjunctionis & unitatis vinculum, ut, qui offendit partem, etiam corpus offendat. In illa partium, id eſt, civium ſocietate & coalitione conſiſtit civitatis fa-

fabrica: civium enim multitudo in unum corpus coalita civitatem componit. Quamobrem, diſtractis partibus, concidit civitas & ad interitum properat. Magnopere itaque intereſt totius corporis civitatis, ut partes illæſæ conſerventur, cum a partium conſervatione pendeat conſervatio totius corporis; quamobrem non abſque ratione injuria parti illata, corpori illata videtur, cui incumbit partem tueri. Præterquam quod eo animo in ſocietatem coaluerunt mortales, ut tuti eſſent, & junctis viribus, a ſe quiſque poſſet arcere illa pericula, quibus depellendis ſinguli in ſtatu naturali ſegreges vitam agentes impares erant, ut alibi demonſtravimus. Eadem ratione nititur, quod pax rupta cenſeri debeat, non modo ſi toti corpori civitatis, ſed ſi ſubditis vis armata inferatur. Nam cum civitas non conſiſtat in muris, vel ædificiis, verum civium ſociata multitudine, pax non initur, ut illæ res inanimatæ, ſed cives ac ſubditi tuti ſint, qui ſunt partes & membra, ex quibus compoſita civitas. Quamobrem actus civitatis relationem habent ad partes & ſingula membra, & proinde initur non pro toto duntaxat, ſed etiam pro partibus. Si enim pro ſingulis ſubditis inita; ergo etiam rupta cenſeri debet, non modo ſi toti corpori civitatis, ſed & ſi ſubditis vis inferatur armata ſine nova cauſa. Imo etſi nova ſubſit cauſa, licebit tamen, ratione dictante, ſui defenſionem ſuſcipere. Ad ultionem vero non prorumpendum recte monet Auctor, niſi poſtquam judicium denegatum: ubi enim non licet per diſceptationem ſuum conſequi, vi illud recuperare non vetat naturæ jus. Sin autem tales ſubditi ſint, in quos judicium poſtulari nequit, quorum in numero piratæ, rupta non cenſetur pax, per vim illis illatam: præſumuntur enim rectores ejuſmodi enorme maleficium, quod ſocietati humanæ & publicæ ſecuritati maxime nocet, non improbare duntaxat, ſed ejuſdem auctores in numero civium non amplius habere, & proinde nec eorundem defenſionem ſuſcepturi, ſed cuique in eos tanquam in communes hoſtes belli jure utendi facultatem concedere. Quamobrem non opus mihi videtur, ut animi ſui diſſenſum vel verbis vel factis, & imprimis literis avocatoriis aut per publica proclamata conteſtentur, uti ſtatuit doctiſſimus Zeiglerus.

XXXIII. 1. Sociis quoque vis armorum illata pacem rumpit, ſed his demum qui in pace comprehenſi ſunt, ut oſtendimus cum Saguntinam controverſiam examinavimus. Urgent hoc Corinthii in oratione quæ eſt apud Xenophontem hiſtoriæ Græcæ ſexto: πᾶσιν ὑμῖν πάντες ἡμεῖς ὠμόσαμεν, *omnes nos vobis omnibus juravimus.* Quod ſi ipſi ſocii non pepigerint ſed alii pro ipſis, idem tamen ſtatuendum erit, poſtquam ſatis conſtat eos ſocios pacem ratam habuiſſe. Nam quamdiu adhuc incertum eſt an ratam habere velint, hoſtium loco ſunt.

Lib. II. *c.* XVI. §. 13.

2. Aliorum ſociorum ut & cognatorum & affinium, qui nec ſubditi ſunt nec in pace nominati, ſeparata cauſa eſt, nec ad pacem ruptam vis in eos trahi poteſt: neque tamen ſequitur, ut & ſupra diximus, bellum eo nomine ſuſcipi non poſſe, ſed id bellum erit ex nova cauſa.

Cep. Conſ. 690. *Dec. conſ.* 531.

COMMENTARIUS.

SI ſociis bellum infertur rumpitur pax, quod ad eos duntaxat reſtringit Auctor, qui pace comprehenſi ſunt; nos vero ampliorem ſignificationem ſtrictiori præferendam exiſtimavimus *lib.* 2. *cap:* 16. §. 13. Quamobrem pacem rumpi ſtatuimus, ſi non illis duntaxat ſociis bellum movetur, qui pace & fœdere comprehenſi, ſed etiam futuris, qui tacite quoque fœderi incluſi videntur, abſque illa limitatione, quam excogitarunt D. D. ſi pax paciſcenti non prodeſſet ſine adhærentibus, eo caſu paci etiam comprehendi ſocios, etiam pace non expreſſos. Cognati vero & affines, ſi ſubditi ſunt, dubio careret quin ſi illis vis illata rumpatur pax, cum Princeps vel Reſpublica lædatur in ſubditi perſona, utpote cui quam arctiſſimum cum ſubjectis ſuis intercedit unitatis vinculum, ita ut quaſi una eademque perſona Princeps & civitas vel potius cives, qui civitatem componunt, uti paulo ante diſputavimus; idem dicendum, ſi in pace nominati. Non attenditur in ejuſmodi naturæ negotiis, de quibus nobis ſermo, adeo naturale ſanguinis vel affinitatis vinculum, quam illud quod ex fœdere & pace aut conventione provenit, niſi in eodem gradu ſibi devincti, ut pro una eademque perſona uterque haberi poſſint, uti pater & filius, uxor & maritus, ſi alterutri injuria facta vel vis illata, uterque læduntur, quamobrem & ſuo nomine damni dati vel injuriæ reparationem jure petere poteſt: nec enim dubium eſt, ex injuria uxori illata, proprio nomine actionem viro competere, inquit

Al-

Alciatus *Comment. in Cod. de in jus voc. lib.* I. quia vere ſibi injuria facta, quod & Bartolum & Baldum ſentire affirmat.

XXXIV. Rumpitur & pax, ut diximus, faciendo contra id quod in pace dictum eſt: ſub faciendo autem comprehenditur & non facere quod & cum oportet.

XXXV. Neque admittam hic diſcrimen capitum pacis quæ majoris quæque minoris momenti ſint. Satis enim magna ut ſerventur videri debent quæ pace comprehenſa ſunt. Bonitas tamen, maxime Chriſtiana, leviores culpas, accedente præſertim pœnitentia, facilius condonabit, ut illud locum habeat,

Quem pœnitet peccaſſe, pæne eſt innocens.

Sed quo magis paci caveatur, conſultum erit ut capitibus minoris *Sen. Ag.*
momenti adjiciatur, ut ſiquid adverſus ea factum erit, pacem non *Vide ſupra lib.*
rumpat: aut ut arbitri prius adeantur quam arma inferre liceat, quod II. *c.* XV.
erat in fœdere Peloponneſiaco, memorante Thucydide. ¶. 15. *Lib.* VII.

XXXVI. Et plane ſentio id actum videri, ſiqua ſpecialis pœna adjecta ſit: non quod neſciam poſſe ita contrahi, ut electio ſit ejus cui facta eſt injuria, pœnam malit an a tranſactione recedere, ſed quod negotii natura hoc quod dixi potius requirat. Illud quidem conſtat, *Lib.* III.
& jam ſupra dictum a nobis eſt, & hiſtoriæ auctoritate probatum, *c.* XIX.
pacem non rumpere qui pactis ſimpliciter factis poſterior non ſtat: §. 14.
neque enim tenebatur niſi ſub conditione.

COMMENTARIUS.

SUb faciendo comprehenditur & non facere quod faciendum vel præſtandum paciſcentibus incumbit, quatenus utroque modo pax rumpitur; quippe hæc duo ſibi e diametro obſtare videntur: facere enim contra pacta videri nequit, qui nihil agit, nullam actionem producit, ſupra annotavimus factum nobis repræſentari ſub idea motus externi actionis ab homine proficiſcentis, vel relationem habentis ad objectum cui inſervit: agere enim oportet, qui facere aliquid dicitur: omne enim factum actionem præſupponit, per determinationem externam voluntatis ad objectum, quæ fit per actionem; omnis autem actio factum ac omne factum actionem includit. Verum notandum hominem non tam agere dicendum quando per motum phyſicum ſive potentiam naturalem aliquid operatur vel facit, quam per determinationem voluntatis extrinſecam vel intrinſecam, quæ fit ab intellectu ſive mentis diſcurſu, liberam facultatem habente aliquid agere vel non, quod vel alter agere vel non agere oportebat. Actio itaque potiſſimum conſiſtit in interiore mentis actuſve determinatione voluntatis ab intellectu profecta, quæ fit vel per motum phyſicum externum, quem factum, operationem vel actionem vocare ſolemus, vel ejuſmodi motus ſive actus privationem, quam non factum vocamus, quatenus determinatio ſive mentis illa operatio, quæ intus fit, in foro humano non conſpicitur, eadem tamen mentis actio, quamobrem non minus omittendo peccamus, ac etiam in foro civili pœnæ obnoxii ſumus, ſcilicet quatenus ille, qui omittit facere, quod eum facere oportebat, in cauſa fuit, cur ejuſmodi actionem non produxerit; velle autem & nolle ſunt intellectus operationes, & proinde actus, quamobrem qui nihil facit nullam producendo actionem, agit tamen, quatenus non agit, quod facere noluit; voluntati inſerviendo operatur intellectus, quamobrem hoc ſenſu ſub factis moraliter non facta etiam venire dici poſſe arbitror, vid. quæ annotavimus *lib.* 2. *cap.* 4. §. 5. Facere itaque contra pacta videtur, qui non facit quod facere oportet, unde merito pacis ruptæ auctor habendus; nullum vero diſcrimen capitum pacis admittendum: omnia enim capita ejuſdem naturæ ſunt, id juris vinculum, quod ex inſtrumento pacis profluit, ſingula capita ſpectat, & eodem modo devincit ad eorundem præſtationem & obſervantiam paciſcentes, quia omnia ejuſdem naturæ: juncta enim cenſentur omnia capita contractus, alterumque alterius reſpectu conventum. Cui accedit, quod individua ejuſmodi conventio & contractus, quamobrem non debet pro parte impleri pro

parte

parte deſeri. Cephal. *conſ.* 461. Verum cum caritas & pietas Chriſtiana non duntaxat, ſed etiam naturalis ratio, qua ad colendam ſocietatem & tuendam cognationem, quam natura ipſa inter homines conſtituit, devincti ſumus, exigat atque dictet, ut pacem, quantum poſſumus, tueamur, atque humano ſanguini parcamus, ejuſmodi dictamen videtur vetare, vel ſaltem commendare, ne temere bellum ſuſcipiamus, & proinde nec levem ob cauſam ſocietatem diſtrahamus & humanum ſanguinem profundamus, ſed condonemus potius & ignoſcamus inimicis, ſi qua forte levi injuria nos affecerint, accedente præſertim pœnitentia. Verum recte monet Auctor, quo pax magis firma ſit, conſultum eſſe, ut ad majorem cautelam capitibus majoris momenti adjiciatur, ut ſi quid forte factum erit, quod capitibus iſtis repugnare videtur, pax eo non rupta cenſeatur. Dictat quidem bonitas Chriſtiana, quid ex æquo & bono facere oportet, verum ſolet ſæpius æquitati jus ſtrictum præferri. Atque id actum videtur, ſi qua ſpecialis pœna adjecta ſit pacificationi adverſus rumpentes, ſcilicet ut ea potius exigatur, quam a tranſactione recedatur. Qui poſterior pactis ſimpliciter factis non ſtat, pacem non rumpit: neque enim tenebatur niſi ſub conditione. Nam ut alibi inquit Auctor, unius ejuſdemque contractus capita ſingula alia aliis ineſſe videntur per modum conditionis, quaſi expreſſum eſſet; hæc ita faciam, ſi alter faciat, quæ promiſit.

XXXVII. Quod ſi neceſſitas aliqua in cauſa ſit quo minus pars una impleat id quod promiſſum eſt, puta ſi res perierit, aut ablata ſit, aut factum redditum ſit aliquo eventu impoſſibile, pax quidem rupta non cenſebitur: nam, ut diximus, non ſolet illa pendere a conditione caſuali. Sed alter optabit an expectare malit, ſi qua ſpes ſit impleri promiſſum ſerius poſſe, an æſtimationem accipere, an mutuis præſtationibus iſti capiti reſpondentibus aut æquum valentibus liberari.

Vide ſupra hoc libro c. XIX. §. 13. 14. XXXVIII. Certe etiam poſt læſam fidem integrum eſt innocenti pacem ſervare, ſicut Scipio fecit poſt multa Carthaginienſium perfida facta, quia contra obligationem faciendo nemo ſe obligationi eximit: &, ſi additum eſt ut tali facto pax rupta habeatur, adjectum id cenſeri debet in commodum innocentis duntaxat, ſi eo uti velit.

COMMENTARIUS.

PLane æquitati & juſtitiæ repugnaret, ſi pacem rupiſſe diceretur, cui imputari nequit, cur pactis non ſteterit: culpa enim vacuus, qui implendi ea, quæ promiſit, facultatem non habuit. Quamobrem ſi quid fortuito caſu admiſſum, id pacem non rumpit: non ſolet enim illa pendere a conditione caſuali ſed poteſtativa. *Certe excuſabit fœderatum neceſſitas & vis major ut non fœdifragus judicetur, etiam & alterum fœderatum admonebit, ne ſummum ſequi jus velit. Eidem huic tamen non objicietur deſertum fœdus abeunti a fœdere ob conditiones fœderis quomodocunque non obſervatas*, uti inquit Alberic Gentilis *de Jur. Bell. lib.* 3. *cap.* 24. Verum etſi alter paciſcentium fidem non ſervarit, integrum tamen innocenti pacis conditiones ex ſua parte implere & ſtare pactis; generoſi animi eſt ſtare fœderibus etiam poſt injuriæ aliquid acceptum, uti inquit Auctor *cap. præced.*

XXXIX. Poſtremo diximus, pacem ſolvi faciendo id quod ſpecialis pacis natura repudiat.

XL. 1. Si quæ contra amicitiam ſunt, rumpunt pacem, quæ ſub amicitiæ lege contracta eſt: quod enim inter cæteros ſolius amicitiæ officium exigeret, hic etiam pacti jure præſtandum eſt. Et huc, non vero ad quamvis omnino pacem (eſt enim & fœdus, non amicitiæ cauſa, ut nos Pomponius docet) refero multa quæ de injuriis non armatis & contumelia a legum peritis diſſertari ſolent, & præcipue illud

L. Poſtliminii. D. de capt.

illud Tullii: *Poſt reditum in gratiam ſiquid eſt commiſſum, id non neglectum ſed violatum putatur, nec imprudentiæ ſed perfidiæ aſſignatur.* Sed hic quoque detrahenda quantum fieri poteſt facto invidia. *Pro Gabin.*

2. Itaque perſonæ quamvis conjunctæ aut ſubditæ facta injuria, ipſi quicum pax inita eſt facta non cenſebitur, niſi aperte ad ipſius ſuggillationem facta ſit, quam naturalem æquitatem in ſervis atrociter læſis ſequuntur leges Romanæ: & adulterium aut ſtuprum libidini potius quam inimicitiæ imputabitur: & invaſio rei alienæ novæ potius cupiditatis reum faciet quam fidei læſæ. *L. item ſi cui, D. de injur. Inſtit. ¶. ſervit. eod. tit.*

3. Atroces ſane minæ nulla nova cauſa præcedente cum amicitia pugnant: & huc referam arces in finibus ſtructas non tuendi ſed nocendi cauſa, & inſolitam copiarum conſcriptionem, ſi juſtis ſatis indiciis appareat in non alium hæc quam in eum quicum pax facta eſt, comparari. *Alex. 11. Conſ. n. 3.*

COMMENTARIUS.

PAx non duntaxat rumpitur faciendo id quod adverſatur capitibus paci inſertis, quæ neceſſitatem paciſcentibus imponunt, reciprocam obligationem, quæ ex conventione ſive pace deſcendit, adimplendi, ita ut paciſcentibus in ſe invicem jus quæſitum, quo facultatem nacti a ſe invicem ejuſmodi adimpletionem exigendi, qua non præſtita, facultatem eodem jure habeant recuſantem præſtare, quæ juxta pacis & conventionis capita præſtare tenetur, vi & armis ad pacis obſervationem adigere, & jus ſibi dicere, unicum juris perſequendi inter ſummos imperantes remedium, cujuſmodi juris ſui perſequendi ratio ſtatum belli inducit. Altero etiam modo rumpitur, faciendo contra id, quod ex pacis cujuſque natura debet intelligi, ſcilicet ſpecialis pacis natura. Eſt quidem ea pacis natura, ut paciſcentes poſt reditum in gratiam deponant omne odium & inimicitiam, amicitiæ vero & humanitatis officia ſibi invicem præſtent, quatenus humana ſocietas & naturalis inter homines cognatio, quæ jure quaſi poſtliminii inter paciſcentes reviviſcere incipit, ejuſmodi cum ſocio vivendi modum dictat; verum ejuſmodi officia exigi nequeunt, quaſi perfecto jure debita, ita ut, ſi forte alterurer amicitiæ legem violaverit non præſtando id, quod amicitiæ officium exigit, juſtam arma capiendi cauſam non habeat, quaſi jus ſibi quæſitum abſtuliſſet vel læſiſſet alter. Quod enim ab alterius humanitate pendet, & pudori relictum, nullam producit actionem in foro humano, & proinde nec juſtam belli cauſam præbet. Aliud dicendum, ſi ſub lege amicitiæ pax contracta ſit; quippe ejuſmodi conventio paciſcentibus tribuit facultatem pacti jure exigendi ut tanquam boni & fideles amici inter ſe vivant, amicitiæ officia præſtent, cujuſmodi officiorum præſtatio omitti nequit abſque læſione juris, quod alter in eum, quicum amicitiam contraxit ſibi acquiſivit, cui omnes, quæ a ſe proficiſcuntur atque relationem habent cum ſocio ac amico fœdere vel pacti jure ſibi devincto, actiones reſpondere oportet. E diametro autem huic repugnat omnis injuria, vis, perfidia, dolus, fraus ac fallacia, & aliæ id genus pravæ machinationes. Quidquid enim officium lædit, vel offendere poſſit, damnoque officere ſocium, amicitiæ repugnare videtur, & proinde eo abſtinendum. Verum optime monet Auctor, ut quantum fieri poteſt, facto diſtrahatur invidia, id eſt, ſi quid commiſſum, quod amicitiæ legi contrarium, non tam factum cenſeatur animo alterum lædendi & injuria afficiendi, quam quidem inconſulto & negligenter; amicitia multa tegit vitia, & in mitiorem ſemper partem inclinat. Quamobrem, ſi qua facta injuria perſonæ quamvis conjunctæ aut ſubditæ, facta non cenſebitur ipſi, quicum amicitiæ cauſa pax contracta eſt. Quippe paulo ante notavimus, regulariter injuriam ſubditis factam Principem vindicare poſſe, quia pax eſt actus civitatis pro toto tum etiam pro partibus. Excipitur vero noſtro caſu, ſi ad ipſius ſuggillationem fecerit injuriam arg. *l.* 15. §. 135. *ff. de injur. & famoſ.* Nec favorabili duntaxat, ſed etiam veroſimili interpretationi conſentaneum eſt, ut adulterium aut ſtuprum non tam ex odio & inimicitia, quam libidine & impuro amore, (cui modum imponere quandoque admodum difficile eſt: prona enim ad quævis vitia natura noſtra ſæpius nos trahit cæco quaſi impetu ad impiiſſima patranda facinora,) profectum cenſeatur. Aliud dicendum, ſi ſe vindicandi & Injuriam afficiendi animo crimen admiſiſſe ex indiciis perſpici poteſt, & invaſio rei alienæ ſcelerato habendi amori potius quam perfidiæ imputabitur, cauſa faciendi, non factum inſpicitur: ſolet enim furti crimen plerumque lucrandi, non ſe vindicandi cauſa admitti.

XLI. 1. Subditos ſingulos qui ex altera ditione in alteram migrare volunt ſuſcipere non eſt contra amicitiam. Neque enim naturalis tantum ſed & favorabilis eſt iſta libertas, ut alibi diximus. [L. II. c. V. §. 24.] Eodem loco pono perfugium exſulibus datum. [L. XLII.] Nam in exſules, ut ex Euripide diximus alibi, nullum jus civitati. Perſeus apud Livium recte, *Quid attinet cuiquam exſilium patere ſi nuſquam exuli futurus eſt locus?* Ariſtides Leuctrica ſecunda: δέξασθαι τοὺς ἐκπεσόντας, vocat κοινὸν ἅπασιν ἀνθρώποις; *commune jus hominum exſules recipere.*

2. Plane oppida aut magnos cœtus, qui civitatis partem integrantem faciant, recipere non licet, ut alibi diximus: neque magis eos qui ex ſacramento aut aliter miniſterium aut ſervitutem debent. De his autem qui belli ſorte ſervi ſunt idem introductum gentium jure [L. II. c. XXI. §. 3. & ſeq.] apud quoſdam populos ſupra memoravimus. Sed & de his qui exſules non acti pœnam juſtam effugiunt dedendis egimus alibi.

C O M M E N T A R I U S.

QUæ hoc §. diſputat Auctor alibi tractavimus *lib.* 2. *cap.* 5. §. 24. ubi late hanc quæſtionem diſcuſſimus, atque ſtatuimus, cuique competere naturalem libertatem lares ſuos ac penates eo transferendi, ubi ſe tueri poſſe quis judicat, niſi obſtet pactum vel conventio, qua renunciarunt cives huic libertati, atque abſque conſenſu vel permiſſu Principis ſive ejus vel eorum, qui ſummæ rerum præſunt, alio ſe non migraturos promiſerunt. Quamobrem perperam nonnulli mihi opinari videntur, quamvis ejuſmodi pactum vel conventio non exiſtat, attamen jus diſcedendi ſingulis non competere, quaſi qui ſemel in civium numero adſcitus tam arcto obligationis vinculo ſocietati & proinde ſummo imperanti devinctus eſſet, ut ſui non juris maneat, & proinde non ſui ſit liberi arbitrii civitatem mutare, & imperium, cui ſeſe ſubmittere voluit, abjicere. Cui inſuper accedit, quod tacito quaſi pacto cives ſibi mutuo obligati videantur, ut junctis viribus & mutuo commercio ſocietatem univerſam, a cujus conſervatione ſingulorum quoque ſalus pendet, tuerentur; at vero ſi ſingulis competeret libertas emigrandi pro lubitu, brevi Reſpublica vel civitas deſtituta civibus ſuis ad interitum vergeret, & alienis præda fiet magno cum cæterorum damno, qui ad ultimum uſque halitum patriam tueri & ſummum, cui ſe ſemel ſubjecerunt, imperium animum induxerunt. Verum inſpiciendum hic intentio & cauſa, cur mortales naturalis libertatis, quæ cuique tribuit faciendi, quæcunque velit, jacturam facientes, in ſocietatem coaluerunt, atque ſummæ poteſtati ſeſe ſubjecerunt, juxta intentionis aciem definienda tum imperii, quod Principi competit in ſubjectorum vel bona, vel actus, tum etiam obligationis, qua civis ſibi æqualibus ſociis ejuſdem civitatis membris latitudo & vis: imperium enim non latius patet vel ſeſe extendit quam intentio & voluntas eorum, qui in ſocietatem civilem coaleſcentes, illud a ſe tranſtulerunt in eum, quem civitati tuendæ præfecerunt, ut ſæpius annotavimus; atqui finis ſive intentionis acies fuit ſui conſervatio atque tutela ſive defenſio, dicendum ſibi libertatem ac facultatem hanc reſervaſſe, ſi non expreſſe, ſaltem tacite, quia ejuſmodi reſervatio juris ac libertatis fluit ex ſtudio & amore cuique innato, quo fertur, imo rapitur quam vehementer ad ſeſe conſervandum, ut quoties ſibi in ea ſocietate, cujus jam membrum, conſulere nequiret, diſcedere poſſet. Verum cum ea, quæ ad hanc quæſtionem definiendam pertinent, latius diſputavimus *lib.* 2. *cap.* 5. hiſce non immorabimur.

XLII. Sortis aleæ ſubjici belli exitus licite non ſemper poteſt, ſed tum demum quoties de re agitur in quam plenum habemus dominium. Nam ad ſubditorum vitam, pudicitiam, & ſimilia utenda, civitas, & ad bonum civitatis tuendum rex arctius obligatur quam ut omittere poſſit eas rationes quæ ad ſui & aliorum tutelam maxime ſunt naturales. Attamen ſi vera æſtimatione qui injuſto bello impetitur tanto ſit inferior ut reſiſtendi nulla ſpes ſit, videtur ſortem offer-

re

re poſſe ut certum periculum incerto evadat. Hoc enim eſt de malis minimum.

COMMENTARIUS.

NUllam video rationem cur Princeps vel ſummus magiſtratus ſortis aleæ non poſſet licite belli exitus ſubjicere, poſito quod non agitur de re, in quam habet dominium. Habet enim Princeps ſummum imperium, quod continet eminens dominium, & proinde jus & facultatem diſponendi non de bonis ſed etiam vita ſubditorum, utilitate publica exigente; quid autem Reipublicæ ſalus & communis utilitas efflagitat, Princeps judicat atque definit, quoniam penes eum ſummum rerum arbitrium, tum etiam media ejuſmodi eligit adhibenda, quæ arbitratur idonea ad finem conſequendum, cui obtemperare boni civis eſt. Vid. *cap.* 1. §. 14. *h. l.* Quid ni ergo poſſet ſorti committere belli exitus, ut hac ratione ſanguini humano parceretur. Quin id potius arbitror, inquit Zeiglerus, in dubia cauſa & dubio belli eventu præſtare ſorti rem exponere, ut maxime res, de qua agitur, non ſit in dominio noſtro, quam tot & tanta belli diſcrimina ſubire. Quamobrem ſacrarum literarum interpretes annotarunt ad *cap.* 18. *verſ.* 18. *Proverb.* non illicitam eſſe ſortem, ſi pro componendis litibus & conciliandа pace ſuſcipiatur, non inter privatas duntaxat ſed etiam Principes & potentes.

XLIII. 1. Sequitur valde agitata quæſtio de præliis quæ definito numero condicuntur belli finiendi cauſa, puta inter ſingulos utrimque, ut Æneam & Turnum, Menelaum & Paridem; inter binos utrimque ut inter Ætolos & Eleos; inter ternos utrimque, ut inter Horatios Romanos & Curiatios Albanos; inter tricenos utrimque, ut inter Lacedæmonios & Argivos. *Pauſ. v.*

2. Si jus gentium externum tantum ſpectamus, non eſt dubitandum quin per idipſum talia certamina ſint licita: hoſtium enim cædem id jus indiſcrete permittit. Quod ſi vera eſſet veterum Græcorum, Romanorum, & aliarum gentium opinio, quemque vitæ ſuæ eſſe ſummo jure dominum, jam & interna juſtitia talibus præliis non deeſſet. Sed hanc ſententiam rectæ rationi ac Dei præceptis pugnare aliquoties jam diximus. In proximi caritatem peccare eum qui ob res quibus carere poſſumus, retinendas hominem occidit alibi oſtendimus & ratione & ſacrorum oraculorum auctoritate. *Lib. II. c. XIX. ¶. 5. & XXI §. II.*

3. Addemus nunc, & in ſe & in Deum peccare qui vitam ſibi a Deo pro magno beneficio conceſſam tam vili æſtimat. Si res bello digna agitur, ut multorum innocentium ſalus, pro ea totis viribus nitendum eſt. Condicto certamine uti, tanquam teſtimonio bonæ cauſæ aut judicii divini inſtrumento, vanum eſt & a vera pietate alienum. *Lib. III. c. I. ¶. XII. & ſeq. Th. 2, 2. q. 95. art. 8. & ibi Cajet.*

4. Una res eſt quæ tale certamen juſtum ac pium poteſt reddere ex una duntaxat parte, ſi alioqui omnino expectandum ſit ut qui injuſtam cauſam fovet victor ſit futurus, cum magna innocentium ſtrage. Nihil enim ei imputandum eſt qui mavult ea ratione certare quæ ſpem ipſi maxime probabilem oſtentat. Sed & hoc verum eſt, quædam quæ non recte fiunt, ab aliis tamen recte non probari ſed permitti, ut graviora mala quæ aliter vitari non poſſunt vitentur. Quomodo multis in locis tolerantur & improba fœnora, & impudicitiam profeſſæ mulieres. *Cajet. d. l.*

5. Quod

Lib. II. c. XXIII. ¶. 10. *Ægid. Regius* diſp. 32. dub. 2. n. 18.

Lib. III.

5. Quod ergo ſupra diximus cum de præveniendo bello ageretur, ſi duo quos inter de regno controverſia eſt parati ſint inter ſe armis cernere, pati id poſſe populum, ut major calamitas cæteroqui imminens evitetur, idem & cum de bello finiendo agitur dicendum erit. Quomodo Aſſyrium regem Cyrus provocavit; & apud Dionyſium Halicarnaſſenſem Metius ait, non iniquum fuiſſe ut ipſi principes populorum armis rem inter ſe diſceptarent, ſi de ipſorum non de populorum potentia aut dignitate controverſia fuiſſet. Sic Heraclium Imperatorem cum Coſroë filio Perſarum Regis pugnaſſe ſingulari certamine legimus.

COMMENTARIUS.

DE ſingulari ejuſmodi dimicatione egimus *h. l. cap.* 1. tum etiam *cap.* 23. §. 10. atque ibidem ſtatuimus, ſi in bello juſto Rex videat ſe adverſario imparem, nec alia ratione ſe tueri poſſe, licite bellum in duellum commutare, tum etiam milites in eodem bello poſſe ex conſenſu Principis vel ducis acceptare duellum, imo & offerre hoſtibus, iique non extra culpam duntaxat ſunt, ſed laudem potius merentur: eadem enim ratio, quæ bellum juſtum admittit, in quo pro patriæ defenſione mori glorioſiſſimum eſt, hæc quoque ſingularia certamina licita eſſe oſtendit. Nam cum hoſte congredi in bello licito & juſto non eſt tentare Deum, quod vetat lex divina; nec tollere hoſtem etiam cum propriæ vitæ diſcrimine non eſt homicidium ſed boni civis ac militis fungi officio admittere, verum ſe temere abſque cauſa morti objicere naturæ lege prohibitum. Eo uſque ſeſe non extendit dominium, quod homo habet in ſe vel membra ſua. *At vero ſi quod belli jus eſt, etiam duelli jus eſſe oportet. Nam ſi centenis millibus pugnare jus eſt* (de quo nemo ambigit,) *etiam denis millibus, & mille, & centenis, ad extremum etiam binis pugnare jus eſt*, inquit Hottoman. Hoc genus pugnæ licitum eſſe cenſet quoque Thomas, ſi fiat ad controverſiæ definitionem inter ſummos ſcilicet Principes, vel auctoritate publica eorum, qui belli gerendi jus habent, ut bellorum calamitates vitentur, & humano ſanguini parcatur. Vid. quæ annotavimus *h. l. cap.* 23.

XLIV. Cæterum qui ſic in prælii exitum conjiciunt controverſiam, ſibi quidem jus ſi quod habent adimere poſſunt, non & alteri qui non habet dare, in illis quidem regnis quæ in patrimonio non ſunt. Itaque ut valeat pactio, & populi & ſi qui jam nati jus ad ſucceſſionem habent conſenſum neceſſe eſt accedere: in feudis non liberis, etiam domini ſive ſenioris.

COMMENTARIUS.

NUllam video rationem cur hoc caſu magis requiritur conſenſus eorum, quorum intereſt, quam ad decernendum bellum: ejuſmodi enim certamina quid a bello differunt, niſi numero præliantium? Quamobrem qui habet auctoritatem belli dubio eventui committere controverſiæ definitionem, cur non haberet facultatem duello eam definire: propria auctoritate enim ſummum imperium ejuſmodi facultatem tribuit Principi, ſi tertius quid damni inde patitur, ſunt hæ belli calamitates, quas æquo perferre animo devincti ſumus. Perperam itaque ſtatuere mihi videtur Auctor noſter, quod illi, qui ſic in prælii exitum conjiciunt controverſiam, ſibi quidem jus quod habent adimere non vero alteri, ſcilicet iis in regnis, quæ in patrimonio non ſunt, niſi accedente populi vel eorum, qui jam nati jus habent ad ſucceſſionem, conſenſu. Eo enim ipſo quod populus detulit ſummum imperium, pariter quoque Principi dederunt ſummum rerum arbitrium, id eſt, facultatem ea agendi, quæ Reipublicæ & communi ſaluti ac utilitati inſervire poſſe arbitraretur. Unde belli ac pacis jus & arbitrium penes ipſum, qui autem belli & pacis habet arbitrium, qua ratione ipſi poſſet denegari bello vel duello controverſiam definiendi facultas, quamvis non habeat regnum in patrimonio & proinde alienandi atque transferendi illud in alterum facultatem, alienatio in ejuſmodi tamen caſu quaſi pars & ſequela ſummi imperii effectum ſortiretur, fit hoc per accidens, quemadmodum cæteræ belli calamitates, quamvis abſque juſta cauſa Princeps nemini res ſuas auferre vel jus

quæ-

quæſitum poſſit adimere, decernente tamen bello cives æquo ferre animo devincti juri ſuo cedere, & ſe atque bona ac facultates hoſtium furori objicere.

XLV. 1. Sæpe in talibus præliis quæri ſolet uter pro victore ſit habendus. Victi non poſſunt videri niſi qui aut omnes occubuerunt aut in fugam dati ſunt. Sic in fines ſe aut oppida recipere apud Livium *Lib.* III. victi ſigna.

2. Apud tres nobiles hiſtoricos, Herodotum, Thucydidem, Polybium, tres proponuntur de victoria controverſiæ, quarum prima ad condictum certamen pertinet. Sed ſi quis recte advertat, inveniet omnibus illis præliis ſine vera victoria diſceſſum. Nam Argivi non *Herod.* I. fugati ab Othryade ſed nocte ſuperveniente abierant, victores ſe rati & id ſuis renuntiaturi. Neque Corinthios fugaverant Corcyræi, ſed *Thuc.* I. Corinthii cum feliciter pugnaſſent Athenienſium claſſem validam conſpicati nullo cum Athenienſibus virium periculo facto ceſſim ierant. Philippus vero Macedo Attali quidem navem a ſuis deſertam ceperat, at claſſem nihil minus quam fugaverat: Itaque, ut Polybius *Lib.* XVI. notat, magis pro victore ſe gerebat quam victorem ſe ſentiebat.

3. Illa vero, ſpolia legere, cadavera ad ſepulturam concedere, *Libro* prælio iterum laceſſere, quæ & dictis locis & apud Livium aliquoties XXXIX. reperias ut ſigna poni victoriæ, per ſe nihil probant, niſi quatenus XL. cum aliis indiciis valent ad docendam hoſtium fugam. Et certe qui loco ceſſit in dubio magis eſt ut fugiſſe credatur. At ubi victoriæ firma argumenta non ſunt res manet eo loco quo ante prælium fuit: & aut ad bellum aut ad novas pactiones veniendum eſt.

COMMENTARIUS.

SAtis firmum victoriæ argumentum mihi videtur, ſi victi loco cedere & ſalutem pedibus quærere neceſſitate coacti fuerint, idque apud omnes fere populos victoriæ ſignum atque indicium habetur. Qualem deportavit victoriam apud Livium Torquatus, *Tanti*, inquit, *ea dimicatio ad univerſi belli eventum momenti fuit, ut Gallorum exercitus, relictis trepide caſtris, in Tiburtem agrum, mox in Campaniam tranſierit*, *lib.* 5. Aliud exemplum vid. apud Appianum *de bell. civil. lib.* 1. aliaque multa apud Scriptores occurrunt. Vid. Alberic. Gentil. *lib.* 3. *cap.* 15.

XLVI. 1. Arbitriorum Proculus nos docet duo eſſe genera; unum *L. ſocie-* ejuſmodi, ut ſive æquum ſive iniquum parêre debeamus, quod ob- *tatem. D.* ſervatur, ait, cum ex compromiſſo ad arbitrum itum eſt; alterum *pro ſocio.* ejuſmodi, ut ad boni viri arbitrium redigi debeat, cujus generis exemplum habemus in Celſi reſponſo: *Si libertus*, inquit, *ita juraverit* *Si liber-* *dare ſe quot operas patronus arbitratus ſit, non aliter ratum fore arbitrium pa-* *tus, D. de* *troni quam ſi æquum arbitratus ſit.* Sed hæc jurisjurandi interpretatio ut *op. lib.* Romanis legibus induci potuit, ita verborum ſimplicitati per ſe ſpectatæ non convenit. Illud tamen verum manet, utrovis modo arbitrum ſumi poſſe, aut ut conciliatorem tantum, quales Athenienſes inter Rhodios & Demetrium fuiſſe legimus; aut ut cujus dicto parendum omnino ſit. Et hoc eſt genus de quo nos hic agimus, & *Lib.* II.

 de

c. XXIII. §. VIII. de quo nonnulla ſupra diximus cum de cavendi belli rationibus loqueremur.

2. Quanquam vero etiam de talibus arbitris in quos compromiſſum eſt lex civilis ſtatuere poſſit, & alicubi ſtatuerit, ut ab iis provocare & de injuria queri liceat, id tamen inter reges ac populos locum habere non poteſt. Nulla enim hic eſt poteſtas ſuperior quæ promiſſi vinculum aut impediat aut ſolvat. Standum ergo omnino, ſive æquum ſive iniquum pronuntiaverint, ita ut Plinii illud huc recte Præf. nat. hiſt. aptes: *ſummum quiſque cauſæ ſuæ judicem facit, quemcunque eligit.* Aliud enim eſt de arbitri officio, aliud de compromittentium obligatione quærere.

XLVII. 1. In arbitri officio ſpectandum, an electus ſit in vicem judicis, an cum laxiore quadam poteſtate, quam arbitri quaſi propriam vult Seneca cum dicit: Lib. II. de benef. c. 7. *melior videtur conditio cauſæ bonæ ſi ad judicem quam ſi ad arbitrum mittitur; quia illum formula includit, & certos quos non excedat terminos ponit, hujus libera & nullis adſtricta vinculis religio & detrahere aliquid poteſt & adjicere, & ſententiam ſuam non prout lex aut juſtitia ſuadet ſed prout humanitas & miſericordia impulit regere.* Ariſtoteles quoque Rhet. I. c. 19. ἐπιεικοῦς, id eſt, æqui & commodi hominis eſſe ait, εἰς δίαιταν μᾶλλον ἢ εἰς δίκην βούλεσθαι ἰέναι, *malle ire ad arbitrum quam in jus*, rationem adjiciens, ὁ γὰρ διαιτητὴς τὸ ἐπιεικὲς ὁρᾷ. Ὁ δὲ δικαστὴς τὸν νόμον, καὶ τούτου ἕνεκα διαιτητὴς εὑρέθη ὅπως τὸ ἐπιεικὲς ἰσχύῃ: *Nam arbiter id quod æquum eſt reſpicit; judex legem: imo arbiter ejus rei cauſa repertus eſt ut valeret æquitas.*

2. Quo in loco æquitas non proprie ſignificat ut alibi partem illam juſtitiæ quæ legis ſonum generalem ex mente auctoris adductius interpretatur, (nam hæc & judici commiſſa eſt) ſed omne id quod rectius fit quam non fit, etiam extra juſtitiæ proprie dictæ regulas. Sed tales arbitri ſicut inter privatos & ejuſdem imperii cives frequentes ſunt, & ſpecialiter Chriſtianis commendantur ab Apoſtolo Paulo, 1 Cor. VI. ita in dubio non debet tanta poteſtas conceſſa intelligi: in dubiis enim quod minimum eſt ſequimur: præcipue vero id locum habet inter ſummam poteſtatem obtinentes, qui cum judicem communem non habeant, arbitrum cenſendi ſunt adſtrinxiſſe iis regulis quibus judicis officium adſtringi ſolet.

XLVIII. Illud tamen obſervandum eſt, arbitros lectos a populis aut ſummis poteſtatibus de principali negotio pronuntiare debere, non de poſſeſſione. Nam poſſeſſoria judicia juris civilis ſunt: Jure gentium poſſidendi jus dominium ſequitur. Ideo dum cauſa cognoſcitur nihil eſt innovandum, tum ne præjudicium fiat, tum quia difficilis eſt recuperatio. Livius in hiſtoria diſceptatorum inter populum Carthaginenſem & Maſiniſſam, *Legati*, inquit, *jus poſſeſſionis non mutarunt.*

COM-

COMMENTARIUS.

Finitur quandoque bellum per arbitrium. Quemadmodum autem duo arbitrorum genera, docente Proculo, ad dirimendas controverſias, quæ inter privatos ortæ, ita quoque ad publicas definiendas non unius generis arbitri adhiberi quandoque ſolent. Poteſt enim aliquis eligi, vel ut conciliator tantum & mediator pacis, cujus arbitrium non aliter ratum ſit, quam ſi æquitati convenit; vel ut ſummus cauſæ judex, a quo nulla provocatio, ita ut æquum ſive iniquum judicaverit, parendum tamen obligati ſint compromittentes, de quo genere Auctor noſter diſputat; verum monet Puſendorfius, cum dicitur ſtandum eſſe ſententia arbitri, ſive æquum ſive iniquum judicaverit, id cum grano ſalis accipiendum eſſe. *Nam uti ideo*, inquit, *quidem a compromiſſo reſilire non licet, quod contra nos fuerit pronunciatum, utut ipſi largius de noſtra cauſa ſperabamus: ita tunc ſane arbitri ſententia nos non ſtringet, ſi adpareat manifeſte, ipſum cum altera parte colludere, aut ab eadem donis corruptum, aut pactum in fraudem noſtram iniviſſe. Nam qui aperte ad alteram partem ſeſe adplicat, arbitri perſonam amplius gerere nequit. l. 76. & ſeqq. ff. pro ſocio.* Monet vero Auctor noſter in officio judicis ſpectandum, an electus ſit in vicem judicis, an cum laxiore quadam poteſtate, quique ſententiam ſuam non tam ad jus ſtrictum, ſed æquitatem ac humanitatem attemperare queat. Judicem quem formula includit, a qua recedere fas ipſi non erat. Judex legibus adſtrictus, illas ſpectare in pronunciando ipſi incumbit: *non enim ad hoc judex ſedet, ut per gratiam concedat, ſed ut judicet ſecundum leges*, uti inquit Socrates in *apologia* apud Platonem, atque idem Plato *de regno. Prætoris munus eſt, ut ad normam legum, quam Rex ipſe condidit, reſpiciens, de ſingulis judicet propria virtute ſemper adhibita, per quam neque muneribus, neque minis, neque miſericordia, neque odio, nec amore legibus tranſgreſſis accuſationes diſſolvat.* Arbiter juris rigorem mitigat æquitate, humanitate, miſericordia, ductus, quam, ut recte inquit Puſendorfius, niſi ſummo judici, aut arbitro in hanc legem adſcito adhibere licet. *Judicium*, inquit Cicero, *eſt certæ pecuniæ; arbitrium incertæ. Ad judicium hoc modo venimus, ut aut totam litem obtineamus, aut amittamus: ad arbitrum, ut neque nihil, neque tantum, quantum poſtulavimus, conſequamur. Ejus rei ipſa verba formulæ teſtimonio ſunt. Quid eſt in judicio? directum, aſperum, ſimplex: ſi paret H S. 1 ɔ ɔ ɔ. dari oportere. Hic niſi planum facit H S. 1 ɔ ɔ ɔ. ad libellum ſibi deberi cauſam perdit. Quid eſt in arbitrio? mite moderatum, quantum æquius, melius id dari.* Hoc itaque diſcrimen inter arbitrum & judicem, quod ille quantum æquius, melius definit; iſte rigide, ut petitum eſt. Unde Seneca *lib. 2. cap. ult. de clementia.* Clementia liberum arbitrium habet: non ſub formula, ſed ex æquo & bono judicat, & abſolvere illi licet, & quanti vult taxare litem. In dubio, tamen præſumitur arbitrum ad regulas judici ſequendas obligatum; cum ob defectum fori & judicis ille ſumtus ſit; & in dubio, id quod minimum eſt, ſequamur. *Ceterum illud manifeſtum*, inquit Puſendorfius, *uti qui inter cives jus dicit, regulariter ſequitur leges civiles, quibus litigantes ſunt ſubjecti: ita qui pronunciaturus eſt inter eos, qui communes leges civiles non agnoſcunt, jus naturale pro norma habebit, niſi ipſæ partes actum ſuum ad certæ civitatis leges poſitivas non attemperarint.* Statuit vero Auctor lectos arbitros a populis aut ſummam poteſtatem habentibus de principali negotio pronunciare debere, non de poſſeſſione. Poſſeſſoria quippe judicia ex jure civili deſcendunt, jure gentium poſſidendi jus dominum ſequitur. Quod non arbitratur Zeiglerus; præſertim ſi de ſummariſſimo quæſtio eſt: habet enim iſtud rationem ex jure gentium derivatam, dum ſcilicet eum in finem de poſſeſſione pronunciatur, ut inter ſe quietæ ſint partes, nec ad arma veniant. At hoc cavere præcipuum eſt negotium arbitrorum, bello hinc inde flagrante, præſertim ubi cauſæ cognitio ſimul & ſemel non poterit expediri. Puſendorfio circa Auctoris pronunciatum ita videtur. Quod etſi jure naturæ & gentium non videatur neceſſarium, ut qui poſſeſſione ſua dejectus eſt, ſtatim in eam reducatur, antequam ulterior cauſæ cognitio ſuſcipiatur, præſertim quando cauſæ deciſio ſtatim ſequi poſſit: in multis tamen controverſiis arbitro prius diſpiciendum uter poſſeſſor ſit, ut intelligat, cuinam onus probandi incumbit. Quippe inquit, cum petitoris ſit ſuam intentionem liquido demonſtrare: poſſeſſori autem ſufficiat illius argumenta confutaſſe; niſi quod quandoque conveniens ſit, ſaltem ex ſuperabundanti poſſeſſionis ſuæ titulum oſtendiſſe. Ideo tamen arbitris non ſatis eſt, ſuper poſſeſſione duntaxat pronunciaſſe, quia non de hac, quæ in aprico fere eſt, ad arbitros ſoleat provocari, ſed ut principali negotio demum finis imponatur, nec deinceps litis quid ſuperſit. Ut autem cognitione durante nihil innovetur, & petitore non probante, ſecundum poſſeſſorem pronuncietur, juris naturalis utique eſt.

XLIX. 1. Alterius generis eſt arbitri ſumtio cum quis ipſi hoſti de ſe arbitrium permittit, quæ eſt deditio pura, ſubditum faciens eum qui ſe dedit, ei vero cui fit deditio ſummam deferens poteſtatem.

Digitized by Google

Livius lib. XXXVII. tem. Ἐπιτρέπειν τὰ καθ' αὐτὸν dicunt Græci. Sic Ætolos in Senatu cogatos legimus, permitterentne de ſe arbitrium populo Romano. Conſilium L. Cornelii Lentuli apud Appianum circa finem belli Punici ſecundi *Lib. XIV.* de re Carthaginenſium hoc erat: *Permittant*, inquit, *Carthaginenſes ſe arbitrio noſtro ut victi ſolent, & multi antehac fecerunt: videbimus deinde nos, & ſi quid fuerimus largiti habebunt nobis gratiam: neque enim fœdus dicere poterant. Permultum autem intereſt. Quamdiu fœdera cum illis inimus, ut ea rumpant ſemper aliquid cauſabuntur tanquam læſi adverſus aliquam fœderis partem. Nam quia multa ſunt dubiæ interpretationis, patet ſemper perplexandi materia. At ubi ut deditis abſtulerimus arma, corpora ipſa acceperimus in poteſtatem, tum demum intelligent nihil ſe habere proprium, demittent animos, & quodcumque a nobis acceperint id tanquam de alieno datum libentibus animis accipient.*

2. Sed hic quoque diſtinguendum eſt, quod victus pati debeat, & quid victor jure, quid etiam ſalvo omni officio facere poſſit, quid denique eum maxime deceat. Victus poſt deditionem nihil non patiendum habet. Quippe jam ſubditus, & ſi jus belli externum reſpicimus, eo in loco ut ei nihil non eripi poſſit, etiam vita, etiam libertas perſonalis, multo magis bona, non publica tantum ſed & ſingulorum. *Ætoli*, inquit alio loco Livius, *permiſſo libero arbitrio ne in corpora ſæ-* *Libro XXXVII.* *viretur metuebant.* Citavimus alibi: *ubi omnia ei qui armis plus poteſt dedi-* *Lib. III. c. VIII. §. 4.* *ta ſunt, quæ ex iis habere victor, quibus mulctari eos velit, ipſius judicium atque arbitrium eſt.* Eodem illud Livii pertinet: *Romanis mos vetuſtus erat,* *Lib. V, 11.* *cum quo nec fœdere nec æquis legibus jungerentur amicitia, non prius imperio in eum tanquam pacatum uti, quam omnia divina humanaque dediſſet, obſides ac-* *Lib. III. c. XI. ¶. 18.* *cepti, arma ademta, præſidia urbibus impoſita forent.* Etiam occidi licite interdum deditos oſtendimus.

COMMENTARIUS.

QUæ in hoc & ſequentibus §§. diſputat Auctor, alibi jam tractare incepimus *h. l. cap.* 8. §. 4. atque ibidem annotavimus ex deditionis formula ad victorem tranſire omnia jura, tam corporalia quam incorporalia, tum in bona tum etiam in perſonas, atque penes eum arbitrium eſſe, quæ ex iis habere, quibus eos mulctari velit. Quod tamen cum ejuſmodi temperamento intelligi debet, ne extra modum & merita in victos ſæviat victor, quatenus habet quidem ex mera deditione arbitrium ſtatuendi quidquid velit de victis, niſi jura, quæ ex rationis dictamine & ſocietatis humanæ atque naturalis cognationis vinculo profluunt, ejuſmodi arbitrium temperent, ne in exceſſu peccetur. Formula deditionis defert quidem ſummum arbitrium victori, ſed temperatum cum æquitate & moderatione. Itaque recte Auctor diſtinguendum inquit, quod victus pati debeat, & quid victor jure, quid etiam ſalvo omni officio facere poſſit, quid denique eum maxime deceat. Victus poſt deditionem nihil habet patiendum, quia jam ſubditus & proinde tanquam ſubditus tractari debet. Hujuſmodi puræ conditionis devoti paſſim in jure appellantur, ut videre eſt *l.* 8. *Cod. de vectig. & commiſſ.* atque idem nomen ferunt apud Cæſarem. Ita Cæſar: *Atque in ea re intentis omnium noſtrorum animis, alia ex parte oppidi Adcantuannus, qui ſummam imperii tenebat, cum ſexcentis devotis, quos illi ſoldurios appellant; quorum hæc eſt conditio, ut omnibus in vita commodis una cum his fruantur, quorum amicitiæ ſe dediderint. lib. 3. cap. 22. de bell. gall.*

L. 1. At victor ne quid injuſte faciat ſpectare primum debet ne quem occidat, niſi id ſuo facinore meritum. Sic & ne cui quicquam auferat niſi in juſtam pœnam. Intra hunc autem modum quantum ſecuri-

curitas patitur ad clementiam & liberalitatem propendere ſemper honeſtum eſt, interdum pro circumſtantiis etiam ex morum regula neceſſarium.

2. Diximus alibi bellorum egregios fines quoties ignoſcendo tranſigitur. Nicolaus Syracuſanus apud Diodorum: παρέδωκαν ἑαυτοὺς μετὰ τῶν ὅπλων πιστεύσαντες τῇ τῶν κρατούντων εὐγνωμοσύνῃ. Διόπερ οὐκ ἄξιον αὐτοὺς τῆς ἡμετέρας ψευσθῆναι φιλανθρωπίας; *tradiderunt ſe cum armis confiſi clementiæ victoris: quare indignum foret eos decipi ſpe noſtræ humanitatis.* Poſtea: τίς Ἑλλήνων τοὺς παραδόντας αὐτοὺς καὶ τῇ τῶν κρατούντων εὐγνωμοσύνῃ πιστεύσαντας ἀπαραιτήτου τιμωρίας ἠξίωσεν; *Quis unquam Græcorum eos qui ſe clementiæ victoris permitterent, indeprecabili ſupplicio puniendos cenſuit?* Lib. III. c. XV. in fine. Lib. XIII. Et Cæſar Octavius apud Appianum L. Antonium qui ſe deditum venerat alloquens, σπονδὰς μὲν τιθέμενος ἔτυχες ἂν ἠδικημένου καὶ νενικηκότος, ἄσπονδον δὲ σαυτόν τε καὶ τοὺς φίλους ἐπιτρέπων ἡμῖν καὶ τὸν στρατὸν, ἀφαιρῇ μὲν πᾶσαν ὀργὴν, ἀφαιρῇ δὲ καὶ τὴν ἐξουσίαν ἣν σπενδόμενος ἂν ἔδωκας (male editur ἔδωκα) ὑπ' ἀνάγκης. Συμπέπλεκται γὰρ οἷς ἄξιον ὑμᾶς παθεῖν τὸ προσῆκον ὧν ἐμὲ δίκαιόν ἐστι ποιεῖν. Ὃ δὴ προθυμήσω. *Si ad fœdera paciſcenda veniſſes, ſenſiſſes me & victorem & injuria affectum, nunc cum te & amicos & exercitum arbitrio noſtro permittis demis mihi iram, demis & eam poteſtatem quam in fœdere coactus eſſes concedere. Nam cum eo quod vos dignum eſt pati, ſimul jam & alterum ſpectandum eſt, quid me facere par ſit: atque hoc præferam.*

3. Occurrit ſæpe in Romanis hiſtoriis locutio tradere ſe in fidem, tradere in fidem & clementiam. Sic apud Livium lib. XXXVII. *Legationes finitimas tradentes in fidem civitates ſuas benigne audivit.* Lib. XLIV. *Paulo, ut ſe ſuaque in fidem & clementiam populi Romani permitterent, contendente*, ubi de rege Perſeo ſermo eſt. Sciendum autem eſt his verbis nihil aliud quam deditionem meram intelligi: neque fidei nomen his in locis aliud ſignificare quam ipſam probitatem victoris cui ſe victus committit.

4. Nobilis eſt apud Polybium & Livium hiſtoria de Phanea Ætolorum legato, qui in oratione ad Manium Conſulem eo prolapſus eſt ut diceret: διότι κέκριται τοῖς Αἰτωλοῖς σφᾶς αὐτοὺς ἐγχειρίζειν εἰς τὴν Ῥωμαίων πίστιν. *Ætolos* (ita vertit Livius) *ſe ſuaque fidei populi Romani permittere.* Livius libro XXXVI. Cumque percunctanti Conſuli iterum id affirmaſſet, poſtulaſſe Conſulem, ut quidam belli incentores ſibi ſine mora dederentur. Cum Phaneas excepiſſet, non in ſervitutem ſed in fidem tuam nos tradimus, & quod imperaretur non eſſe moris Græcorum, reſpondiſſe Conſulem nihil ſe curare quid Græci eſſet moris, ſi more Romano imperium habere in deditos ſuo decreto, & catenis vinciri legatos juſſiſſe. In Græco eſt; περὶ τοῦ δέοντος καὶ καθήκοντες ποιεῖτε λόγον δεδωκότες ἑαυτοὺς εἰς τὴν πίστιν. *De officio & decoro hic diſputatis, cum jam vos fidei noſtræ permiſeritis?* Ex his verbis apparet quantum impune & non violato gentium jure facere poſſit is in cujus fidem populus aliquis ſe permiſit. Neque tamen hac poteſtate uſus eſt Romanus Conſul, ſed & legatos dimiſit, & Ætolorum concilio de integro deliberandi fecit poteſtatem. Val. lib. VI. c. 5. Sic populus

pulus Romanus Faliſcis reſpondiſſe legitur, edoctum ſe, Faliſcos ſe non poteſtati ſed fidei Romanorum commiſiſſe: & de Campanis legimus, eos non fœdere ſed deditione in fidem veniſſe. *Livius libro* VIII.

5. Ad officium vero ejus cui facta eſt deditio non male retuleris Senecæ illud: *Clementia liberum arbitrium habet: non ſub formula ſed ex æquo & bono judicat, & abſolvere illi licet, & quanti vult taxare litem.* Neque referre exiſtimo an dedens ſe dicat ſe dedere alterius ſapientiæ, an moderationi, an miſericordiæ. Hæc enim omnia blandimenta ſunt; res manet ut victor arbiter fiat. *L. II. de Clem. 7.*

LI. Sed ſunt tamen & deditiones conditionatæ, quæ aut ſingulis conſulunt, ut quibus vita ſalva, aut corporum libertas, aut & quædam bona excipiuntur; aut etiam univerſitati, quarum nonnullæ etiam mixtum quoddam imperium poſſunt induere, de quo egimus alibi. *Lib. I. c. III. ¶. 17.*

C O M M E N T A R I U S.

DIcere ſtatim incepimus, victorem non oportere victoria uti Inſolenter, ſed tali moderatione adhibita, ut, quæ citra detrimentum publicæ ſecuritatis permitti poſſunt, victis permittat, quod etiam locum habet in deditione abſolutiſſima, ut ita dicam. Qui ſe in fidem permittit victoris, eique ſummum in ſe atque omnes fortunas defert arbitrium, ſibi perſuadit, eum, cui arbitrium defert, recte arbitraturum, non quia immodice obligari velint, uti inquit Textor *Synopſ. Jur. Gent. cap.* 28. & paulo poſt. Jus itaque victoris eſt, ut in deditione abſoluta illimitatum imperium exercere poſſit in deditos, in reſtricta non æque, ſed juxta legem conventionis. In omni tamen deditione, niſi ad Rempublicam confirmandam ſeveriori exemplo opus ſit, benignitatis & clementiæ victorem convenit eſſe memorem. Vid. *h. l. cap.* 15. Si deditio eſt conditionata, ultra conventionem jus victoris non producitur, & proinde ſi vita ſalva, ſi libertas & bona excipiuntur, nefas victis hæc eripere: pactis enim ſtare & ſervare fidem, juris naturæ vinculo adſtringimur, ſed de hiſce alibi latius diſputavimus.

LII. Acceſſiones pactionum ſunt obſides & pignora. Obſides diximus dari aut ſua voluntate aut ejus qui imperium habet. Nam in ſummo civili imperio comprehenditur & jus in actiones ſubditorum, ut in bona. Sed civitas aut ejus rector tenebitur illud incommodum ei qui patitur aut proximis repenſare; & ſi plures ſint, quorum quis obſes eat reipublicæ nihil intereſt, danda opera videtur ut ſorte res dirimatur. In vaſallum, niſi idem ſubditus ſit, jus hoc feudi dominus non habet: neque enim reverentia & obſequium, quæ debet, huc uſque pertingunt.

LIII. Interfici obſidem poſſe diximus per jus gentium externum. Non etiam interno jure niſi par ipſius culpa accedat. Servi quoque non fiunt: imo & jure gentium bona habere & hæredibus relinquere poſſunt, quanquam Romano jure cautum eſt ut bona eorum in fiſcum cogantur. *L. Divus. D. de jure fiſci.*

LIV. An fugere obſidi liceat quæritur? & conſtat non licere, ſi ab initio aut poſtea, quo laxius haberetur, fidem dederit. Alioqui videtur non is animus fuiſſe civitatis obligandi civem ne aufugeret, ſed hoſti dandi facultatem qualis vellet cuſtodiæ. Et ſic defendi poteſt Clœliæ factum. Sed etſi ipſa nihil peccaverat, civitas tamen recipere & retinere *Liv. lib. II.*

nere

nere obſidem non poterat. Sic Porſenna: *Si non dedatur obſes pro rupto ſe fœdus habiturum.* Deinde: *Romani pignus pacis ex fœdere reſtituerunt.*

COMMENTARIUS.

DE obſidibus egimus pluribus locis *h. l. cap.* 4. *&* *cap.* 11. §. 18. quem in finem obſides dari ſolent, ibidem diximus, & quid juris competit in eos annotavimus, Princeps, civitas obligat obſides vel nolentes jure ſupremæ poteſtatis: idque civis patri patriæque debet. Quod ſecus in vaſallo: is enim invitus obſes dari nequit, niſi id ſit expreſſum in inveſtitura. Sed notandum, quod alibi diximus, ſcilicet imperium, quod in cives Princeps habet, ita ut vitam & corpus obligare poſſet, adeo late non patere ſtatuimus, ut tribuere poſſet facultatem occidendi obſidem, non ſervata fide illi cui dati obſides. Imperium enim, quod Princeps in cives atque ſubjectos habet, comprehendit quidem jus vitæ & necis juſta ex cauſa in cives, verum neutiquam in innocentes, quamobrem nec tradere civem hoſti poteſt ad internecionem, & proinde cui dati, juſte eos interficere nequit, quia non plus juris in illum habet, quam ille, a quo datus, juxta illam regulam: Quod nemo plus juris in alium transferre poteſt, quam ipſe habet. Quamobrem merito atrox optimis Imperatoribus viſum ſupplicium de innoxiis ſumere obſidibus, quod ipſi peccarint, non ſoret ſententia atrox, quæ obſidem damnaret, de quo latius *lib.* 2. *cap.* 25. §. 3. quæ omnia repetere ſupervacaneum ſoret; ſi autem quid damni paſſi ultra meritum, æquitas dictat, ut illud a civitate vel ejus rectore repenſetur, & indemnes præſtentur. Obſides quin auſugere poſſint, nullus dubitat Auctor, niſi fidem dederint, quæ ſervari debet. Imputet ſibi, quod non arctius cuſtodiverit; fugientem vero civitas recipere nequit. Verum ſi apud ſe obſides auſugientes civitas retinere nequeat, ſed ad reddendos obſtricta ſit, ſequitur Rempublicam civem non in cuſtodiam duntaxat dediſſe, ſed & obligaſſe ne auſugeret, quod & ratum obſidem tacite habuiſſe dicendum, vel habere debet, cujuſmodi obligationem civi imponere poteſt Princeps ſeu civitas, eamque in ſe recipere tenetur civis.

LV. Odioſa autem eſt obſidum obligatio, tum quia libertati inimica, tum quia ex facto alieno venit. Ideoque ſtricta interpretatio hic locum habet. Quare in unam cauſam dati in aliam retineri non poterunt, quod ita intellige, ſi aliud quid ſine obſidum acceſſione promiſſum ſit. At ſi in alia cauſa fides jam violata ſit, aut contractum debitum, jam poterit obſes retineri non ut obſes, ſed eo gentium jure quo ſubditi ex facto imperantium detineri poſſunt, κατ' ἀνδροληψίαν, quod *Vide ſupra Lib. III. c. 11.* ipſum tamen ne fiat caveri poterit, adjecto pacto de reddendis obſidibus, ubi id cujus nomine dati erunt impletum erit.

COMMENTARIUS.

COnditione impleta & pace ſtabilita obſides reddendi, nec in unam cauſam dati in aliam retinendi videntur. Odioſa enim obſidum obligatio, quamobrem juxta vulgarem juris regulam ſtricta hic interpretatio locum ſibi vindicat. Retineri tamen poſſe ſtatuit Auctor, ſi ſorte in alia cauſa fides violata ſuerit, non tanquam obſides, ſed eo gentium jure, quo ſubditi ex facto imperantis tenentur, qui perſonam civitatis ſuſtinet, cujus actus habentur tanquam profecti a civitate & ſingulis quaſi civibus, ex quibus compoſita civitas ſive ſocietas civilis. De ejuſmodi actionibus ſermonem habeo, quæ relationem habent cum adminiſtratione civili. Hoc ipſum vero caveri poſſe autumat Auctor adjecto pacto de reddendis obſidibus impleta conditione. Verum recte ſtatuit doctiſſimus Zeiglerus, conditionem iis verbis, quæ Auctor noſter hic præſcribit, factam, vix ſufficientem videri. Si quidem, inquit, etiam ante tale pactum præſto eſt obligatio de reddendis captivis poſt impletionem ejus, quod promiſſum; arctius ergo obligare non poterit pactum expreſſum. Tum autem ſufficienter caveri poterit, ſi adjiciatur pactum de non retinendis obſidibus in aliam cauſam. Vid. *cap.* 2. *h. l.*

LVI. Qui obſes datus eſt tantum ut alterum captivum aut obſidem redimat, eo mortuo liberatur. Nam in illo dum moritur jus pi-

gnoris exſtinctum eſt, ut in captivo redemto dixit Ulpianus. Quare ſicut in Ulpiani quæſtione pretium non debetur, quod in perſonæ locum ſucceſſit, ita nec hic perſona manebit obligata, quæ perſonæ vicaria facta eſt. Sic Demetrius a Senatu Romano non inique poſtulabat dimitti, ὡς Ἀντιόχου μὲν ἀντιδοθεὶς, Ἀντιόχου δὲ ἀποθανόντος, inquit Appianus: Juſtinus ex Trogo: *Demetrius, qui obſes Romæ erat, cognita morte Antiochi fratris ſenatum adiit, obſidemque ſe* (malim legere *obſidem inquiens ſe*, ut cohæreat oratio) *vivo fratre veniſſe, quo mortuo, cujus obſes ſit, ignorare.*

L. ſi patre. D. de cap. — *Syr. lib.* XXXIV.

LVII. Rege autem qui fœdus fecit mortuo an teneatur adhuc obſes, pendet ab eo quod alibi tractavimus, an fœdus habendum ſit perſonale an reale. Nam acceſſoria non poſſunt efficere ut in principalium interpretatione a regula recedatur, ejus autem naturam & ipſa ſequi debent.

L. II. *c.* XVI. ¶. 16.

COMMENTARIUS.

SI obſes hominis alicujus non cauſæ pignus acceſſerit, mortuo eo & jure pignoris exſtincto, liberantur, arg. *l.* 15. *ff. de capt. & poſtlim.* an vero, mortuo Rege, obſes, pendet ab eo, quod diſputavimus *lib.* 2. *cap.* 16. §. 16. Videndum enim an cauſa dandi fuerit realis an perſonalis. Regulariter quidquid Rex, qua talis, agit, nomine populi egiſſe videri debet, cujus perſonam ſuſtinet in omnibus negotiis, quæ adminiſtrationem regni ſpectant. Quamobrem vis & effectus ejuſmodi actus non extinguitur cum perſona Regis, ſed tenet populum, & proinde quoque ſucceſſorem, qui in Regis defuncti locum ſuccedit, ſive per electionem ſive ſucceſſionis ordinem. Quamobrem obſes non liberatur, niſi præſtito ei a populo vel ſucceſſore, quod juxta fœderis capita præſtari debet. Vid. *d. l.*

LVIII. Obiter hoc addendum eſt, obſides interdum non acceſſionem eſſe obligationis, ſed revera partem principalem; ut cum quis ex contractu factum promittit non ſuum, & quia eo non præſtito tenetur ad id quod intereſt, ejus vice obſides obligantur; quam fuiſſe videri ſententiam Caudinæ ſponſionis diximus alibi. Non dura tantum ſed & iniqua eſt ſententia exiſtimantium, obſides etiam ſine conſenſu ſuo alterum ex facto alterius poſſe obligari.

L. II. *c.* XV. ¶. 16. *Alb. Gent. l.* II. *c.* 19.

COMMENTARIUS.

MErito doctiſſimus Zeiglerus ſtatuit vix ejuſmodi caſum fingi poſſe, quo obſides non acceſſio obligationis ſed pars principalis habentur, ſi præſupponatur obligatio aliqua præcedens, in cujus fidem dentur obſides, ut fieri ſolet. *Illius ſane*, inquit, *qui alterum aliquem facturum promiſit, obligatio eſt principalis, quæ per obſidum dationem hactenus confirmatur. Atque tenendum non illico fieri principale, quod principaliter poteſt conveniri aut teneri. Ita fidejuſſor acceſſio manet acceſſoria, non obſtante quod jure antiquo liberum fuerit creditori omiſſo principali reo, fidejuſſorem convenire*, l. 3. l. 5. C. de fidejuſſ. *nec obſtante etiam quod fidejuſſor ſe ut principalem obligaverit. Retinet enim obligatio ejuſmodi adhuc acceſſionis naturam in eo, quod non poſſit in plus fieri quam debet is pro quo obligatur*, §. 5. Inſt. de fidejuſſ. *& quod ſemper reſpectus habeatur ad obligationem aliam, a qua veluti gubernatur.* Unde eſt, quod noſtri paſſim loquuntur, ut dicant fidejuſſorem accedere, quia obligatio fidejuſſoris eſt acceſſio quædam obligationis alterius. Hinc & dicuntur adpromiſſores *l.* 5. §. 2. *ff. de V. O. l.* 43. *ff. de ſolut.* quia ad id, quod alius debet, accedentes idem promittunt. Quamobrem, uti diximus, fidejuſſores non poſſunt ita obligari, ut plus debeant, quam debet is, pro quo obligantur. Vid. *lib.* 2. *cap.* 12. §. 6.

LIX. Pignora quædam communia habent cum obſidibus, quædam

dam propria. Commune, quod & ex alio jam debito retinentur niſi obſtet data fides: Proprium, quod quæ de iis eſt pactio non tam ſtricte ſumitur quam illa de obſidibus: neque enim æquale eſt odium. Res enim natæ ſunt ut teneantur, non & homines.

LX. Illud alibi quoque diximus, nullum tempus id efficere poſſe ne luitio ſit pignoris, ſi id præſtetur pro quo pignus ſuppoſitum eſt. Nam qui actus cauſam veterem & novam habet, non creditur ex nova procedere. Ideo patientia debitoris veteri contractui non derelictioni imputatur, niſi certæ conjecturæ aliam interpretationem exprimant: ut ſi quis luere cum vellet, impeditus id ſilentio tranſmiſiſſet tanto tempore quod ad conſenſus conjecturam ſufficere poſſit. Lib. II. c. IV. §. 17.

COMMENTARIUS.

QUod pignora attinet, ea quædam communia habent cum obſidibus, quædam propria, quæ hic annotat Auctor; an autem juri reluendi præſcribi poſſit, *lib.* 2. *cap.* 4. expoſitum, & videtur, cum luitio pignoris ſit talis actus, qui non habet quotidianum exercitium, ſed ſemel ubi commodum fuerit præſcribi non poſſe. Res meræ facultatis præſcribi non poſſe annotavimus *d. l.* atqui ejuſmodi actus pignoris luitio; ergo jus illud præſcriptione tolli nequit. Cui etiam accedit, ut inquit Puſendorfius, quod uſucapiones potiſſimum introductæ ſint ad exſtinguendas lites in infinitum pullulaturas, & ne dominia rerum ſint incerta, id quod circa pignora non eſt metuendum. Nam de illorum dominio non poteſt oriri dubium, cum ea detineantur tanquam aliena, & cum ſatis conſtet, quare dominus iſta relinquat apud creditorem, non poteſt præſumi illum pro derelictis habere, niſi, inquit Auctor noſter, certæ conjecturæ aliam interpretationem exprimant. Verum nullas tam firmas conjecturas in hoc negotio cum Zeiglero fingi poſſe ſtatuo, ut creditorem coofcientia ſecurum reddere queant. *Creditor enim pignus alieno nomine poſſidet non ſibi, ſed debitori* l. 13. ff. de uſucap. *eamque cauſam poſſeſſionis mutare ſibi non poteſt.* l. 33. §. 1. ff. eod. *Diuturnum vero ſilentium debitoris, poſtquam illius intentio luendi impedita fuit, num ſufficiens derelictionis argumentum præbeat, merito licet dubitare, præſertim cum præſumi poſſit, ideo eum per totum iſtud tempus ſiluiſſe, quod quæ fortior eſt præſumptio, quam Grotii de conſenſu tacito.*

CAPUT XXI.

De fide manente bello, ubi de induciis, commeatu, captivorum redemtione.

I. *Induciæ quid ſint, & an id tempus veniat pacis an belli nomine.*
II. *Vocis origo.*
III. *Nova indictione poſt inducias non opus.*
IV. *Quomodo computanda ſint tempora induciis præfinita.*
V. *Quando obligare incipiant.*
VI. *Quid per inducias liceat.*
VII. *An retrocedere & reficere mœnia, & ſimilia:*
VIII. *De locis occupandis diſtinctio.*
IX. *An redire poſſit, qui vi majore retentus eſt, circa exitum induciarum.*
X. *De ſpecialibus induciarum pactionibus, & quæ inde quæri ſolent.*
XI. *Induciarum pactionibus ab altera parte ruptis, alteram bellum movere poſſe.*
XII. *Quid ſi pœna addita fuerit?*
XIII. *Privatorum facta quando inducias rumpant.*
XIV. *In jure commeandi extra inducias qualis ſumenda interpretatio:*
XV. *Qui militum nomine veniant.*
XVI. *Ire, venire, abire, quomodo hic accipienda:*
XVII. *De extenſione ad perſonas:*
XVIII. *Ad bona.*
XIX. *Comites & gentis nomine qui veniant:*
XX. *An conceſſio juris commeandi morte extinguatur:*
XXI. *Quid ſi data ſit donec qui dedit voluerit?*
XXII. *An ſecuritas & extra territorium debeatur.*
XXIII. *Favor redemtionis captivorum:*
XXIV. *An lege interdici redemtio poſſit, diſtinctione explicatur.*
XXV. *Jus in captivum cedi poſſe:*
XXVI. *Poſſe ab uno pretium pluribus deberi:*
XXVII. *Conventio an reſcindi poſſit, ob divitias captivi ignoratas.*
XXVIII. *Quæ bona capti captorem ſequantur.*
XXIX. *An heres pretium debeat, diſtinctione explicatur.*
XXX. *An redire debeat qui dimiſſus eſt ut alterum liberet, eo mortuo.*

Ann. XIV. & hiſt. III. I. 1. SOlent & inter bellum a ſummis poteſtatibus concedi quædam, ut cum Virgilio & Tacito loquar, belli commercia, Homero ſυνημοσύνας, qualia ſunt induciæ, commeatus, captivorum redemtio. Induciæ ſunt conventio per quam bello manente ad tempus bellicis actibus abſtinendum eſt. Bello inquam manente: nam, ut Cicero ait Philippica octava, inter bellum & pacem nihil eſt medium: Et bellum ſtatus eſt nomen, qui poteſt eſſe etiam cum operationes ſuas non exſerit: Δοκεῖ ἐνδέχεσθαι καὶ καθεύδειν ἔχοντα τὴν ἀρετὴν ἢ ἀπρακτεῖν διὰ βίου, ait Ariſtoteles: *fieri poteſt ut virtute quis ſit præditus & aut dormiat aut vitam agat actione vacuam.* *VIII. Nic.* Idem alibi: οἱ τόποι οὐ διαλύουσι τὴν φιλίαν ἁπλῶς, ἀλλὰ τὴν ἐνέργειαν. *Non ipſam amicitiam diſſolvunt locorum intervalla, ſed uſum ejus.* Andronicus Rhodius: τὴν ἕξιν ἐνδέχεται ὑπάρχουσαν μηδὲν ἀποτελεῖν: *Habitus eſſe poteſt ita ut nihil operetur.* Euſtratius ad ſextum Nicomachiorum: ἡ ἕξις πρὸς τὴν ἁπλῶς δύναμιν ἐντελέχεια λέγεται: πρὸς δὲ τὴν ἐνέργειαν καὶ προαίρεσιν δύναμις, ὡς ἐν τῷ κοιμωμένῳ γεωμέτρῃ γεωμετρία. *Habitus potentiæ ſimpliciter dictæ ratione habita, actus dicitur: ac ipſi actioni ſive exercitio comparatus vocatur potentia, ut ars menſoria in dormiente menſore.*

Horat. I. Sat. 3.

Ut quamvis tacet Hermogenes cantor tamen atque
Optimus eſt modulator: Et Alfenus vaſer omni
Abjecto inſtrumento artis, clauſaque taberna
Sutor erat.

2. Sic ergo, ut & Gellius dixit, *non pax eſt induciæ: bellum enim manet,*

net, *pugna ceſſat.* Et in panegyrico Latini Pacati legimus: *induciæ bella ſuſpendebant.* Quod eo dico ut ſciamus, ſi quid convenit ut belli tempore valeat, id per inducias quoque valere, niſi manifeſte appareat non ſtatum ſpectari ſed ipſas functiones. Contra, ſi quid de pace dictum erit, id induciarum tempore locum non habebit: quanquam Virgilins pacem ſequeſtram dixit, Servius ad eum locum pacem temporalem, ut & Thucydidis Scholiaſtes εἰρήνην πρόσκαιρον πόλεμον ὠδίνουσαν, Varro pacem caſtrorum, paucorum dierum, quæ omnes ſunt non definitiones ſed delineationes quædam, eæque figuratæ. Qualis & illa Varronis, qui cum inducias dixit bellorum ferias, potuerat & belli ſomnum dicere. Sic & ipſas forenſes ferias pacem vocavit Papinius: & ſomnum Ariſtoteles vinculum ſenſuum, quo exemplo & inducias belli vinculum recte dixeris.

3. In M. Varronis autem expoſitione, quam & Donatus ſequitur, *Ad Ter.*
hoc recte reprehendit Gellius quod paucos dies adjecit, oſtendens ſo- *Eun. Act. I.*
lere & in horas dari, addam ego & in annos etiam viginti, triginta, *Sc. I.*
quadraginta, etiam centum: quarum apud Livium exempla, quæ *Lib. I. c. 25.*
& illam Pauli juriſconſulti definitionem redarguunt: *Induciæ ſunt cum* *L. poſtlimin. D. de captivis.*
in breve & in præſens tempus convenit, ne invicem ſe laceſſant.

4. Fieri tamen poterit, ut ſi appareat alicujus conventionis rationem unicam & per ſe moventem in ſolidum fuiſſe ceſſationem actuum bellicorum, ut tunc quod de pacis tempore dictum eſt, per inducias valeat, non ex vi vocis ſed ex mentis certa collectione, de qua alibi *Lib. II. c. 16.*
egimus. *¶. 20.*

II. Videtur autem induciarum nomen non ab eo quod Gellius vult inde uti jam, nec ab *endoitu*, id eſt introgreſſu, ut Opilius voluit, veniſſe, ſed quod inde, id eſt a certo tempore otium ſit, quomodo
ἐκεχειρίαν Græci vocant. Apparet enim etiam ex Gellio & Opilio, ve- *Gell. XIX.*
teribus per *t*, non per *c* literam ſcriptum hoc nomen, quod nunc *c. VIII.*
pluraliter profertur, olim haud dubio etiam ſingulariter. Vetus ſcriptura fuit *indoitia*; nam otium tunc oitium enunciabant a verbo oiti, quod nunc uti dicimus, ſicut ex poina (nunc pœnam ſcribimus) fit punio, & ex Poino (qui nunc Pœnus) fit Punicus. Sicut autem ex eo quod eſt oſtia, oſtiorum, factum eſt nomen Oſtia Oſtiæ: ſic ex indoitia indoitiorum, factum eſt indoitia, indoitiæ; deinde indu-
tia, cujus ut dixi plurale nunc tantum in uſu eſt; olim, ut Gellius *d. loco.*
monuit, etiam unitatis numero enunciabatur. Non longe abit Do- *Ad Ter.*
natus cum inducias dictas vult quod in dies otium præbeant. Sunt er- *Eun. Liv. Plut.*
go induciæ in bello otium, non pax: itaque accurate loquuntur hi- *Juſtin.*
ſtorici qui narrant ſæpe pacem negatam, inducias datas.

COM-

COMMENTARIUS.

HÆc Auctoris noſtri definitio non placet Zeiglero: aliud enim induciæ, aliud conventio per quam induciæ fiunt. Verum ad hanc objectionem recte reſpondit Henninges, quod etiamſi hæc plurimis in rebus differant, quemadmodum matrimonium per conſenſum fit, nec tamen conſenſus eſt: in induciis tamen hanc differentiam locum ſibi vindicare poſſe: quoniam enim inter bellum & pacem nihil eſt medium, uti inquit Auctor, ſequitur quod induciæ præter conventionem aliquam tempore factam, nihil aliud denotent: ſicut emptio venditio, locatio, mandatum, ſocietas per conſenſum contrahendo fiunt, nec aliud quid præter contractum ſeu conventionem ſunt. Ab Auctoris definitione non multum abit illa, quam tradit Juriſconſultus Paulus *l.* 19. §. 1. *ff. de capt. & poſtlim. Inducias eſſe*, inquiens, *cum in breve & præſens tempus convenit, ne invicem ſe laceſſant.* Excepto eo, quod Juriſconſultus noſter adjicit brevitatem temporis, quaſi hæc eſſet de eſſentia induciarum. Idem Varro in libro humanarum, qui erat de bello & pace. *Induciæ*, inquit, *ſunt pax caſtrenſis paucorum dierum.* Et alio in loco: *Induciæ*, inquit, *ſunt bellorum feriæ.* Verum non abſque ratione lepide magis atque brevis utraque definitio, quam plena aut proba, videtur Gellio *Noct. Attic. lib.* 1. *cap.* 25. Nam neque pax eſt induciæ, (bellum enim manet, pugna ceſſat,) neque in ſolis caſtris, neque paucorum dierum duntaxat induciæ ſunt: ſolet enim quandoque etiam in horas dari, & longi & longiſſimi temporis eſſe poſſunt. Legimus enim Vejentibus a Romulo in centum, & a Servio Tullio in XL. & in totidem annos L. Furio & C. Manlio Coſſ. inducias datas fuiſſe, Liv. *lib.* 1, 2. & cum populo Cæriti in centum annos inducias factas fuiſſe teſtatur idem auctor *lib.* 7. aliaque plurima longiſſimi temporis factarum induciarum exempla prodit. Verum pro excuſando Varrone & Paulo Juriſconſulto dici poteſt, inquit Puſendorfius, eos ob oculos habuiſſe illas duntaxat inducias, quæ, manentibus utrinque in expeditione exercitibus, poſſunt iniri; quæ regulariter non niſi paucorum dierum ſunt; non autem illas, quibus totus belli adparatus diſſolvitur, & quæ intra præfinitum tempus plenæ pacis inſtar gerunt; præſertim ubi iſthæc clauſula induciis expreſſe inſerta, ut interea de plena pace conſtituenda tractetur. Addit Paulus de præſenti tempore, quia ſic ſolent induciæ pro neceſſitate & occaſione aliqua præſenti conſtitui. Pacis vero nomen non uſurpavit, quod nec proprie convenit induciis, uti cum Gellio ſtatuit Auctor noſter. Non deſunt alii, qui non longiſſimi duntaxat temporis inducias centum annorum, ſed etiam in minus tempus contractas, pacem quandam videri, non abſque ratione pacis nomine venire poſſe ſtatuant. *Eſt enim abſurdum*, inquit Textor, *& generi humano perniciosum antiquos integri unius vel plurium ſeculorum belli cauſas refricare, quod quidem in Sacris objicit Jephta Ammonitarum Regi, Jud.* 11, 26. *&* 27. *Idem ſentio*, inquit, *etſi minus tempus centum annis induciis adjiciatur, quod tantum tamen ſit, ut metam vitæ belligerantium juxta communem hominum modum probabiliter excedat: nec enim tunc veroſimile eſt paciſcentes de induciis voluiſſe cauſas belli ſibi tempore velut intercludere, & relinquere poſteris; hinc & Turcarum induciis cum Chriſtianis gentibus ad longiſſima tempora conventis ea vis eſſe ſolet, ut Turcis non niſi ex novis cauſis vel ſaltem prætextibus bellum denuo moveant, quaſi jus prioris belli hujuſmodi longævis admodum induciis interciderit.* Attamen non confundi debent induciæ cum pace: multum enim a ſe differunt quoad effectus, quæ inde naſcuntur induciæ nunquam pax ſunt vere. Hinc apud Livium ſæpe diſtinguuntur, *Hetruſci pacem fœduſque petierunt, inducias in triginta annos impetrarunt.* Et rurſum de iiſdem: *Pax negata, induciæ biennii datæ.*

Angl. l. ſi unus ¶. 1. D. de pactis. Mart. Laud. q. 29. III. Quare nec nova indictione opus erit: nam ſublato impedimento temporali ipſo jure ſe exſerit ſtatus belli non mortuus ſed ſopitus, ut dominium & patria poteſtas in eo qui a furore convaluit. Legimus tamen apud Livium ex fecialium ſententia finitis induciis indictum bellum: ſed nimirum iſtis non neceſſariis cautionibus oſtendere veteres Romani voluerunt quantopere pacem amarent, & quam juſtis de cauſis in arma traherentur. Innuit hoc ipſe Livius; *Cum Vejentibus nuper acie dimicatum ad Nomentum & Fidenas fuerat, induciæque inde, non pax facta, quarum & dies exierat, & ante diem rebellaverant: miſſi tamen feciales, nec eorum, cum more patrum jurati repeterent res, verba ſunt audita.* *Lib.* IV.

COM-

COMMENTARIUS.

Effectus induciarum ſunt, quod, iis expiratis, nova indictione opus non ſit; excipit tamen Puſendorfius longiores inducias, quæ naturam pacis imitantur, quibus adparatus belli plane ſolutus, quibuſque regulariter clauſula hæc ineſt, aut ſaltem ineſſe debet, ut interea de controverſia penitus tollenda tractetur; ſi non neceſſarium, ſaltem decorum fuerit aliquam denuo præmittere indictionem conditionatam, ut teſtemur nos bello non delectari, neque per nos ſtetiſſe, quo minus plena pax coiret.

IV. 1. Tempus induciis adſcribi ſolet aut continuum ut in centum dies, aut cum deſignatione termini ut uſque calendas Martias. In priori ad momenta temporum facienda eſt numeratio: id enim naturæ convenit. Nam quæ ſit ad civiles dies computatio ex legibus aut populorum moribus venit. In alterno genere dubitari ſolet utrum ad *L. anticulus, D.*
quem diem aut menſem aut annum dictum eſt duraturas inducias, is *de verb.*
dies, menſis, annus excluſus an comprehenſus intelligatur. *ſignific.*

2. Certe in rebus naturalibus duo ſunt terminorum genera, intra rem, ut cutis terminus eſt corporis; extra rem, ut flumen terminus eſt terræ. Ad utrumque hunc modum etiam quæ voluntate conſtituuntur termini conſtitui poſſunt. Magis autem naturale videtur ut terminus ſumatur qui pars ſit rei: πέρας λέγεται τὸ ἔσχατον ἑκάστου, *terminus dicitur quod ultimum cujuſque eſt*, inquit Ariſtoteles: nec uſus repugnat. *Si* *Met. v.*
quis ſic dixerit ut intra diem mortis ejus aliquid fiat, ipſe quoque dies quo quis *17. l. ſi*
mortuus eſt numeratur. Prædixerat Cæſari Spurina periculum quod non *quis D. de verb.*
ultra Idus Martias proferretur. Interpellatus ipſis Idibus, dixit veniſſe *ſig. Suet.*
quidem ſed non præteriiſſe. Quare multo magis ſumenda eſt hæc in- *in Cæſ.*
terpretatio ubi temporis productio favorem in ſe habet, ut induciis quæ humano ſanguini parcunt.

3. At vero a quo die menſura aliqua temporis incipere dicitur is dies intra menſuram non erit: quia ejus præpoſitionis vis eſt diſcernere, non conjungere.

COMMENTARIUS.

De numeratione temporis facienda quæſtionem proponit Auctor. In priori temporis induciis adſcripti determinatione vel deſignatione ſtatuit Auctor ad momenta temporum, non ad dies civiles computationem faciendam, qualis numeratio naturæ convenit. Nam quæ ſit ad civiles dies computatio, ex legibus aut populorum moribus deſcendit. In poſteriori temporis adſcriptione, ubi certus terminus ad quem deſignatur, dubitari ſolet, utrum ad quem diem, menſem, aut annum dictum eſt duraturas inducias, is dies, menſis, vel annus excluſus aut comprehenſus cenſetur. Atque magis naturale cenſet Grotius, ut terminus ſumatur, qui pars ſit rei, præſertim in cauſa favorabili, quamobrem etiam locum habebit in deſignatione termini induciis adſcripti, utpote quæ res maxime favorabilis, & proinde ipſe quoque dies vel menſis, ad quem inducias duraturas dictum eſt, commutabitur quoque in termino ad exemplum *l.* 123. *ff. de V. S.* ubi Juriſconſultus: *Si quis dixerit ut intra diem mortis ejus aliquid fiat, ipſe quoque dies quo quis mortuus numeratur.* Ultimus iſte dies vitæ eſt pars termini conſtituti, & proinde eo præterito terminus demum finitus cenſebitur. Sic qui intra Calendas pronuntiare juſſus eſt, in die Calendarum poteſt pronuntiare. Gell. *lib.* 12. *cap.* 13. Dies termini computatur in ipſo termino. Intra Calendas & ipſæ Calendæ ſunt. Sic in ſexaginta diebus accuſationis adulterii, qui a divortio incipiunt, & ipſe ſexageſimus dies computatur. *l.* 30. *ff. ad leg. Jul. de adult.* Sic etiam bonorum poſſeſſio, cui petendæ centum dies præfiniuntur, ipſo centeſimo die peti poteſt. Ait judex: Jubeo te adeſſe intra decem dies, ipſo decimo ſi adſit

ſatis.

ſatis. An vero idem dicendum de termino a quo, quæritur? Atque negandum ſtatuit Anctor, propterea quia ea præpoſitionis vis, ſrilicet à, eſt diſcernere, non conjunggere: quod non abſque ratione probare nequit Pufendorfius; quippe initium maxime eſt pars rei. Unde ſi ita conventum ſit: Induciæ erunt in decem dies a Calendis Juliis. Sane nemo hoc aliter interpretabitur, quam illas Calendas induciis quoque comprehendi; neque ſemper voculæ à vis ineſt diſcernere eam rem cui adponitur, à ſequens; ſed ſæpe etiam Initium notat in aliqua re comprehenſum. Quid notius illis locutionibus *a capite ad calcem*, *ab ovo ad mala*?

V. Illud obiter addam, inducias & ſiquid eſt ſimile ipſos contrahentes ſtatim obligare ex quo contractus abſolutus eſt: at ſubditos utrinque obligari incipere ubi induciæ acceperunt formam legis, cui ineſt exterior quædam publicatio: qua facta ſtatim quidem incipit habere vim obligandi ſubditos, ſed ea vis, ſi publicatio uno tantum loco facta ſit, non per omnem ditionem eodem momento ſe exſerit, ſed per tempus ſufficiens ad perferendam ad ſingula loca notitiam. Quare ſi quid interea a ſubditis contra inducias factum ſit, ipſi a pœnis immunes erunt. Neque tamen eo minus contrahentes damnum reſarcire debebunt.

Bart. l. omnes pop. Pan. c. 2. de conſt. & ibid. Fel. n. 7.

COMMENTARIUS.

SI Reges ac Principes & omnes illi, qui in ſocietate civili ſummæ rerum præſunt, repræſentant univerſum populi cœtum, ita ut quidquid agant, populus ipſe egiſſe videatur, ſequitur etiam obligari cives ex contractu Principis ſui tanquam ex contractu proprio; & quidem uno eodemque tempore abſque ullo temporis intervallo, nec opus antequam obligatio ex ſuperioris contractu immediate procedens, cum effectu ſubjectos alligat, ad eorundem notitiam perveniat, quaſi abſque illa nullum cives adſtringendi juris vinculum, quo tenentur adimplere vel præſtare, quidquid conventione vel contractu promiſſum a ſuperiori, ita ut ſi quid contra factum conveniri non poſſent, ad reſarciendum damnum, quod alterius partis ſubditi paſſi ſunt: ipſo enim momento, quo ſummum detulere imperium, pariter facultatem tribuerunt ſummo imperanti, qua poſſet in omnibus ejuſmodi negotiis, quæ adminiſtrationem Reipublicæ ſpectarent, & ſine quo imperium explicari nequiret, obligandi cives, quaſi ipſi eo ipſo momento, quo celebraret contractum, ſemetipſos obligaſſent, & proinde ſi quid admiſerint, quod contractui vel conventioni repugnat, atque ex ejuſmodi actu aliquid damni datum pars altera ad reſarciendum illud tenentur, eatenus tamen, quatenus locupletiores facti; quippe licet ex conventione Principis ſui obligati, tamen quamdiu nondum ipſis innotuit conventio, condonandum illis quatenus culpa vacui, tum etiam ipſos indemnes præſtandos dictat æquitas naturalis; ne ultra id quod lucrati teneantur. Quod ſi ea quæ huc uſque diſputavimus, in genere ad ſpecialem de induciis conventionem applicemus, facile perſpiciemus errare Auctorem, ſtatuentem inducias ipſos contrahentes ſtatim quidem obligare, quo contractus abſolutus; Reges ſubditos vero utrimque obligare tum demum incipere, ubi induciæ acceperunt formam legis, cui ineſt exterior quædam publicatio. Quippe, ut mea faciam, quæ docte diſputat hac de materia Textor *Synopſ. Jur. Gent. cap.* 19. cum Reges ac Principes, quive ſummo imperio ornati ſunt, quibus ſua ſtat pro ratione voluntas, nullum niſi Jovis in ſe imperium agnoſcentes, *ſpondeant publice nomine inducias, ſinguli cives, cujuſcunque conditionis & ordinis, ore Regis inducias pepigiſſe videntur, quamobrem non minus eo caſu, quam ſi proprio ore de induciis convenisſent, a die conventionis obſtricti erunt: quod enim in publicis faciunt poteſtates civiles, per repræſentationem cenſentur feciſſe ſinguli; quare verius exiſtimo*, inquit, *etiam ſubditos a die conventionis induciarum teneri actus belli intermittere, licet ſi aliquos exercuerint ante publicationem, non incurrant pœnam inducias frangentium, vel aliam ſcilicet ob probabilem ignorantiam, adeoque capta interim eatenus reſtituenda erant vel extorquenda capientibus, quatenus in lucro verſantur, quæ bona fide conſumpta ſunt non reſtituenda a privatis, nam & ea res haberet ſpeciem pœnæ, ſed publice nomine. Ex quibus apparet diſparem eſſe rationem legis & induciarum quoad vinculum obligandi cives, nam lex non publicata haud obligat cives, induciæ non publicatæ eoſdem obligant, ſaltem modo jam dicto, cujus diverſitatis cauſa eſt, diverſa mens legiſlatoris & paciſcentis inducias, ille enim vult cives ſuos obligare non niſi per legem manifeſtatam ſive publicatam, quippe cum abſurdum ſit eos vivere ex præſcripto legis incognitæ, quæ abſurditas in legiſlatore præſumenda non eſt; hic vero nempe promiſſor induciarum interpoſita fide publica obſtringit cives ſuos etiam*

etiam ignorantes, nimirum ut vel non faciant hoſtilia poſt conventionem illam, vel ſi fecerint, pro rei qualitate, atque ex bono & æquo fiat reſtitutio.

VI. 1. Quantum per inducias liceat, quantum non liceat, ex ipſa definitione datur intelligi. Illiciti enim ſunt omnes actus bellici, ſive in perſonas ſive in res; id eſt, quicquid vi fit adverſus hoſtem: id enim omne per induciarum tempus fit contra jus gentium, ut in concione ad milites loquitur L. Æmilius apud Livium.

2. Etiam quæ res hoſtium caſu aliquo ad nos pervenerunt eæ reddendæ erunt, etiamſi ante noſtræ fuiſſent: quia quod jus externum attinet, ex quo hæc dijudicanda ſunt, ipſorum ſunt factæ: Et hoc eſt quod ait Paulus Juriſconſultus, induciarum tempore poſtliminium non eſſe, quia poſtliminium requirit, ut antecedat jus bello capiendi: quod per inducias non eſt.

3. Ire & redire ultro citroque, ſed eo paratu qui periculum nullum oſtentet, licet. Notatum hoc a Servio ad illud Maronis, *Mixtique impune Latini*, ubi & hoc narrat, obſeſſa urbe a Tarquinio inter Porſennam & Romanos factis induciis, cum ludi Circenſes in urbe celebrarentur, ingreſſos hoſtium duces curuli certamine contendiſſe & victores coronatos.

VII. Interius recedere cum exercitu, quod Philippum feciſſe legimus apud Livium, cum induciis non pugnat: nec reficere mœnia, nec militem conſcribere, niſi quid ſpecialius convenerit. *Lib. XXXI. Frontinus l. II. c. 13.*

VIII. 1. Corruptis hoſtium præſidiis loca invadere quæ ipſi tenebant, haud dubie contra inducias eſt. Talis enim acquiſitio juſta eſſe non poteſt niſi ex jure belli. Idem habendum ſi qui ſubditi deficere ad hoſtem velint. Exemplum eſt apud Livium, lib. XLII: *Coronæi & Haliartii, favore quodam inſito in reges, legatos in Macedoniam miſerunt præſidium petentes quo ſe adverſus impotentem ſuperbiam Thebanorum tueri poſſint. Cui legationi reſponſum ab rege eſt, præſidium ſe ob inducias cum Romanis factas mittere non poſſe.* Apud Thucydidem libro quarto Braſidas Mendam civitatem ab Athenienſibus ad Lacedæmonios deficientem induciarum tempore recipit: ſed additur excuſatio, quia habebat quæ ipſe viciſſim Athenienſes criminaretur.

2. Derelicta ſane occupare licet, dum vere derelicta, id eſt eo animo ne amplius ſint quorum fuerant; non ſi incuſtodita, ſive cuſtodia ante inducias, ſive factis induciis omiſſa ſit. Dominium enim manens injuſtam facit alterius poſſeſſionem. Quo refellitur Beliſarii adverſus Gothos cavillatio: qui tali obtentu loca præſidiis nudata per inducias invaſerat. *Proc. II. Goth.*

COMMENTARIUS.

QUid tempore induciarum liceat vel non colligit Auctor ex ipſa definitione: illiciti enim omnes actus bellici ſive in perſonas ſive in res, idque procul dubio intelligendum tam de actibus belli doloſis quam violentis; quippe ut juſtum bellum, id eſt, ſolenne, facultatem tribuit hoſtem quovis modo ſive dolo ſive violentia lædendi, ſic induciarum tempore

nec

nec uno nec altero modo lædere hoſtem licet, hinc per induciarum tempora non magis licet hoſtium loca auro quam vi expugnare, derelicta vero loca occupare licet, dum vere derelicta, alias ſecus. Derelicta vero haberi nequeunt loca, quæ incuſtodita, vel ob penuriam neceſſariorum deſerta, quamobrem Beliſarius per inducias jure occupare non potuit oppida, quæ hanc ob cauſam deſeruerant.

IX. 1. Quæritur an qui vi majore impeditus quo minus recederet, intra fines hoſticos deprehenditur poſtquam exierint induciæ, jus redeundi habeat. Si jus externum gentium reſpicimus, non dubito quin hic par ſit ei qui cum in pace veniſſet bello repente exorto inter hoſtes fato ſuo deprehenditur, quem captivum manere ad pacem uſque
Lib. III. c. 9. ſupra notavimus; neque juſtitia interna deeſt quatenus bona & actiones hoſtium pro debito civitatis obligantur, & in ſolutum capiuntur: nec magis hic quod queratur habet quam tot alii innocentes in quos bellorum mala recidunt.

L. Cæſar. l. interdum §. ſi propter. D de public. 2. Nec quæ de commiſſi cauſa circa merces tractantur adferri huc debent; nec quod apud Ciceronem eſt de inventione ſecundo, de nave roſtrata vi ventorum in portum delata, quam ex lege quæſtor publicari volebat. Ibi enim vis major a pœna liberat; hic proprie de pœna non agitur, ſed de jure quod certo tantum tempore interquieſcebat. Tamen quin talem remittere benignius, quin & generoſius ſit, nullam habet dubitationem.

COMMENTARIUS.

Si nobiſcum, inquit Albericus Gentilis *de Jur. Bell.* ſit hoſtis, & ultra conditum induciarum tempus per caſum fortuitum detineatur, puta per valetudinem vel per adverſam maris tempeſtatem, quo minus abnaviget: ei ego jus tribuendum induciarum exiſtimo. Neque enim is contra inducias fecit, per quem nec ſtetit, quo minus ex conventu abiret. Et ita definit lex, quæ ait, quod ſi ante idus Martias ex inſula abeundum ſit: & abitum ſit, ſed reditum in eam ſit tempeſtate adverſa, aut etiam factum per hanc ſit, ne abiretur, non videri contra legem factum, quæ abire jubet. Et ſatisfacit, qui ex portu ſolvit ante eum diem, etiam & qui incepit ſolvere.

X. Sunt & quædam per inducias illicita, ob ſpecialem conventionis naturam; ut ſi tantum ſepeliendorum hominum cauſa datæ ſint induciæ, nihil erit immutandum; ſic ſi obſeſſis datæ induciæ tantum ne oppugnentur, jam auxilia & commeatus admittere non licebit. Nam cum tales induciæ alteri partium proſint, non debent interim ejus qui dedit cauſam duriorem facere. Interdum & convenit ne commeare liceat. Interdum perſonis cavetur, non & rebus: quo caſu ſi ad res defendendas lædantur perſonæ, nihil contra inducias fiet: nam cum liceat res defendere, perſonarum ſecuritas ad id quod principale eſt, non quod in alicujus conſequentiam venit, referenda eſt.

COMMENTARIUS.

Statuit Pufendorfius in quavis induciarum ſpecie actus mere defenſivos eſſe licitos, licet forte ſub alio prætextu induciæ ſint petitæ & obtentæ. Unde non illicitum putat, ſi tantum induciæ datæ ad cæſos ſepeliendos, ſeſe in locum tutiorem recipere aut munitionibus circumdare.

dare. Aut ſi obſeſſi per inducias ſibi duntaxat ſtipulati ſunt, ne oppugnentur, auxilia ab iiſdem aut commeatus admitti. Nec Grotii ratio ſufficere videtur Puſendorfio: nam cum nullo pacto jus ſe defendendi videtur abdicare, ipſe qui tales inducias conceſſit, ſuæ facilitati & imprudentiæ adſcribat, qui non ſatis cavit, ne hoſtis ſeſe interim confirmare poſſit. Verum eorum ſententiæ ſubſcribo, qui cum Auctore noſtro ſtatuunt, nihil immutandum induciarum tempore pendente: eo enim animo dari ſolent, ut interim maneant in eodem ſtatu, in quo erant, cum datæ induciæ. Itaque mea ſententia peccavit Philippus, qui petitis induciis ad cæſos ſepeliendos ſe recepit in loca tutiora, inquit Alberic. Gent. *d. l.* vid. Liv. *lib.* 31. Et is, inquit, peccavit tanto certius, quanto ad rem certam inducias impetravit. Sic & peccaſſe Mompenſerium ſtatuit, qui, teſte Guicciardino *lib.* 2. pactus arcem dedere, ſi intra menſem auxilia non adeſſent, diſcedit ilico munita arce. Contra jus quoque induciarum eſt accipere tum milites in obſeſſum oppidum. Nam hoc eſt gerentis bellum, non quieſcentis vel feriantis. Et ſic Tiſſaphernes nec ſervaſſe inducias dicitur, qui ad bellum interea ſe compararet, ut videre eſt apud Cornel. Nep. *Ageſilao.* Pactum vero initum de perſonis lædendis non violari, ſi prædæ abigantur, lædantur res, docet Bartolus, ſed tamen ſi pro rerum defenſione accurritur, non violata dicuntur pacta, etiamſi perſonæ prædatorum offendantur: offenſio enim hæc defenſio eſt. Et credendum non eſt, quod quiſquam promiſerit, paſſurum ſe, res ſuas rapi, rumpi.

XI. Si fides induciarum a parte altera rumpatur, quin læſo liberum ſit etiam ſine indictione ad arma venire, fruſtra dubitatur. Nam capita conventionis inſunt conventioni per modum conditionis, ut paulo ante diximus. Reperias quidem in hiſtoriis exempla eorum qui ſuſtinuerint in finem induciarum: ſed & bellum illatum Hetruſcis & aliis, quod contra inducias feciſſent, legas: quæ diverſitas argumento eſt jus ita eſſe ut dicimus, ſed eo jure uti vel non uti, in arbitrio eſſe ejus qui læſus eſt. *Libro hoc c. XIX. ¶. 14. & XX. ¶. 33. Liv. lib. IX. & XI.*

XII. Illud conſtat, ſi pœna conventa poſcitur & perſolvitur ab eo qui contra fecit, jam bellandi jus non eſſe. Ideo enim pœna ſolvitur ut cætera ſalva maneant. Et contra, ſi bellum moveatur, receſſum a pœna cenſeri debet, quando optio data eſt.

XIII. Privata tamen facta non rumpunt inducias, niſi publicus actus accedat, puta imperii aut ratihabitionis, quæ etiam intelligitur accedere, ſi qui deliquerint, nec puniantur nec dedantur: ſi non reddantur res.

COMMENTARIUS.

Quod ſi induciæ rumpantur, læſo liberum eſt abſque nova denunciatione ſive indictione ad arma redire, ut alibi annotavimus. Quanquam & ſi velit, ad induciarum terminum quieſcere poteſt. Quod ſi de certa pœna ſit conventum, exſolvenda ab eo, qui prius inducias violavit, ubi illa penſantur ab eo, qui contra inducias fecit, bellandi jus læſo non eſſe poteſt; quippe eum in finem adjecta & inſerta induciarum capitibus, ut, eo perſoluto, ceſſaret bellum. Contra ſi læſus bellum moveat, præſumitur renunciaſſe juri, quod habebat expoſcendi pœnæ perſolutionem. Etſi & illud pacto repugnare videatur Puſendorfio, neglecta pœna ſtatim ad arma ruere. Nam regulariter, inquit, non ita ſolet conveniri, ut optio ſit alteri, pœnam commiſſam recipere, an arma reſumere velit. Cæterum privata facta non rumpunt inducias, niſi publicus actus acceſſerit.

XIV. Jus commeandi extra inducias privilegium quoddam eſt, quare in ejus interpretatione ſequenda ſunt quæ de privilegiis traduntur. Eſt autem hoc privilegium neque tertio noxium neque danti admodum grave: Ideo intra verborum proprietatem laxa magis quam ſtricta interpretatio admittenda eſt, eoque magis ſi non petenti da- *Vide ſupra l. 11.*

c. xvi. ¶. 12. tum beneficium ſed ultro oblatum ſit; multoque magis, ſi ultra privatam publica quædam utilitas in negotio vertatur. Rejicienda ergo Can. in c. ſtricta interpretatio etiam quam ferunt verba, niſi alioqui abſurdum cum in aliquod ſequeretur, aut eo ducant probabiles admodum voluntatis cunctis, conjecturæ. Contra vero etiam extra proprietatem laxior interpreta- ¶. cum vero: de tiolocum habebit, ut ſimile abſurdum vitetur, aut ex valde urgenti- elect. bus conjecturis.

XV. Hinc colligimus datum militibus commeatum non ad medios tantum ſed & ſummos duces porrigi: quia verbi proprietas admittit eam ſignificationem, quanquam eſt & alia ſtrictior. Sic nomi- L. 1. ¶. 1. ne clericotum venit epiſcopus. Etiam qui in claſſibus ſunt nautæ mi- D. de bon. poſſ. ex lites intelliguntur, & omnes omnino qui ſacramentum dixerunt. teſt. mil.

XVI. 1. In itu cautum & de reditu cenſetur, non hoc ex vi verbi, ſed ut abſurdum vitetur: neque enim inutile eſſe beneficium debet. Diod. Et abitus tutus intelligendus uſque dum eo pervenerit ubi in tuto ſit, Sic. lib. unde Alexandri fides accuſata, qui quibus abitum indulſerat eos in ipſo xvii. itinere juſſit interfici.

2. At cui abire datum, non & redire: ſed nec cui venire conceſſum eſt mittere poterit: nec contra: ſunt enim hæc diverſa, nec extra verba exſpatiari ratio cogit: ita tamen ut error etſi jus non det, a pœna certe ſiqua adjecta eſt relevet. Sed & cui venire permiſſum eſt, ſemel veniet, non iterum, niſi temporis adjectio aliam ſuppeditet conjecturam.

XVII. Patrem filius, uxor virum non ſequitur aliter quam in jure L. pe- commorandi. Nam morari ſolemus cum familia, peregrinari ſine nult. de ea. Famulus tamen unus aut alter etiamſi expreſſus non ſit compre- Precario. henſus cenſebitur in eo quem ſine tali comitatu ire indecorum foret. Abbas c. Nam qui aliquid concedit, concedit quæ neceſſario ſequuntur. Ne- quam ſit. ceſſitas autem hic moraliter intelligenda eſt. de Judais.

XVIII. Similiter bona non quævis comprehendentur, ſed quæ ſolita ſunt ad iter aſſumi.

XIX. Expreſſo comitum nomine non ſunt intelligendi hi quorum cauſa magis eſt odioſa quam ipſius cui proſpicitur. Tales ſunt piratæ, latrones, transfugæ, deſertores. Gentis expreſſum nomen in comitibus ſatis oſtendit facultatem ad alios non porrigi.

Lib. 11. XX. Jus commeandi cum veniat ex vi poteſtatis, in dubio non c. 14. ¶. exſtinguitur morte concedentis, ſecundum ea quæ alibi diximus de 11, 12. regum & aliorum imperantium beneficiis.

XXI. Diſputari ſolet de eo quod dictum eſt in hunc modum, *quamdiu voluero*. Et verior eſt ſententia eorum qui exiſtimant durare beneficium tale etiam ſi novus volendi actus non intercedat, quia du- Canon. in rate in dubio præſumitur, quod ad juris effectum ſufficit; non etiam c. ſi gra- ubi is qui conceſſit deſiit poſſe velle, quod per mortem contingit. Per- tioſe, de Reſcr. in ſona enim ſublata collabitur etiam illa præſumtio durationis, ſicut ac- vi. cidens interitu ſubſtantiæ.

XXII.

XXII. Commeandi autem ſecuritas ei cui data eſt debetur etiam extra territorium concedentis: quia datur contra jus belli, quod per ſe territorio non includitur: ut alibi a nobis dictum eſt. *L.* III. c.v.¶.8.

COMMENTARIUS.

JUs commeandi, quod ſalvi conductus quoque nomine appellatur, definiri poteſt, quod ſit *juſtum immunitatis ab offenſione, damno & inquietatione præſidium.* Quia vero ejuſmodi jus commeandi extra inducias privilegium eſt, in ejus interpretatione ſequenda, quæ *lib.* 2. *cap.* 16. annotavimus. Solet autem ex bono intelligi & ex æquo & large, abſque cavillationibus, ob rationem ab Auctore adductam, quam ſubjunctis illuſtrat exemplis. Unde ſequitur datum militibus commeatum non ad medios tantum, ſed etiam ſummos duces porrigi. Quamobrem, nti annotavit Henninges, merito Laurentius Medlces a Guicciardino perfidiæ reus notatus eſt, qui, dato commeatu Suareſio & ſociis, Horatinm deinde tanquam Eccleſiæ ſubditum retinuit, quaſi is nominatim in ſalvo conductu exprimi debuiſſet. *Scuſando*, inquit, *la infamia della federatta con falſe cavillationi, come ſe fuſſo ſtato neceſſario nominare eſpreſſamento nel ſalvo condotto Oratio ſubdito per origine della Chieſa & ſegretario del inimico.* In itu quoque cautum de reditu cenſetur: ſecuritas enim veniendl includit ſecuritatem recedendi, Gail. *lib.* 1. *obſerv.* 52. alias ſecure venire non dicitur, cui denegatur ſecure recedere. Si qui tamen dedit hoſti abitum, non tamen dediſſe eodem reditum videbitur. Nam ut tutus receſſus debeatur venienti ad ſe hoſti, ea ratio eſt, quod alias non ad aliam rem eſſet conſultum, quam ut certus in poteſtatem hoſtis veniret, quod petitum ridiculum foret & per ſtultitiam, uti inquit Alberic. Gentil. *lib.* 2. *cap.* 14. Conceſſo marito ſalvo conductu etiam uxori prodeſt, arg. *l. penult. ff. de precar. Cum precario quis rogat, ut ipſi in eo fundo morari liceat, ſupervacaneum eſt adjici ipſi ſuiſque: nam per ipſum ſuis quoque permiſſum uti videtur*, inquit Juriſconſultus. Vid. *l.* 3. *ff. de uſu & habit.* Etiam in perſonaliſſimis actibus inſeparabiles perſonæ excluduntur. Et ubicunque mentio de ſe, de ſua perſona non tantum propria intelllgitur, ſed & neceſſaria omni alia uxore, liberiſque. Uxor gaudet privilegio mariti, *l.* 1. *Cod. de ux. immunit.* cum uxor & marltus ſint unum corpus, imo ad totam familiam pertinet; immunitas enim conceſſa domino, pro ejus familia conceſſa quoque intelligitur, uti tradit Boer. *deciſ.* 213. Si homini datus ſalvus conductus, etiam rebus competit hominis, etiam comitibus, qui in profectionem electi ſive in principio, ſive poſt adſciti, vel in itinere, ut ſtatuit Gentilis, tum Boer. *deciſ.* 179. Aſt vero comitum nomine comprehendi non ſolent piratæ, latrones vel transfugæ: non enim induciæ, nec aliud jus ad eos pertinet. Jus commeandi quando finem habeat ex iis, quæ alibi diſputavimus, perſpici poteſt. Quæri etiam ſolet an ſalvus conductus finiatur morte concedentis? Diſtincte D. D. ad hanc quæſtionem reſpondent. Aut conceſſus eſt liber commeatus verbis perſeverantium voluntatis ſignificantibus; puta, ad arbitrium vel voluntatem ſive beneplacitum concedentis, quæ cum morte exſtinguitur *l.* 4. *ff. locat.* una cum arbitrio, voluntate & beneplacito ſimul & liberum commeatum exſtingui neceſſe eſt: niſi relata fuerint verba ad beneplacitum dignitatis ſive magiſtratus, qui cum concedente non moritur, *l.* 76. *ff. de jud.* nec cum ipſo fides publica concidit. Aut conceditur verbis poſitivis, puta, donec revocavero vel donec mutavero: & hoc caſu ſalvus conductus non exſpirat morte concedentis, ſed requiritur expreſſa revocatio. Etſi enim voluntas morte exſpiret, per mortem tamen non dicitur revocata: *l.* 4. *ff. de manum. vind.* Arumæus *de Jur. pub.*

XXIII. Captivorum redemtio multum habet favoris, maxime apud Chriſtianos, quibus lex divina hoc miſericordiæ genus peculiariter commendat. *Captivorum redemtio, magnum atque præclarum juſtitiæ munus eſt*: verba ſunt Lactantii. Ambroſio captivos redimere, maxime ab hoſte barbaro, præcipua & ſumma liberalitas vocatur. Idem defendit ſuum & Eccleſiæ factum, quod vaſa eccleſiæ, etiam initiata, confregerint ut captivi redimerentur. *Ornatus*, inquit, *ſacramentorum, redemtio captivorum eſt*, & multa alia in eandem ſententiam. *Mat.* xxv. 36, 39. *Lib.* VI. *Lib.* II. *off. c.* 28. *L.* II. *c.* 29. ¶. 3.

XXIV. 1. Quibus adducor ut non audeam indiſtincte probare leges illas quæ captivos redimi vetant, quales apud Romanos fuiſſe *Livius* legi-

lib. xxii. ibid. legimus: *Nulli civitati viliores captivi quam noſtræ*, ait in Senatu Romano quidam. Eadem civitas Livio dicitur minime in captivos jam inde antiquitus indulgens. Nota eſt in hanc rem Horatii ode, ubi captivos redimere vocat conditiones fœdas, & exemplum perniciem trahens: flagitio additum damnum. Sed quod Ariſtoteles in Laconum inſtitutis reprehendit, idem in Romanorum culpari ſolet: nimis ſcilicet illa omnia directa ad res bellicas, quaſi in illis ſolis ſalus civitatis conſiſteret. Atqui ſi rem humanitatis modo æſtimamus, ſatius ſæpe eſſet jus quod bello petitur amitti, quam plurimos homines, & quidem cognatos aut populares, relinqui in graviſſimis ærumnis.

2. Non videtur ergo lex talis juſta, niſi appareat opus tali rigore ut majora aut plura mala alioqui moraliter inevitabilia caveantur. Nam in tali neceſſitate, cum ipſi captivi ex caritatis lege ſuam ſortem patienter ferre debeant, poteſt hoc eis injungi, & aliis ne quid contra faciant præcipi, ſecundum ea quæ de cive ob bonum publicum dedendo ſcripſimus alibi. Lib. 11. c. xxv. §. 3.

COMMENTARIUS.

NOn Chriſtianis duntaxat ſed omnibus omnino hominibus hoc caritatis atque miſericordiæ officium impoſuit lex moralis, quamobrem non tam commendat quam quidem præcipit & ad illud obligat. Unde in Talmude ſcribitur, magnum præceptum eſt redemptio captivorum; maxime hoc caritatis & miſericordiæ officium præſtare nos oportet, ſi quis apud barbaros captivus detinetur, in quorum redemptione etiam ſacra vaſa Eccleſiæ conflari haud abſurdum eſt. Quamobrem pro redemptione captivorum parochianorum res parochiæ diſtrahi poſſunt. *c. ſicut omnino.* 12. *q.* 2. *& ſacris eod.* Hoc caritatis atque miſericordiæ officium leges Romanæ aſpernari videntur. Hinc Annibali, qui Romanis captivos, ut redimerentur, obtulit, a Senatu reſponſum eſt: *Eos cives non eſſe neceſſarios, qui cum armati eſſent, capi potuiſſent.* vid. Liv. *lib.* 22. 60. 63. *Longe feliciſſimum in bellis eſt vincere! fortiſſimum ſi victoria non detur, pro cauſa mori. Eſt tamen tertium aliquod inter dedecora, in patriam certe redire, & ſi vincere non detur, effugere. Poteſt enim credi qui hoc fecit, ad ſecundam ſe aciem ſervaſſe, & victum adverſis animum repoſuiſſe. Ille vero qui ſe inter virtutem hoſti dedit, qui abjectis armis paratas in vincula præbet manus, quam tandem ſpem nobis in poſterum facit? Quæ ſpes in milite reſidua eſt, ſi nihil potius fuerit quam capi?* Verum videndum quid caritas, quid neceſſitas & Reipublicæ ſalus efflagitat: poteſt enim aliquando juſta ſubeſſe cauſa, cur opus ſit tali rigorenti.

XXV. Non ſunt quidem moribus noſtris ſervi qui bello capiuntur: non dubitem tamen quin jus exigendi pretium redemtionis a capto poſſit ab eo qui captum tenet in alium transſcribi: nam & incorporalia alienari natura patitur.

XXVI. Et poteſt idem pluribus debere pretium, ſi ab uno dimiſſus, pretio nondum ſoluto, captus ſit ab alio: ſunt enim diverſa hæc debita ex diverſis cauſis.

XXVII. Conventio de pretio facta reſcindi non poteſt eo quod captus intelligatur locupletior quam credebatur: quia jure gentium externo, de quo quærimus, nemo cogitur ſupplere quod in contractu minus æquo pretio promiſit, ſi dolus non interceſſit; ut intelligi poteſt ex his quæ de contractibus ſupra a nobis explicata ſunt. L. 11. c. 12. §. 26.

XXVIII. Ex eo quod diximus captivos noſtros ſervos non eſſe, ſequitur ceſſare illam acquiſitionem univerſalem; quam acceſſionem

eſſe dominii in perſonam diximus alibi. Non alia ergo captori acquirentur quam quæ ſpecialiter apprehenderit: quare ſiquid clam ſecum habet captivus, non erit acquiſitum, quia nec poſſeſſum. Sicut Paulus Juriſconſultus contra Brutum & Manilium reſpondit, qui fundum poſſeſſione cepit, theſaurum quem in fundo eſſe neſciat, non cepiſſe: quia qui neſcit nequeat poſſidere. Cui conſequens eſt, ut res eo modo celata ad redemptionis pretium ſolvendum prodeſſe poſſit, quaſi retento dominio.

L. III. c. VII. ¶. 4.
L. poſſideri. ¶. Neratius D. de acqu. poſſ.

XXIX. 1. Quæri & hoc ſolet, an pretium conventum & ante mortem non ſolutum ab herede debeatur. Expedita mihi videtur reſponſio, ſi in carcere mortuus eſt non deberi: promiſſo enim inerat conditio ſi liberaretur, mortuus autem non liberatur. Contra, ſi mortuus eſt cum in libertate eſſet, deberi. Jam enim lucratus erat id pro quo promiſſum erat pretium.

2. Plane fateor & aliter conveniri poſſe, ut ab ipſo contractus momento pure debeatur pretium, & captivus tantum retineatur, non jam ut jure belli captus, ſed ut a ſe oppignoratus: Et contra pactum iniri poſſe, ut procedat pretii ſolutio, ſi die præſtituto, qui captus ſit, liber vivat. Sed hæc ut minus naturalia non præſumuntur acta niſi manifeſtis documentis.

XXX. Proponitur & illud, an in carcerem redire debeat qui dimiſſus eſt ſub pacto, ut faceret dimitti alterum qui factum morte prævenerit. Diximus alibi, factum tertii liberaliter promiſſum ſatis impleri ſi nihil omittitur ex parte promiſſoris: at in oneroſis obligari promiſſorem ad id quod tantundem valet. Sic ergo in propoſita quæſtione non tenebitur quidem dimiſſus reddere ſe cuſtodiæ; neque enim id conventum fuit, neque tacite actum intelligi patitur favor libertatis, neque debebit lucrifacere libertatem: ſed ejus quod præſtare non poteſt æſtimationem præſtabit. Hoc enim naturali ſimplicitati congruentius, quam quæ in actione de præſcriptis verbis & de conditione ob cauſam dati cauſa non ſecuta Romani juris interpretes tradunt.

L. II. c. XI. ¶. 22. & XV. § 16. Hoc libro c. XX. §. 58.
L. naturalis. §. 1. de praſc. verb. l. ult. D. de cond. ob cauſ. dati.

COMMENTARIUS.

QUamvis moribus noſtris captus ſervus non fiat, ut alibi annotavimus, poteſt tamen jus in captivum in alterum transſcribi, & ſi quis eſt captus & dimiſſus ſub fide, iterum vero ab alio capitur, atque iterum ab alio, debet ſingulis pretium. Si ſemel conventum de pretio ſit, tum augeri illud non poteſt ſub prætextu, quod majoribus pollet opibus quam credebatur, ſcilicet ſi nulla interceſſit captivi fraus. Nemo ex dolo ſuo lucrum facere poteſt. Prælii pro libertate conſtituendi gratia & ratio habetur, quæ viribus & facultatibus captivi conveniat, eaque ſemel pacta & conſtituta pro libidine victoris augeri non debet. Guid. Pap. *q.* 113. Sicuti cum perſona captivi non tranſire videntur in poteſtatem & dominium capientis ſive victoris, quæ clam forte habuit, & proinde non ſpecialiter apprehenderit victor. Sicut non dicitur captus, qui in utero eſt, matre capta: adeoque naſcitur liber. Hinc in ſolutionem dari poteſt pro pretio redemptionis vel ejus parte, ſi quos nummos clam ſecum habuit captivus. Quæri etiam ſolet, num pretium redemptionis conventum & ante mortem non ſolutum debeatur ab herede? Quam quæſtionem diſtinctionis ope præclare definit Auctor. Vid. Alberic. Gentil. *lib.* 2. *cap.* 5. Si pretio redemptionis convento ſed non exſoluto in bello legitimo captus vel aufugerit, vel ad

certum tempus dimiſſus, juri captivitatis, tempore lapſo, non ſatisfecerit, contra eundem ejuſve mortui in libertate hæredes captor rationε lytri conventi actionem habeat, inquit Stamm. *de ſervit. perſon. lib.* 3. *cap.* 5. niſi aliter convenerit. Quod alteram quæſtionem attinet §. 30. propoſitam, vid. quæ annotavimus *lib.* 2. *cap.* 11. §. 22. & *cap.* 15. §. 16. quæ cum hiſce conferenda.

C A P U T XXII.

De fide minorum poteſtatum in bello.

I. *Ducum genera.*
II. *Quatenus eorum pactio obliget ſummam poteſtatem:*
III. *Aut occaſionem obligationi det.*
IV. *Quid ſi factum quid contra mandatum? ubi diſtinctiones adhibentur.*
V. *An tali caſu pars altera obligetur.*
VI. *Quid belli duces aut magiſtratus poſſint circa inferiores ſe, aut pro iiſdem.*
VII. *Pacem facere ducum non eſſe:*
VIII. *An inducias dare, diſtinguitur.*
IX. *Quæ ſecuritas perſonarum, quæ res ab ipſis concedi poſſint.*
X. *Stricte interpretanda talia pacta, & quare?*
XI. *Quomodo interpretanda deditio a duce accepta.*
XII. *Quomodo cautio, ſi regi aut populo viſum fuerit.*
XIII. *Quomodo promiſſum de oppido tradendo.*

L. conventionum. D. de pactis. I. Inter publicas conventiones Ulpianus & hanc ſpeciem poſuit, *quoties inter ſe duces belli quædam paciſcuntur.* Nos diximus poſt fidem datam a ſummis poteſtatibus, agendum & de ea quam dant minores inter ſe aut aliis: ſive minores illi ſummis ſint proximi, quales ſunt duces excellenter dicti, *Lib.* IV. de quibus illud Livii capiendum: *Nec ducem novimus niſi cujus auſpicio bellum geritur:* ſive longius remoti; quos ſic diſtiuguit Cæſar: *aliæ ſunt* *Comm.* III. *legati partes, aliæ Imperatoris. Alter agere ad præſcriptum, alter libere ad ſummam rerum conſulere debet.*

II. Eſt autem in horum promiſſis duplex inſpectio. Nam aut hoc *L.* II. *c.* XI. §. 12. quæritur, an ſummam poteſtatem obligent, aut an ſe ipſos. Prior quæſtio definienda eſt ex eo quod alibi diximus, obligari nos & per eum quem voluntatis noſtræ miniſtrum elegerimus, ſive voluntas illa ſpecialiter expreſſa eſt, ſive ex ipſa præpoſitionis natura colligitur. Nam qui dat facultatem, dat quantum in ſe eſt quæ ad facultatem ſunt neceſſaria, quod in materia morali intelligendum eſt morali modo. Duobus ergo modis poteſtates minores ſupremam ſuo facto obſtringunt, faciendo id quod probabiliter ipſorum officio contineri cenſetur, aut etiam extra illud ex ſpeciali propoſitione nota publice aut iis quorum res agitur.

III. Sunt & alii modi quibus poteſtas ſumma obligatur, antecedente miniſtrorum facto, ſed non ita ut id factum cauſa ſit proprie dicta, ſed ut occaſio ſit obligationis: idque dupliciter, vel per conſenſum, vel per rem ipſam: Conſenſus apparet ratihabitione, non tantum expreſſa ſed & tacita, id eſt ubi ſcivit ſumma poteſtas quod actum erat, & fieri paſſa eſt, quæ ad aliam cauſam referri probabiliter non poſſunt. Quod ipſum quomodo procedat alibi tractavimus. *Lib.* II. *c.* IV. ¶. Per rem hactenus obligantur ne locupletiores fiant aliena jactura, id eſt ut aut contractum præſtent ex quo commodum volunt conſequi,

aut

aut de commodo diſcedant, de qua æquitate itidem a nobis alibi di- *5. & c.*
ctum eſt. Et hactenus nec ultra recipi poteſt, quod dicitur valere ſi *xv. ¶. 17. Lib. 11.*
quid utiliter geſtum eſt. Contra vero ab injuſtitia excuſari non poſ- *c. x. ¶. 2.*
ſunt, qui cum pacta improbent tamen retinent quod ſine pactis non
haberent: ut cum Senatus Romanus, narrante Valerio, factum *Lib. ix.*
Cn. Domitii neque probare potuit neque reſcindere voluit: qualia *1.*
multa in hiſtoriis occurrunt.

COMMENTARIUS.

QUæ Auctor noſter hoc & ſeqq. capitibus diſputat, de iis egimus etiam alibi, quamobrem prolixa commentatione lectorem non fatigabimus. Conventiones aliæ privatæ, aliæ publicæ. In publicarum numero etiam poni ſolent ejuſmodi conventiones, quas faciunt belli duces, veluti de induciis, de redemptione captivorum, ſepeliendis cadaveribus, & id genus alias: publicam enim perſonam ſuſtinent a Rege in ſtatu Monarchico, vel in Democratico a Republica ſibi impoſitam, itaque quidquid nomine dignitatis vel muneris, quo ornati, agunt, publico nomine egiſſe videntur, & proinde ejuſmodi actus, quaſi a Republica profecti, publici dicuntur. Sunt autem belli duces non ejuſdem generis, uti Auctor docet, pro dignitatis menſura etiam agendi & conveniendi facultas vel amplior vel arctior, cujuſmodi diſtinctio maxime uſu venit, quando de vi & efficacia obligationis, quam late ea patet, diſputandum, quæ ex conventione ducis procedit & naſcitur, atque proinde Rempublicam devincit ad præſtandum quod promiſſum. Quippe dubitari nequit, quin ſemetipſos obligent promittendo: hanc facultatem quiſque habet, qui ſui juris eſt, verum ejuſmodi promittendi actus publicus dici nequit, ſi in propria ducis cauſa proprioque negotio: non eatenus tanquam a privata & Reipublicæ cive vel ſubjecto profectus cenſeri debet, quamobrem obligatio, quam pariunt ejuſmodi promiſſa, non egreditur perſonam promittentis, quamobrem ſingularis, non univerſalis eſt, id eſt, ſummam poteſtatem ſive univerſam Rempublicam non obligant, ſed promiſſorem duntaxat. Verum hic quæritur, an non etiam ſummam poteſtatem ſive Rempublicam ducum conventiones vel promiſſa aut pacta? Et dicendum etiam obligari ſummas poteſtates per minores, quo nomine duces deſignare voluit Auctor, ſive excellenter ita dictos, id eſt, ſummis poteſtatibus proximos, ſive longius remotos. Quippe non ſolum quiſque non ſe ipſum duntaxat, uti dicere incepimus, obligandi facultatem habet, ſed etiam in alterum transferre poteſt, quem voluntatis ſuæ miniſtrum eligere ipſi placet, ſive voluntas illa expreſſa eſt, ſive ex ipſo præpoſitionis natura colligitur, quemadmodum annotavimus *lib.* 2. *cap.* 11. §. 12. Unde ſequitur, poteſtates minores, quarum nomine duces hic veniunt, ſupremam poteſtatem ſive Rempublicam ſuo facto obſtringere faciendo id, quod ex officio eorum probabiliter cenſetur: nam quod faciunt nomine officii ſive dignitatis, ipſa Reſpublica ſive ſumma poteſtas feciſſe cenſetur, cujus perſonam ſuſtinent. Ideoque ex ejuſmodi conventionibus tanquam publicis, & a populo ipſo factis, cives omnes obligari neceſſe eſt. Quippe, qui in me ejuſmodi officium contulit, ſimul mihi quoque conceſſiſſe facultatem intelligi debet faciendi & agendi omnia, quæ ejuſdem ſunt quaſi acceſſoria & neceſſaria. Sic cui juriſdictio demandata, ea ſimul omnia mandata cenſeri debent, ſine quibus ea explicari nequit. Atque in omnibus ejuſdem naturæ actibus perſonam ſuſtinet ejus, a quo facultatem illam accepit, ſed hæc omnia latius alibi explicavimus. Poteſt etiam contingere, ut miniſtrorum factum non cauſa, ſed occaſio ſit obligationis ſummæ poteſtatis, puta, quando hujus conſenſus accedit, ratihabitione vel expreſſa vel tacita, aut re ipſa naſcatur obligatio, quatenus locupletior factus ſit. Vid. quæ annotavimus *lib.* 2. *cap.* 15. §. 17. & *cap.* 10. §. 2. ubi ea, quæ ad explicationem eorum, quæ hic tractantur, pertinent, annotavimus.

IV. 1. Illud quoque ex ſupra a nobis dictis repetendum eſt, obli- *L. 11. c.*
gari eum qui præpoſuit, etiam ſi præpoſitus fecit contra mandata ar- *xi. ¶ 12.*
cana, intra limites tamen publicæ functionis. Hanc æquitatem recte *& 13.*
ſecutus eſt Prætor Romanus in inſtitoria actione: neque enim omne *L. cui-*
quod cum inſtitore geritur obligat eum qui præpoſuit, ſed ita ſi ejus *cumque.*
rei gratia cui præpoſitus fuerit contractum eſt. De quo autem palam *¶. non*
proſcriptum fuit ne cum eo contrahatur, is præpoſiti loco non habe- *tamen D. de inſt. act. l.*

de quo & ¶. perſcribere, & ¶. proſcriptum. cod. tit.

bitur: quod ſi proſcriptum quidem ſit ſed non pateat, tenetur qui præpoſuit. Conditio quoque præpoſitionis ſervanda eſt: nam ſi quis ſub certa lege vel interventu cujuſdam perſonæ contrahi voluit, æquiſſimum erit id ſervari in quo præpoſitus eſt.

2. Cui conſequens eſt, ut alii reges aut populi magis alii minus ex ducum ſuorum contractibus teneri poſſint, ſi ſatis notæ ſint ipſorum leges atque inſtituta. De his ſi non conſtat, ſequendum eſt quod conjectura dictat, ut conceſſum intelligatur id ſine quo ſatis commode quæ officii ſunt expediri non poſſunt.

3. Mandati fines ſi exceſſerit minor poteſtas, tenebitur ipſa, ſi quod promiſit præſtare non poteſt, ad æſtimationem: niſi lex aliqua ſatis cognita id quoque impediat. Quod ſi dolus acceſſerit, id eſt, ſi præ ſe tulcrit jus majus quam habebat, jam tenebitur & de damno culpa dato, imo & ex crimine ad pœnam crimini reſpondentem. Ex priore cauſa bona obligantur, & ſi ea deficiant operæ, aut libertas corporis: ex poſteriore quoque perſona, aut bona, aut utrumque, pro delicti quantitate. Quod autem de dolo diximus procedet etiam ſi quis teſtationem interpoſuerit ſemetipſum obligari nolle, quia & damni dati & pœnæ juſtæ debitum cum delicto non voluntario ſed naturali nexu cohærent.

V. Quia vero ſemper aut ſumma poteſtas obligatur, aut miniſter ejus, ideo & certum eſt partem alteram obligari, nec dici poſſe claudicare contractum. Egimus de comparatione eorum qui medii ſunt ad ſuperiores.

VI. Videamus & quid in inferiores poſſint: Nec puto dubitandum quin dux milites, magiſtratus oppidanos obligent intra eos actus qui ſolent ab ipſis imperari: alioqui conſenſu opus eſſet. Contra, ducis aut magiſtratus pactum inferioribus proderit in mere utilibus omnino: id enim in poteſtate comprehenſum ſatis eſt: in his quæ onus annexum habent, intra ea quæ imperari ſolent, omnino; extra ea, ita ſi acceptaverint: quæ congruunt his quæ de ſtipulatione pro tertio ex naturali jure alibi diſſeruimus. Generalia hæc illuſtriora facient ſubjectæ ſpecies.

Alc. lib. VIII. conſ. 40.

L. II. c. XI. ¶. XIV.

COMMENTARIUS.

ALibi jam annotavimus, internuncium, etiamſi excedat arcana mandata, tamen obligare auctorem ſuum, ita tamen ut ſubſiſtat intra id, quod manifeſte præ ſe ferunt, ut videre eſt *lib.* 2. *cap.* XI. §. 12, 13. Atque hanc æquitatem ſecutus Prætor Romanus in inſtitoria actione, uti patet ex ll. ab Auctore allegatis, & iis, quæ alibi annotavimus. Quod ſi nullo caſu ſumma poteſtas obligetur, obligabitur tamen miniſter, atque hæc ſeſe ita habet in hiſce, qui medii ſunt ad ſuperiores; minores vero poteſtates obligant milites & magiſtratus oppidanos, intra eos ſcilicet actus, qui ſolent ab ipſis imperari.

VII. De belli cauſis & conſequentibus tranſigere ad belli ducem non pertinet, neque enim belli gerendi pars eſt bellum finire: imo etſi cum maxima poteſtate præpoſitus fuerit, ea de belli ductu erit intelli-

telligenda. Ageſilai reſponſum ad Perſas fuit εἰρήνης τὴν πόλιν εἶναι κύριον; *de pace conſtituendi jus eſſe civitati. Quam pacem A. Albinus cum Jugurtha rege Senatus injuſſu fecerat, Senatus reſcidit*, inquit Salluſtius. Et apud Livium Jugurth.
eſt: *quî rata iſta pax erit, quam non ex auctoritate Senatus, non juſſu popu-* Libr.
li Romani peregerimus? Sic Caudina, ſic Numantina ſponſio populum XXXVII.
Romanum, ut alibi expoſuimus, non obligavit. Et eatenus verum eſt illud Poſthumii, *ſi quid eſt in quo obligari populus poteſt, in omnia poteſt*, nempe eorum quæ ad ductum belli non pertinent; quod oſtendunt antecedentia, de deditione, de ſponſione relinquendæ aut incendendæ urbis, de ſtatu mutando.

VIII. Inducias dare ducum eſt, nec ſummorum tantum ſed & minorum, iis nempe quos oppugnant aut obſeſſos tenent, & ſe ſuaſque copias quod attinet. Nam alios duces pares non obligant, quod Fabii & Marcelli hiſtoria apud Livium declarat. L. XXIV.

IX. 1. Homines, imperia, agros, bello quæſita concedere iti- Juſt. lib.
dem ducum non eſt. Hoc jure Syria Tigrani ademta, quamquam Lu- XL. Liv.
cullus dederat. De Sophoniſba quæ bello capta erat ait Scipio, Senatus l. XXX. Caſt. de
populique Romani judicium atque arbitrium eſſe; ideo a Maſaniſſa, juſt. &
quo duce capta erat, libertatem ei dari non potuiſſe. In res alias quæ jure. l. I.
in præda ſunt, jus aliquod concedi imperantibus videmus, non tam ex vi poteſtatis quam cujuſque populi moribus: qua de re ſatis ſupe- Lib. III.
rius a nobis dictum eſt. c. VI. ¶. 15.

2. At nondum quæſita condonare omnino in ducum eſt poteſtate: quia oppida pleraque & homines ſæpe in bello dedunt ſe ſub conditionibus vitæ ſalvæ, aut & libertatis, aut & bonorum, de quibus ſummæ poteſtatis arbitrium exquiri res plerumque non patitur. Pari ratione jus hoc & ducibus non ſummis dandum eſt, intra ea quæ ipſis agenda commiſſa ſunt. Maharbal Romanis quibuſdam, qui ex prælio ad Thraſymenum evaſerant, ſatis longe abſente Annibale, fidem dederat non tantum vitæ, τῆς σωτηρίας, ut nimium conciſe narrat Polybius; ſed, ſi arma tradidiſſent, abire cum ſingulis veſtimentis paſſurum: retinet eos Annibal hoc cauſatus ὅτι Μαάρβας οὐκ εἴη κύριος ἄνευ τῆς αὐτοῦ γνώμης, διδοὺς τὴν ἀσφάλειαν τοῖς ὑποσπόνδοις. *In poteſtate Maharbalis non fuiſſe ſe inconſulto fidem dare ſe dedentibus, qua ipſos illæſos aut indemnes præſtaret.* Judicium de hoc facto Livii ſequitur: *Punica religione ſervata fides ab Annibale eſt.*

3. Quare & M. Tullium in Rabirii cauſa ut oratorem audire debemus, non ut judicem. Vult a Rabirio Saturninum jure cæſum, quem Conſul C. Marius data fide ex Capitolio abduxerat: *Fides, ait, quî potuit ſine Senatusconſulto dari?* & ita rem agit quaſi Marium ſolum fides iſta obſtringeret. Atqui C. Marius ex Senatusconſulto poteſtatem acceperat operam dandi ut imperium populi Romani majeſtaſque conſervaretur. In ea poteſtate, quæ Romanis moribus erat maxima, quis neget comprehenſum jus dandæ impunitatis, ſi eo modo omne periculum a republica arceretur?

COMMENTARIUS.

De belli cauſis & conſequentibus tranſigere ducum non eſt, non adeo late patet eorum poteſtas vel imperium: optime enim Auctor noſter inquit, belli gerendi partem non eſſe bellum finiri: quemadmodum enim ſummi Principis eſt arma movere, bellum indicere, exercitum cogere & delectum habere, ſic e contrario bello finem imponere & paciſci cum hoſte, ſummi quoque imperii eſt. Quamobrem a ducibus belli, citra Principis vel populi conſenſum, cujus nomine & auſpiciis bellum geritur, pax conſtitui non poteſt. Quam quidem ob cauſam pacem Caudinam a T. Veturio & Sp. Poſthumio cum Samnitibus factam, & fœdus a C. Mancino cum Numantinis ictum Senatus ratum habere negavit: vid. Liv. *lib.* 4. Si in civilibus ac forenſibus negotiis procurator, cui generaliter libera adminiſtratio rerum commiſſa eſt, tranſigendi decidendique negotii facultatem non habet: *l.* 63. *ff. de procur.* ſequitur enim, qui belli gerendi cauſa exercitui præpoſitus eſt, pacem cum hoſtibus faciendo, muneris ſui fines excedere, imo crimen læſæ majeſtatis committere, ſunt qui opinantur. Atque hac potiſſimum ratione Ludovicum Ducem Aurelianenſem jure cæſum exiſtimat Bodinus *lib.* 7. *de Republ.* quod ſcilicet injuſſu Regis Galliæ fœdus iniiſſet cum Duce Lancaſtri. Inducias vero dare Ducum eſſe Auctor ſtatuit, quod verum, ſi de ejuſmodi induciis ſermonem habet, quæ in breve & in præſens tempus fiunt, exigente eas neceſſitate vel publica utilitate. De induciis vero longi vel longiſſimi temporis idem dicendum videtur, quod ſtatim de pace facienda annotavimus, & proinde eas concedendi facultatem belli duces ſibi arrogare jure non poſſe. Quoniam ejuſmodi induciæ non tam pugnam ceſſare efficiunt, quam quidem bello finem imponere videntur, quod, uti ſtatim diximus, ſummi imperii eſt; quamobrem nunquam a Coſſ. aliiſque Rom. Imperatoribus, ſed a Senatu populoque Romano conceſſas fuiſſe legimus. Narrat quoque Thucydides quando Argivorum Duces cum Lacedæmoniorum Rege quadrimeſtres inducias pacti erant, Alcibiadem ſuaſiſſe Argivis, ne eas ratas haberent: idemque a Lacedæmoniis factum, hoſque ob eam cauſam adeo in Regem ſuum fuiſſe iratos, ut lege lata duodecim ei adhiberint viros, ſine quorum conſilio nihil ejuſmodi ageret. Conſtat enim penes Reges apud Lacedæmonios non fuiſſe ſummam poteſtatem. Vejentibus, Volſinienſibus, Æquis, in annos aliquot a Senatu & populo induciæ datæ, teſte Livio. Homines vero, imperia, agros, bello quæſita itidem ducum non eſt; quippe alibi diximus, quæ actu bellico capiuntur, Reipublicæ acquiri, cujus nomine bellum ſuſceptum & geritur, quamobrem publicatur ager, qui ex hoſtibus captus. In res alias, quæ in præda ſunt, jus aliquod concedi imperantibus ſolet, uti annotavimus *cap.* 6. *h. l.* At nondum quæſita condonare omnino eſt in poteſtate tum ſummorum tum inferiorum, intra ea, quæ ipſis agenda commiſſa, hoc arbitrium mos deferebat Imperatoribus, uti diximus *dict. cap.*

X. Cæterum in his ducum pactis, quia de re agunt aliena, quatenus contractus natura patitur adſtringenda interpretatio, nempe ne aut ex ipſorum facto ſumma poteſtas plus quam vellet obligetur, aut ipſi damnum ſubeant officium faciendo.

XI. Ita qui in deditionem puram a duce accipitur, eo jure acceptus cenſetur ut de eo victoris populi aut regis arbitrium ſit; cujus exemplum eſt in Gentio Illyrii, & Perſeo Macedoniæ rege, qui ſe, ille Anicio, hic Paulo dediderunt.

XII. Sic adjecta cautio, *ita ratum ſit, ſi populus Romanus cenſuiſſet*, quam ſæpe in ſponſionibus invenias, efficiet ut ratihabitione non ſecuta, dux in nihil ipſe teneatur, niſi ſi qua locupletior factus ſit.

Liv. l. xxiv. XIII. Et qui oppidum tradere promiſerunt poſſunt præſidium dimittere, ut feciſſe Locrenſes legimus.

COMMENTARIUS.

Non dubitandum, quin pacta, quæ minores poteſtates ineunt, ſint ſtricte interpretanda, quatenus patitur natura contractus, vid. *lib.* 2. *cap.* 16. Ita deditio a minore poteſtate accepta pro pura habenda, cujus arbitrium ſit ſummæ poteſtatis, & ita in cæteris ejuſdem naturæ negotiis.

CAPUT XXIII.

De fide privata in bello.

I. *Refellitur ſententia ſtatuens privatos fide hoſti data non obſtringi.*
II. *Oſtenditur obſtringi eos etiam piratæ & latroni: & quatenus:*
III. *Minor hic non excipitur.*
IV. *Error an liberet:*
V. *Solvitur objectio ſumta ex publica utilitate.*
VI. *Aptantur ante dicta ad fidem datam reditus in carcerem:*
VII. *In certum locum non redeundi: non militandi*
VIII. *Non fugiendi.*
IX. *Captum alii ſe dare non poſſe.*
X. *An privati cogendi ſint a ſuis poteſtatibus implere quod promiſerant.*
XI. *Qualis interpretatio in hujuſmodi pactis adhibenda.*
XII. *Quomodo ſumendæ voces* vitæ, veſtium, adventus, auxilii.
XIII. *Rediiſſe ad hoſtem quis dicendus.*
XIV. *Juſta auxilia quæ, in deditione, ſub conditione facta.*
XV. *Quæ ad executionem pertinent conditionem non facere.*
XVI. *De talium pactorum obſidibus.*

I. Ciceronis eſt illud ſatis tritum: *Etiam ſi quid ſinguli temporibus adducti hoſti promiſerint, eſt in eo ipſo fides conſervanda*: ſinguli, milites puta aut pagani: nihil enim ad fidem refert. Mirum eſt inventos eſſe juris magiſtros qui docerent pacta publice cum hoſtibus inita fidem adſtringere, at quæ a privatis fierent non item. Nam cum privati jura privata habeant quæ obligare poſſunt, & hoſtes capaces ſint acquirendi juris, quid eſſe poteſt quod obligationem impediat? Adde quod niſi id ſtatuatur datur cædibus occaſio, libertati impedimentum: nam & illæ caveri ſæpe, & hæc obtineri a captivis, fide privatorum ſublata, non poterit.

Bart. in l. conventionum. D. de pactis. Zaſi. in apol. contra Eckium. Hoc libro c. XIX. §. 2.

II. Imo non hoſti tantum illi quem jus gentium agnoſcit, ſed & latroni & piratæ data privatim fides obligat perinde ut de fide publica ſupra diximus. Id intereſt, quod ſi metus injuſtus ab altero incuſſus impulerit ad promittendum, is qui promiſit petere reſtitutionem, aut ſi alter nolit ſibi eam præſtare poteſt. Quod in metu procedente ex bello publico juris gentium locum non habet. Quod ſi & jusjurandum acceſſerit, jam omnino quod promiſſum eſt præſtandum erit ab eo qui promiſit, ſi perjurii crimen effugere volet. Sed tale perjurium ſi in hoſtem publicum commiſſum ſit puniri ab hominibus ſolet: ſi in latrones aut piratas, diſſimulari odio eorum quorum commodum agitur.

Supra l. II. *c.* XI. §. 7. *& lib.* III. *c.* XIX. §. 5. *Oldr. conſ.* 7. *Covar. de matrim. p.* II. *c.* 3. §. 4. *n.* 21.

III. In hac quoque privata fide minorem non excipiemus, qui ejus ſtatus eſt ut actum intelligat. Nam quæ minoribus conſulunt beneficia ex jure ſunt civili. Nos de jure gentium quærimus.

IV. Et de errore alibi diximus, ita jus dare a contractu recedendi ſi id quod per errorem creditum fuit in mente agentis vim habuerit conditionis.

Lib. II. *c.* XI. ¶. 6.

V. 1. At quouſque ſe extendat privatorum in paciſcendo poteſtas difficilior inſpectio eſt. Quod publicum eſt a privato alienari non

non poſſe ſatis conſtat: nam ſi ne ducibus quidem belli id permiſſum eſt, ut modo probavimus, multo minus privatis. Sed de ipſorum actionibus ac rebus quæri poteſt, quia videmus hæc quoque concedi hoſtibus non poſſe ſine aliquo damno partis: unde videri poſſunt talia pacta illicita cum civibus ob jus ſupereminens civitatis, tum conductis militibus ob fidem ſacramento datam. *c. XXII. §. 7.*

2. Sed ſciendum eſt, ea pacta quæ malum majus aut certius evitant, magis utilia quam damnoſa etiam publico cenſeri debere, quia minus malum induit rationem boni: χρὴ τῶν κακῶν ἐπιλέγεσθαι τὰ μετριώτερα, ut ait quidam apud Appianum. *Punic.* Neque vero fides ſola qua quis poteſtatem ipſam ſui & ſuarum rerum non abdicat, neque utilitas publica ſine legis auctoritate id efficere poſſunt, ut quod factum eſt, etiamſi contra officium factum eſſe detur, irritum ſit & effectu juris omni careat.

3. Lex quidem poſſet adimere ſubditis aut perpetuis, aut temporariis hanc poteſtatem: Sed neque lex hoc ſemper facit, parcit enim civibus: neque ſemper facere poteſt: nam leges humanæ, ut alibi diximus, vim obligandi tum demum habent ſi latæ ſint ad humanum modum, non ſi onus injungant quod a ratione & natura plane abhorreat. Et ideo leges & præcepta ſpecialia, quæ tale quid aperte præ ſe ferunt, pro legibus haberi non debent: Generales autem leges interpretatione benigna ita accipiendæ ſunt ut caſus ſummæ neceſſitatis excludant. *Lib. I. c. IV. §. 7. 2. 3. Lib. II. cap. XIV. ¶. 12. 2.*

4. Quod ſi actus qui lege aut præcepto interdictus erat, & valere vetitus, interdici æquo jure potuit, jam irritus erit actus privati, ſed puniri tamen idem poterit, ideo quod promiſit id quod ſui juris non erat, maxime ſi juratus id fecerit.

COMMENTARIUS.

MErito Auctori noſtro mirum videtur inventos eſſe juris magiſtros, qui docerent, pacta, quæ a privatis fiunt cum hoſtibus, fidem non adſtringere, doctrina & conſcientiæ teſtimonio e diametro contraria, & humanæ ſocietati admodum pernicioſa. Si quis enim cum conſcientia deliberat, ſtatim convictus ejuſdem dictamine, nihil magis vero conſentaneum pronunciabit, quam fidem ſervandam, nulla habita ratione perſonæ cui data; quippe hæc juris naturæ regula nullam patitur exceptionem, niſi in iis, quæ jure naturali illicita; quippe ea ne facere nos poſſe credendum, & proinde nec fidem interponendi pro id genus actibus nemini facultas competit, at ea, quæ jure gentium comprobata & licita, paciſci non vetitum, & pacta ſervare non repugnat juri naturæ, ſed præcipit. Quid obſtat cur non æque miles gregarius quam Dux exercitus fidem ſuam adſtringere poſſet hoſti? Status enim, in quo verſatur, non illicitus; quippe bellum jure naturæ comprobatum, imo introductum, & proinde non tollit jura naturæ, nec ejuſdem juris communionem, quæ homini cum homine intercedit, nec facultatem proinde eripit cuique homini, ea, quæ juris naturæ ſunt, ſibi mutuo præſtandi & tribuendi. Per hominem hic intelligimus, qui rationis capax ac ejus uſum habet, & proinde intelligit quid agit. Perſonæ conditio non poteſt mutare ea, quæ ſunt juris naturæ, ſcilicet ubi adſunt ejuſmodi requiſita, quæ juxta ejuſdem juris tenorem adeſſe debent. Cujus generis ætas ſatis matura, ita ut mens ſuum poſſit facere officium. Poſito itaque, quod ex honeſta cauſa fides data ab eo, qui fidem ſuam adſtringere habilis eſt, dictat naturæ jus ſervandam eſſe; atqui miles ob vitæ conſervationem, libertatis recuperationem juſta ex cauſa fidem

ad-

adſtringit; ergo tenetur eam ſervare. Harum enim rerum quiſque privatus dominus, & proinde valide pro earumdem conſervatione ſive recuperatione paciſcitur, nec in hoſte ullum reſidet vitium, quod impedimento eſſe poſſet, cur non capax eſſet acquirendi juris. Imo non hoſti, ſed & latroni & piratæ data privatim fides obligat dantem, uti prolixe diſputavimus *lib.* 2. *cap.* XI. §. 7. *&* *cap.* 19. *h. l.* neque ejuſmodi facultas ſive jus in ſe atque actiones privato eripi poteſt, niſi quatenus referuntur ad Reipublicæ ſtatum, quæ nullum damnum a privatorum actionibus pati juris aliquo vinculo tenetur. Non me fugit civitatem habere ſupereminens dominium tum in civium perſonas, tum res & actiones, verum id non latius ſe extendit, quam Reipublicæ ſalus efflagitat, ſcilicet quatenus inde aliquid lucri poſſet capere, vel damnum vitare, atque eatenus etiam civis tenetur ſe atque vitam ſuam pro ſalute patriæ atque libertate tuenda profundere neceſſitate exigente. Verum ejuſmodi dominium pari paſſu ambulare poteſt cum jure privato, quod cuique civi tum etiam militi competit in ſe atque res & actiones ſuas, quatenus de iis diſponendi habent facultatem in proprium commodum & ad propriam ſalutem tuendam: hanc enim facultatem ſibi quiſque reſervaſſe cenſetur, quatenus ſubſiſtere poteſt cum illa conditione, quæ apud civem qua talem, tum etiam militem pervenit. Cui etiam accedit, quod hac ratione ſibi conſulendo milites, etiam Reipublicæ utilitati ac ſaluti inſerviunt, dum iterum ſuam operam ei præſtare habiles quandoque fiant, quamobrem talia pacta quaſi in publicum commodum facta, etiam publica auctoritate facta cenſeri debent. Vid. quæ *lib.* 1. *cap.* 4. §. 7. *cap.* 14. §. 12. annotavimus. Non dubitandum igitur, quin valide promittat miles hiſce in caſibus, & proinde fidem adſtringat cum hoſte, quem fallere omnia vetant jura.

VI. Promiſſio captivi de redeundo in carcerem merito toleratur.
Neque enim deteriorem reddit captivi conditionem: non ergo, ut qui-
dam exiſtimant, glorioſe tantum fecit M. Attilius Regulus, ſed & quod *Off.* III.
debebat: *Regulus*, inquit Cicero, *non debuit conditiones pactionesque bel-
licas & hoſtiles perturbare perjurio.* Nec obſtat illud:

Atqui ſciebat quæ ſibi barbarus *Horat.*
Tortor pararet.

Nam & hoc fieri poſſe jam ſcierat cum promitteret. Sic & de de-
cem captivis, ut quidem ex antiquis ſcriptoribus rem narrat Gellius,
octo poſtliminium juſtum non eſſe ſibi reſponderunt, quoniam dejurio vincti fo- *Lib.* VII.
rent.

VII. 1. Solent & promittere quidam ne in certum locum redeant,
ne adverſus eum qui ipſos in poteſtate habet militent. Prioris exem-
plum apud Thucydidem, ubi ſic Ithomenſes promittunt Lacedæmo- *Lib.* I.
niis, exituros ſe Peloponneſo, nec unquam redituros. Poſterius nunc
frequens eſt. Vetus exemplum eſt apud Polybium ubi dimittuntur ab
Amilcare Numidæ, ſub lege, μηδένα φέρειν ὅπλον πολέμιον κατ' αὐτῶν. *Ne ad-
verſus Carthaginenſes eorum quiſquam arma hoſtilia ferret.* Simile pactum ha-
bet in Gotthicis Procopius. *Goth.*
2. Hoc pactum quidam irritum pronuntiant, quia ſit contra offi- III.
cium quod patriæ debeatur. At non quicquid contra officium eſt ſta-
tim & irritum eſt, ut & alibi & ſupra diximus. Deinde vero ne contra
officium quidem, libertatem ſibi parere id promittendo quod jam eſt
in hoſtis manu. Nihilo enim deterior fit patriæ cauſa, cui is qui captus
eſt, ni liberetur, jam periiſſe cenſendus eſt

VIII. Promittunt & nonnulli non fugere. Tenet hoc eos, etiam-
ſi vincti promiſerint, contra quam quidam ſentiunt. Nam & ſic ſolet
aut vita ſervari aut mitior obtineri cuſtodia. Si vero vinctus ſit poſtea,
ita demum liber erit ſi ideo promiſerit ne vinciretur.

IX. Satis inepte quæritur an qui captus eſt alii dedere ſe poſſit. Nimis enim certum eſt, neminem ſua pactione jus alteri quæſitum adimere poſſe. Eſt autem captori jus quæſitum, aut ipſo belli jure, aut partim belli jure, partim conceſſu ejus qui bellum gerit, ſecundum ea quæ ſupra expoſuimus.

Lib. III. *c.* VI. ¶. 23. & *ſeq.*

COMMENTARIUS.

PRomiſſio non tantum glorioſe, ſed etiam ex debito impletur, idem dicendum, ſi promiſſum ſit, ne in certum locum redeat, ne adverſus eum, cujus in poteſtate eſt, vel unquam, vel hoc ſaltem bello, aut alias certo tempore militet. Contra opinatur Alberic. Gentil. ſtatuens non ſervandam eſſe hanc promiſſionem, quoniam repugnare videtur officio, quod quiſque debet patriæ ſuæ. Verum reſpondit Auctor huic argumento, cui accedit, quod hac ratione libertatem nactus conſiliis & facultatibus ſuis patriam adjuvare poteſt, quibus careret ea, ſi captivus apud hoſtes perſiſteret, quamobrem non deterior ſed melior ſit patriæ cauſa, & proinde nec ob hanc cauſam irritum pactum dicendum. Sic quoque pactum de non fugiendo obligationem parit, niſi ſub conditione factum, quæ non impleta. Qui captus eſt, alteri dedere nequit, quamdiu in tali ſtatu manet, ob rationem ab Auctore allegatam.

X. Circa effectus pactorum egregia quæſtio eſt, an privati ſi in fide præſtanda negligentes ſint, a ſuis poteſtatibus cogendi ſint eam implere. Et cogendos verius eſt in bello duntaxat ſolenni, ob jus gentium, quo bellum gerentes obſtringuntur alter alteri jus reddere, etiam de factis privatorum, ut puta ſi a privatis violati eſſent hoſtium
Lib. VII. *c.* 18. legati. Sic Cornelius Nepos recitante Gellio ſcripſerat, multis in Senatu placuiſſe, ut ii de decem captivis qui redire nollent, datis cuſtodibus ad Hannibalem deducerentur.

COMMENTARIUS.

IDem opinatur cum Auctore noſtro Albericus Gentilis, dum exiſtimat apertiſſimum, cogi hos milites oportere per Principem & judicem ſuum ad conventa præſtanda hoſti. Fruſtra enim eſſent obligati, niſi eſſet per quem cogerentur ſolvere obligationem. Et jam hoſti jus non redderetur, quod debetur. Quamobrem Romani dedendos cenſuerunt Fabios: per ſolam gratiam plebis non deditos. Clæliam reddiderunt alios poſtea. Circa iſthæc pactorum genera mos Anglis & Scotis quondam receptus teſte Buchanano: *Si quis ad diem dictum non redeat hac pœna eſt. In congreſſibus quæ ob res repetundas fieri ſolent, qui deceptum ſe queritur, manus effigiem aut chirothecam in haſta oblonga omnibus conſpicuam circumfert. Ea ſumma apud ipſos infamia habetur: adeo ut, qui fidem violavere, amicis propinquiſque fiant deteſtabiles: nec paulo honeſtior eos convictu, ſermone, aut domo ſua dignetur.* Vid. Puſend. *lib.* 8. *cap.* 6.

XI. De interpretatione, tenendæ regulæ jam aliquoties memora-
Lib. II. *c.* XVI. ¶. 2. tæ, ut a proprietate verborum non recedatur niſi abſurdi vitandi cauſa, aut ex alia ſatis certa mentis conjectura: ut in dubio magis interpretentur verba contra eum qui legem dedit.

Hoc lib. c. XX. ¶. 26. XII. Vitam pactus non etiam ad libertatem jus habet. Veſtium nomine arma non veniunt: ſunt enim hæc diverſa. Veniſſe auxilium recte dicitur ſi ſit in conſpectu, etiamſi nihil agat; nam ipſa præſentia ſuam vim habet.

XIII. At rediiſſe ad hoſtem non dicetur qui clam rediit ut ſtatim exiret: rediiſſe enim ita intelligi debet, ut in poteſtate hoſtium ite-
De Off. III. rum ſit. Contraria interpretatio veteratoria Ciceroni, ſtulte callida,

quæ

quæ fraudem in ſe & perjurium habeat. Eadem Gellio fraudulenta *Lib.*
calliditas, a Cenſore ignominiis notata, qui eam adhibuerant inte- *VIII.*
ſtabiles & inviſi. *c. 19.*

XIV. Juſta auxilia in pactis deditionis non faciendæ ſi ea advenerint, intelligi debent talia quæ periculum ceſſare faciant.

XV. Notandum & hoc, ſi quid de executionis modo convenit, id conditionem non injicere pacto, ut ſi dictum certo loco ſolvi, qui locus poſtea dominum mutaverit.

XVI. De obſidibus tenendum quod ſupra diximus, plerumque *Hoc libro*
eos acceſſionem eſſe principalis actus: ſed tamen conveniri etiam *c. 20.*
poſſe ut disjunctiva ſit obligatio, nimirum ut aut fiat aliquid aut obſi- *§. 58.*
des retineantur. Sed in dubio tenendum eſt illud, quod maxime eſt naturale, id eſt, ut acceſſio tantum credantur.

COMMENTARIUS.

QUænam tenendæ de interpretatione regulæ, diximus, *libro* 2. *cap.* 16. & *hoc libro cap.* 20. §. 26. Exempla, quæ hic Auctor affert, ſatis illuſtrant, quas de interpretatione regulas tradit, quibuſcum conferri poſſunt, quæ *dict. cap.* annotavimus.

CAPUT XXIV.

De fide tacita.

I. *Tacite quomodo fides interponatur.*
II. *Exemplum in eo qui in tutelam recipi a populo aut rege expetit:*
III. *Qui colloquium poſtulat aut admittit:*
IV. *Huic tamen, dum collocutori non noceat, integrum eſſe res ſuas promovere.*
V. *De mutis ſignis ex conſuetudine aliquid ſignificantibus.*
VI. *De tacita approbatione ſponſionis.*
VII. *Pœna quando tacite remiſſa.*

I. SIlentio quædam conveniri non male a Javoleno dictum eſt, *L. ea le-*
quod & in publicis, & in privatis, & in mixtis conventio- *ge. D. locati.*
nibus uſu venit. Cauſa hæc eſt, quod conſenſus qualiter- *Lib. II. c.*
cunque indicatus & acceptatus vim habet juris transferen- *IV. ¶. 4. 5.*
di. Signa autem conſenſus ſunt & alia præter voces & literas, ut non *L. III.*
ſemel jam indicavimus. Quædam natura inſunt actui. *c. I. ¶. 8.*

II. Exemplum ſit in eo qui aut ab hoſtibus aut ab externis veniens in alterius populi aut regis fidem ſe dat. Nam hic quin tacite ſe obliget, ne quid faciat adverſus eum ſtatum in quo præſidium petit, dubitari non debet. Quare ſequendi non ſunt qui Zopyri factum a reprehenſione remotum ajunt: neque enim fides ejus in regem, perfidiam in eos ad quos confugerat excuſat. Idem de Sexto Tarquinii *Liv. lib. I.*
filio, qui ad Gabios ſe contulerat, dictum eſto. De Sinone Virgilius:

Accipe nunc Danaûm inſidias, & crimine ab uno *Æneid.*
Diſce omnes. *II.*

III. Sic & qui colloquium aut poſtulat, aut admittit, tacite pollicetur collocutoribus id innoxium fore. Hoſtibus per colloquii ſpeciem violandis jus gentium violari pronuntiat Livius: addit, collo- *Libro*
quium *XXXVIII.*

quium perfide violatum. Nam *per fidem* mendoſe eo loco ſcribitur. Cn. Domitius eo quod Bituitum regem Arvernorum per colloquii ſimulationem accerſitum, hoſpitioque exceptum vinxit, hoc a Valerio Maximo judicium refert: *Nimia gloriæ cupiditas perfidum exiſtere coëgit.* Quamobrem mirari ſubit, cur ſcriptor libri octavi belli Gallici Cæſaris, ſive is Hirtius eſt, ſive Oppius, ſimile factum T. Labieni referens, adjecerit, *infidelitatem ejus* (Comii ſcilicet) *ſine ulla perfidia judicavit comprimi poſſe*; niſi hoc Labieni magis quam ſcriptoris judicium eſt.

Lib. I. c. 6.

IV. At non ultra tacita illa voluntas trahenda eſt quam dixi. Nam dum collocutores nihil patiantur, ſpecie colloquii avertere hoſtem a belli conſiliis, ſua interim promovere, perfidia vacat, & dolis bonis annumeratur. Quare qui deceptum ſpe pacis regem Perſeum arguebant, non tam juris & fidei quam animi excelſi & gloriæ bellicæ habebant rationem, ut ex his quæ de dolis bellicis diximus ſatis poteſt intelligi. Ejuſdem generis erat fraus illa qua Aſdrubal ex Auſetanis ſaltibus exercitum ſervavit; & qua Scipio Africanus major ſitum caſtrorum Syphacis perdidicit, utrumque narrante Livio. Quorum exemplum imitatus L. Sylla bello ſociali apud Eſerniam, ut apud Frontinum legimus.

Liv. l. XLII. *L. III. c. I. §. 6. & ſeq.* *Liv. l. XXVI. & XXX.* *Lib. I. c. 5.*

COMMENTARIUS.

PRæter fidem expreſſam, quam hoſtes dant accipiuntque inter ſe, eſt etiam fides tacite cum hoſte inita, quæ colligitur ex ſigno ſatis idoneo. Et hoc eſt quod Javolenus Juriſconſultus notat in *l.* 51. *ff. locat.* ſilentio quædam conveniri, quod & in publicis & in privatis & in mixtis conventionibus locum habet. Cujus rei cauſa, quod conſenſus qualitercumque indicatus & acceptus vim habet juris transferendi. Quemadmodum vero conſenſus ſigna ſunt voces & litteræ, tum etiam nutus, ut *lib.* 2. *cap.* 4. annotavimus, ita quandoque ſilentium indicium eſt conſenſus. *Taciturnitas imitatur confeſſionem*, inquit Cic. *de invent. lib.* 1. Sic qui ab hoſtibus aut ab externis veniens in alterius populi aut Regis fidem ſe dat, etiamſi expreſſe non promittat, ſe nihil machinaturum adverſus eum ſtatum, in quo præſidium petit, tacite illud conveniſſe dicendum: ejuſmodi enim tacita obligatio fluit ex natura actus. Qui colloquium poſtulat aut admittit, quamvis non expreſſe pollicitus collocutoribus id innoxium fore, tacita tamen conventio vel tacitum pactum intercedit, quo de ſecuritate conveniſſe ſibique mutuo fidem dediſſe collocutores præſumuntur. Recte vero monet Zeiglerus, quod cautiſſimum decet eſſe Principem, alioſque viros magnos, ne nimis facile hoſti fidem habeant. Vid. Jul. Cæſar. *de bell. Gall. lib.* 5. *cap.* 36. Quem in finem ſæpe in mediis pontibus & inſulis colloquia ejuſmodi inſtituta fuiſſe neminem fugere poteſt, qui non plane in Hiſtoriis hoſpes. Verum notandum interim tacitam hanc voluntatem non ultra eſſe trahendam, quia ſpecie colloquii hoſtem a belli conſiliis avocare, ſua interim promovere & curare, modo ipſum colloquium tutum ſit, juri naturæ vel gentium repugnat. Salvis collocuto rebus, inquit Zeiglerus, puto etiam durante colloquio continuari poſſe actus bellicos, niſi ſimul de armiſtitio conventum fuerit, quamquam plerumque induciæ ejuſmodi extemporaneæ comites ſint.

V. Sunt & ſigna quædam muta ex conſuetudine ſignificantia, ut olim vittæ & rami olivarum; apud Macedones haſtarum erectio; apud Romanos ſcuta capiti impoſita, ſigna ſupplicis deditionis, quæ proinde obligant ad arma ponenda. Qui vero deditionem accipere ſe ſignificat, an obligetur, & quatenus, ex his quæ ſupra dicta ſunt petendum eſt. Hodie vela candida tacitum habent ſignum petiti colloquii: obligabunt ergo non minus quam ſi voce petitum eſſet.

Lib. III. c. IV. §. 12. & c. XI. ¶. 15.

VI. Spon-

VI. Sponſio a ducibus facta quatenus tacite approbata a populo aut rege cenſeri debeat, & hoc jam ſupra diximus, nimirum ubi & *Lib.* II. actus fuit cognitus, & aliquid factum, aut non factum, cujus rei alia *c.* XV. §. 17. & cauſa extra voluntatem fœderis probandi dari non poſſit. *Lib.* III.

VII. 1. Pœnæ remiſſio ex ſola diſſimulatione non poteſt colligi: *c.* XXII. ¶. 3. ſed opus eſt accedat actus talis qui aut amicitiam per ſe oſtendat, ut fœdus amicitiæ cauſa; aut opinionem de tali virtute cui merito antefacta condonari debeant, ſive ea opinio verbis indicata eſt, ſive rebus quæ ex more inſtitutæ ſint ad talem ſignificationem.

COMMENTARIUS.

EJuſmodi ſigna apud varias gentes diverſi generis fuerunt, ſic apud Aſſyrios manus poſt tergum ligatæ ſupplicis indicant formam. Sic ſummum apud antiquos ſignum victoriæ erat, herbam porrigere victos. Unde Feſtus: *Herbam do, cum ait Plautus, ſignificat victum me fateor, quod eſt antiqua & paſtoralis vitæ indicium: nam qui in prato curſu aut viribus contendebant, cum ſuperati erant, ex eo ſolo, in quo certamen erat, decerptam herbam adverſario tradebant.* Neminem fugit hodie vela candida ſignum habere petiti colloquii. Ejuſmodi ſigna animi & voluntatis noſtræ indicia obligabunt non minus, quam ſi viva voce petitio facta eſſet, quando ſponſio a ducibus facta tacite approbata cenſetur, jam alio loco diſputavimus. Recte Auctor ſtatuit pœnæ ſive vindictæ remiſſionem ex diſſimulatione non poſſe colligi, niſi expreſſa conventio intervenerit: poteſt enim is, qui jus puniendi habet, opportunum tempus ad puniendum non habere, & proinde diſſimulare, & forte ore ſe amicum profiteri, in pectore vero odium & vindictæ libidinem clauſam tenere, donec occaſionem nactus pœnam exigendi ab eo, a quo læſum ſe putat.

C A P U T XXV.

Concluſio, cum monitis ad fidem & pacem.

I. *Monita ad fidem ſervandam.*
II. *In bello pacem ſemper ſpectandam:*
III. *Et amplectendam etiam cum damno, Chriſtianis præſertim.*
IV. *Utile id victis:*
V. *Et victori:*
VI. *Et quorum res dubiæ ſunt.*
VII. *Pacem factam ſumma religione ſervandam.*
VIII. *Votum & finis operis.*

I. 1. ATque hic finire me poſſe arbitror, non quod omnia dicta ſint quæ dici poterant, ſed quod dictum ſatis ſit ad jacienda fundamenta, quibus ſi quis velit ſuperſtruere ſpecioſiora opera adeo me invidentem non habebit, ultro & gratiam referet. Tantum antequam dimitto lectorem, ſicut, cum de bello ſuſcipiendo agerem, monita quædam de bello quantum fieri poteſt declinando adjeci, ita nunc quoque monita pauca addam quæ in bello & poſt bellum valeant ad fidei curam & pacis: & fidei quidem tum propter alia, tum ne ſpes pacis adimatur. Fide enim non tantum reſpublica quælibet continetur, ut Cicero dicit, ſed & major *Off.* III. illa gentium ſocietas: hac ſublata, ut vere Ariſtoteles, ἀνῄρηται ἡ πρὸς ἀλλήλας χρεία τῶν ἀνθρώπων, *tollitur quod inter homines eſt commercium.* *Rhet. ad Theod.* I. *c.* 15.

2. Itaque merito idem ille Cicero nefarium eſſe ait, fidem frange- *Epiſtola* LXXXVIII. re quæ continet vitam: *Sanctiſſimum*, ut Seneca loquitur, *humani pectoris bonum:* quam tanto magis præſtare debent ſummi hominum rectores, quanto cæteris impunius peccant: Itaque fide ſublata feris *Cic. pro Q. Roſ.*

 erunt

erunt ſimiles, quarum vim omnes exhorrent. Et juſtitia quidem in cæteris ſuis partibus ſæpe habet aliquid obſcuri: at fidei vinculum per ſe manifeſtum eſt, imo ideo quoque uſurpatur ut de negotiis omnis dematur obſcuritas.

3. Quo magis regum eſt religioſe hanc colere, primum conſcientiæ, deinde & famæ cauſa, qua ſtat regni auctoritas. Ne dubitent igitur, eos qui ipſis fallendi artes inſtillant, id ipſum facere quod docent. Non poteſt diu prodeſſe doctrina quæ hominem hominibus inſociabilem facit: adde & Deo inviſum.

COMMENTARIUS.

OPtime Auctor antequam dimittit lectorem, ad fidem colendam & pacem quærendam in bello, ſervandam poſt bellum, monita quædam adjicit: unde enim tot bella, tot certamina, quibus miſere dilaceratur & diſtrahitur gentium ſocietas, ad quam tuendam natus quiſque noſtrum eſt, niſi ab eorumdem perfidia, qui nullis quaſi legibus alligati eſſent ad ſervanda promiſſa, vel pacta ſive dicta conventa, niſi quatenus cum propria utilitate & commodo conveniunt, fidem fallere non erubeſcunt: quæ alia enim belli, quod hodie tot gentes & nationes ad arma capeſſenda nobiſcum pro majore illa gentium ſocietate, quæ fide quaſi ſuo fundamento & baſi nititur, tuenda, adverſus Galliarum ejuſque ex filio nepotem Hiſpaniarum quaſi ex teſtamento Regem incitavit, niſi dictorum conventorumque inconſtantia & Punica fides, quæ omnes populos ac nationes adeo exacerbaſſe videtur, ut ultro in tam pii juſtique belli ſocietatem pervenerint, & junctis viribus perfidiam vindicarent rupti pacti, quod de futura ſucceſſione Regis Hiſpaniarum Caroli II., qui a longo tempore adverſa valetudine conflictatus, morti propius videbatur, Galliarum Rex cum Britannis & Belgis iniverat, ne graviſſimis ſcilicet contentionibus, quas, occaſione tam luculentæ hæreditatis erupturas facile divinare poterat, pax Riſovicena mox facta perturbaretur, cum omnium ſummopere interſit, ne fides, quæ ſocietatis humanæ arctiſſimum vinculum, impune violetur: quid enim foret de genere humano ſublata fide? Fide enim, ut inquit Auctor, non tantum Reſpublica quæque continetur, ſed & major illa gentium ſocietas, qua diſtracta, ſtatus belli introducitur, omnium ærumnarum mater & genitrix, utpote in quo belluarum inſtar alter alterius exitio imminet, poſſeſſiones evertuntur, oppida incendio & aratro delentur, uxor & liberi crudeliter ſanguinolentis hoſtium manibus tractantur, ita ut nihil intactum ab hujus belluæ furore & crudelitate haberi queat. Hinc merito fides fundamentum ſocietatis, perfidia vero peſtis dicitur, nec ulla res vehementius Rempublicam continet quam fides, teſte Cicerone. Cum fidei abrogatione omnis humana ſocietas tollitur, inquit Livius. Quamobrem non abſque ratione, qui fidem fallunt, tamquam generis humani communes hoſtes communi ope & auxilio coërcendos dictat ratio, ubi fides exulat, ibi commercia, contractus, fœdera, pacta, conventiones, actus humani, qui ſocietatem tuentur, mutuæ inopiæ & indigentiæ ſublevandæ inſerviunt, locum inveniunt. Fides conjungit animos, perfidia omnem concordiam, amicitiam, & conſortium diſrumpit: parit enim odium & inimicitiam, & hinc contentiones, diſſidia, bella, quæ ſocietatem diſtrahunt. Quamobrem Regibus ac omnibus, quibus a Deo cura commiſſa, ne quid Reſpublica, cujus adminiſtratio penes ſe, neque etiam major illa gentium ſocietas, a cujus conſervatione pendet cujuſque ſtatus ac Reipublicæ ſalus & commodum, nihil antiquius eſſe debet, quam religioſe fidem colere, non ſolum domi, id eſt, intra imperii limites, ſed etiam foris, cum ſibi æqualibus. Cui etiam accedit, quod in Reges ipſos imperium eſt Dei, quem venerari eodem juris vinculo, quo quiſque ex infima plebe homo, adſtricti, & proinde iiſdem legibus alligatos ſe profiteri neceſſe habent, quæ ex ſanctitate divina profluentes ob divini luminis communicationem cordibus hominum inſcriptæ, quæ perpetuam & immutabilem obligandi cauſam habent, nullo perſonarum, dignitatis vel muneris habito reſpectu, qua ab origine petenda lex illa, quæ cuique ex conſcientiæ dictamine innoteſcit, quia innata & inſcripta nobis, dictans fidem ſervandam. Conſcientiæ itaque cauſa Regum etiam eſt fidem datam ſervare. Ita Silius Italicus *de fide lib.* 13.

Vox occulta ſubit paſſim diffuſa per aures:
Fœdera mortales ſævo ne rumpite ferro:
Sed caſtam ſervate fidem: fulgentibus oſtro
Hæc potior regnis dubio, qui frangere rerum
Gaudebit pacta, ac tenues ſpes linquit amici:
Non illi domus aut conjux, aut vita manebit:
Nonquam expers luctus lachrymaque: aget æquo ſemper,
Ac tellure premens, aget agrum nocte dieque
Deſpecta ac violata fides.

Et alibi:

Ante Jovem generata, decus divumque hominumque

Qua

Digitized by Google

Qua ſine non tellus pacem, non æquora norunt
Juſtitiæ conſors, tacitumque in pectore numen.
Tum etiam famæ ſuæ hac ratione optime conſulere poteſt, qua viro honeſto nihil carius eſt. Magna & perpulcra res eſt, quum aliis omnibus, tum viro Principi, fas fidemque ſervare, & ſe talem eſſe cognoſci, uti inquit Xenophon. Omnium virtutum ſplendidiſſima eſt fides: ubi contra nihil Principe aut Republica indignius, quam fidem datam non ſervare. Fides tanto ſplendore perfulget, ut ſine ea omnes Regum ac Principum virtutes obſcuriores fiant.

II. Deinde in tota belli adminiſtratione non poteſt ſecurus & Deo fidens animus retineri niſi ſemper in pacem proſpectet. Veriſſime enim dictum a Salluſtio: *Sapientes pacis cauſa bellum gerere*: Cui congruit *Oratione ad Cæſ.* Auguſtini ſententia: *non pacem quæri ut bellum exerceatur, ſed bellum geri* *Epiſt. I. ad Boniſ.* *ut pax acquiratur.* Ipſe Ariſtoteles non ſemel accuſat gentes quæ bellicas *VII. Pol.* actiones quaſi pro ultimo fine ſibi proponerent. Ferinum quiddam vis *II. & XIV.* eſt, quæ in bello maxime eminet: quo diligentius curandum eſt ut humanitate temperetur, ne nimium feras imitando dediſcamus hominem.

III. Pax ergo tuta ſatis haberi ſi poteſt, & malefactorum, & damnorum & ſumtuum condonatione non male conſtat: præcipue inter Chriſtianos, quibus pacem ſuam Dominus legavit. Cujus optimus *Rom.* interpres nos vult, quantum fieri poteſt, quantum in nobis ſitum eſt, *XII. 18.* cum omnibus pacem quærere. Viri boni eſt initia belli invitum ſuſcipere, extrema non libenter perſequi: ut apud Salluſtium legimus.

IV. Satis quidem hoc unum eſſe debet, ſed & plerumque utilitas humana eodem trahit; primum eos qui minus valent: quia periculoſum eſt longum cum valentiore certamen, &, ut in navi fit, jactura aliqua redimenda major calamitas, omiſſa ira ac ſpe fallacibus, ut recte Livius dixit, auctoribus. Hunc ſenſum Ariſtoteles ſic enuntiat: κρεῖττον τοῖς κρείττοσι μέρος τι τῶν ὑπαρχόντων προέσθαι, ἢ πολέμῳ κρατηθέντας αὐτοὺς αὐτοῖς χρήμασιν ἀπολέσθαι. *Satius eſt his qui plus pollent aliquid rerum ſuarum relinquere, quam bello victos cum rebus perire.*

V. Sed & eos qui validiores ſunt: quia bonis ſuis rebus, ut idem Livius non minus vere ait, ampla ac ſpecioſa dantibus pax eſt; ac melior tutiorque quam ſperata victoria. Cogitandus enim Mars communis: διεξιτέον, ait Ariſtoteles, τὰς μεταβολὰς τὰς ἐν πολέμῳ ὡς πολλαὶ καὶ παράλογοι γίνονται. *Cogitandum in bello quam multæ quamque improviſæ mutationes accidere ſoleant.* In oratione quadam pro pace apud Diodorum culpantur, οἱ τὸ μέγεθος τῶν εὐημερημάτων προσφερόμενοι, ὥσπερ τῆς τύχης οὐκ ἐναλλὰξ εἰθισμένης βραβεύειν τὰ κατὰ πόλεμον προτερήματα. *Qui rerum geſtarum a ſe magnitudinem extollunt, plane quaſi non is mos eſſet fortunæ belli proſpera vicibus largiri.* Et maxime metuenda deſperantium audacia, tanquam acerrimi morientium belluarum morſus.

VI. Quod ſi uterque pares ſibi videantur, id vero, Cæſare auctore, *Bell. civil. I.* optimum tempus de pace agendi, dum ſibi uterque confidit.

COMMENTARIUS.

Si neceſſitate exigente bellum ſuſcipiendum Principi, non actiones bellicas, ſed pacem pro ultimo ſibi fine proponere debet: nam ferinum quiddam vis eſt, quamobrem ab humana natura alienum eſſe oportet illud per vim certandi genus, quale bellum. *Suſcipienda bella ſunt*

ob

ob eam cauſam, ut ſine injuria in pace vivatur. Cic. 1. *off.* *Nullum bellum per ſe ipſum optandum eſt; ſed pacis tantum cauſa ſuſcipiendum*, inquit Plat. 1. *de ll.* *Pacem belli optabilem eſſe finem*, inquit Auguſt. *de civ. Dei lib.* 19. *cap.* 12. Sin autem neceſſitate bellum ſuſcipiendum, cavendum, ne, quaſi humanam naturam exuiſſemus, ad barbariem & pluſquam ferinam crudelitatem prolabamur, ſæviendo ultra modum & humanitatis regulas in hoſtes, ut alibi annotavimus. *Quando egreſſus fueris adverſus hoſtes tuos in pugnam, cuſtodies te ab omni re mala. Deut.* 23. Verum cum innumeras calamitates ſecum trahit bellum, & commercia, jura cognationis, & humanitatis & charitatis officia, quam ſanctiſſime obſervanda præcipit naturæ jus, penitus fere tollit, dum ſocietatem diſrumpit, lento pede, & niſi ſumma neceſſitate coacti bellum ſuſcipere oportet hominem Chriſtiana doctrina imbutum, & proinde ſi pax tuta haberi poteſt & maleſactorum & damnorum & ſumtuum condonatione, bello præferenda. *Abſtines te a lite, & minues peccata*, apud *Eccleſiaſten.* *Eſto conſentiens adverſario tuo cito, & dum es in via cum eo Matth.* 5. *Salvator enim noſter, dum in hujus ſeculi via currimus, ad pacem & concordiam cohortatur.* Juxta Apoſtolum dicentem: *Si fieri poteſt quantum in vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes. Rom.* 12. 18. Satis quidem hæc divina monita eſſe debent, ut a bello, quantum fieri poteſt, abſtineamus; verum aliquando etiam in deliberationem cadit humana utilitas tum etiam ſecuritas. Qui enim viribus impares adverſario, caveri ſibi debent, ne temere in bellum ruant cum potentiore adverſario, ſed potius jactura aliqua redimant majorem calamitatem, uti inquit Auctor. Tutius eſt de jure ſuo decedere, quam de ſumma periclitari; *quavis tuta conditione pacem accipere, quam viribus cum valentiore certare*, ſuadet Cic. 5. *Epiſt.* 21. Atque etiam validioribus idem ſuadet civilis prudentia, dum incerti ſint belli eventus, & ſæpe, qui minus valent, de valentioribus triumphum egerint, uti tot teſtantur exempla. Mars enim communis, & in incerto poſitus belli eventus, nec mortalium quiſpiam fortunæ prænoſſe queat ſententiam: ſæpius enim compertum infirmiores juvari fortuna; nuſquam minus quam in bello eventus rerum reſpondent. *Vim fortunæ reputa; & omnia, quæ agimus, ſubjecta eſſe mille caſibus*, teſte Livio. *In ſecundis rebus, nihil in quemquam ſuperbe ac violenter conſulere decet, nec præſenti credere fortunæ; cum quid veſper ferat, incertum ſit*, inquit idem. Quod ſi uterque pares, optimum agendi tempus, dum ſibi uterque confidit.

VII. Pax autem facta qualibuſcumque legibus ſervanda omnino ob eam, quam diximus, fidei ſanctimoniam, ſolliciteque cavenda non tantum perfidia ſed & quidquid animos exaſperat. Nam quod de privatis amicitiis dixit Cicero, ad has publicas non minus recte aptes; quæ cum omnes ſumma religione ac fide tuendæ, tum eæ maxime quæ ex inimicitiis revocatæ ſunt in gratiam.

VIII. Inſcribat hæc Deus (qui ſolus hoc poteſt) cordibus eorum quorum res Chriſtiana in manu eſt, & iiſdem mentem divini humanique juris intelligentem duit, quæque ſemper cogitet lectam ſe miniſtram ad regendos homines, Deo cariſſimum animal.

COMMENTARIUS.

PAx vero facta ſervanda omnino, licet non omni ex parte reſpondeat intentioni noſtræ, nec conveniat cum propria utilitate, ob fidei ſanctimoniam, tum conſcientiæ tranquillitatem, ſummo enim cum animæ periculo frangitur, imo ſæpius & in hac vita iram divinam experietur perfidus. *Qui diſſolvit pactum nunquid effugiet? Vivo ego, dicit Dominus, quoniam in loco Regis, qui conſtituit eum Regem, cujus fecit irritum juramentum, & ſolvit pactum, quod habebat cum eo, in medio Babylonis morietur. Ezech.* 17. Juſtiſſimum vero & piiſſimum Auctoris votum, quicum libenter noſtras conjungere preces volumus, ut Deus ter Opt. Max. eorum animis & cordibus hæc inſcribat, qui ſummæ rerum præſunt, penes quos pacis & belli arbitrium, & proinde utriuſque jura eorum mentibus inſtillet ac infundat, ne a juſtitiæ tramite deflectant, quam uti quemque privatum ſibi in totius vitæ curſu, ita poriſſimum in publicis negotiis tractandis, quæ non cœtus duntaxat cujuſdam, ſed humani generis ſalutem & conſervationem ſpectant, Reges ac Principes ſummoſque magiſtratus ſibi normam & regulam proponere decet, ad quam omnes ſuas actiones componere non humani ſed divini etiam juris vinculo adſtricti ſunt, cogitent ſe lectos miniſtros ad regendos homines, Deo cariſſimum animal, cujus ad imaginem natum, & proinde ſumma ope niti debent, ne quid præcipiant, faciant, moliantur vel ſuſcipiant, quod juri naturali vel gentium, id eſt, divino vel humano, tum etiam humanitatis, charitatis, amicitiæ, cognationis officiis & legibus vel bonis moribus repugnat, cogitent ſe aliquando coram divino tribunali ſiſtere oportere, & adminiſtrationis ſuæ rationem reddituros Regum Regi, cui ſoli gloria.

ANNOTATA AUCTORIS
AD LIBRI III.
DE
JURE BELLI
ET
PACIS.
CAPUT I.

QUid quantumque in bello liceat] Bene Auguſtinus epiſtola LXX. ad Bonifacium comitem: *Ut in ipſis bellis (ſi adhuc in eis verſari te opus eſt) fidem teneas, pacem quæras.* Epiſtola CCV. *Eſto ergo etiam bellando pacificus.* De juſtitia in bello gerendo ſervanda diſſertatio eſt egregia Beliſarii ad milites apud Procopium Vandalicorum I. libro VII. *Ecce regibus & temporibus Chriſtianis, qualiter bella civilia, cum vitari nequeunt, tranſiguntur.* Idem de Theodoſio: *Unum aliquod ab initio Urbis condita bellum proferant, tam pia neceſſitate ſuſceptum, tam divina felicitate confectum, ubi nec pugna gravem cadem, nec victoria cruentam exegerit ultionem.*

1. *Ad jus agendi multa conſequi indirecte, & extra agentis propoſitum*] Vide hac de re Thomam prima ſecundæ, quæſtione LXXIII. art. 8. Molinam tractatu ſecundo, diſputatione CXXI.

2. *Naves & qua navibus adſunt*] Athenis ἀπόῤῥητα, id eſt, evchi vetita, lina, utres, lignum, cera, pix. Scholiaſtes ad Ariſtophanis Nubes & Equites.

3. *Si beneficium illi, neque vires majores daturum eſt ad exitium commune*] Vide Parutam libro VII.

4. *Publica ſignificationes fieri*] Vide exempla in bello communi contra Ægyptios, Saracenos, alioſque. c. ult. de tranſactionibus. c. ſignificavit. de Judæis. Extravagante copioſus. de Judæis & c. I. lib. V. Extravag. de Judæis. Liber conſulatus maris editus eſt lingua Italica, in quem relatæ ſunt conſtitutiones Imperatorum Græciæ, Alemaniæ, Regum Francorum, Hiſpaniæ, Syriæ, Cypri, Balearium, Venetorum, Genuenſium, cujus libri titulo CCLXXIV. tractantur hujus generis controverſiæ: ac ſic definitur, ſi & navis & merces hoſtium ſint, rem eſſe in aperto, fieri ea capientium: ſi vero navis ſit pacem colentium, merces autem hoſtium, cogi poſſe ab his, qui bellum gerant, navem, ut merces eas in aliquem portum deferat, qui ſit ſuatum partium, ita tamen ut vecturæ pretium nautæ ſolvatur. Si contra, navis hoſtilis fuerit, merces vero aliorum, de navi tranſigendum: aut, ſi nolint vectores tranſigere, cogendos ut cum navi eant in portum aliquem partium capientis, & ut capienti ſolvant pretium quod pro navis uſu debebatur. Apud Hollandos anno M CCCC XXXVIII. cum bellum ipſis eſſet cum Lubeca aliiſque civitatibus ad mare Balticum & Albim ſitis, frequente ſenatu judicatum eſt, etiam in hoſtium navibus repertas merces, quas aliorum eſſe conſtaret, in prædam non cedere; idque ibi pro lege deinceps habitum eſt. Sic Daniæ rex ſenſit, cum anno M D XCVII. ad Hollandos eorumque fœderatos legationem mitteret, qua libertatem navigandi merceſque ferendi in Hiſpaniam, cum qua Hollandi bellum gerebant acerrimum, ſuis vindicabat. Apud Gallos libertas mercaturam exercendi pacatis populis, etiam apud eos qui Galliæ hoſtes eſſent, ſemper permiſſa; & quidem adeo indiſcrete, ut hoſtes ſæpe ſub alienis nominibus res ſuas occultarent; ut apparet ex edicto anno M D XLIII. capite XLII. quod tralatum eſt in edictum anni M D LXXIV. & ſequentia. Iis edictis diſerte cavetur, ut Gallorum amicis liceat belli tempore exercere mercaturam, dummodo ſuis navibus, ſuoſque per homines, naveſque ac merces, quocumque viſum ipſis eſſet perducere, dum ne merces eæ ſint belli inſtrumenta, quibus res hoſtium fovere velint: quod ſi fiat, permittitur Gallis talia belli inſtrumenta ſibi ſumere perſoluto æquo pretio. Hic duo notanda, his legibus nec belli inſtrumenta in prædam

ceſſiſſe, multo magis ab eo periculo abfuiſſe merces innoxias. Non negem aliud jus uſurpaſſe interdum Septentrionis gentes, ſed varie, ex uſu magis temporum, quam ex æquitate perpetua. Nam cum Angli bellorum ſuorum obtentu Danorum commercia impediſſent, natum inde jam olim bellum inter eas gentes eo exitu ut Dani Anglis tributum imponerent, cui Danico denario nomen, cui mutata quamvis cauſa, nomen manſit aduſque tempora Guilielmi ejus qui ſtirpem nunc regnantem in Anglia fundavit, ut notavit vir magnæ fidei Thuanus in hiſtoria anni M D LXXXIX. Rurſum ab Eliſabetha, ſapientiſſima Angliæ regina, miſſi anno M D LXXV. ad Batavos Wilhelmus Winterus ex ordine equeſtri & Robertus Bealus regio conſilio ab epiſtolis, qui oſtenderent ferre Anglos non poſſe, quod Batavi, in ipſo æſtu belli in Hiſpanos, naves Anglorum ad Hiſpanicos portus vectas detentaſſent. Narrat Rhedanus in hiſtoria Batavica anno M D LXXV. & Britannus Camdenus anno ſequente. Cum vero Angli, & ipſi Hiſpanis hoſtes facti, Germaniæ civitatibus jus in Hiſpaniam navigandi turbarent, quam id non certo jure fecerint apparet ex ſcriptis adverſariis gentis utriuſque, dignis lectu ad noſcendam hanc controverſiam. Et notandum, Anglos in ſuis ſcriptis ipſos id agnoſcere, cum duo maxime pro ſua afferunt cauſa, & belli inſtrumenta fuiſſe quæ a Germanis in Hiſpaniam deferebantur, & pactiones veteres intercedere quo minus id fieri liceret: quales poſtea pactiones & Hollandi ſociique eorum cum Lubecenſibus ſociiſque eorum fecere anno M D CXIII. ne hi aut illi hoſtium ſubditos intra ſuos fines mercari permitterent, aut hoſtes pecunia, milite, navibus, victu juvarent: & poſterius, anno ſcilicet M D CXXVII. inter Suediæ Daniæque reges convênit, ut Danus impediret omnem mercatum cum Dantiſcanis Suedi hoſtibus, ſed nec ad alios Suedi hoſtes merces ullas per fretum Cimbricum ire ſineret, pro quo rex Daniæ alia ſibi viciſſim commoda ſtipulatus eſt: ſed hæc ſunt pacta ſpecialia, ex quibus nihil inferri poteſt quod omnes obliget. Nam & illud in ſcriptis ſuis dixere Germani, non omnes pactis merces prohiberi, ſed eas quæ in Angliam ſemel importatæ aut in Anglia comparatæ eſſent. Neque vero ſoli Germani Anglis cum hoſte ſuo commercia vetantibus contradixere; etiam Polonia miſſo legato conqueſta eſt jus gentium imminui, quando ob Anglicum cum Hiſpania bellum ipſis cum Hiſpanis commercia agitandi libertas adimeretur, ut in anno M D XCVII. narrant memorati jam nobis Camdenus & Rhedanus. Galli vero poſt pacem Verbinianam cum Hiſpano factam, Eliſabetha Angliæ regina in bello perſtante, rogati ab Anglis ut naves Gallicas in Hiſpaniam euntes excutere liceret, ne quis forte bellicus paratus occultaretur, concedere ne hoc quidem voluere, dicentes obtentum rapinis & commerciis turbandis quæri. Et eo fœdere quod Angli cum Hollandis eorumque ſociis anno M DC XXV. pepigere id quidem convenit, ut rogarentur cæteræ gentes, quarum intererat magnitudinem Hiſpanicam infringi, ut & ipſæ vetarent cum Hiſpanis commercia, ſed, ſi ultro id non facerent, placuit inſpici naves num quid bellici inſtrumenti ferrent, ſed ultra neque naves neque merces retentari, aut quidquam pacatis noceri eo nomine. Atque evênit eodem anno ut Hamburgenſes quidam in Hiſpaniam irent nave maxima ex parte onuſta apparatu bellico, qui ipſe quidem apparatus ab Anglis vindicatus eſt, ſed cæterarum mercium perſolutum eſt pretium. Galli autem, cum ab Anglis naves Gallicæ in Hiſpaniam euntes in fiſcum raperentur, oſtenderunt pati ſe id nolle. Bene ergo dictum a nobis, ſignificationes publicas requiri, quod & Angli ipſi ita ſenſere; a quibus factæ ſignificationis talis exémplum eſt apud Camdenum circa annum M D XCI. & M D XCVIII. Neque vero talibus ſignificationibus ſemper paritum, ſed diſtincta tempora, cauſæ, loca. Anno enim M CCCC LVIII. Lubecenſis civitas ſignificationi a Dantiſcanis ſibi factæ, ne cum Malgenſibus & Memelenſibus Dantiſci hoſtibus mercaturam exerceret, parendum non cenſuit. Neque magis paruêre Hollandi anno M D LI. cum Lubecenſes ipſis denuntiarent, ut a Danorum, quos ipſi hoſtes tum habebant, commercio abſtinerentur. Anno vero M D XXII. quo tempore inter Suedos Danoſque bellabatur, cum Danus Anſiaticas civitates rogaſſet ne cum Suedis commercia haberent, quædam civitates amicitia ipſius indigentes morem geſſere, aliæ non item. Hollandi bello ardente inter Suediam & Poloniæ regem nunquam paſſi ſunt ſibi aut hujus aut illius gentis commercio interdici. Gallis autem ſemper reddidere naves quas ab Hiſpania revertentes, aut in Hiſpaniam, ipſis tunc hoſtilem, euntes Hollandicæ naves interceperant. Vide Ludovici Servini Advocati quondam regii orationem habitam anno M D XCII. in cauſa Hamburgenſium. Verum iidem Batavi Dunquercam, ad quam claſſem habebant, ab Anglis merces inferri non ſiverunt: quomodo Dantiſcani anno M CCCC LV. Batavis denuntiarunt ne quid in urbem Regiomontanam inferrent, narrante Gaſpare Schutzio in hiſtoria Pruſſica. Adde Cabetum deciſione XLIII. num. 2. & Seraphinum de Freitas in libro de juſto imperio Luſitanorum Aſiatico, ubi complures adducit alios.

5. *Nihil comperire potuimus ea de re jure voluntario gentium eſſe conſtitutum*] Multa hujus quæſtionis habet vir doctiſſimus Johannes Meurſius in hiſtoria Danica libro I. & II. Ubi videbis Lubecenſes & Imperatorem eſſe pro commerciis, contra ea Danos. Vide & Crantzium Vandalicorum libro XIV. Thuanum in dicto anno M D LXXXIX. libro hiſtoriarum XCVI. Camdenum, præter jam dicta loca, in anno M D LXXXIX. & M D XCV. Ubi illa inter Anglos & Germanos, quos Anſiaticos vocant, controverſia tractatur.

Et Magiſtrum & Gubernatorem ſuſpendit] Non multum diſſimile eſt quod de Pompejo narrat Plutarchus in Mithridatici belli hiſtoria: ἐπί-

συνα

ϛηκε φύλακας τῶν νεῶν ἐπὶ τὰς πλέοντας εἰς Βόσφορον ἐμπόρους. Καὶ θάνατος ἦν ἡ ζημία τοῖς ἁλισκομένοις. *Cuſtodes impoſuit Boſphero, qui obſervarent ſi qui mercatorum in Boſphorum navigarent. Deprehenſis pœna mort.*

2. *Belli furtis.*] Ita & Virgilius loquitur Æneidos XI. & Salluſtius, quem citat Servius.

Bellandum eſt aſtu] Muhammedis dictum ſimile: *Elharbu Hudiatum*, id eſt, *pugna fraudem requirunt.* Apud Virgilium in comitatu Martis:

Iraque inſidiæque.

Ubi Servius: *Non tantum virtute, ſed inſidiis comitatum ſe oſtendit.*

Lyſandrum] Ei Sullam comparat Plutarchus, in cujus animo leonem eſſe & vulpem dicebat Carbo.

Auguſtinus] Et in v. Pſalmum verſiculo: *Perdes omnes. Aliud eſt mentiri, aliud eſt verum occultare.* Citatur cauſa XXIII. quæſtione II.

Neceſſariam hanc omnino atque inevitabilem.] Vide Chryſoſtomum primo de Sacerdotio.

Abrahamus] *Veritatem voluit celari, non mendacium dici.* Auguſtinus quæſtione XX. in Geneſin, relatus a Gratiano dicta cauſa XXII. quæſtione III.

1. *Sed & nutibus*] Plinius de Æthiopum gente libro VI. 30. *Quibuſdam pro ſermone nutus motuſque membrorum eſt.* Vide c. tuæ fraternitati de Sponſalibus.

Paulus Juriſconſultus loquitur] *Non figura*, inquit, *literarum, ſed oratione quam exprimunt littera obligamur, quatenus placuit non minus valere quod Scriptura quam quod vocibus lingua figuratis ſignificaretur.* Valde Philoſophice dixit *placuit*, ut oſtenderet hæc valere ἐκ συνθήκης.

2. *Ut rebus aliis uti liceat, etiamſi prævideamus futurum ut alter inde falſam concipiat opinionem*] Vide Auguſtinum de Doctrina Chriſtiana lib. II. c. 24.

Ubi nullum inde ſequitur nocumentum] Ut in facto Micholis I. XIX. 16.

3. Οἰκονομίαν] Sic hanc vocandam, non ἀπάτην, id eſt, fraudem, ait Chryſoſtomus indicato jam libro primo de Sacerdotio. Idem I ad Corinthios IV. 6. Ἦν δὲ ταῦτα ὐχ ὑπόκρισις, ἀλλὰ συγκατάβασις καὶ οἰκονομία: *Non hic fraus fuit, ſed obſequentia quadam & diſpenſatio.* Et IX. 20. Ἵνα γὰρ τὰς ὄντας ἀληθῶς εἰς ταῦτα μεταςήσῃ, ἐγένετο αὐτὸς ὐκ ἀληθῶς, ἐπιδεικνύμενος μόνον ὐκ ὢν δὲ, ὐδὲ ἐκ διανοίας ταῦτα πράττων ὕτως ἐχέσης. *Ut enim qui tales revera erant corrigeret factus ille talis, non revera aliud quam quod erat præ ſe ferens, agens talia non ex tali animi propoſito.* Huc referri poteſt ſimulatus Davidis furor.

2. *Laudatorum hominum ſine reprehenſionis nota*] Irenæus ex veteris presbyteri inſtitutione didicit docuitque: *De quibus Scripturæ non increpant, ſed ſimpliciter ſunt poſita, nos non debere fieri accuſatores.* Locus eſt libro IV. c. 50.

4. Κατὰ καιρὸν] In tempore, ut Donatus loquitur ad Adelphos IV. 3. *Et ipſum fallere in tempore, quidam de officiis ſcribentes rectum putant.* Cicero pro Q. Ligario, *Aliquod mendacium honeſtum & miſericors vocat.*

1. *Quatenus & imprudenti accidit*] *Ream linguam non facit niſi rea mens.* Et: *Nemo mentiens judicandus eſt qui dicit falſum quod putat verum, quia, quantum in ipſo eſt non fallit ipſe, ſed fallitur.* Sunt hæc Auguſtini, de verbis Apoſtoli Sermone XXVIII. & Enchiridii c. 22. relata a Gratiano in cauſam XXII. quæſtione I.

Etiamſi putetur is qui audit in aliam partem id accepturus.] Quomodo Abraham captioſe loquebatur cum ſervulis, ita judicante & probante Ambroſio, quem ſequitur Gratianus poſt c. ſi quælibet, dicta cauſa XXII. quæſt. II.

2. *Quin ſuſpenſa & quo ducerentur inclinatura reſponderet*] Idem Tacitus Hiſtoriarum III. *Incerta deſeruit, tracturus interpretationem prout conduxiſſet.* Item: *Ita compoſitus, ut ex eventu rerum adverſa abnueret vel proſpera agnoſceret.*

Hebræorum] Quorum hoc eſt, מותר לשנות מפני השלום. *Licet perplexe loqui boni cauſa:* citat doctiſſimus Manaſſes Ben-Iſraël in ſuo conciliatore quæſtione XXVII. Chryſoſtomus I. de Sacerdotio: ἀπατεὼν ἐκεῖνος ἂν εἴη καλεῖσθαι δίκαιος, ὁ τῷ πράγματι κεχρημένος ἀδίκως, ὐχ ὁ μεθ' ὑγιῶς γνώμης τῦτο ποιῶν, *Fallax jure vocetur qui re tali injuſte utitur, non qui ſalutari propoſito.*

3. *Puta cum Dei honos*] Philo de vita Moſis: ἐπ' ἔργοις ἅπερ ἀναφέρεται εἰς Θεῦ τιμὴν δι' ἃ μόνα καὶ τὸν ἐν τοῖς ἄλλοις τὸ ἦθος ἐψευσμένον, ἀναγκαῖον ἦν ἀληθεύειν. Ἀλήθεια γὰρ ὀπαδὸς Θεῦ. *De factis loquor quæ ad Dei honorem pertinent, in quibus ſolis veracem eſſe oportuit, etiamſi quis cæterum ingenio eſſet mendace. Veritas enim Dei comes:* Auguſtinus epiſtola VIII. *Alia quæſtio eſt, ſitne aliquando mentiri viri boni: & alia quæſtio eſt, utrum Scriptorem ſanctarum Scripturarum mentiri oportuerit.* Vide quæ infra § XV.

Aut amor proximo debitus] Æſchylus Prometheo:

Λέξω τορῶς σοι πᾶν, ὅ τι χρῄζεις μαθεῖν,
Οὐκ ἐμπλέκων αἰνίγματ', ἀλλ' ἁπλῷ λόγῳ
Ὥσπερ δίκαιον πρὸς φίλους ἄγειν ςόμα.
Dicam diſerte quidquid audire expetis,
Sermone nudo, non per implicitos modos,
Quo more amicos alloqui verum ac bonum eſt.

1. *Judicandi libertas*] Hinc furari cor Hebræis dicitur qui adimit ſciendi vias: Gen. XXXI: 26, 27. & ibi Onkelos & LXX. Rabbi David Libro Radicum, & Rabbi Salomo in commentario, & Aben Eſdra.

2. *Fallendi voluntatem*] Lactantius Inſtitutionum VI: 18. *Ut non mentiatur unquam decipiendi aut nocendi cauſa.*

1. *Ad verum mendacio venit*] *Incredibilia affirmat, ut ad credibilia perveniat.* Seneca ibidem.

2. *Chryſoſtomus & Hieronymus*] Adde Cyrillum adverſus Julianum libro IX. circa finem. Nec multo aliter Tertullianus primo & tertio contra Marcionem.

1. *In Plinii epiſtolis*] III: 16.

2. *Apud Xenophontem*] *Et Ageſilaus cum in Bœotiam veniſſet & intellexiſſet Piſandrum navali prælio victum a Pharnabazo & Conone, juſſit militibus ſuis contrarium dici, coronatuſque incedens ſacra fecit pro victoria.* Plutarchus Ageſilao.

1. *Qui habet jus ſupereminens*] Iliados ſecundo Agamemnon Græcorum Imperator:

Πρῶτα δ' ἐγὼν ἔπεσιν πειρήσομαι ἣ θέμις ἐστί.
Καὶ φεύγειν σὺν νηυσὶ πολυκλήισι κελεύσω.

Ante tamen Danaos verbis tentabo, (ſinit fas)
Utque citi fugiant ærata claſſe monebo.

Medicis] Exempla Medicorum affert Chryſoſtomus dicto libro I. de Sacerdotio.

2. *In Joſepho*] *Cum fratribus diſpenſatoria ſeveritate crimen explorationis inureret*, ait Caſſiodorus de amicitia.

Quoties vita innocentis aut par aliquid aliter ſervari, & alter ab improbi facinoris perfectione aliter averti non poteſt] Auguſtinus in V. Pſalmum, relatus a Gratiano in cauſam XXII. quæſt. II. c. Ne quis: *Duo vero ſunt genera mendaciorum in quibus non eſt magna culpa, ſed tamen non ſunt ſine culpa; cum aut jocamur, aut proximo conſulendo mentimur. Illud autem primum in jocando ideo non eſt perniſioſum, quia non fallit. Novit enim ille cui dicitur cauſa jocandi fuiſſe dictum. Secundum autem ideo minus eſt, quia retinet nonnullam benevolentiam.* Tertullianus libro de Pudicitia inter delicta quotidianæ incurſationis, quibus omnes ſumus objecti, ponit, neceſſitate mentiri.

Splendide mendax] Ubi Scholiaſtes, *decenter. Pulchrum eſt enim pro juſtitia mentiri.* Simile eſt illud Chryſoſtomi de Rahabe: ὦ καλοῦ ψεύδους, ὦ καλοῦ δόλου, οὐ προδιδόντος τὰ θεῖα ἀλλὰ φυλάττοντος τὴν ἀλήθειαν, aut ut alii habent codices, τὴν εὐσέβειαν. *O pulchrum mendacium, ô laudabilem dolum, non prodentis res divinas, ſed cuſtodientis veram pietatem.* Auguſtinus de obſtetricibus Ægyptiis: *O magnum humanitatis ingenium, ô pium pro ſalute mendacium.* Laudat eaſdem obſtetrices, & præmia illis data etiam æterna credit Hieronymus ad Ezechielem XVII. & ad Eſaiam LVI. Ambroſius ad Syagrium libro VI. Auguſtinus ipſe, ut ſolet, varians, ad Conſentium contra Mendacium. c. 15. Toſtatus negat in eo peccatum. Hæſitant Auguſtinus lib. II. quæſtione ſuper Exodum, Thomas 2: 2. quæſtione CX. art. LV. ad 4. & ibi Cajetanus. Vide ſi vacat & Moriæ Encomio Eraſmum, & doctiſſimum Maſium ad Joſuam II:5.

1. *Inter Chriſtianos Chryſoſtomus*] Sic loquens: εἰ βούλει γε τῶν στρατηγῶν τοὺς ἐξ αἰῶνος εὐδοκιμήσαντας ἐξετάσαι, τὰ πλείονα αὐτῶν τρόπαια τῆς ἀπάτης εὑρήσεις ὄντα κατορθώματα, καὶ μᾶλλον τούτους ἐπαινουμένους ἢ τοὺς φανερῶς κρατοῦντας. *Si nobiliſſimos ducum ad examen voces, pleraque eorum trophæa reperies fraudum eſſe opera, magiſque tales laudari quam qui aperte agendo vicerunt.*

Eliſæi] Ejuſdem Eliſæi alterum ſimile eſt II Regum VIII: 10. Ita ut legunt Maſoretæ, id eſt, ſecundum קרי, quod ſequitur Latina vulgata verſio.

3. *Auguſtinum*] Contra cujus poſteriorem in hac re ſententiam ſcripſit Rupertus Abbas.

4. *Qua non ambiguum recipiat*] Id Chryſippus defendit apud Gellium libro IX. c. 12. Et Seneca de Beneficiis ſecundo, capite 34. *Ingens eſt copia rerum ſine nomine, quas non propriis appellationibus notamus ſed alienis commodatiſque.*

Alterum habeant ſecunda] Auguſtinus de Magiſtro: *Nullum nos ſignum comperiſſe quod non inter cætera quæ ſignificat ſe quoque ſignificet.*

Secundum varias artes] Vide quæ ſupra notata ad paragraphum decimum.

Non ad promittentem] Diſtinguit hæc & Ageſilaus & cum eo Plutarchus: τὸ μὲν σπεισάμενον ἀδικεῖν, τῶν θεῶν ἐστι καταφρονεῖν. Ἐν δὲ τῷ παραλογίζεσθαι τοὺς πολεμίους, οὐ μόνον τὸ δίκαιον, ἀλλὰ καὶ δόξα πολλὴ, καὶ τὸ μεθ' ἡδονῆς κερδαίνειν ἔνεστι. *Fœdera violare, Deos eſt contemnere. Extra ea verbis hoſtem decipere, non juſtum modo eſt ſed & gloriam habet, & cum lucro voluptatem.*

1. *Servile mentiri*] Philo libro: Omnem virum probum eſſe liberum: παρ' ὃ καὶ τοὺς διχόνους καὶ δολεροὺς ἅπασιν ὀνομάζειν ἔθος ἀνελευθέρους τε καὶ δουλοπρεπεῖς. *Unde & eos qui duplices ſunt atque fallaces, eos illiberales ſerviliſque animi vocare ſolent.*

2. *Nec olim genitor, ut perhibent, meus*] Achilles i de quo Horatius carminum lib. IV. ode VI:

Ille non incluſus equo Minervæ
Sacra mentito, male feriatos
Troas & lætam Priami choreis
Falleret aulam:
Sed palam captis gravis.

Et quæ ſequuntur; ubi Scholiaſtes dicit *Achillem nihil fraude, ſed ſemper palam virtutis fiducia dimicaſſe.* Nota illud virtutis fiducia, quod optime convenit cum iis quæ nos hujus paragraphi initio in textu diximus.

Quidquid alicui facere non licet, ad id eum impellere aut ſollicitare non liceat] Ita docet & Maimonides in הלכות חובל cap. V. ſect. 10.

Dei ipſius exemplo.] Libro II. c. XXVI. §. 5.

Contra jus belli non eſt ut eum admittamus qui deſerta hoſtium parte noſtram eligit] Neque reddendi tales, niſi pace convenerit; ut pace cum Philippo, Ætolis, Antiocho, Polybius in Excerptis legationum IX, XXVIII, XXXV. Menander Protector idem nos docet.

1. Ut

ANNOTATA AUCTORIS

AD LIB. III. CAP. II.

1. *UT enim cum oneribus bona tranſirent ſimul cum dominiis rerum introductum eſt*] Vide ſupra lib. II. c. XXI. §. 19. Adde C. in litteris de raptoribus. C. tua de uſuris.

2. *Ad exſolvendum tamen hoc portionem meam dabo*] Vide leges Siculas fine libri I.

Pignorationes] C. unico de injuriis in ſexto: *Pignorationes quas vulgaris elocutio repreſſalias nominat.* Rectius ſcribas, ut libri quidam, *reprenſalias.* Id enim voci Saxonicæ Withernamii ad amuſſim reſpondet, ſed uſus alterum recepit.

3. *Ex bellis plenis*] Diſtinguit bella ab his pignorationibus vir prudens Nicolaus Damaſcenus, ubi oſtendit Herodi, cui non licebat bellum inferre Arabi, licuiſſe ῥύσια λαμβάνειν, pro ſibi ex contractu debitis uti pignoratione. Joſephus VI. Antiquæ hiſtoriæ, ubi hæc verba: τὸ δάνειον εἰπὼν τῶν πεντακοσίων ταλάντων, καὶ τὴν συγγραφὴν ἐν ᾗ καὶ τοῦτο ἦν προγεγραμμένον, ἐξεῖναι τῆς προθεσμίας παρελθούσης ῥύσια λαμβάνειν ἐξ ἁπάσης τῆς χώρας, τὴν μὲν στρατιὰν οὐ στρατιὰν ἔλεγεν, ἀλλ' ἐπὶ δικαίων τῶν ἰδίων ἀπαίτησιν. *Cum narraſſet quingenta Herodi talenta debita, cautionemque de iis expoſitam id continere ubi dies præſtituta tranſiiſſet, poſſe ipſum ex omni Arabum terra pignora capere, hanc expeditionem non expeditionem eſſe dicebat, ſed juſtam debiti exactionem.*

Pignoratio inter populos diverſos] Σύλας id dicit Demoſthenes in oratione pro Corona, & Ariſtoteles Oeconomicôn ſecundo.

1. *Natura tamen debitor permanet*] Spectant huc quæ habet Gailius de Pace publica lib. II. cap. VIII. num. 7. & Vaſquius libro IV. controverſiarum illuſtrium cap. X. §. 41.

2. *Corpora*] Vide exemplum apud Ammianum libro XVII. ubi Julianus Francorum quoſdam retinet uſque dum captivi ex pacto liberentur. Adde quæ habet Leo Afer lib. III. de Monte Berrigualid.

Ῥύσι' ἐλαυνόμενος] Hoc ſenſu ῥύσια invenias excerptis legationum ex Polybio XXXVIII. ubi de Achæis contra Bœotos; & excerpto CXXIII. ῥυσιάζειν, apud Diodorum Siculum excerptis Manuſcripti Peireſiani. Alibi vero ῥύσια καταγγέλλειν in bello uſurpatur, ut dicemus mox capite III. §. VII. ſunt enim hæc valde affinia.

3. *Ita ut reſiduum reddi debeat*] Uſi hac æquitate Veneti, captis in Galata Genuenſium navibus, memorante Gregora libro IX. Ἀλλ' οὐδὲ τῶν ἁλισκομένων ἐκείνων νεῶν ἁπασῶν τοῦ πληρώματος ἐλυμήναντο τὸ παράπαν οὐδέν. Ἦν γὰρ τὸ μὲν πλήρωμα σῖτος καὶ κριθή. Τῶν δὲ ὄψων ταρίχη πόσα γεωργοῦσι λίμναι κωπαΐδες τε καὶ μαιώτιδες, καὶ ποταμοὶ ταναΐδες. Ἀλλὰ διετήρησαν εἰς τ' ἀκριβὲς ἀλώβητα, ἕως ἀπολαβόντες τὸ χρέος, ἀπέδοσαν ἅπαντα. *Sed neque de onere captarum a ſe navium corruperunt quidquam. Onus erat frumentum & hordeum: ad hæc, ſalſamenta piſcium qualia proferunt Copaides & Mæotides paludes, & Tanais flumina: ſed ea ſervarunt anxie, nihil imminuta, donec recepto debito integra redderent.*

4. *Teneri ad reſarcienda damna*] Plutarchus in Cimone de Scyriis: οὐ βουλομένων τὰ χρήματα τῶν πολλῶν συνεκτίνειν, ἀλλὰ τοὺς ἔχοντας καὶ διηρπακότας ἀποδοῦναι κελευόντων. *Plerique pecunias contribuere nolebant, ſed jubebant eos qui res alienas aut habebant aut rapuerant ſarcire damnum.*

ANNOTATA AUCTORIS

AD LIB. III. CAP. III.

1. *SUpra*] Lib. I. cap. III. §. 4.

Qui a latronibus captus eſt ſervus latronum non eſt] Hinc argumentum Pœnulo Plauti: Eunucho Terentii. Talis & Eumæus Odyſſ. O.

A piratis] Pompejus a piratis captos liberos pronuntiavit; Appianus Mithridatico. Adde Herreram Tomo II.

1. *Criminis cauſa ſociantur*] Ὅμιλος ἀνθρώπων οὐ νόμῳ ξυνιόντων, ἀλλ' ἐκ τοῦ ἀδίκου ξυνειλεγμένων: *turba hominum non lege congregata, ſed injuſtitia cauſa in unum coacta*: Procopius II. Vandalicorum.

Ut rapta ſi vellent æquo pretio redimerent] Tales & illi quorum Saxo meminit libro XIV. Ideo Scyrios Plutarchus cum tempore pejores factos notat; ληϊζόμενοι δὲ τὴν θάλασσαν ἐκ παλαιοῦ, τελευτῶντες οὐδὲ τῶν εἰσπλεόντων παρ' αὐτοὺς καὶ χρωμένων ἀπείχοντο ξένων. *Cum ab antiquo mari prædas egiſſent, poſtremum ne iis quidem qui ad eos ipſos commercii cauſa navigabant abſtinuere injuriam.*

Ea enim ſublata civitatem non eſſe amplius] Cicero libro X. epiſt. I. *Nec leges ſunt nec judicia, nec omnino ſimulacrum aliquod ad veſtigium civitatis.*

Sed etiam in cœtibus, ut qui prædones tantum fuerant aliud vitæ genus amplexi civitas fiant.] Exemplum in Mamertinis; Diodorus Siculus in Fragmentis.

Sed inæqualiter ſunt fœderati] Ut Dux Lotharingiæ, apud Crantzium Saxonicis XII, 13.

Civitas Sundenſis Principibus ſuis Pomeranis bellum indixit : Idem Crantzius Vandalicorum XIV, 35.

Ut ejus rei ſignificatio ab altera partium alteri facta ſit] Joſephus Antiquæ Hiſtoriæ libro XV. πόλεμον ἀκήρυκτον ἐπάγειν, ἀνομία. *Bellum inferre non ante denuntiatum, injuſtum eſt.* Vide hujus Gentium moris exempla apud Crantzium Saxonicorum XI. apud Oderbornium in vita Baſilidis lib. III. Facta contraria Turcæ Olixaſthlanis, & Neemonis Servii reprehendit Nicetas lib. III, & IV.

1. *Apud Thucydidem*] Idem libro III. in Platæenſium oratione : κατὰ τὸν πᾶσι νόμον καθεστῶτα, τὸν ἐπιόντα πολέμιον ὅσιον εἶναι ἀμύνεσθαι. *Ex jure apud gentes omnes recepto fas eſt arcere eum a quo hoſtiliter impetimur.* Flaminius apud Diodorum Siculum in excerptis Peireſianis, ἐπεμαρτύρατο πάντας ἀνθρώπους τε καὶ Θεοὺς, ἐπὶ τῷ προκατῆρχθαι τοῦ πολέμου τὸν βασιλέα, *omnes deos hominesque teſtabatur, inceptum a rege bellum.* Adde quæ habet Mariana XIX, 13. De bello non indicto vide Dexippum in excerptis de legationibus.

3. *Honeſte tamen & laudabiliter interponitur*] Vide Marianam XXVII, 13.

De tentandis rationibus belli vitandi diximus] Lib. II, c. XXIII. § 7.

Præceptum quod Deus Hebræis dedit] Joſephus Antiquæ Hiſtoriæ V, 21. Ἐπέσχε δὲ αὐτοὺς ἡ γερουσία, πείσασα μὴ δεῖν ὀξέως οὕτως πρὸς τοὺς ὁμοφύλους ἐκφέρειν πόλεμον, πρὶν ἢ λόγοις διαλεχθῆναι περὶ τῶν ἐγκλημάτων, τοῦ νόμου μηδ' ἐπὶ τοὺς ἀλλοτρίους ἐφιέντος δίχα πρεσβείας, καὶ τοιαύτης πρὸς τὸ μετανοῆσαι πείρας, τοὺς δόξαντας ἀδικεῖσθαι στρατιὰν ἀναγαγεῖν. *Sed retinuit eos Senatus, oſtendens non oportere ita ſubito bellum inferri popularibus priuſquam querela verbis diſceptata ſint, cum lex ne in externos quidem permittat injuria affectis producere exercitum niſi legatione prius miſſa, tentatiſque viis quibus ad ſaniorem mentem injuriæ auctores revocari poſſint.*

1. *Rerum repetitarum nomine*] Vide Parutam de bello Cyprio, lib. I. Bizarrum lib. XXIII. de Turcis. Reinking. lib. II. claſſe III. c. IV.

Servius] Ad X. Æneidos.

Cap. VII. *Plinius*] Libro XXII, 12. *Et legati cum ad hoſtes clarigatum mitterentur*, id eſt, *res raptas clare repetitum, unus utique Verbenarius vocabatur.* Et de Verbena agens libro XXV, 9. *Hæc eſt quam legatos ferre ad hoſtes indicavimus.* Vide Servium ad IX, & X Æneid.

Vicina Theſeus qui tenet regni ſola] Similis denuntiatio eſt in Batrachomyomachia, & in Amphitruone Plauti initio. Vide & Cromerum XXI.

Aut ea deliquit ipſe quæ pœnam merentur] Exemplum vide apud Bembum libro VII.

2. *Quarum rerum, litium, cauſarum*] confer Græca Dionyſii Halicarnaſſenſis excerpto legationum II.

VIII. *Caduceat apud Græcos*] Unde Caducei origo diſces ex Plinio XXIX, 3. & Servio ad IV, & VIII. Æneidos.

Haſtæ miſſio] Vide Servium ad IX. Æneidos, Ammianum XIX. & quæ ad eum notata a doctiſſimo Lindenbrogio.

Non fuiſſe juſtum jure gentium bellum aut Manlii in Gallogræcos] Aut Ulyſſis ſociorum in Ciconas Priamo quondam auxiliatos, de quibus Homerus Odyſſeæ I. & ibi Didymus.

IX. *Sicut nationes quædam etiam prælii diem & locum condixiſſe leguntur*] ut Porſenæ Romani, memorante in Publicola Plutarcho, Turcæ biduo ante prælium ignes plurimos accendunt ; Chalcocondylas VII.

ANNOTATA AUCTORIS

AD LIB. III. CAP. IV.

E*Ffectus quoſdam eſſe proprios*] Crantzius Saxonicorum XI, 5.

1. *Licet matrimonium contrahere, ſed laudabilior eſt ex pio propoſito cælebs caſtitas*] Tertullianus adverſus Marcionem I. *vocat abſtinentiæ teſtimonium, ſi licentia eripitur.* Vide de hac re, & de fuga in perſecutione eundem lib. I. ad uxorem. Hieronymus ad Helvidium: *Virgo majoris eſt meriti dum id contemnit, quod ſi fecerit, non delinquit.* Adverſus Jovinianum: *Ideo plus amat virgines Chriſtus, quia ſponte tribuunt quod ſibi non fuerat imperatum.* Ad Pammachium: *ſemper grandia in audentium ponuntur arbitrio. Non tibi imponitur neceſſitas ut voluntas præmium conſequatur.* Chryſoſtomus ad I Cor. cap. VII: βελτίονα δείκνυσι τὴν ἐγκράτειαν, *meliorem oſtendit continentiam.* Ad Rom. VII, 6: κἂν μὴ πειθώμεθα καὶ γέενναν ἠπείλησε, δεικνὺς ὅτι οὐ τῆς φιλοτιμίας τῶν ἀγωνιζομένων τὰ ζητούμενα, ὥσπερ ἡ παρθενία καὶ ἀκτημοσύνη, ἀλλὰ πάντως αὐτὰ ἀνυσθῆναι δεῖ. *Niſi præceptis obediamus Gehennam minatus eſt, oſtenditque hæc quæ poſtulat non eſſe ex iis quæ certantes ſuopte ſtudio præſtant, qualia ſunt virginitas & poſſeſſionum abdicatio, ſed omnino ea debent impleri.* Secunda oratione de jejunio : ἀφῆκεν ἔξω τῶν σταδίων, ἀφῆκεν, ἀνωτέρω τῶν ἀγώνων τὴν παρθενίαν. Ἵνα καὶ οἱ κατορθοῦντες τὴν οἰκείαν μεγαλοψυχίαν ἐπιδείξωνται, καὶ οἱ μὴ κατορθοῦντες τῆς συγγνώμης ἀπολαύσωσι τοῦ δεσπότου. *Reliquit extra ſtadia, reliquit ſupra certandi legem continentiam virginalem, ut & qui id præſtant animi ſui oſtendant magnitudinem, & qui non præſtant indulgentia Domini fruantur.* Quod mox aptat & ad ἀκτημοσύνην poſſeſſionum abdicationem. Adjice quæ habet Gratianus ex Auguſtino & aliis in cauſa XIV. quæſtione I.

Clemens Alexandrinus] Stromateôn IV. ubi inter

Inter alia de ſecundas nuptias faciente ait: οὗτος οὐχ ἁμαρτάνει μὲν κατὰ διαθήκην. Οὐ γὰρ κεκώλυται πρὸς τοῦ νόμου. Οὐ πληροῖ δὲ τῆς κατὰ τὸ εὐαγγέλιον πολιτείας τὴν κατ' ἐπίτασιν τελειότητα: *non peccat is quidem in fœdus: neque enim ulla lex eſt quæ prohibeat, ſed non implet excellentiſſimam Euangelicæ vitæ perfectionem.*

Paganam conjugem licite relinquere poteſt, ut ſenſit Auguſtinus] Libro I. de adulterinis conjugiis ad Pollentium cap. 13, & 18. ex quibus locis multa tranſcripſit Gratianus in cauſam XXVIII. quæſt. I.

2. *Alias vero licere aliquid dicitur, non quod ſalva pietate & officiorum regulis fieri poteſt, ſed quod apud homines pœnæ non ſubjacet*] Tertullianus in exhortatione ad caſtitatem: *Licentia plerunque tentatio eſt diſciplinæ.* Ibidem; *omnia licent, ſed non omnia pro ſalute.* Chryſoſtomus de pœnitentia VIII. Ὁ ἀκρίδας ἐκ βοτανῶν ἐσθίων καὶ μέλι ἄγριον τῷ τὴν λαμπρὰν παρατιθεμένῳ καὶ βασιλικὴν τράπεζαν ἐξ αὐθεντίας προστάττει, οὐκ ἔξεστί σοι. Καί τοι ἐδόκει βασιλεῖ πάντα ἐξεῖναι. *Hic qui herbarum cacuminibus veſcebatur & fero melle, ille ſplendidam & regiam menſam ſibi apponere ſolito, cum auctoritate edicit, non licet tibi. Atqui videntur regi omnia licere.* Columella præfatione libri VII. *Nec ſane eſt vindicandum nobis quidquid licet: nam ſummum jus antiqui putabant ſummam crucem.* Hieronymus ad Jovinianum: *Eſt vere jus ſummum ſumma malitia.*

3. *Ut a Seneca patre*] Inter alia controverſiarum libro IV, 24.

1. *Ex tragœdia Euripidis*] Ione.

Hæc bellica jura] Servius in excerptis Fuldenſibus ad II Æneidos: *Jure bellico Politen Pyrrhus occiderat: ſed cur ante oculos?* Spartianus Severo: *præter eos quos jus prælii abſumſit.*

2. *Quæ commiſſa capite luerent, tum quia paludati fecerunt laudamus*] Confer quæ ſupra libro II. cap. I. §. I.

Poſt modicum tempus] Bembus VII. hiſtoriæ. Ea defenſione utitur Cicero pro Ligario. Exemplum habes apud Livium libro XXV. de civibus Campanis. Alia apud Thucydidem libro I, & V.

2. *Sed ex jure ejus qui ibi imperium habet*] confer dicenda infra cap. VI. §. 26. & Albericum Gentilem Hiſpanicarum Advocationum lib. I. c. 6. Wechnerum in conſilio Franconico 92.

Livius] Vide ſimile factum Venetorum Græcos impedientium ne in portu juris Veneti Turcis noceant, apud Chalcocondylam lib. IX. de Venetis & Turcis apud Tunetem, Bembum lib 4. de Piſanis & Genuatibus in Sicilia, Bizarum bello Piſano. De Roſtochio & Gripſwaldia Paulinum Gotthum.

1. *Et quorum connexa cum Cananæis erat cauſa*] ut Amalecitæ, de quibus Joſephus libro VI, 8. in Saulis rebus: ἐπὶ σφαγὴν γυναικῶν καὶ νηπίων ἐχώρησεν, οὐδὲν ὠμὸν οὐδ' ἀνθρωπίνης σκληρότερον διαπράττεσθαι φύσεως ἡγούμενος, πρῶτα μὲν πολεμίους ταῦτα δρῶν. *Ad cædem feminarum etiam & puerorum proceſſit, nihil exiſtimans ſe crudele aut naturæ humanæ adverſum in eo facere, primum quod hoſtes erant in quos id fiebat,* &c.

Homericum illud] Ex eodem Homero Severus in Britannos his verbis uſus:

Μηδ' ὅν τινα γαστέρι μήτηρ
Κοῦρον ἐόντα φέροι, μηδ' ὅς φύγοι αἰπὺν ὄλεθρον.

Nec qui latet abditus intra
Viſcera matris adhuc fugiet crudelia fata.

2. *Romani capta Ilurgi*] Scipio capta Numantia: Juliani milites in mulieres Dacirls relictas. Zoſimus III. Idem Julianus capta Majozamalſha. *Sine ſexus diſcrimine vel ætatis, quidquid impetus reperit poteſtas iratorum abſumit:* ait Ammianus libro XIV.

1. *Ne captivi quidem ab hac licentia exempti*] Eliſæus apud Joſephum: τοὺς γὰρ νόμῳ ληφθέντας πολέμου, ἀποκτείνειν ἔλεγε δίκαιον. *Belli jure captos interfici juſtum dicebat.* Itaque Virgilius captivum inducit rogantem:

Per patrios manes, per ſpes ſurgentis Iuli
Te precor hanc animam ſerves natoque patrique.

LXX. millia Slavorum captorum ab Ottone interfecta narrat Withikindus lib. II.

Acceptos in deditione ſine conditione ulla legas interfici] Vide Thuanum libro LXX. in anno MDLXXX. in rebus Hiberniæ.

Ut triumphi die occiderentur] ſimile apud Reginonem in anno MCCCCV.

1. *Solent interdum Hiſtorici cauſam interfectorum hoſtium, captorum præſertim aut ſupplicum, referre aut ad talionem aut ad pertinaciam*] ut Chalcocondylas libro VIII.

Pari pœna exacta] Vide eundem Diodorum de Spendio & Amilcare Barca in Excerptis Peireſianis.

1. *Et metu infamiæ*] Senatores ad Pyrrhum: ἵνα μὴ τὸ σὸν πάθος ἡμῖν διαβολὴν ἐνέγκῃ. *Ne nobis infamiam adferat ſi quid tibi accideret.*

2. *Qui licitum volunt hoſtem veneno occidere*] Vide de Venetis Bembum fine libri III.

1. *De Getis tradit Ovidius*] de Scythis Plinius libro XI, 53. *Scythæ ſagittas tingunt viperina ſanie & humano ſanguine: irremediabile id ſcelus mortem illico adfert levi tactu.* De Serviis vide ſupplementum Helmoldi c. 4.

Sed hoc quoque contra jus eſt gentium] ideo Ilus Mermerides in Odyſſeæ A. Ulyſſi negat venenum ad ſpicula:

Ἐπεί ῥα θεοὺς νεμεσίζετο αἰὲν ἐόντας.
Veritus vim Divûm morte carentum.

Sine veneno] cadaveribus, asbeſto, quibus uſus in obſidione Auximi Beliſarius; Procopius Gotthicorum II. calce, ut Turcæ ad Dibibram; Nicetas lib. I. de Alexio Iſaaci fratre. Sunt talia & apud Ottonem Friſingenſem & Guntherum Ligurino.

Fontis vena intercipiantur] Vide Priſcum in Excerptis legationum.

1. *Pipinus*] Vide Paulum Warnafredi libro VI.

Q. Mucii Scævolæ] qui Plutarcho *ἀνὴρ εἰς πᾶσαν ἀρετὴν ἀγαθὸς*, *vir ad omnem virtutem egregius.*

2. *Paucioribus idem licuit*] Valens pecuniam promiſit ei qui Scythæ cujuſquam caput attuliſſet. Ita pax obtenta. Zoſimus IV.

Laudat Eleazarum Ambroſius] Et Joſephus Antiquæ hiſtoriæ XV, 14. Factum non diſſimile Theodoſii in Eugenium eſt apud Zoſimum libro IV. Gallorum in regem Perſarum, apud Agathiam: Perſarum decem in Julianum, apud Ammianum XXIV. & Zoſimum III. Alexii Comneni in Toruſen, apud Nicetam Choniaten lib. IV. de Manucle. Bulgarorum in Nicephorum Imperatorem apud Zonaram.

3. *Qui tali opera oblata uti noluerint*] Vide Cromerum p. 113.

4. *Viriati cædes*] Scriptor de viris Illuſtribus: *quæ victoria, quia empta erat, a Senatu non probata.* Eutropius: *cum interfectores ejus præmium a Cæpione conſule peterent, reſponſum eſt, nunquam Romanis placuiſſe, Imperatorem a ſuis militibus interfici.* Ubi forte legendum, *a Cæpione conſule promiſſum.* Sic quod in Sertorium admiſſum eſt damnat Ammianus libro XXX.

6. *Inſidias tales degeneres negat*] Sic de Florentio & Barchalba, qui defectorem Procopium adduxerant, Ammianus: *ſi principem legitimum prodidiſſent, vel ipſa juſtitia jure cæſos pronuntiaret. Si rebellem & oppugnatorem internæ quietis, ut ferebatur, amplas ei memorabilis facti oportuerat deferri mercedes.* Sic laudatur Artabanes occiſo Gontharide apud hiſtoricum Procopium fine Vandalicorum ſecundi. Adjice de Sechodolii cæde Cromerum libro XXVIII.

1. *Geſſiſſe curam pudicitiæ*] & Lucullus narrante Xiphilino. Vide edictum Mauri Cabaonis apud Procopium Vandalicorum I.

Vim nefariam] Appianus Mithridatico de Chiis captis: *τὰ γύναια καὶ τὰ παιδία βαρβαρικῶς ὑπὸ τῶν ἀγόντων ὑβριζόμενα.* *Mulieres & pueri barbarum in morem ab iis qui ducebant ſtuprati.*

2. *Inter Chriſtianos*] Servarunt id Beliſarius ubique, Totilas captis Cumis & Roma capta. Procopius hæc tradit Gothicorum III.

Ex ea parte qua de captiva ducenda] quam facunde explicat Philo libro *περὶ φιλανθρωπίας*. Joſephus altero contra Appionem: *τῶν αἰχμαλώτων προυνόησεν ὅπως αὐτῶν ὕβρις ἀπῇ, μάλιστα δὲ γυναικῶν.* *Lex etiam pro bello captis curam geſſit, ut abſit ab eis contumelia, maxime a mulieribus.*

In Corſicam deportatum] At Perſarum rex Choſroes eum qui Apameæ puellæ vim intulerat cruci affixit; Procopius Perſicorum II.

ANNOTATA AUCTORIS

AD LIB. III. CAP. V.

NOn *eſſe contra naturam ſpoliare eum quem honeſtum eſt necare*] Suetonius Nerone XL. *Tanquam occaſione nata ſpoliandarum jure belli opulentiſſimarum provinciarum.* Cyprianus de Mortalitate: *Sic cum irruptione hoſtili civitas aliqua poſſeſſa eſt, omnes ſimul captivitas vaſtat.*

1. *Omnia deſinunt ſacra eſſe*] Tertullianus Apologetico: *Porro bella & victoriæ captis & everſis plurimum urbibus conſtant: id negotium ſine Deorum injuria non eſt. Eadem ſtrages mœnium & templorum. Pares cædes civium & ſacerdotum: nec diſſimiles rapinæ ſacrarum divitiarum & profanarum. Tot igitur ſacrilegia Romanorum quot trophæa. Tot de Diis quot de gentibus triumphi. Tot manubiæ quot manent adhuc ſimulacra captivorum deorum.* Mox: *Et bene, quod ſi quid adverſi urbibus accidit, eadem clades templorum quæ & mœnium fuerant.*

Sed publica ſunt] Marſilius Patavinus in defenſore Pacis cap. V. p. 2. Nicol. Boërius Deciſ. LXIX. num. 1. Boſſius in crim. de foro competente num. 101. Cothmannus conſ. 100. num. 30.

2. *Eorum ſint & templa*] oſtendit hunc morem & Polybii locus infra capite VIII. §. 4.

3. *In belli uſus converſas*] ut a Syracuſis tempore Timoleontis, in cujus vita id habet Plutarchus. Chii mulctam ſibi a Mithridate indictam etiam e ſacris vaſis conficiunt. Appianus Mithridatico. Plinius lib. VII. cap. ultimo de Porcio Catone agens: *Idem arbores religioſas lucoſque ſuccidi permiſit, ſacrificio prius facto: cujus rei rationem quoque eodem volumine tradidit.* Sulla bello Mithridatico donaria ab Olympia, Epidauro, Delphis abſtulit, Plutarcho narrante, & Appiano. Idem pretium reſtituit. Diodorus Siculus in excerptis Peireſianis. Auguſtus ex templis theſauros accepit mutuos, Appiano docente civilium V. vaſa ſacra ab Agapeto oppignorata tradit Caſſiodorus XII, 20. Heraclius in gravi neceſſitate vaſa Eccleſiæ in nummos vertit, ſed poſtea pretium reddidit, ut narrat Theophanes. Vide & Annam Comnenam libro V. & libro VI. Cromerum libro XXIII. orationem Laurentiani apud Bembum libro VI. Adde quæ infra dicentur capite XXI. §. 23.

In controverſiis Senecæ] in Excerptis IV, 4.

Profanum quod ex religioſo vel ſacro in hominum uſum proprietatemque converſum eſt] Servius ad Æneidos II. de Cereris templo: *Æneas ſcit ante eſſe profanatam.* Idem habet ad III. & ad IX. Æneidos & ad XII. Ad Eclogam vero ſeptimam: *Dona oblata numinibus tam diu ſacra ſunt, & dona poſſunt dici, quamdiu non fuerint profanata.*

Capi a victoribus ſolere] Virgilius Æneidos V.

Neptu-

Digitized by Google

Neptuni ſacro Danais de peſte refixum. Plutarchus Fabio narrat, ſignum ab eo Herculis Tarenti captum, miſſumque in Capitolium: reliquos Deos Tarentinis relictos, ut iratos. Huc ſpectat & quod modo ex Tertulliano attulimus, & ejuſdem hoc ad Nationes II. *Tot deinde de Diis quot de gentibus triumphi: manent & ſimulacra captiva: & utique ſentiunt, quos non amant.*

Fulvius] Vide Polybium excerpto legationum 27.

4. *Fana ſpeliari*] Vide Cromerum libro XVII. de rebus Antiochenſis Eccleſiæ captis a Choſroë, vide Procopium Perſicorum II.

Joſephus] Antiquæ hiſtoriæ XV, 8. & libro adverſus Appionem altero.

Perſæ non credebant in ſimulacris ulla eſſe numina] Diogenes Laërtius initio, τῶν δὲ ξοάνων καταγινώσκειν τοὺς μάγους: *damnari ſimulacra a magis.*

ANNOTATA AUCTORIS

AD LIB. III. CAP. VI.

1. QUa aut paria ſunt ei quod cum nobis ſit *debitum aliter conſequi non poſſumus*] Libro II. cap. VII. §. 2.

Intra æquum pœna modum] Libro II. c. 20.

Decimam Deo dedit] Et alimenta ſervis & partem prædæ ſociis. Vide Joſephum in hac hiſtoria, & quæ infra cap. XVI, 3.

Illud cepi] Chaldæus interpretatus id factum precibus ad Deum, qui ſingulari quadam benevolentia Sicima & Jacobo & poſteris ejus conſervaverit.

2. *Apud Plutarchum in vita Alexandri*] ibidem νικῶντας προσκτᾶσθαι καὶ τὰ τῶν πολεμίων. *Vincentes etiam ea quæ hoſtium ſunt ſibi acquirere.*

3. *Ademiſſe ſe ait belli jure*] Diodorus Siculus excerptis Peireſianis numer. 467. Τὰ διὰ τῶν ὅπλων κτηθέντα τῷ τοῦ πολέμου νόμῳ μὴ προίεσθαι: *quæ armis quæſita eſſent & parta belli jure, non dimittenda.* Gotthi apud Agathiam lib. II. de Theuderico rege, poſtquam is Odoacrum vicerat, τανείνου πάντα κατέσχε τοῦ πολέμου νόμῳ. *Quæ ejus fuerant omnia tenuit belli jure.*

2. *Per horas viginti quatuor*] Etiam terra id obſervari diſcas e Thuano libro CXIII. In anno MDXCV. Ex Germanicis legibus id venit, ad exemplum ejus quod de fera vulnerata conſtitutum apud ipſos non ſine ratione fuerat, ut lege Langobardorum lib. I. tit. XXII. §. 6. Idem in Anglia & Caſtellæ regno ſervari ait Albericus Gentilis Hiſpanicæ Advocationis l. 3.

Hoſtiles cenſeri res in hoſtium navibus repertas.] Sed neque amicorum naves in prædam veniunt ob res hoſtiles niſi ex conſenſu id factum ſit dominorum navis. L. Cotem. D. de Publicanis. Rodericus Zuarius libro de Uſu maris, conſilio II. num. 6. Atque ita interpretandas puto leges Galliæ quæ ex rebus naves, ex navibus res prædæ ſubjiciunt, quales ſunt, Franciſci I. datæ anno MDXLIII. cap. 42. Henrici III. anno MDLXXXIV. menſe Martio, capite 69. lex Portugallica libro I. tit. XVIII. Alioqui res ipſæ ſolæ in prædam veniunt, Meurſius Danicorum libro II. Sic bello Venetorum cum Genuenſibus pertentatæ Græcorum naves & extracti ſi qui hoſtium laterent. Gregoras libro IX. Vide & Crantzium Saxonicorum II. & Albericum Gentilem advocationis Hiſpanicæ l. 20.

1. *Sic & David*] Sic Reſin rex Syriæ Elotham urbem quæ Idumæorum fuerat non Idumæis ſed Syris tradidit habitandam, ſecundum lectionem Maſoreticam II Regum XVI, 6.

2. *Cum Volſci*] De Vejis idem in Romulo narrat Plutarchus: Οὐήιοι ἀρχὴν ἐποιήσαντο πολέμου Φιδήνας ἀπαιτεῖν ὡς προσήκουσαν αὐτοῖς. Τὸ δ᾽ οὐκ ἄδικον ἦν μόνον, ἀλλὰ καὶ γελοῖον ὅτι κινδυνεύουσι τότε καὶ πολεμουμένοις οὐ προσαμύναντες, ἀλλ᾽ ἐάσαντες ἀπολέσθαι τοὺς ἄνδρας, οἰκίας, καὶ γῆν ἀπαιτοῖεν ἄλλων ἐχόντων. *Veji principium belli faciebant poſtulationem ut Fidenæ ipſis redderentur, velut ad quos pertinerent. Verum id non injuſtum modo erat ſed & ridiculum, ut qui periclitantibus bellumque gerentibus non ſubveniſſent, ſed ipſos homines ſiviſſent perire, nunc domos & agros a bello poſſidentibus vindicarent.*

3. *Cui eam eripuerat Tigranes*] Appianus ſic: ὅτι τοὺς Σελευκίδας ὑπὸ τοῦ Τιγράνους ἐκπεσόντας οὐκ εἰκὸς ἦν ἔτι Συρίας ἄρχειν μᾶλλον ἢ Ῥωμαίους Τιγράνην νενικηκότας. *Non æquum eſſe Seleucidas a Tigrane ejectos potius Syriam tenere, quam victores Tigranis Romanos.* Et alibi: ἡγούμενος τὸν κρατήσαντα Ἀντιόχου τῆς γῆς ἀπελάσας Ῥωμαίοις αὐτὴν κατὰ τόδε προσεκτῆσθαι. *Credebat ſe cum victorem Antiochi ea terra expuliſſet, hoc ipſo eam terram acquiſiviſſe Romanis.* Ipſe Antiochus apud Polybium in Excerptis legationum num. 72. Ἡγούμενος τὴν κατὰ πόλεμον ἰσχυροτάτην καὶ καλλίστην εἶναι κτῆσιν. *Arbitrabatur eam quæ bello fieret firmiſſimam & honeſtiſſimam eſſe poſſeſſionem.*

Galliæ partes] Franci agros Italiæ a Gotthis acceptos Romanis non reddiderunt; Procopius Gotthicorum IV. Vide quæ dicit rex Suediæ apud Thuanum libro LXXVI. in anno MDLXXXII.

1. *Apud Procopium*] Vandalicorum II. Vide & ibi ſequentia. Etiam Severus ſola ab hoſtibus capta limitaneis ducibus & militibus donavit; Lampridius notat. In fœdere Helvetico eſt ut oppida & arces captæ communitati pagorum cedant, apud Simlerum multis locis.

2. *Apud Hebræos*] Apud eoſdem de agro qui bello captus eſſet rex tantum ferebat quan-

tum ſingulæ tribus; notatum id Digeſtis Thalmudicis titulo de rege.

1. *Nullo ſuo merito*] Sic & hæc duo opponit Servius ad Æneidos I. *Actis fatis: Laborat Virgilius nil Trojanorum meritis, ſed omnia fatis aſcribere.*

2. *Apud Spartanos*] Ageſilao in Aſia agente caſtris Pharnabazi captis Spithridates ſubtraxerat prædam; inquiſitione ab Eriſpida Lacedæmonio inſtituta aufugit.

3. *Sorte dividebantur*] Habes hoc apud Turonenſem lib. II. cap. 27. Aymonium lib. I. cap. 12. & in epitome edita a Frehero cap. 9. Mos idem & aliarum gentium vetus. Servius ad illud Æneidos III. *Sortitus pertulit ullos: quia captivi & præda inter victores ſorte dividebantur.* Ut: *Et prædæ ducere ſortem.* De prædæ collatione in commune, & expurgatione per juramentum apud Suedos & Gotthos Johannem Magnum vide libro XI. c. II.

Populum dominum eſſe prædæ verum erat] Vide & hac de re Simlerum in Helveticis.

Ejus diſpenſandæ arbitrium Imperatoribus libera Republica permiſſum fuiſſe] Polybius in Excerptis Peireſianis de L. Æmilio Paulo: κύριον γενόμενον αὐτὸν πάσης βασιλείας καὶ λαβόντα τὴν ἐξουσίαν ὡς βούλεται χρήσασθαι, μηδενὸς ἐπιθυμῆσαι: *cum dominus factus eſſet regni integri poſſetque cuncta diſponere ſuo arbitratu, nihil eum concupiſſe.*

1. *Prædam non attingebant omnino*] *Manius Curius juravit ſe ex præda nihil attigiſſe, præter guttum faginum quo ſacrificaret.* Scriptor vitæ virorum illuſtrium de Mummio agens: *Corinthum ſignis tabuliſque ſpoliavit, quibus cum totam repleſſet Italiam, in domum ſuam nil contulit.* De nominato modo Æmilio Paulo Plutarchus: οὐδενὸς δ' ἧττον αὐτοῦ τὴν ἐλευθεριότητα καὶ τὴν μεγαλοψυχίαν ἐπῄνουν οἱ ἄνθρωποι, πολὺ μὲν ἀργύριον, πολὺ δὲ χρυσίον ἐκ τῶν βασιλικῶν ἠθροισμένον οὐδ' ἰδεῖν ἐθελήσαντος, ἀλλὰ τοῖς ταμίαις εἰς τὸ δημόσιον παραδόντος. *Nec minus liberalitatem ipſius & animi magnitudinem prædicabant homines, quod congeſtam ex regis opibus auri argentique vim magnam nec inſpicere voluiſſet, ſed quæſtoribus in publicum deſcendendam dediſſit.*

Sicut Pompejo moris erat] ut plurimum. Vide quod ſequente paragrapho ex Lucano adducetur.

1. *Ratione meritorum.*] Id apud Hebræos factum docet Joſephus libro III. antiquæ hiſtoriæ.

2. *Tribuno & equiti*] Tribuno & præfecto equitum ait Appianus Civilium II.

Ex præda Coriolana] Vide Plutarchum Coriolano.

3. *Licebat Imperatori*] Vide Leunclavium in Turcicis.

Quod & aliis interdum virtutis ergo conceſſum] Sic Neſtor feminam poſſidebat:

--- ἣν οἱ Ἀχαιοὶ
Ἔξελον. ---

--- *munere Grajûm*
Exceptam ſorti. ---

Eſt id Iliados Λ. At Odyſſeæ Ξ Ulyſſes ait:

Τῶν ἐξαιρεύμην μενοεικέα, πολλὰ δ' ὀπίσσω
Λάγχανον.
Eximiam accepi Menæcea, plurima deinde
Sorte tuli.

Euripides de Caſſandra:

Ἐξαίρετόν νιν ἔλαβεν Ἀγαμέμνων ἄναξ.
Sibi hanc Atrides major eximiam tulit.

De iis quæ Athenienſium duci Demoſtheni e præda ἐξῃρέθησαν, præcipui jure data ſunt, vide Thucydidem libro. III.

Fabricius] cujus exemplum & ſibi & militi proponit Julianus apud Ammianum libro XXIV.

1. *Epiri urbes*] Et Athenas Sulla. Appianus Mithridatico.

Lucullus] Ab eo data diripienda militi Tigranocerta, narrat Plutarchus. Ex ſpoliis datas ſingulis præterea drachmas octingentas. Severus Cteſiphontis prædam conceſſit militi: idem & tribunos & duces & ipſos milites habere juſſit quæ per vicos diripuerant; Ælius Spartianus narrat. Mahumetes II. Conſtantinopoleos & prædam & mancipia promiſit militi.

Cujus prædæ ſectio non venierit] Varro ſex modos numerat quibus dominus legitimus perficiatur: hæreditatis juſtæ aditionem, mancipationem, in jure ceſſionem, uſucapionem, a præda ſub corona venditionem, & ab auctione publica, cum bona cujuſquam ſectione veneunt.

2. *Ut qui ſegnior ſit prædetur*] Vide quæ jam nunc ex Procopio adferemus ad §. 24.

1. *Apollini*] meminit & Appianus in Excerptis Peireſianis.

3. *In ærarium retulit*] Et Fabius pecuniam venditorum hominum capto Tarento, cum prædæ reliquum militibus diſpertiſſet.

Subditi qui ſine ſtipendio & ſuo ſumtu ſuoque periculo bellum gerunt] Vide Cromerum XIX. Polonicorum.

Ratio in ſociis eſt evidens] Utitur ea Amalaſuntha in epiſtola ad Juſtinianum Gotth. I.

Spem ex hoſtibus lucrandi ſpectatam in damni & operæ compenſationem] Vide Plutarchum Marcello.

2. *De ſociis exemplum eſt*] Priſcis Latinis tertias prædæ populus Romanus præſtabat: Plinius lib. XXXIX, 5. Pro modo miſſi militis prædam partiuntur pagi Helvetici, teſte Simlero: pro modo ſumptuum partiti Pontifex, Imperator, Veneti, bello contra Turcam; Paruta VIII. Pomponius Armeniam minorem Dejotaro Galatiæ regi donavit, quia ſocius belli Mithridatici fuerat.

3. *His qui in procinctu fuerant*] Piſidæ partem prædæ dabant his qui domos ſervarant; Chalcocondylas lib. V.

4. *Præter regis tabernaculum*] Vide & Diodorum libro VI. & Plutarchum Alexandro. Similia vide apud Xenophontem II. de Cyro, & belli ſui IV. & VII.

6. *Ex Procopio*] Is Vandalicorum II. narrat, Salomoni in Levatas bellum gerenti infenſos

ſos fuiſſe milites, quod prædam detineret. Dicebat id ſe facere ut bello finito diſtribueret pro cujuſque meritis. Et Gotthicorum II. omnem ex Piceno prædam convectam ad Beliſarium qui eam pro meritis divideret; addita cauſa: οὐ γὰρ δίκαιον ὑφ' ἑτέρων μὲν τοὺς κηφῆνας πόνῳ ἀπόλλυσθαι, ἄλλους δὲ τοῦ μέλιτος ἀδεῶς μιᾷ ταλαιπωρίᾳ ὀνίνασθαι, *non æquum eſſe ab aliis magno labore fucos interfici, alios autem ſine ulla moleſtia melle veſci.*

7. *Modo quinta*] Eum & Turcis morem tribuit Leunclavius libro III. & libro V.

Exceptis navibus bellicis] Sic machinæ regibus exceptæ apud Gotthos; Johannes Magnus hiſtoriæ Suedicæ libro XI. c. II.

1. *Etſi apud hoſtes reperiantur*] Vide ſupra cap. IV. §. 7.

Si ie ager Antiochi non fuiſſet, eo ne populi quidem Romani factum apparere] Sic nec Bocchi factus ager victo Jugurtha is qui non Jugurthæ ſee Bocchi liberorum fuerat; Appianus Exc. legationum 28. Simile vide apud Crantzium Saxonicorum XII.

ANNOTATA AUCTORIS

AD LIB. III. CAP. VII.

1. UT *& alibi diximus*] Libro II. c. XXII. §. II.

Ut alibi quoque oſtendimus] Libro II. cap. V. §. 7.

3. *Belli lege*] Servius ad primum Æneidos de Hercule: *A cujus portu cum eum Laomedon arceret occiſus eſt, & ejus filia Heſione belli jure ſublata comiti Telamoni tradita eſt, qui primus aſcenderat murum, unde Teucer natus eſt.* Idem ad X. Æneidos eandem narrans hiſtoriam: *Heſionem Græci Trojanis reddere noluerunt, dicentes ſe eam habere jure bellorum.* Joſephus libro XIV. Αἰχμαλωτισθέντας οὐ νόμῳ πολέμου, *cum capti eſſent non belli jure.* Τῷ τῶν δοριαλώτων νόμῳ. Et alibi: δοριαλώτων θεσμῷ, *jure eo quod in captos conſtitutum eſt*, ait Menander Protector. Multa huc pertinentia habes capite præcedente: quia ſcriptores captas res captoſque homines conjungunt aut æquant.

Reſtringitur eorum ſententia qui dicunt incorporalia belli jure non acquiri] Valerius Maximus libro VI. cap. IX, II. de Cn. Cornelio Aſina: *Qui conſul a Pœnis apud Liparas captus cum belli jure omnia perdidiſſet*, δοῦλος ἄκυρος πάντων καὶ ἑαυτοῦ. *Servus, aliarum rerum dominium non minus quam ſui ipſius perdidit.* Philo, libro omnem virum bonum eſſe liberum.

1. *Servorum appellatio ex eo fluxit*] Vide & Servium ad V. Æneidos, ubi originem vocis *ſaltem* explicat.

3. *Tacitus hiſtoriarum ſecundo*] Et tertio, de Cremonenſibus captis, *Irritam prædam militibus fecerat conſenſus Italiæ.*

1. *Si ad ſuos fugiant bello manente libertatem conſequuntur ex poſtliminii jure*] Vide infra cap. IX. §. 5. Plinius naturalis hiſtoriæ VII, 28. de M. Sergio: *Bis ab Annibale captus, bis vinculorum ejus profugus.*

3. *Poterant exigere fidem aut jusjurandum*] Bembus hiſtoriæ libro X. ab eo non attaminari furti crimine animum ſi res ſuas ſubducat.

4. *Aut laboris ſui mercedem*] Huc pertinent ea quæ a nobis ex Irenæo & Tertulliano allata ſunt ſupra ad libri II. capitis VII. §. 2. ubi de Hebræis agitur Ægypto egreſſis, ad quos & hoc Philonis pertinet de vita Moſis I. οἱ δ' ἐλαυνόμενοι καὶ διωκόμενοι, τῆς αὐτῶν εὐγενείας εἰς ἔννοιαν ἐλθόντες, τόλμημα τολμῶσιν ὁποῖον εἰκὸς ἦν τοὺς ἐλευθέρους καὶ μὴ ἀμνήμονας ὧν ἐπεβουλεύθησαν ἀδίκως. Πολλὴν γὰρ λείαν ἐκφορήσαντες, τὴν μὲν αὐτοὶ διεκόμιζον ἐπηχθισμένοι, τὴν δὲ τοῖς ὑποζυγίοις ἐπέθεσαν, οὐ διὰ φιλοχρηματίαν, ἢ ὡς ἄν τις κατηγορῶν εἴποι, τὴν τῶν ἀλλοτρίων ἐπιθυμίαν. Πόθεν; ἀλλὰ πρῶτον μὲν ὧν παρὰ πάντα τὸν χρόνον ὑπηρέτησαν, ἀναγκαῖον μισθὸν κομιζόμενοι. Εἶτα δὲ ὑπὲρ ὧν κατεδουλώθησαν ἐκ ἐλάττοσι καὶ οὐχὶ τοῖς ἴσοις ἀντιλυποῦντες: & quæ ibi ſequuntur plura. *Illi autem cum ejicerentur fugarenturque, nobilitatis ſuæ memores, rem incipiunt dignam viris ingenuis, nec obliti eorum quæ per injuriam dolumque malum pertulerant, multa enim ſpolia partim ipſi exportarunt, partim impoſuerunt jumentis, non per avaritiam, aut quod calumniator aliquis dixerit alieni cupiditatem. Unde enim hoc illis? ſed primum quidem ut miniſterii tam longi temporis mercedem ſibi neceſſariam haberent, deinde pro ſervitute per vim impoſita pœnam non parem ſed multo minorem expetentes.* Eſt ſimilis hiſtoria Malchi viri ſancti deſcripta ab Hieronymo in epiſtolis, & Langobardi Leupgis quam nobis dat pronepos ejus Paulus Warnafredi libro IV. Adde ſi placet & Confeſſionem editam ſub Lanici Patricii nomine.

5. *Canones nonnulli*] ex Synodo Gangrenſi. Vide quæ ſupra libro II. fine capitis V.

Apud Hebræos] Vide Præceptorum vetantium CLXXX.

1. *Sed & Chriſtianis*] Sed & Eſſenis a quibus ortum primi Chriſtiani duxere. Vide Joſephum.

Gregoras] Lib. IV. ubi hæc verba: νόμος γὰρ ἐστὶν οὗτος ἄνωθεν ἐκ διαδοχῆς ἀεὶ τοὺς ἀπογόνους ἀκήρατος, οὐ μόνον ῥωμαίοις καὶ θετταλοῖς, ἀλλὰ καὶ ἰλλυρίοις καὶ τριβάλλοις καὶ βουλγάροις, διὰ τὴν τῆς πίστεως ταυτότητα, τὰ μὲν πράγματα μόνα σκυλεύειν, τὰ δὲ σώματα μὴ ἀνδραποδίζεσθαι, μηδὲ φονεύειν ἔξω τῆς πολεμικῆς παρατάξεως μηδένα. *Mos hic eſt ab antiquo deductus ad poſteros, nec corruptus unquam,*

non Græce-Romanis modo & Theſſalis, ſed Illyriis quoque, Triballis, & Bulgaris, propter fidei conſortium, ut res quidem in prædam vertere liceat, homines autem nec captivos facere nec interficere extra prælii tempus. Adamus Bremenſis de ſancto Anſgario: *Inde Hammaburg reverſus de venditione Chriſtianorum Nordalbianos correxit.* Meminit hujus moris & Boëtius Deciſione CLXXVIII. additque ſervari in Francia, Anglia, Hiſpania, ut ſi captus ſit Dux, Comes, Baro, is non militum ſit, ſed Principis bellum gerentis.

2. *Mahumetiſtæ inter ſe ſervant*] Chalcocondylas lib. III. Leunclavius libro III. & libro XVII. Busbequius epiſtola exoticarum tertia.

ANNOTATA AUCTORIS

AD LIB. III. CAP. VIII.

3. U*T eſt in rege*] Alexander poſt pugnam ad Gaugamela rex Aſiæ ſalutatus. Romani quæ Syphacis fuerant ſua dixere πολέμου νόμῳ, *lege belli*; Appianus Excerptis legationum x. n. 28. Legati Gotthorum apud Agathiam I. de Theuderico: Ὀδοάκρον καθελὼν τὸν ἐπηλύτην τὸν Τύρηνον (lege Σκύῤῥηνον) τἀκείνου ἅπαντα κατέσχε τῷ πολέμου θεσμῷ: *Cum Odoacrum deviciſſet advenam Scyrrum, ejus quæ fuerant belli jure tenuit.* At Hunnis dicentibus ſuos eſſe Gepidas, quod eorum regem cepiſſent, negarunt id Romani, quia Gepidæ habebant principem magis quam regem, nec in ipſius patrimonio erant; Meminit Menander Protector.

Ut in populo eſt] Perſæ apud eundem Menandrum de Daras urbis territorio: ἐπεὶ ἡ πόλις (Δάρας) αὐτοῖς τῷ θεσμῷ τοῦ πολέμου ὑπεκλίθη, οὐκ ἀπὸ τρόπου καὶ τὰ ὅσα γε ὑπὸ τὴν πόλιν, ἁρμόζειν αὐτοῖς: *Cum urbs ipſa belli jure ſubjugata a ſe eſſet, rationis eſſe ut & quæ ſub urbe fuerant ad ſe pertineant.* Vandalis devictis volebat Beliſarius etiam in Sicilia Lilybæum Romano imperio cedere, ut quod Vandalis dediſſent Gothi. Sed ii dediſſe ſe negabant; Procopius Vandalicorum II. Henricus Friderici Barbaroſſæ filius capta Sicilia Epidamnum, Theſſalonicam, aliaque a Siculis poſſeſſa ſibi vindicabat. Nicetas lib. I. de Alexio Iſaaci fratre. Bajanus Avarorum Chaganus ad Imperatorem de Sirmio: προσήκειν αὐτῷ Γηπαίδων πρότερον κτῆμα γενομένην, αὐτῶν δὲ ὑπὸ Ἀβάρων πολεμηθέντων: *Ad ſe eam urbem pertinere, ut quæ Gepidarum fuiſſet, qui Gepidæ victi eſſent ab Avaris.* Petrus Juſtiniani legatus in oratione ad Choſroem: ὁ γὰρ δεσπόσας τοῦ ἡγεμονικοῦ πῶς οὐχ ἕξει τὸ ὑποβεβηκός; οὔτε γὰρ Λάζοι, οὔτε μὲν αὐτοὶ Σουανοὶ πρὸς ἀμφισβήτησιν εἴποιεν ὡς οὐχ ὑπήκοος ἡ Σουανία Λάζων ἀνέκαθεν ἦν. *Nam qui dominus eſt principalis, quomodo non erit & acceſſorii? neque enim aut Lazi aut Suani unquam controverſiam hanc movebant, non fuiſſe ab antiquo Lazorum Suaniam.* Utrumque eſt ex Menandro Protectore. Adde quæ hoc capite. §. IV.

1. *Ubi omnia ei qui armis plus poteſt dedita ſunt*] Vide ſupra libro I. c. III. §. 8. & lib. II. c. V. §. 31. & hoc libro cap. V. §. 2. & infra c. XX. §. 49. & adde Polybii hæc Excerpto legationum 142. Οἱ διδόντες αὑτοὺς εἰς τὴν ῥωμαίων ἐπιτροπὴν, διδόασι πρῶτον μὲν χώραν τὴν ὑπάρχουσαν αὐτοῖς καὶ πόλεις τὰς ἐν ταύτῃ. Σὺν δὲ τούτοις ἄνδρας καὶ γυναῖκας τοὺς ὑπάρχοντας ἐν τῇ χώρᾳ καὶ ταῖς πόλεσιν, ἅπαντας ὁμοίως ποταμοὺς, λιμένας, ἱερὰ, τάφους συλλήβδην, ὥστε πάντων εἶναι κυρίους ῥωμαίους αὐτοὺς δὲ τοὺς διδόντας ἁπλῶς μηκέτι μηδενός. *Qui ſe dedunt in Romanorum poteſtatem, ii dant primum regionem quæ ipſorum fuit, & quæ in ea regione ſunt urbes: viros præterea omnes ac fœminas qui aut in regione aut in urbibus ſunt. Inſuper flumina omnia, portus, ſacra religioſa univerſim omnia, ita ut omnium domini ſint Romani, ipſi autem qui ſe dediderunt plane rei nullius.* Vide quæ modo dicta cap. VII. §. 4. Juſtinus lib. XXXV. de Judæis loquens: *Poſtea cum ipſis Perſis in ditionem Alexandri Magni venere.*

3. *Non ex eo eſſe genere de quo hoc jus gentium conſtitutum eſt*] Antonius Tyrios juſſit reddere quæ Judæorum tenebant a Senatu non conceſſa & ante Caſſii bellum poſſeſſa; memorat Joſephus. Vide & Bizarum Genuenſis hiſtoriæ libro X.

ANNOTATA AUCTORIS

AD LIB. III. CAP. IX.

2. P*Oſt, quod reditum notat*] Unde Poſtvorta Dea.

Ab antiqua voce limo] Servius ad XII. Æneidos, & Donatus ad illud Eunuchi *limis oculis.* Feſtus: *Limus obliquus*, id eſt, *tranſverſus*, *unde & limina.* Iſidorus libro XV. c. 14. *Limites appellati antique verbo tranſverſi. Nam tranſverſa omnia antiqui lima dicebant, a quo & limina oſtiorum, per quæ foris & intus itur: & limites, quod per eos foras in agros eatur.* In Gloſſario *Limes* πλάγια ὁδός. Con-

Contagio & contages] compages & compago, quod ipſum olim fuit compagen, ut docet genitivus, & verbum inde deductum, ſicut & ſanguis fuit ſanguen.

Nominabant climinium] Et colliminium in Solino eſt quod vulgo collimitium.

1. *Ex reditu in limen*] Hinc ſumpta tranſlatione poſtliminium eccleſiaſticæ pacis dixit Tertullianus de pudicitia.

Amici aut ſocii intelligendi ſunt, non ſimpliciter quibuſcum pax eſt] Ita ſenſiſſe Maroci & Feſæ regem apparet ex Thuani libro cxxx. in anno M D CIII.

2. *Qui Romanorum bello Punico ſecundo capti in Græciam commercio pervenerat, jus ibi poſtliminii non habuerunt*] Valerius Maximus lib. v. cap. 11, 6. Diodorus Siculus Excerpto legationum n. 3. Sic & Rhodii quos Athenienſium cives bello Philippi emerant liberaliter Athenienſibus reddidere; Polybius Excerpto legationum, n. 3.

1. *His qui non virtute bellica ſuperati, ſed fato ſuo deprehenſi ſunt*] Vide exemplum apud Parutam belli Cyprii lib. 1.

Niſi id pactis erat comprehenſum] Vide Joſephum, antiquæ hiſtoriæ XIII, 2. Polybius pacta ponit comprehendentia ut captivi redderentur in pace Philippi, Ætolorum, cum exceptione tamen, & Antiochi; excerptis de legationibus 9, 28, 35. Eadem exempla habet Livius, & præterea pacis cum Nabide. Similia aliquot ſuppeditat Zoſimus. Ut ecce Probi pax cum Vandalis & Burgundis ſic inita: ἐφ' ᾧτε καὶ τὴν λείαν καὶ τοὺς αἰχμαλώτους, οὓς ἔτυχον ἔχοντες, ἀποδοῦναι, *ut & prædam omnem & quoſcumque habebant captivos redderent.* Lib. 1. ſimilem pacem narrat Juliani cum Germanis, item cum Quadis qui in Germania, libro III. Ammianus Marcellinus libro XVII. de rege Alemannorum Suomario: *pacem genibus curvatis orabat. Et eam cum conceſſione præteritorum ſub hac meruit lege, ut captivos redderet noſtros.* Mox de Sarmatis; *juſſi obtinere ſedes impavidi noſtros reddidere captivos*: de alia rurſum Sarmatarum parte idem dicit. Apud Zonaram multa talia: inter cætera in rebus Michaëlis qui filius Theophili, de Bulgaro loquens: τοὺς αἰχμαλώτους ἐλευθερῶσαι συνέθετο, *promiſit captivis ſe daturum libertatem.* Nicetas libro II. captivis omnibus libertatem ait datam, exceptis Corinthiis & Thebanis viris ac mulieribus. Interdum convenit ut reddantur captivi qui a Republica poſſidentur, ut apud Thucydidem v.

2. *Ut id quod eveniſſet pro jure acciperent*] Vide Priſcum excerpto de legationibus 28. & Bezarum de bello Genuenſium in Venetos libro II.

3. *Nec ſervi*] Totilas Pelagio Diacono a Romanis ad ſe miſſo edicit ne de reddendis Siculorum ſervis verba faciat, dicens iniquum fore ut Romani commilites ſuos veteribus dominis dedant. Locus eſt Gotthicorum III.

4. *In bello redeunt poſtliminio homines, qui antequam caperentur liberi fuerunt*] Julianus oratione in malos Cynicos: οὕτω μὲν ἂν εἶεν οἰκέται καὶ ὁπόσους τῶν αἰχμαλώτων λυτρώμεθα. Καίτοι οἱ νόμοι τούτοις ἀποδεδώκασι τὴν ἐλευθερίαν. *Hoc modo ſervi eſſent etiam quos bello captos liberamus. Atqui talibus ubi ad nos redierint libertatem adjudicant leges.*

An vi bellica receptus ſit ab hoſtibus] Ut illi quos a Slavis captos liberavere Hunni, apud Procopium itidem Gotthicorum III.

Si ab hoſte venditus commercio ut ſit ad ſuos pervenerit] Ut eodem Procopii libro juvenis Childubius, τὰ νῦν δὲ ἐπεὶ ἀφίκετο εἰς πάτρια ἤθη ἐλεύθερος τὸ λοιπὸν κατά γε τὸν νόμον καὶ αὐτὸς ἔσται. *Dicebat, ſe cum in patriam rediiſſet liberum ex jure in poſterum fore.* Et apud Turcas nullum olim fuiſſe captivis poſtliminium notat Leunclavius.

Apud Senecam] Libro v. controverſia 34.

2. *Matrimonium non cenſebatur poſtliminio reſtitui*] Aliter inter Chriſtianos. Leo Papa ad Nicetam Aquilejenſem Epiſcopum: *Ut ſicut in mancipiis vel agris, aut etiam in domibus ac poſſeſſionibus, in captivitatem ductis, poſtliminium reverſis de captivitate ſervatur, ita etiam & conjugia, ſi aliis juncti fuerint, reformentur.* Vide Hincmarum in opuſculo de divortio Lotharii & Tetbergæ ad interrogationem XIII. & reſponſum Stephani Papæ cap. 19. in Tomo II. Conciliorum Galliæ.

2. *Serviat donec pretium reddiderit*] Idem cap. 34. Edicti Caroli Calvi Piſtis.

4. *Bona ejus futura fuiſſent occupantium*] Vide legem Wiſigothicam lib. v. tit. IV. c. 15.

1. *Etiam ſæpe alienati*] At edicto Teuderichi ita conſtitutum eſt: *Servi aut coloni ab hoſtibus capti & reverſi domino reſtituantur, ſi non ſunt ante ab altero vendentibus hoſtibus in commercio comparati.* Vide & Caſſiodorum III, 43. At lege Wiſigotthica mancipium bello receptum domino redditur. Is qui recepit, tertiam partem accipit juſti pretii. Si ab hoſtibus venditum receptum fuerit, redit ad dominum pretio reddito & melioramentis. lib. v. tit IV. 21.

Etiam ab hoſte manumiſſi] ut a Mithridate, qui retracti in ſervitutem. Appianus Mithridatico.

1. *Veteribus dominis*] nempe qui partium Lacedæmoniarum fuerant. Confer quæ ſupra cap. VI. §. 7.

Non admiſſis adverſus dominos præſcriptionibus illis] Idque ex lege Honorii, qui quanquam relicta Vandalis Hiſpania, tamen dum eam tenerent Vandali præſcriptionem tricenariam dominis nocere noluerat, meminit Procopius Vandalicorum 1. Valentinianus in Novella, lege de Epiſcopali judicio: *Tricennali definitione concludi ea præcepimus, quæ perpetuis aut infinitis ſæculis ſervabantur: Exceptis Afrorum negotiis, qui ſe probaverint neceſſitatem Vandalicam pertuliſſe: ut de illorum cauſis illa tempora præfixo triennio ſubtrahantur, quæ claruerit ſub hoſtilitate conſumpta.* In concilio Hiſpalenſi relato in cauſam XVI. quæſtione IV: *ſicut per legem mundialem his quos barbarica ſeveritas captiva neceſſi-*

ceſſitate tranſvexit. poſtliminio revertentibus redditur antiqua poſſeſſio. Convenit C. Ex tranſmiſſa. De præſcriptionibus. Vide & Cujacium ad titulum C. de præſcriptione xxx. annorum.

Id de navibus conſtitutum multis in locis videmus] Deciſio Genuenſis centeſima prima.

Prædonibus Philippus eripuerat] Vide ipſam Philippi epiſtolam inter opera Demoſthenis.

Lege Hiſpanica naves a piratis capta eorum fiunt qui eas eripiunt piratis] Idem apud Venetos. Patet ex litteris Fraxinii Canæi Tomo 1.

ANNOTATA AUCTORIS

AD LIB. III. CAP. X.

3. Q*Uam anguſta innocentia eſt ad legem bonum eſſe*] Idem Seneca de Beneficiis v, 21: *Multa legem non habent, nec actionem ad quæ conſuetudo vitæ humanæ lege omni valentior dat aditum.* Quintilianus Inſtitutionum oratoriarum lib. III. c. 8. *Sunt enim quædam non laudabilia natura, ſed lege conceſſa, ut in XII. Tabulis, debitoris corpus inter creditores dividi licuit, quam legem mos publicus repudiavit.* Cicero de Officiis libro III: *Aliter leges, aliter Philoſophi tollunt aſtutias. Leges, quatenus manu tenere res non poſſunt: philoſophi, quatenus ratione & intelligentia.*

1. *Nam & lex juſtum quid eſt*] Seneca ad Helviam c. 6. *Alii armis ſibi jus in aliena terra fecerunt.* Pugnare videntur jus & aliena; ſed concilianda ut docet hic textus. Repete quæ ſupra hoc libro cap. IV. §. 2.

2. *Lactantius*] Auguſtinus vero epiſtola IV. quæ eſt ad Marcellinum: *Ac per hoc ſi terrena iſta Reſpublica Chriſtiana præcepta cuſtodiat, etiam ipſa bella ſine benevolentia non gerentur.* Idem de diverſis Eccleſiæ obſervationibus: *Apud veros Dei cultores etiam ipſa bella parata ſunt.*

Ut is qui damnum dedit, ſive interficiendo, ſive res corrumpendo, ſive prædas agendo, id ipſum reſarciat. Num. v, 6. Hieronymus ad Ruſticum: *Nec differtur ultionis ſententia ſi non reddantur univerſa.* Auguſtinus in epiſtola ad Macedonium, quæ eſt LIV. *Si res aliena propter quam peccatum eſt reddi poſſit & non redditur, pœnitentia non agitur ſed ſimulatur.* Retulit Gratianus in cauſam XI. quæſtione VI.

Negat grata ſibi eſſe jejunia eorum qui non jure captos detinebant] Locus eſt illuſtris Eſaiæ LVIII, 5, 6, 7. Habes eum Græce apud Juſtinum Martyrem in colloquio cum Tryphone.

Non Judæos tantum] Vide canones pœnitentiales Moſis Maimonidæ cap. II. §. 2. Et Moſem de Kotzi præcepto jubente XVI.

Mahumetiſtas] Vide Leunclavium Turcicorum v, & XVII.

1. *Conquiſitos redemit, & prædia reſtituit*] Antonius Tyrios coëgit reddere quæ Judæorum tenebant. Homines ab eis venditos juſſit liberari, bona dominis reddi; Joſephus XIV. Antiquæ Hiſtoriæ. Macrinus Parthis reddidit captivos & prædam, quod cauſa fuiſſet cur Romani pacem rumperent; Herodianus libro XIV. in fine. Mahumetes Turca liberari juſſit eos qui fuerant in oppido Sanctæ Mariæ in Achaia; Chalcocondylas libro IX.

Ligures] Vide excerpta Peireſiana Diodori Siculi.

ANNOTATA AUCTORIS

AD LIB. III. CAP. XI.

1. E*St enim ulciſcendi ut puniendi modus*] Vide quæ ſupra lib. II. cap. XX. §. 2. & 28. & loca Auguſtini de Chriſtianorum in ipſis bellis benevolentia quæ modo produximus. Ariſtoteles Politicorum v. cap. 6. narrat aſperiores æquo pœnas exactas Thebis & Heracleæ, στασιωτικῶς factionis ſtudio. Et Thucydides III. Τιμωρίας μείζους, οὐ μέχρι τοῦ δικαίου, *pœnas juſto majores.* Tacitus III. Annalium: *Pompejus gravior remediis quam delicta erant.* Idem eodem libro Auguſtum culpat quod in puniendis adulteriis clementiam majorum ſuaſque ipſe leges egreſſus ſit. Juvenalis:

Exigit autem
Interdum ille dolor plus quam lex
Ulla dolori
Conceſſit.

Quintilianus: *Non niſi ab ultimo parricidio exigitur pœna trans hominem.* M. Antoninus Imperator referente Vulcatio vita Caſſii; *ad Senatum ſcribam, ne aut proſcriptio gravior ſit aut pœna crudelior.* Auſonius:

Vindictaque major
Crimine viſa ſuo eſt.

Ammianus libro XXVI. *Sævitum eſt in multos acrius quam errata flagitaverant vel delicta.* Similis eſt apud Agathiam locus libro III.

2. *Æquus in hoſte fuit*] Ovidius Triſtium 1. elegia 8.

Eſt etiam in miſeris pietas, & in hoſte probatur.

2. *Neceſſitas egerat, non voluntas*] Addit mox: *Id enim æquitate penſata ſtatuerat placabilis Imperator & clemens.* Thucydides libro III. in oratione Cleonis: οἵ τινες ὑπὸ τῶν πολεμίων ἀναγκασθέντες ἀπέστησαν, συγγνώμην ἔχω.

ἴχω. *Ignoſco illis qui defecerunt a nobis cogente hoſte.* Contemplatio extremæ neceſſitatis hæc dicitur Paulo ſententiarum v. Tit. I. certe enim, ut Syneſius ait, ἰσχυρὸν ἀνάγκη πρᾶγμα καὶ βίαιον: *Res eſt valida ac violenta neceſſitas.* Juvenalis de Calaguritanis:

Quiſnam hominum veniam dare, quiſve Deorum
Viribus abnueret dira atque immania paſſis?

Vide de famis neceſſitate Caſſiodorum IX, 13. Pertinax de Læto & aliis: *Paruerunt inviti Commodo: ſed ubi habuerunt facultatem, quod ſemper voluerunt, oſtenderunt.* Caſſius Clemens apud Xiphilinum in rebus Severi: ἐγὼ οὔτε σε οὔτε Νίγρον ἠπιστάμην· καταλειφθεὶς δὲ δὴ ἐν τῇ ἐκείνου μερίδι, τὸ παρὸν ἀναγκαίως ἐθεράπευσα, οὐχ ὡς σοὶ πολεμήσων, ἀλλ' ὡς Ἰουλιανὸν καταλύσων: *Ego neque te neque Nigrum noveram: ſed in parte quam ille obtinebat relictus, feci quod neceſſe erat, præſenti parui, non tibi bellum volens inferre ſed Julianum depellere.* Aurelianus Antiochiam ingreſſus ubi multi Zenobiæ partes ſecuti fuerant edictum propoſuit, τῇ ἀνοίᾳ καὶ ἀναγκαίῳ πλέον ἢ προαιρέσει τὰ συμβάντα ἀνατιθείς. *Magis ad neceſſitatem impoſitam invitis quam ad voluntatem quæ acta erant referens.* Beliſarius apud Procopium Vandalicorum I. Λίβυας γὰρ ἅπαντας γενέσθαι ὑπὸ Βανδίλοις οὔτι ἐθελουσίους, *Afros enim omnes ſub Vandalis fuiſſe invitos.* Apud eundem Gotthicorum III. Totilas Neapolitanis ait, ſcire eos ſub hoſtibus fuiſſe invitos. Nicetas autem, aut continuator ſcriptæ ab eo hiſtoriæ, de Henrico loquens fratre Balduini: τὸ ἐνοικοῦν ἐνδὺς εἰς σφαγὴν, ὡς εἰ ποίμνιον ἦν καὶ βουκόλιον, ἀλλ' οὐ Χριστώνυμον τὸ κτεινόμενον, καὶ βίᾳ μᾶλλον ἢ πειθοῖ τοῖς Βλάχοις ὑποκύψαν, μηδὲ προσχωρῆσαν ἑκουσιότητι. *Qui urbem incolebant eos juſſit interfici, quaſi armentum aut grex eſſent non Chriſtiani homines qui interficerentur, præſertim tales qui Blachis non verborum ſuaſu ſed vi ſuccubuerant neque ſponte eis paruerant.*

4. *Venia digna quæ non ab ignorantibus modo ſed & ob ignorantiam fiunt*] Dionyſius Halicarnaſſenſis libro I. Ἅπαν συγγνώμης ἄξιον τὸ ἀκούσιον. *Quod non ſponte fit, omne dignum venia.* Procopius Gotthicorum III. Ὅσοι μὲν ἀδικοῦσι τοὺς πέλας, ἢ προλαβούσης ἀγνοίας, ἢ λήθης ἐπιγινομένης τινὸς, τούτους ἄξιον τοὺς τὰ δεινὰ πεπονθότας ξυγγνώμονας εἶναι. *Qui aliis moleſti ſunt, ſive quod occupaverit eos ignorantia, ſive quod oblivio ſupervenerit aliqua, his etiam ipſos qui mala ſunt paſſi æquum eſt veniam dare.*

6. *Utrum perturbatione aliqua animi, quæ plerumque brevis eſt & ad tempus, an conſulto & cogitato fiat injuria*] Seneca de Ira I, 16. *Dimittit ſæpe, ſi intelligit non ex alto venire nequitiam, ſed ſummo, quod ajunt, animo inhærere.* Deinde: *Nonnunquam magna ſcelera levius quam minora compeſcit, ſi illa lapſu non crudelitate commiſſa ſunt: his ineſt latens & aperta & inveterata calliditas.* Idem: *delictum in duobus non eodem modo afficiet, ſi alter per negligentiam admiſit, alter curavit ut nocens eſſet.*

Philo] Libro II. Specialium legum.

7. *Quæ neceſſitas, ſi non defendit, tamen excuſat*] Adde quæ ſupra lib. II. cap. XX. §. 29. & hoc capite ſupra §. 3. Samii apud Thucydidem libro III. Alcidæ Lacedæmonio cum captivos Chios occideret hæc dicunt: οὐ καλῶς τὴν Ἑλλάδα ἐλευθεροῦν αὐτὸν, εἰ ἄνδρας διέφθειρεν, οὔτε χεῖρας ἀνταιρομένους, οὔτε πολεμίους, Ἀθηναίων δ' ὑπ' ἀνάγκης ξυμμάχους. *Non recte eum ſe dicere veniſſe ad liberandam Græciam qui homines interficeret nec manibus ipſi contrarios nec animo infeſtos, Athenienſium quidem ſocios ſed neceſſitate adactos.* Chryſoſtomus de Providentia V. Καὶ ἐχθροὶ μὲν καὶ πολέμιοι τοῖς αὐτῶν πολεμίοις ἴσασι συγγινώσκειν, ὅταν ἄκοντες καὶ μὴ βουλόμενοι πράττωσί τι τῶν χαλεπωτάτων αὐτοῖς: *Norunt & immici inimicis & hoſtes hoſtibus ignoſcere, ubi inviti ac contra voluntatem aliquod in ipſos quamvis grave patrant.* Miſimiani apud Agathiam III. Γένος πλεῖστα προηδικημένον, οὕτω τε ἐληλυθὸς εἰς τὸ ἀντιδρᾶσαι, βαρβάρῳ καὶ τοῦτο ἀνοίᾳ, οὐ μὲν παντάπασί γε φειδοῦς καὶ συγγνώμης ἀνάξιοι ἔφασκον εἶναι. *Cum plurimas perpeſſi injurias ita truſi eſſent ad talionem, barbaro ſane impetu, attamen non omnino indignos ſe quibus ignoſceretur parcereturque.*

Apud Deum quoque paratam eſſe veniam] Deuteronomii XXII, 26. Moſes Maimonides Ductore dubitantium III, 41.

Neque enim inſidiator] Mitylenæorum cauſam hac parte onerat Cleon apud Thucyd. III. Ἄκοντες μὲν γὰρ οὐκ ἔβλαψαν, εἰδότες δὲ ἐπεβούλευσαν. Ξύγγνωμον δὲ ἐστι τὸ ἀκούσιον: *Non inviti nobis nocuere, ſed de induſtria fecere inſidias. Id vero demum ignoſci dignum eſt, quod præter voluntatem fit.* Philo libro de conſtituendo Principe: Διακρίνει δ' ὁπότε πρὸς ἄμυναν ἴοι, τοὺς ἐπιβούλως ζῶντας καὶ τοὐναντίον. Τὸ γὰρ κατὰ πάντα καὶ τῶν ἐλάχιστα ἢ μηδὲν ἡμαρτηκότων φονᾶν, ἀνημέρου καὶ ἀτιθάσσου ψυχῆς. *Si ad ultionem veniendum ſit, novit diſcernere inter eos qui vitam agant inſidiatricem & eos qui longe alterius ſunt animi. In omnes enim etiam qui minima deliquerunt graſſari cædibus animi eſt immanſueti ac feri.*

Diſtinxiſti inter injuriam & culpam & infortunium] Seneca Naturalium II, 44. Ubi de Fulminibus: *Voluerunt admonere eos, quibus adverſus peccata hominum fulminandum eſt, non eodem modo omnia eſſe percutienda: quædam frangi debere, quædam elidi & diſtringi, quædam admoneri.*

Quanquam nec Platonis verba ediſcis, nec Ariſtotelem tractas, ipſorum tamen placita facto exſequeris] Talis Trajanus inter principes Romanos egregius: παιδείας μὲν ἀκριβοῦς, ὅση ἐν λόγοις, οὐ μετέσχε. Τό γε μὴν ἔργον αὐτῆς καὶ ἠπίστατο καὶ ἐποίει. *Illius exactæ eruditionis in verbis poſitæ compos non erat, rem tamen ejus & norat & implebat;* Xiphilinus. De Marco Aurelio Herodianus: μόνος τε βασιλέων φιλοσοφίαν οὐ λόγοις, οὐδὲ δογμάτων γνώσεσι, σεμνῷ δ' ἤθει καὶ βίῳ σώφρονι ἐπιστώσατο: *Solus principum ſapientiam non verbis aut dogmatum cognitione*

tione ſed moribus gravibus & vita temperata oſtendebat. De Macrino Xiphilinus: τά τε νόμιμα ἐχ ὕτως ἀκριβῶς ἠπίςατο ὡς πιςῶς μετεχειρίζετο, *leges non tam norat exacte quam fideliter exſequebatur.* Da noſtro ſæculo, Deus, vel tales principes.

Diſtinguendos qui auctores belli fuerunt] Vide Gailium lib. II. de Pace publica, n. 18.

1. *Petunt errori veniam*] *Ignoſci debere interdum armis ſuperato rectori juſtum quid ſit ignoranti.* Ex Iſocrate tranſcripſit Ammianus in librum XXX.

2. *Apud Herodianum*] Verba Græca hæc ſunt: καὶ Νίγρῳ μὲν πολεμῦντες ἐχ ὕτως εὐλόγυς εἴχομεν αἰτίας ἔχθρας, ὡς ἀναγκαίας. Οὐ γὰρ παρ' ἡμῖν προϋπάρχυσαν ἀρχὴν ὑφαιπάζων μεμίσητο, ἐν μέσῳ δὲ ἐῤῥιμμένην καὶ ἀμφήριςον ὖσαν, ἑκάτερος ἡμῶν ἐξ ἰσοτίμυ φιλοτιμίας εἰς αὑτὸν ἀνθείλκεν. Optime.

3. *Acrius eſſe prohibenda, quam in ſuperatos iracundiam exercendam*] Bembus IX.

1. *Convenit modeſtia*] Rex Theuderichus apud Caſſiodorum XI, 41. *Illa mihi feliciter bella provenerunt qua moderato fine peracta ſunt. Is enim vincit aſſidue qui novit omnia temperare.*

2. *Luce privati aliis regibus dedere documentum*] Nolim reduci huhc morem, tamen & Joſua reges captos interfecit; Joſephus Antiquæ hiſtoriæ V, 1. Et de Soſſio Dion: Ἀντίγονον ἐμαςίγωσε ςαυρῷ προσδήσας: *Antigonum virgis cecidit alligatum cruci* Sed provide addit, ὃ μηδεὶς βασιλεὺς ὑπὸ τῶν ῥωμαίων ἐπεπόνθει, *quod nemo regum a Romanis victoribus pertulerat.* Eſt eadem hiſtoria apud Joſephum libro XV. De Maximiano Herculio Eutropius libro X. *Caſis Francis atque Alemannis, captiſque eorum regibus; quos etiam beſtiis, cum magnificum ſpectaculum muneris paraſſet, objecit.* De rege Alemannorum patibulo ſuffixo vide Ammianum XXVII. Theuderichus rex Wiſigotthorum Athinulfum Suevorum in Hiſpania regem capite plectit, memorante Jornande hiſtoria Gotthica. Nimirum hæc documenta ſunt regibus ad modeſtiam, & ut cogitent ſe quoque ſubjectos ſi Deo ita viſum humanis vicibus, &, quod in ſimili periculo a Solone dictum meminerat Crœſus, de felicitate hominis ante mortem non judicandum.

3. *De Ariſtonico*] Vide Appianum Mithridatico in fine.

Syphax] variant de eo hiſtorici. Multi tradunt eum prope Romam ante triumphum deceſſiſſe: Polybius in triumpho ductum: Appianus dum de eo deliberatur morbo obiiſſe.

Plutarchus notat] Agide.

1. *Puerum ætas excuſet, feminam ſexus*] Plinius hiſtoriæ naturalis libro VIII, cap. 16. *Leo ubi ſævit, in viros prius quam in feminas fremit, in infantes non niſi magna fame.* Ad illa Horatii libro IV. Ode VI. de Achille:

Neſcios fari pueros Achivûm
Ureret flammis, etiam latentes
Matris in albo.

Dolenter declamat in ſævitiam Achillis, qui, ſi per Apollinem vivere licuiſſet, adeo ſævus erat ut nec infantibus nec in utero geſtantibus peperciſſet. Philo de Principis conſtitutione: παρθένοι δὲ καὶ γυναῖκες μεθιέσθωσαν, *dimittantur autem virgines & mulieres*: cauſam reddit, τὸ προσθήκην ἀνδρῶν πόλεμον καλασκευασάνlων ποιεῖσθαι γυναῖκας, ἀνήμερον. *Virorum qui bella fabricant acceſſionem facere mulieres, immite.* Idem de ſpecialibus legibus II. Πρὸς μὲν γὰρ τὺς τελείυς μυρίας προφάσεις εὔλογοι προσκρυμάτων τε καὶ διαφορῶν. Τοῖς δὲ κομιδῆ νηπίοις ἄρτι παρεληλυθόσιν εἰς φῶς καὶ τὸν ἀνθρώπινον βίον, ὐδ' ἐπιψεύσασθαι κατηγορίαν ἀκακιότοις ὖσιν ἐνδέχεlαι. *Nam in juſtæ ætatis homines mille ſpecioſi obtentus reperiri poſſunt diſcordiarum ac ſimultatum. At in infantes, qui modo in lucem vitamque humanam venêre, ne calumnia quidem quod dicat habet, ut plane innocentes.* Joſephus Antiquæ hiſtoriæ libro IX. de Manaemo: μηδὲ νηπίων φειδόμενος, ὠμότητος ὑπερβολὴν ὐ καταλείπων ὐδ' ἀγριότηlος. Ἃ γὰρ ὐδὲ ἀλλοφύλων τινὰς συγγνωςὸν δραθῆναι γενομένυς ὑποχειρίυς, ταῦτα τὺς ὁμοφύλυς ὕτως εἰργάσατο. *Ne infantibus quidem parcens nihil fecit reliquum ad crudelitatem, aut feritatem potius. Quæ enim veniam non merebantur ſi in externos bello victos eſſent edita, ea fecit in populares ſuos.* Idem Joſephus Judam Maccabæum narrat Boſra & Emphrone captis interfeciſſe πᾶν τὸ ἄῤῥεν καὶ μάχεσθαι δυνάμενον, *quidquid virilis ſexus & pugnæ idoneum erat.* Et alibi pœnam quam Alexander Thracides dictus de Judæorum pueris & mulieribus ſumpſerat, vocat ὑπὲρ ἄνθρωπον δίκην, *ultionem ultra hominum morem.* Agathias libro III. Ἐπειδὴ δ' ὅμως ὐχ ὅσιον καὶ εἰς αὐτὰ δὴ τὰ νεογνὰ βρέφη καὶ τῶν τοῖς γονεῦσι τετολμημένων ὐδὲν ἐπιςάμενα παροινεῖν, ὕτω καὶ ἀφυβρίζειν, ὔκυν αὐτοῖς ὐδὲ ἀποινὶ τῦτο ἡμάρτησαν. *Quandoquidem vero pium non erat in recens natos infantes paternorum facinorum inſcios ita ſævire atque inſanire, ideo hæc ipſis non impune abiere.* Nicetas, aut qui hiſtoriam ejus produxit ad tempora Henrici regis, de Scythis agens qui Athiram ceperant: ἀλλ' ὐδὲ τὰ ὑπομαζίδια τῶν παίδων τῦ κακῦ ἐφάνη ἀνώτερα, ἀλλ' ἀπεθερίσθη καὶ ταῦτα κατὰ χλόην καὶ ἄνθος εὐμάραντον, ὑπὸ τῶν ἔλεον ἀναλώτων ἐκείνων ἀνδρῶν καὶ μηδαμῶς εἰδότων ὡς ἀδικοῖ τὴν φύσιν καὶ θεσμὸν ἀθετεῖ τὸν ἀνθρώπινον, ὁ πορα(?)ίθρω τῆς νίκης καὶ τῦ κρατεῖν τῶν ἐναντίων θυμῷ χρώμενος. *Ne infantes quidem lactentes adhuc mali exſortes fuere, ſed & hi velut in herba demeſſi ſunt, aut velut flos emarcuere, facto hominum miſericordia intactorum, neque ſcientium injuriam ab eo fieri natura ac fas hominum violari, qui ultra quam ut hoſtes vincat aut ſubigat extendit iram.* Adde quæ Beda habet libro II. cap. 20. de Caræwollæ feritate, & Helvetiorum bonam legem apud Simlerum, & Eliſabethæ reginæ pia mandata apud Camdenum in anno M D XCVI.

3. *Femina hoc nomen capit:*] Ideo Tucca & Varus delendos cenſuere in ſecunda Æneide verſus

Digitized by Google

ſus ubi deliberat Æneas an Helenam occidat.

1. *Collegio prophetarum*] Hyrcanus Hieroſolyma obſidens victimas ad templum miſit, narrantibus Hebræis. Sic & Gotthi laudantur Procopio Gotthicorum II. qui ſacerdotibus Petri & Pauli extra Romam pepercerunt. Vide additamentum Caroli Magni ad legem Bajoariorum, & legem Langobardicam libro I. tit. XI, 14.

A ſacerdotibus] Servius ad VII. Æneidos: *Nam eum defendebat a bello, ſi non ætas, ſaltem religio ſacerdotis.*

Notat Strabo] & Polybius libro IV. & Diodorus Siculus in Excerptis Peireſianis. Pari modo & qui ad Olympia, Pythia, Nemea, Iſthmia certatum ibant, habebant belli tempore ἀσφάλειαν καὶ ἄδειαν, *tutelam ac ſecuritatem.* Docent Thucydides libro V. & VIII. & Plutarchus Arato.

6. *Neceſſitas perimat*] Gratianus poſuit *deprimat.* Plutarchus Marcello: Ἐπαμινώνδας καὶ Πελοπίδας οὐδένα πώποτε κρατήσαντες ἀπέκτειναν, οὐδὲ πόλεις ἠνδραποδίζοντο. Λέγονται δὲ Θηβαῖοι μηδὲ Ὀρχομενίους ἂν οὕτω μεταχειρίσασθαι παρόντων ἐκείνων. *Epaminondas & Pelopidas nec quenquam interfecere poſt victoriam, nec civitates in ſervitutem redegerunt, creduntur que non facturi fuiſſe Thebani quod fecere in Orchomenios ſi illi adfuiſſent.* Secutus hoc Marcellus captis Syracuſis, ut ibidem ait Plutarchus. Vide eundem Plutarchum Catone Uticenſi. *Cabada Perſarum regi cum Amida vi cepiſſet, multaque cædes fieret, ſenex ſacerdos dixit non eſſe regium jam captos occidere*: Narrat Procopius Perſicorum I. Qui & Perſicorum II. dicit: τὸ ἐπεμβαίνειν τοῖς ἡλωκόσιν οὐχ ὅσιον: *ſævire in captos pietati adverſatur.* Apud eundem egregia eſt oratio Beliſarii ad milites capta Neapoli Gotth. I. Imperator Alexius apud Annam Comnenam, ſuadenti occidere Scythas captivos, κἂν Σκύθαι, ἀλλὰ πάντως ἄνθρωποι. Κἂν ἐχθροὶ, ἀλλ' ἐλέους ἄξιοι. *Etiamſi Scythæ, homines tamen ſunt: etiamſi hoſtes, miſeratione tamen digni.* Gregoras libro VI. Τὰ γὰρ ἐν πολέμῳ καὶ μάχῃ γινόμενα ὁποῖα ποτ' ἂν ᾖ, συγγνώμην ἔχει τῷ πεπραχότι, περιεστηκυίας τότε τοῦ λογισμοῦ καὶ τῆς χειρὸς τότε μεθυούσης καὶ λόγον οὐκ ἐχούσης χειραγωγὸν, καὶ πρύτανιν τῶν πραττομένων. Τῆς δ' ἀκμῆς τῶν δεινῶν πανσαμένης, καὶ καιρὸν ἤδη τῆς προαιρέσεως εἰληφυίας μετὰ στάθμης τινὸς καὶ κρίσεως, τὰς τῶν πράξεων ἀρχὰς παραλύεσθαι τῇ χειρὶ, μοχθηρίαν γνώμης κατηγορεῖ τοῦ πράξαντος, εἴ τι μὴ κατὰ τὸ προσῆκον γίνοιτο. *Quæ in præliis actuque belli fiunt, ea qualiacunque ſunt facienti veniam impetrant, ideo quod tali tempore obſidetur animus ebria manu rationemque non habente ducem ac præſidem actionum. At ubi periculis ſuus abſceſſit vigor, ubi tempus cuncta examinandi ac judicandi accepit liber animus, agendi imperium manui tradere, pravum hominis propoſitum indicat ſi quid indecorum evenerit.* Adde ejuſdem Gregoræ locum alterum quem in his Notis poſuimus ad finem capitis VII. libri hujus, & de more laudabili Polonorum Chalcocondylam lib. V. Julianus laudatione ſecunda Conſtantii, ſub cujus perſona bonum Principem deſcribit: κρατήσας δὲ μετὰ τῶν ὅπλων ἔπαυσε τὸ ξίφος τῶν πόνων, μίασμα κρίνων τὸν οὐκ ἀμυνόμενον ἔτι κτείνειν καὶ ἀναιρεῖν. *Armis victor finem impoſuit gladii operibus, nefas exiſtimans homini non ultra ſe defendenti vitam adimere.*

3. *Captivis parcere*] Capitolinus M. Antonino: *Æquitatem etiam circa captos hoſtes cuſtodivit.*

1. *Vitam ſalvam paciſcentium, ſive in prælio ſive in obſidione non repudianda deditio*] Romani Perſis qui in arce Petræ erant, Gotth. IV. Ὡς ἡμεῖς ὑμᾶς γε καὶ ξυγομαχοῦντας οἰκτείρομεν, καὶ θανατῶντας φειδόμεθα, καὶ πρὸς τὸν βίον ἐνδιαθρυπτομένους τε καὶ βλακεύοντας ἐλεεῖν ἀξιοῦμεν. Ὡς Ῥωμαίοις Χριστιανοῖς νόμος. *Nos vero veſtrum miſeremur jugum cervice jactantium, mortemque concupiſcentibus parcere volumus, & vitam delicate faſtidientes ſervare, ut decet Chriſtianos & Romani Imperii cives.* Vide Serranum in rebus Franciſci I. & Henrici II.

2. *Partem liberam relinquerent effugere volentibus*] Sic Scipio Æmilianus cum Carthaginem everſurus eſſet edixit, fugerent qui vellent. Polybius.

5. *Facinuſque animo verſabat iniquum*] Crudele hoc viſum ſæculis poſterioribus notat ad X. Æneidos Servius.

Turba peccantum] *quidquid multis peccatur, inultum eſt.* Scholiaſtes Juvenalis ex Lucano. Livia apud Xiphilinum ex Dione: ἄν τε τις πάντα ἁπλῶς τὰ τοιαῦτα κατὰ τὴν ἀξίαν κολάζῃ, λήσει τοὺς πλείους τῶν ἀνθρώπων ἀπολέσας. *Si quis talia omnia rigore punire velit, non videt eo ſe ferri ut maximam hominum partem interimat.* Auguſtinus epiſtola LXIV. *Magis monendo quam minando. Sic enim agendum eſt cum multitudine peccantium. Severitas autem exercenda eſt in peccata paucorum.* Adde Gailium de pace publica lib. II. cap. 9, 36.

1. *Sed in ipſos qui defeciſſent ſæviturum*] Idem ait Julianus apud Eunapium Excerpto legationum 9.

3. *Non ſua ſponte*] Confer hiſtoriam obſidum id onus detrectantium & ob id punitorum, apud Nicetam libro II.

Rari excurſus & fortuita pugna] Demetrium reprehendit Plutarchus, φιλονεικίας ἕνεκα μᾶλλον ἢ χρείας μάχεσθαι καὶ κινδυνεύειν τοὺς στρατιώτας ἀναγκάζοντος. *Quod gloriæ magis ſtudio quam ex utilitate milites in pericula truderet, præliiſque objiceret.*

ANNOTATA AUCTORIS
AD LIB. III. CAP. XII.

2. *PEcuniarum & frugum penuria bellum minuit*] Philo de vita contemplativa: *οἱ πολέμιοι κείρουσιν ἢ δενδροτομοῦσι τὴν τῶν ἀντιπάλων χώραν, ἵνα σπάνει τῶν ἀναγκαίων πιεσθέντες ἐνδῶσι. Solent hoſtes vaſtare & arboribus nudare terram hoſtilem, ut hoſtes eo facilius ſe dedant rerum neceſſariarum penuria.* Idem in Diris: *διττὰν ἐργαζόμενοι συμφορὰν λιμὸν μὲν φίλοις, ἐχθροῖς δὲ περιουσίαν. Duplex ſibi malum acquirunt, inopiam amicis, copiam hoſtibus.*

1. *Philo*] Alter ejuſdem ſcriptoris locus de Humanitate dignus & ipſe qui huc tranſcribatur: ἐπιδαψιλευόμενος τὸ ἐπιεικὲς, πάλιν πλουσίως αὐτῷ καὶ κατακόρως χρῆται, μετιὼν ἀπὸ μὲν τῶν λογικῶν ἐπὶ τὰ ἄλογα, ἀπὸ δὲ τῶν ἀλόγων ἐπὶ τὰ φυτὰ, περὶ ὧν αὐτίκα λεκτέον, ἐπειδήγε περὶ τῶν πρότερον ἀνθρώπων, καὶ τῶν ὅσα ψυχῆς μεμοίραται, λέλεκται. Ἀπείρηκε τοίνυν ἄντικρυς μήτε δενδροτομεῖν ὅσα τῆς ἡμέρου ὕλης, μήτε κείρειν ἐπὶ λύμῃ σταχυοφοροῦσαν πρὸ καιροῦ πεδιάδα, μήτε συνόλως καρπὸν διαφθείρειν, ἵνα περιουσίᾳ μὲν τροφῶν ἀφθόνων χορηγῆται τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος, περιουσιάζῃ δὲ μὴ μόνον τῶν ἀναγκαίων, ἀλλὰ καὶ τῶν πρὸς τὸν ἁβροδίαιτον βίον. Ἀναγκαῖος μὲν γὰρ ὁ τοῦ σίτου καρπὸς εἰς τροφὴν ἀνθρώπων ἀποκριθείς. Πρὸς δὲ τὴν ἁβροδίαιτον βίον, αἱ τῶν ἀκροδρύων ἀμύθητοι ποικιλίαι, γίνονται δὲ ἐν ἐνδείαις πολλάκις ὅτι καὶ τροφαὶ δεύτεραι, καὶ προσυπερβάλλων, οὔτε πολεμίων χώραν τέμνειν ἐᾷ. Παραγγέλλει δὲ ἀνέχειν δενδροτομιῶν, ἄδικον ὑπολαμβάνων τὴν πρὸς ἀνθρώπους ὀργὴν ἀποσκήπτειν εἰς τὰ μηδενὸς αἴτια κακοῦ. Ἔπειτα δὲ ἀξιοῖ μὴ μόνον τὸ παρὸν προορᾶσθαι, μηδενὸς ἐν ὁμοίῳ μένοντος, ἀλλὰ πάντων τροπαῖς καὶ μεταβολαῖς χρωμένων, ὡς εἰκὸς, εἶναι τοὺς τέως δυσμενεῖς ἐπικηρυκευσαμένους καὶ συμβατηρίων ἄρξαντας, ἐνσπόνδους αὐτίκα γενέσθαι. Φίλους δὲ τροφῶν ἀναγκαίων ἀποστερεῖν χαλεπὸν, μηδὲν ταμιευσαμένους τῶν ἐπ' ὠφελείᾳ, διὰ τὴν τοῦ μέλλοντος ἀδηλότητα. Πάνυ γὰρ ἐκεῖνο καλῶς εἴρηται τοῖς παλαιοῖς, ὅτι καὶ φιλίας κοινωνητέον, μὴ ἀπογινώσκοντας ἔχθραν, καὶ προσκρουστέον ὡς φιλίας ἐσομένης ἵνα ἕκαστος ἐν τῇ ἑαυτοῦ φύσει ταμιεύηται τι τῶν εἰς ἀσφάλειαν, καὶ μὴ ἀπογυμνωθεὶς ἐν ἔργοις, καὶ λόγοις μετανοῇ τῆς ἄγαν εὐχερείας, ὅτ' οὐδὲν ὄφελος, αἰτιώμενος ἑαυτόν. Τὸ λόγιον τοῦτο χρὴ φυλάττειν καὶ τὰς πόλεις, ἐν μὲν εἰρήνῃ προνοουμένας τῶν κατὰ πόλεμον, ἐν δὲ πολέμῳ τῶν κατ' εἰρήνην, καὶ μήτε τοῖς συμμάχοις ἀνέδην προσπιστεύειν, ὡς οὐ χρησομένοις μεταβολῇ πρὸς τὸ ἀντίπαλον, μήτε τοῖς πολεμίοις εἰσάπαν ἀπιστεῖν, ὡς οὐ δυναμένοις ποτὲ μεθαρμόσασθαι πρὸς τὸ ἔνσπονδον. Εἰ μέν τοι μηδὲν ὑπὲρ ἐχθροῦ πρακτέον δι' ἐλπίδα καταλλαγῶν, οὐδὲν ἐχθρὸν φυτὸν, ἀλλὰ πάντα ἔνσπονδα καὶ ὠφέλιμα. Τὰ δ' ἡμέρα καὶ διαφερόντως ἀναγκαῖα, ὧν ἢ ὁ καρπὸς ἢ τροφή ἐστιν, ἢ ἰσότιμον τροφῇ κτῆμα. Οὐ δεῖ πολεμεῖν πρὸς τὰ μὴ πολέμια τέμνοντας ἢ καίοντας ἢ ῥίζαις αὐταῖς ἀνασπῶντας, ἅπερ αὐτὴ ἡ φύσις ὑδάτων ἐπιῤῥοίαις καὶ θέρους εὐκρασίαις ἐτελεσιογόνησε, δασμοὺς ἐτησίους οἴσοντα ἀνθρώποις οἷα βασιλεῦσιν. Ἐμέλησε δ' αὐτῷ καθάπερ ἀγαθῷ προστάτῃ ἄληπτον εἶναι μὴ μόνον ζώοις, ἀλλὰ καὶ φυτοῖς ἰσχύν τε καὶ ῥώμην καὶ μάλιστα τοῖς ἡμέροις, ἐπειδὴ καὶ πλείονος ἄξια φροντίδος ἐστὶ, καὶ οὐχ ὁμοίως τοῖς ἀγρίοις ἔγγονα, γεωργικῆς ἐπιστήμης δεόμενα πρὸς κραταιοτέραν δύναμιν. *Æquitatem ſuam etiam largius diſpenſans Moſes valde ea ubertim ac liberaliter utitur, deſcendens a ratione utentibus ad muta animantia, ab his vero ad ea quæ e terra naſcuntur, de quibus nunc dicendum eſt; quando de hominibus ut præſtantiſſimis & aliis quæ animam ſentientem nacta ſunt jam egimus. Diſerte itaque vetuit aut exſcindere arbores mitos, aut exitialiter ante tempus demetere frugiferas terras, aut ullos omnino fructus corrumpere, ut abundantia alimentorum inſtruatur humanum genus. Abundent autem non modo neceſſaria, ſed & quæ ad vitam delicatiorem faciunt. Neceſſaria enim fruges ad homines nutriendos ſepoſita res. Ad delicias vero, omnium de arboribus naſcentium varietas. Quæ ſæpe ubi alia deficiunt ſuccedunt in alimentorum locum: Ultra procedens, terram etiam hoſtilem vaſtari non ſinit: præcipue vero excidiis arborum abſtineri jubet, iniquum exiſtimans iram in homines conceptam erogari in ea quæ cauſa mali nullius ſunt. Hoc ipſo & illud docet, non præſens tempus ſpectare tantum, cum nihil in ſuo ſtatu maneat, ſed cuncta vicibus ac mutationibus ſubjecta ſint, ita ut facile ſit eos qui nunc ſunt hoſtes, ubi ad colloquia & pacta ventum erit, rurſum fœderatos fieri. At amicos neceſſariis fraudare durum, quibus ob futurum incertum etiam aſſervari debuerant quæ uſui eſſe poſſunt. Veriſſime enim dictum antiquis, ita amicis utendum ut non putentur nulla ſupervenire poſſe inimicitia, & ita tractandas offenſas ut amicitia ſperetur, nimirum ut quiſque intra animum aliquid recondat quo tutus ſit, & non eo nimium nudato per verba & facta mox pœnitentiam agat nimia ſua vehementia, ſeque accuſet ubi res ſanari amplius non poteſt. Oraculum hoc & civitatibus obſervandum eſt, ut pacis tempore parent quæ ad bellum ſunt opus, in bello vero quæ ad pacem: ac neque amicis ſupra modum fidant, tanquam qui non poſſunt in contrarium verti; neque hoſtibus ita diffidant, quaſi nunquam poſſint ad amicitiam reduci. Quod ſi etiam pro hoſte nihil faciendum eſſet in ſpem conciliationis, certe nihil eorum quæ terra fert hoſtile, quin amica omnia, utilia omnia. Mitiſſima vero vel maxime neceſſaria, ut quorum fructus aut alimentum ſint, aut par aliquid alimento. Non oportet bellum inferre belli neſcius, non ſecare, non urere,*

nen

non exſtirpare radicitus, quæ natura aquarum irrigationibus & æſtatum ſereno tenere educavit, ut tributa hominibus velut regibus ferrent. Cura autem ei ut communi rerum omnium & optimo præſidi fuit, illæſam præſtare non animantibus tantum ſed & terræ fœtibus vim ac robur, præſertim vero mitibus, quia majoris tutelæ indigent, nec ad ſilveſtrium morem fœcunda ſunt ſed peritam culturam deſiderant ut firmitatem conſequantur.

2. *Porphyrius vero*] Verba ejus ſunt: Φείδεσθαι δὲ κελεύει κἂν τῇ πολεμίᾳ τῶν συνεργαζομένων ζώων καὶ μὴ φονεύειν. *Parci etiam jubet lex in terra quamvis hoſtili animantibus operum ſociis, ita ut ea occidere non liceat.*

Legem hanc porrigendam] Contra vero, reſtringendam, addita exceptione, niſi arbores in ſuburbanis locis impediant jaculatores

3. *In tecta innoxia muroſque*] Egregia eſt hujus argumenti epiſtola Beliſarii ad Totilam Gotthicorum III. Πρότερον μὲν κάλλη οὐκ ὄντα ἐργάζεσθαι, ἀνθρώπων ἂν φρονίμων εὑρήματα εἶεν καὶ πολιτικῶς βιοτεύειν ἐπισταμένων. Ὄντα δὲ ἀφανίζειν τῶνγε ἀξυνέτων εἰκὸν, καὶ γνώρισμα τοῦτο τῆς αὐτῶν φύσεως οὐκ αἰσχυνομένων χρόνῳ τῷ ὑστέρῳ ἀπολιπεῖν. Ῥώμη μέν τοι πόλεων ἁπασῶν, ὅσαι ὑφ᾽ ἡλίῳ τυγχάνουσι οὖσαι, μεγίστη τε καὶ ἀξιολογωτάτη ὡμολόγηται εἶναι. Οὐδὲ γὰρ ἀνδρὸς ἑνὸς ἀρετῇ εἴργασται. Οὐδὲ χρόνου βραχέος δυνάμει εἰς τόσον μεγέθους τε καὶ κάλλους ἀφῖκται. Ἀλλὰ βασιλέων μὲν πλῆθος. Ἀνδρῶν δὲ ἀρίστων ξυμμορίαι πολλαὶ χρόνου τε μῆκος καὶ πλούτου ἐξουσίας ὑπερβολὴ, τάτε ἄλλα πάντα ἐκ πάσης τῆς γῆς καὶ τεχνίτας ἀνθρώπους ἐνταῦθα ξυναγαγεῖν ἴσχυσαν. Οὕτω τε τὴν πόλιν τοιαύτην, οἵανπερ ὁρᾷς κατὰ βραχὺ τεκτηνάμενοι, μνημεῖα τῆς πάντων ἀρετῆς τοῖς ἐπιγενησομένοις ἀπέλιπον. Ὥστε ἡ εἰς ταῦτα ἐπήρεια, εἰκότως ἂν ἀδίκημα μέγα εἰς τοὺς ἀνθρώπους τοῦ παντὸς αἰῶνος δόξειεν εἶναι. Ἀφαιρεῖται μὲν γὰρ τοὺς προγεγενημένους τὴν τῆς ἀρετῆς μνήμην, τοὺς δὲ ὕστερον ἐπιγενησομένους τῶν ἔργων τὴν θέαν. Τούτων δὲ τοιούτων ὄντων ἐκεῖνο εὖ ἴσθι, ὡς δυοῖν ἀνάγκη τὸ ἕτερον εἶναι. Ἢ γὰρ ἡσσηθήσῃ τοῦ βασιλέως ἐν τῷ δὲ τῷ πόνῳ, ἢ περιέσῃ, ἂν οὕτω τύχοι. Ἢν μὲν οὖν νικώης Ῥώμην γε καθελὼν, οὐ τῶν ἑτέρων σου, ἀλλὰ τὴν σαυτοῦ ἀπολωλεκὼς ἂν, ὦ βέλτιστε, εἴης. Καὶ διαφυλάξας κτήματι, ὡς τὸ εἰκὸς, τῶν πάντων καλλίστῳ πλουτήσεις. Ἢν δέ γε τὴν χείρω σοι τύχην κληροῦσθαι ξυμβαίη σώσαντι μὲν Ῥώμην, χάρις ἂν σώζοιτο παρὰ τῷ νενικηκότι πολλή. Διαφθείραντι δὲ, φιλανθρωπίας τε οὐδεὶς ἔτι λείψεται λόγος, καὶ προσέσται τὸ μηδὲν τοῦ ἔργου ἀπόνασθαι. Καταλήψεται δέ σε καὶ δόξα τῆς πράξεως ἀξία πρὸς πάντων ἀνθρώπων, ἥπερ ἐφ᾽ ἑκάτερά σοι τῆς γνώμης ἑτοίμως ἕστηκεν. Ὁποῖα γὰρ ἂν τῶν ἀρχόντων τὰ ἔργα εἴη, τοιοῦτον ἀνάγκη καὶ ὑπὲρ αὐτῶν ὄνομα φέρεσθαι. *Antehac ſic exiſtimatum eſt, ſpecioſa ſtruere opera, ſapientum eſſe & civilis vitæ ſcientium: ſtructa demoliri, ſtultorum & vecordis animi ſigna ad poſteros tranſmittere non erubeſcentium. Romam conſtat urbium quas Sol adſpicit maximam eſſe ac ſpectatu digniſſimam; ea non unius labore hominis nec brevi tempore ad id magnitudinis ſplendoriſque proceſſit, ſed plurimi Reges atque Imperatores, virorum eminentium immenſa ſeries, multa ſæcula, divitiarum ſtupenda congeries, tum alia tum artificum primos huc traxere, ita illi tanta urbe paulatim effecta monumenta ſua virtutis poſt futuris reliquere. Quare in eam ſævire id vero injuriam ſit facere humano generi omnis ævi, eripiendo iis qui olim fuere debitæ laudis memoriam, venturis vero ſpectaculi voluptatem. Hæc cum eum in modum ſe habeant, cogita de duobus alterum neceſſario futurum, ut aut in hoc bello vincaris ab Imperatore, aut tua fortuna ſit ſuperior. Si tu victor, everſa Urbe, non aliena ſed tua perdideris: eadem ſervata, poſſeſſione frueris omnium ſpecioſiſſima ſi adverſa tibi ſors ceciderit, Roma per te incolumi, repoſita tibi erit apud victorem gratia: eadem jacente, jacebunt extra omnem ſpem miſericordiæ res tuæ. Neque tantum nullus ad te facti fructus redibit, ſed & digna facto fama te ab hominibus univerſis ſequetur. Ea in utram volis partem tibi parata eſt: Nam potentum quales ſunt actiones talis exiſtimatio.* Vide & legem Friderici I. apud Conradum Abbatem Urſpergenſem, & de Friderico Comite Palatino Chronica Melanchthonis.

1. *Parcendum ſuis rebus præfatus*] Gelimer & Vandali obſidentes Carthaginem, neque prædas egere, neque terram vaſtarunt, ſed curæ habuerunt ut ſuam. Procopius initio Vandalicorum ſecundi. Apud Helmoldum lego lib. I. cap. 66. *Nonne terra quam devaſtamus terra noſtra eſt, & populus quem expugnamus populus noſter eſt? Quare ergo invenimur hoſtes noſtrimet, & diſſipatores vectigalium noſtrorum?* cum his conveniunt quæ Bembus habet libro hiſtoriæ VI.

2. *Diodorus Siculus*] Libro II.

3. *Sic Timotheus*] De Megarenſibus idem prodidit Plutarchus quæſtionibus Græcis; de Totila cum Romam obſideret Procopius Gotthicorum III. τοὺς μέν τοι γεωργοὺς οὐδὲν ἄχαρι ἀνὰ πᾶσαν τὴν Ἰταλίαν εἰργάσατο, ἀλλὰ τὴν γῆν ἐκέλευεν ἀδεῶς ἧπερ εἰώθεισαν, ἐσαεὶ γεωργεῖν, τοὺς φόρους αὐτῷ ἀναφέροντας. *Agricolis interim per omnem Italiam nihil mali intulit, ſed juſſit eos ita ut ſoliti erant terram perpetuo ſecuros colere, modo ad ipſum tributa perferrent.* Caſſiod. XII, 5. *Defenſorum maxima laus eſt, ſi cum illi videantur prædictas regiones protegere, iſti non deſinant patrioticas poſſeſſiones excolere.*

4. *Apud Atticos & Romanos*] Etiam in Peloponneſo. Varro II. de re ruſtica: Columella principio libri VI. His adde Plinium VIII, 45. Ælianum de hiſtoria animalium II. capite ultimo. Porphyrium II. De abſtinentia: Vegetium III. De arte veterinaria.

Rhodiorum oratio ad Demetrium] de hac re vide Plinium hiſtoriæ naturalis VIII, 38, & XXXV, 10. & Plutarchum Demetrio. Senſus idem epiſtola Beliſarii modo a nobis recitata.

1. *Suadet rerum divinarum reverentia*] Po-

 lybius

lybius in Excerptis Peireſianis: τὸ γὰρ τοῖς ἀνθρώποις ὀργιζόμενον, εἰς τὸ θεῖον ἀσεβεῖν τῆς πάσης ἀλογιστίας ἐστὶ σημεῖον. *Cum hominibus iraſcaris, ob id impie in Deos agere ſumma ſtultitiæ ſignum eſt.* Merito ſane: nam & *Severus reſcripſit, melius eſſe ut quomodocunque illic Deus colatur quam popinariis detur*, Lampridio referente. *Saguntinæ Dianæ templo pepercit religione inductus*, ait de Annibale Plinius Naturalis hiſtoriæ XVI, 11. Ἱερὰ ὧν ὐδὲ τὺς ἀλλοφύλυς πολεμίυς ἀφαιρούμεθα: *Templa hoſtibus nec externis eripimus*, Appianus id habet civilium II. De Ageſilao ſcriptor Latinus vitæ ejus: *Neque hoc ſolum in Græcia fecit ut templa Deorum ſancta haberet, ſed etiam apud barbaros ſumma religione ſimulacra araſque conſervavit. Itaque prædicabat mirari ſe non ſacrilegorum numero haberi qui ſupplicibus eorum nocuiſſent: aut non gravioribus pœnis affici qui religionem minuerent quam qui fana ſpoliarent.* De Ageſilai ſanctimonia in hac re etiam Plutarchum vide. Idem multos pariter Romanos ejus laudis participes facit in Sulla: εἰς μνήμην ἐβάλοντο τῦτο μέν τοι τὸν Φλαμίνιον, καὶ Μάνιον Ἀκύλιον, τῦτο δὲ Αἰμίλιον Παῦλον, ὧν ὁ μὲν Ἀντίοχον ἐξελάσας τῆς Ἑλλάδος, οἱ δὲ τὺς Μακεδόνων βασιλεῖς καταπεπολεμηκότες ὐ μόνον ἀπέσχοντο τῶν ἱερῶν τῶν Ἑλληνικῶν, ἀλλὰ καὶ δῶρα καὶ τιμὴν αὐτοῖς καὶ σεμνότητα πολλὴν προσετέθησαν. *In memoriam revocabant alii Flaminium, alii Manium Aquilium & Æmilium Paulum, quorum ille Antiocho ejecto e Græcia, hi vero debellatis Macedonum regibus, non modo Græcanicis templis pepercerant, ſed & donis ea multoque honore ac ſanctimonia auxerant.* Adi & Vitruvium lib. II. Dionem XLII. Plutarchum Cæſare: Brodæum v. Miſcellaneorum. Cabao Maurus ipſe non Chriſtianus honorem volebat haberi Chriſtianorum Eccleſiis contra quam facerent Vandali, quibus ſperabat iratum fore, quiſquis ille eſſet, Chriſtianorum Deum. Teſtatur hoc Procopius Vandalicorum, qui & Perſicorum II. Choſroen Perſam non Chriſtianum Eccleſiæ Antiochienſium Chriſtianorum ait pepercisſe. Juſtinianus etiam, ut idem refert Vandalicorum II. retinere apud ſe non auſus eſt res illas quas Hieroſolymorum templo Veſpaſianus abſtulerat Romam, Romæ autem repertas in Africam aſportaverat Gizerichus. De ſanctimonia a Mahumetiſtis ſervata loco in quo Ezechielis & trium Danielis ſociorum oſſa erant condita, teſtis eſt in itinerario Judæus Benjamin.

3. *In Gotthis Romæ captoribus*] ſub Alarico Ariano: cujus & hoc factum memorabile apud Caſſiodorum XII, 20. *Rex Alarichus Apoſtoli Petri vaſa ſuis deferentibus cum excepiſſet, mox, ut rei cauſam habita interrogatione cognovit, ſacris liminibus deportari diripientium manibus imperavit, ut cupiditas quæ deprædationis ambitu admiſerat ſcelus devotione largiſſima deleret exceſſum.*

Teſtantur hoc Martyrum loca] Exſcripſit hunc locum Iſidorus in Chronicis Gotthicis Æra CCCCXLVII.

Malim, qui] omnino ſic legendum oſtendit Oroſius eandem hiſtoriam referens lib. VII. c. 28.

Poſteaquam ad loca illa veniebant] Eiſdem Apoſtolorum baſilicis Gothi ſub Vitige Romam obſidentes pepercerunt, teſte Procopio Gotthicorum II. Etiam barbaris & non Chriſtianis jus confugii in talia loca profuit; Vide Zoſimum libro IV. de Tomitanis barbaris. Adde Helvetiorum legem apud Simlerum: Nicetam Alexio, Manuelis filio: eundem lib. I. de Andronico, ubi Siculos culpat ob violatas Antiochienſium Eccleſias.

1. *De cœlo a gigantibus oppugnato fabulam ſic interpretabatur*] ut & alterum de Epopeo, Diodorus Siculus.

2. *Philippus ultra jus victoriæ in templa, aras, ſepulchra ſævit*] Simile Pruſiæ factum deteſtatus Polybius, cujus verba Suidas ſervavit in vocabulo Pruſiæ, & excerpta Peireſiana.

1. *Idem Ageſilai conſilium*] Meminit & Plutarchus Ageſilao.

2. *De Quintio*] nempe T. Quintio Flaminio.

ANNOTATA AUCTORIS

AD LIB. III. CAP. XIII.

1. *SI id quod recte fit ſpectas*] Vide quod judicavit Innocentius Romanus Pontifex apud Bembum I.

2. *Aut ex pœna*] Romani Pruſiam Attalo juſſerunt & damnum reſarcire & pœnam inſuper pendere.

Impenſam quæ in bellum facta eſſet] Meminit Polybius Excerpto legationum 23. Sic & a Sulla damnati Aſiatici, narrante in Mithridaticis Appiano. Morem hunc pro ſe allegat Rex Poloniæ apud Thuanum libro LXXIII. anno MDLXXXI. Sic apud Homerum Iliados Γ vocem τιμὴν Scholiaſtes interpretatur πρόςιμον τῦ πολέμυ λέγει δὲ τὸ ἥμισυ τῶν ἐν πόλει κτημάτων. *Belli æſtimationem: dimidium nempe rerum quæ in urbe erant.*

1. *Miſerabile enim eſt, ut ait pater Quintilianus, ſponſoris periculum*] Addit ſalvo pudore ad ſponſorem non aliter creditorem venire quam ſi recipere a debitore non poſſit. Bene ſalvo pudore; nam ſponſores appellare videtur habere quandam δυσωπίαν, ut ait Cicero ad Atticum XVI, 15.

2. *Exigit humanitas*] Ptolemæus Demetrio Antigoni filio tabernaculum & alia ad curam corporis ipſius pertinentia, pecunias quoque captas remiſit, dicens non de omnibus rebus, ſed de imperio & honore inter ipſos certari.

Nar-

Narrat Plutarchus Demetrio. Vide & factum Sanctii Vaſconum regis apud Marianam lib. XI. cap. 16.

4. *Veteri poſſeſſori relinquebatur*] Appianus civilium II. Τῶν δὲ πολεμίων ὅτε κρατήσαιεν, ὐδὲ τύτων ἅπασαν τὴν γῆν ἀφῃρῦντο, ἀλλ᾽ ἐμερίζοντο. *Romani veteres ne hoſtibus quidem victis omnes agros adimebant, ſed cum eis partiebantur.* Sic & Vandalos in Africa & in Italia Gotthos feciſſe hiſtoriæ nos docent.

ANNOTATA AUCTORIS

AD LIB. III. CAP. XIV.

2. Q*Vod non omnes qui inter hoſtes fuerant ſervos feciſſet*] Filius ejus Alexander Thebis captis exemit ſervituti & ſacerdotes & eos qui decretis in ſe factis non adſenſerant; Narrat Plutarchus in vita ejus.

1. *Captivum ſe dicebat, non ſervum*] Philo: ἐπεὶ καὶ πατέρες ὑῶν τιμὰς κατέθεσαν, καὶ ὑοὶ πολλάκις πατέρων ἢ κατὰ λῃστείας ἀπαχθέντων, ἢ κατὰ πόλεμον αἰχμαλώτων γενομένων, ὡς οἱ τῆς φύσεως νόμοι τῶν κάτωθεν ὄντες βεβαιότεροι γράφυσιν ἐλευθέρυς. *Nam & patres pro filiis & filii pro parentibus ſæpe pretium pependerunt, aut vi latronum abreptis, aut belli more captis, quos quidem naturæ leges valentiores his quæ in terra fiunt legibus, ſcribunt liberos.* Nimirum ut apud Theodecten Helena loquebatur:

Θεῶν ἀπ᾽ ἀμφοῖν ἔκγονον ῥιζωμάτων,
Τίς ἂν προσειπεῖν ἀξιώσειεν λάτριν.
Utraque generis parte prognatam Deis,
Eritne ſervam nominare qui audeat.

3. Ἐν πικρίᾳ ψυχῆς] Sic & in epiſtola Barnabæ eſt: ὐ μὴ ἐπιτάξῃς παιδίσκῃ ἢ δύλῳ συ ἐν πικρίᾳ, τοῖς ἐπ᾽ αὐτὸν ἐλπίζυσι, μήποτε ὐ φοβηθήσῃ τὸν ἐπ᾽ ἀμφοτέροις Θεόν. *Noli acerbe imperare ſervo aut ancillæ tuæ in Chriſtum ſperantibus, ne eo ipſo oſtendas non timere te communem tibi & ipſi Dominum.*

Seneca] epiſtola XLVII.

Non dominaberis ei dure] Vide Moſem de Kotzi præceptis jubentibus 147, 175, 178. & collationem legum Moſis & Romanarum titulo III. Priſcus in Excerptis legationum ubi Romanos barbaris præfert: ἄμεινον δὴ καὶ τοῖς οἰκέταις διατελῦσι ῥωμαῖοι χρώμενοι. Πατέρων γὰρ ἢ διδασκάλων εἰς αὐτὺς ἔργα ἐπιδεικνύντες, ἐφ᾽ ᾧ τῶν φαύλων ἀπεχομένυς μετιέναι ἅπερ αὐτοῖς φαῦλα νενόμισαι, σωφρονίζυσι σφᾶς ἐπὶ τοῖς ἁμαρτήμασι, ὥσπερ τὺς οἰκείυς παῖδας. Οὐ δὴ γὰρ ὐδ᾽ αὐτοῖς θάνατον, ὥσπερ Σκύθαις ἐπάγειν θέμις. Ἐλευθερίας δὲ τρόποι παρ᾽ αὐτοῖς πλεῖσοι, ἣν ὐ μόνον περιόντες ἀλλὰ καὶ τελευτῶντες χαρίζονται, διατάττοντες κατὰ τῆς περιυσίας ὃν βύλονται τρόπον. Καὶ νόμος ἐςὶν ὥσπερ ἕκασος τελευτῶν περὶ τῶν προσηκόντων βυλεύσοιτο. *Multo melius ſervos ſuos Romani tractant. Patrumque aut magiſtrorum in eos funguntur officio. Nam ut eos abſtrahant ab iis quæ moribus ipſorum illicita habentur, ita eos delinquentes quaſi filios ſuos caſtigant: neque enim jus eſt eos occidere, ut apud Scythas. Tum vero libertatis complura genera, quam non viventes tantum ſed in mortis tempore domini largiuntur: qui quidquid morituri de re ſua ſtatuerint id legis vim habet.* Adde legem Wiſigotthicam lib. VI. tit. I. c. 12.

Philo] de ſpecialibus legibus ſecundo: Cyprianus ad Demetrianum: *Niſi tibi pro arbitrio tuo ſerviatur, niſi ad voluntatis obſequium pareatur, imperioſus & nimius ſervitutis exactor flagellas, verberas, fame, ſiti, nuditate, ferro frequenter & carcere affligis, & non agnoſcis miſer Dominum Deum tuum, cum ſic exerceas ipſe in hominem dominatum.*

Non pro oculo tantum, ſed & pro dente excuſſo] Philo dicto loco: ὕτω γὰρ ὁ μὲν ἀνθ᾽ ὧν ἔδρασε, διπλῆν ἐκδέξεται ζημίαν, ἅμα τιμῇ καὶ τὴν ὑπηρεσίαν ἀφαιρεθεὶς: καὶ τρίτον ἑκατέρυ τῶν λεχθέντων χαλεπώτερον, ἀναγκαζόμενος ἐν τοῖς μεγίσοις εὐεργετεῖν ἐχθρὸν, ὃν ἴσως ηὔχετο κακῦν ἀεὶ δύνασθαι. Ὁ δ᾽ ἀνθ᾽ ὧν ὑπέμεινε παρηγορίαν ἕξει διπλῆν, ὐ μόνον ἐλευθερωθεὶς, ἀλλὰ καὶ ἀργαλέον καὶ ὠμὸν δεσπότην ἐκφυγών. *Sic ille pro facto duplicem pendet pœnam, amiſſis & operis & ſervi pretio, atque accedit & tertium duobus iſtis gravius, quod cogitur in rebus maximis bene facere homini exoſo & quem optaſſet ſemper vexare poſſe. Alter autem pro malo quod pertulit duplex habebit ſolatium, non libertatem tantum adeptus, ſed a tam fero ſævoque domino exolutus.*

1. *Opera cum modo exigenda*] Vide c. 14. in epiſtola Epiſcoporum ad Ludovicum regem quæ inſerta eſt in capitulare Caroli Calvi. Seneca epiſtola XLVII. *Non tantum hominibus ſed tanquam jumentis abutimur.* De Athenienſium vero in ſervos lenitate vide Xenophontem de republica Athenienſium.

2. *Servos familiares*] amicos Epicurus; Seneca epiſtola CVII.

Ulyſſes] cujus paternam in ſe benignitatem prædicat Eumæus Odyſſeæ ξ.

Gratius eſt nomen pietatis quam poteſtatis] Notat & Cyprianus Teſtimoniorum III. ad Quirinum: *dominos ſervis, cum crediderint, mitiores eſſe debere:* probatque id Apoſtoli Pauli ad Epheſios verbis. Lactantius libro V. cap. 15. *Nec alia cauſa eſt cur nobis invicem fratrum nomen impertiamur, niſi quia pares eſſe nos credimus. Nam cum omnia humana non corpore ſed ſpiritu metiamur, tametſi corporum ſit diverſa conditio, nobis tamen ſervi non ſunt: ſed eos & habemus, & dicimus ſpiritu fratres, religione conſervos.* Auguſtinus de Moribus Eccleſiæ Catholicæ I, 30. *Tu dominis ſervos non*

tam conditionis neceſſitate quam officii delectatione doces adhærere. Tu domines ſervis, ſummi Dei ſcilicet communis domini conſideratione placabiles, & ad conſulendum quam ad coercendum propenſiores facis. Adde Iſidorum Peluſiotam lib. 1. epiſtola 471. Repete quæ modo ex Peiſco poſuimus.

3. Δωροφόρυς *appellabant*] Athenæus VI, 18.

1. *Alimenta ſervo debentur*] Sirachides XXXIII, 25. Ἄρτος καὶ παιδεία καὶ ἔργα οἰκέτῃ. *Panis & diſciplina & opera ſervo.*

Seneca] Idem de Tranquillitate: *Familia veſtiarium petit victumque.* Romani ad Beſſam apud Procopium Gotthicorum III. Χορηγεῖτε τοῖς ὑμετέροις αἰχμαλώτοις τροφὴν ὐκ ἀρκῦσαν, ὐδὲ κατὰ τὴν χρείαν ἡμῶν ἀποχρῶσαν, ἀλλ' ὥς γε ἀποζῆν διαρκῶς ἔχυσαν. *Date nobis ſaltem ut captivis veſtris alimenta, non dicam quæ ſufficiant, qualia neceſſitas noſtra deſiderat ſed quæ mortem arceant.* Chryſoſtomus ad Epheſios V, 2. Ὅταν ὗτος μὲν τὴν σωματικὴν διακονίαν παρέχῃ, σὺ δὲ τὸ σῶμα τρέφῃς καὶ θεραπεύῃς καὶ τροφαῖς καὶ ἐνδύμασι καὶ ὑποδήμασι, καὶ ὗτος δυλείας ἐςὶ τρόπος. Ὅτι ἐὰν μὴ παρέχῃς καὶ σὺ τὴν σὴν διακονίαν, ὐδὲ ἐκεῖνος τὴν ἑαυτῦ, ἀλλ' ἔςαι ἐλεύθερος, καὶ ὐδεὶς αὐτὸν ἀναγκάσει νόμος καὶ μὴ τρεφόμενον τῦτο ποιεῖν. *Ubi ille corporis miniſteria exhibet, tu vero eum alis, curaſque ut præter victum habeat quo induatur, quo calcietur, eſt & hoc ſervitutis quoddam genus. Nam niſi & tu tuum hoc exhibeas miniſterium, nec ille exhibebit ſuum ſed liber erit, neque ulla eum lex conſtringet, ſi non alatur, operas præſtare.*

Siculorum crudelitas] Et Iſaaci Angeli in Siculos captivos, memorante Niceta lib. 1. Qui & epiſtolam ponit ea de re regis Siculi ad Imperatorem Græcum.

2. *Apud Terentium eſt*] Phormione actu 1. ſc. 1.

Naturale patrimonium] Eumæus Odyſſeæ Ξ.

Οἷά τε ᾧ οἰκῆι ἄναξ εὔθυμος ἔδωκε

Οἶκόν τε κλῆρόν τε πολυμνήςην τε γυναῖκα.

Qualia dat famulis domini prolixa voluntas.

Fœdera conjugis ſocialia, remque, domumque.

Ipſe Ulyſſes Odyſſeæ Φ Emæo & Philætio dicit:

Ἄξομαι ἀμφοτέροις ἀλόχυς καὶ κτήματ' ὀπίσσω

Οἰκία τ' ἐγγὺς ἐμεῖο τετυγμένα.

Veſtrum utrique thori ſocias dabo, largiar & rem

Vicinaſque domos noſtræ.

Varro de Servis: *Studioſiores ad opus fieri liberalius tractando, aut cibariis aut veſtitu largiore, aut remiſſione operis, conceſſioneque ut peculiare aliquid in fundo paſcere liceat.*

Seneca] Ejuſdem eſt ibidem: *Numquid dubium eſt quin ſervus cum peculio domini ſit? Dat tamen domino ſuo munus.*

5. *Quod ſervibas liberaliter*] Ita Manuſcripti, recte: Varro narrat in Feroniæ luco dictum ſervis: *Bene meriti ſedeant ſervi, ſurgant liberi*: in quibuſdam locis mos liberari ſervos ubi octuplum pretii quo empti erant paraverant.

Nec ſine donis] Conſuetudo id interpretata ne minus XXX. Siclis detur: vide præcepto jubente 84.

1. *Ut apud Græcos olim mina*] Bello Gallorum cum Hiſpanis in Italia eques redemptus quarta parte annui ſtipendii, non comprehenſi qui ordines ducerent eiſque ſuperiores: nec qui juſto prælio aut oppido per vim capto venirent in poteſtatem. Mariana XXVII, 18.

Nec mi aurum peſco] Similem Tiberii Chriſtiani Imperatoris in Perſas bonitatem laudat Menander Protector: Siſebuti Mariana, item Sanctii Caſtellæ regis libro XI.

Getarum rex Dromichætes] Meminit & Diodorus Siculus in Excerptis Peireſianis.

ANNOTATA AUCTORIS

AD LIB. III. CAP. XV.

2. T*Ueri magis quam preferre*] Alexander Imperator Artaxerxi Perſæ: δεῖν μένειν τε αὐτὸν ἐν τοῖς ἰδίοις ὅροις καὶ μὴ καινοτομεῖν, μηδὲ ματαίαις ἐλπίσιν αἰωρύμενον μέγαν ἐγείρειν πόλεμον, ἀγαπητῶς δὲ ἔχειν ἕκαςον τὰ ἑαυτῦ. *Manendum cuique intra ſuos fines nihil novando, neque debere quenquam incerta ſpe ſublatum bella incipere, ſed ſuo eſſe contentum.*

Gaudere de imperii latitudine] Vide Cyrillum libro V. contra Julianum reges Hebræos hoc nomine laudantem quod ſuis contenti eſſent finibus.

1. *Sic Poro Alexander*] Pipinus Aiſtolfo Langobardo.

Seneca] Totus locus dignus inſpici, ubi & hoc egregie dictum: *Hoc eſt etiam ex victoria ſua triumphare, teſtarique ſe nihil quod dignum eſſet victore apud victos inveniſſe.* Tigrani pars regni a Pompejo relicta. Eutropius VI.

2. *Quaſdam reliquit liberas*] Earum ut noſcatur conditio vide Polybium Excerptis legationum num. 6. Suetonium in Cæſare ubi de Gallia. Habet & quædam Guillemanus non indigna lectu in rebus Helvetiorum.

Sic a Quintio decretum] Remiſſum id tamen poſtea Polybius excerptis legationum num. XI. Plutarchus Flaminio.

Tradere arma, claſſem] Vide de Perſis Agathiam libro IV.

2. *Calanus Indus*] Habet id Plutarchus Alexandro.

Comparatione teſtudinis] Plutarchus ſic narrat: Ἀχαιὺς σφετεριζομένυς τὴν Ζακυνθίαν νῆσον ἀποτρέπων ἔφη, κινδυνεύειν ἂν, ὥσπερ αἱ χελῶναι,

ναι, πολλωτέρω τὴν κεφαλὴν τῆς Πελοποννήσου προτείνωσι. *Achaos Zacynthum inſulam appetentes cum dehortari vellet, dixit periculum eos adituros ſi teſtudinis more caput extra Peloponneſum extuliſſent.*

Ita emendavit] Utitur hac hiſtoria Claudianus Julianus Conſul in epiſtola ad Pupienum & Balbinum. Imitatus Auguſtus qui Dione narrante, ἐπῃνεῖτο ἐφ᾽ οἷς οὐκ ἠξίου ἕτερόν τι προσκτήσασθαι, ἀλλ᾽ ἀκριβῶς ἀρκεῖσθαι τοῖς ὑπάρχουσιν ἐδικαίου. *Laudatus eſt quod nihil novi acquirere voluit, ſed quæ jam habebantur ſufficere eſt arbitratus.*

Latio quæ ſervit purpura ferro] Vide Panegyricum Maximiano dictum.

Ut ipſe imperaret aliis, parêret Alexandro] Tales & olim in Italia reges ſub aliorum regum imperiis: Servius ad x. Æneid. Sic apud Æſchylum Perſis:

Βασιλεῖς βασιλέως ὕποχοι μεγάλου.

Reges regis magni ſubices.

Sic & apud Turcas teſte Leunclavio libro XVIII.

Suæ leges] Philo legatione ad Cajum: Σεβαστὸς τοσαύτην ἐποιεῖτο τῆς βεβαιώσεως τῶν παρ᾽ ἑκάστοις πατρίων, ὅσην καὶ τῶν ῥωμαικῶν ἐπιμέλειαν. *Auguſtus non minus curæ ſuæ duxit cuſtodiam legum propriarum cuique genti quam Romanarum.*

Suo arbitrio rempublicam adminiſtrandi] Vide epiſtolam XCIII. Plinii, & ſequentem Trajani libro x. Sinope ſub Perſis rempublicam habebat popularem; Appianus Mithridaticis. Talis apud Græcos ſub Romanis umbra libertatis; Vide Ciceronem lib. VI. ad Atticum epiſt. 1. Plinium lib. VIII. epiſt. 24 Evocari ex inſula Cyprios non licebat; Cicero ad Atticum v, 21.

1. *Avitæ religionis uſum*] *melius eſt ſibi aliquem Deum coli quam nullum:* ut Severi verbis modo diximus. Sic Gotthi apud Procopium Gotth. II. dicunt ſe ad ſuam religionem adegiſſe neminem.

1. *Volentibus quam coactis imperitare*] Lacedæmonii apud Thucydidem v. Νομίζομέν τε τὰς μεγάλας ἔχθρας μάλιστ᾽ ἂν διαλύεσθαι βεβαίως, οὐκ ἂν ἀνταμυνόμενός τις καὶ ἐπικρατήσας τὰ πλέω τοῦ πολέμου κατ᾽ ἀνάγκην ὅρκοις ἐγκαταλαμβάνων μὴ ἀπὸ τοῦ ἴσου ξυμβῇ, ἀλλ᾽ ἢν παρὸν τὸ αὐτὸ δρᾶσαι, πρὸς τὸ ἐπιεικὲς καὶ ἀρετῇ αὐτὸς νικήσας παρὰ ἃ προσεδέχετο μετρίως ξυναλλαγῇ. *Sic exiſtimamus, magnas inimicitias in firmam concordiam mutari, non ſi quis ſe ulciſcens & fortuna uſus proſperiore neceſſitatem alteri imponat jurandi in leges inæquales, ſed ſi cum id facere poſſit, æquitate uſus non minore quam in vincendo virtutem, quam poteſt moderatiſſime rem tranſigat.*

ANNOTATA AUCTORIS

AD LIB. III. CAP. XVI.

2. GRegorius Neocæſarienſis] ſequuntur Petr. de Poteſtate Principis c. 3. quæſt. 4 Bruningius de Homagiis concl. 241.

2. *Idem feciſſe Scipionem Plutarchus & Appianus narrant*] Etiam Diodorus Siculus Excerptis Peirchianis. Et Valerius Maximus lib. 1. cap. 1. num. 6. *Africani quoque poſterioris humanitas ſpecioſe lateque patuit. Expugnata enim Carthagine circa Siciliæ civitates liberas miſit, ut ornamenta Templorum ſuorum Pœnis rapta per legatos recuperarent, inque priſtinis ſedibus reponenda curarent.*

Si de urbibus bello captis ageretur] Pompejus Attalo & Pylæmeni Paphlagoniam reddidit. Eutropius VI. In fœdere Pontificis, Imperatoris Caroli V. & Venetorum contra Solimannum convenerat, ut poſſeſſa quiſque reciperet; Paruta VIII. Itaque Cephalenia ab Hiſpanis capta reddita Venetis. Eſt ad eam rem pertinens locus & in Anna Comnena, ubi de Gothofredo agit.

2. *Vir non pii tantum animi ſed & excelſi*] Bene hoc notavit Jacchiades ad Danielem v 17. Sulpitius de Abrahamo: *Reliqua his quibus erepta erant reddidit.* Ambroſius lib. 1. de Patriarchis: *Ideo quoniam ſibi mercedem ab homine non quæſivit, a Deo accepit.* Non multum hinc diſtant facta Pittaci & Timoleontis: *Pittacus Mitylenæus cum recuperati agri dimidia pars conſenſu omnium offerretur, avertit animum ab eo munere, deforme judicans virtutis gloriam magnitudine prædæ minuere;* Valerius Maximus libro VI. cap. V. num. 1. De Timoleonte Plutarchus: οὐ τὸ λαβεῖν ἐκ τοιούτων αἰσχρὸν, ἀλλὰ τὸ μὴ λαβεῖν κρεῖττον, καὶ περιουσία τῆς ἀρετῆς ἐν οἷς ἔξεστιν ἐπιδεικνυμένης τὸ μὴ δεόμενον: *Non, accipere in talibus, turpe, ſed non accipere melius, & virtutis cujuſdam exuberantis & in iis quæ licita ſunt oſtendentis ſe & his carere poſſe.* Confer quæ ſupra lib. II. c. XIV. §. VI. & hoc libro c. IV. §. 1.

Ita & populi] Exſules Saguntini poſt ſex annos a Romanis reſtituti. Antonius Caſſii bello in ſervitutem redactos liberos eſſe juſſit, bona dominis reddi. Sic Calatrava militibus quibus erepta a Mauris erat, reddita a rege Caſtellæ aliiſque. Mariana lib. XI. Confer quæ ſupra hoc libro cap. X. §. 6.

Arati Sicyonii conſilium ſequi] quod fecit rex Ferdinandus memorante Mariana lib. XXIX. c. 14.

ANNOTATA AUCTORIS
AD LIB. III. CAP. XVII.

2. *Sine ſtrepitu peragrantes Peloponneſum*] Par teſtimonium Tito Quintio Flaminio perhibet Plutarchus.

De Pompejo Magno Tullius] Et Plutarchus: *ἀκούων τοὺς στρατιώτας ἐν ταῖς ὁδοιπορίαις ἀτακτεῖν, σφραγῖδα ταῖς μαχαίραις αὐτῶν ἐπέβαλεν, ἣν ὁ μὴ φυλάξας, ἐκολάζετο. Cum audiſſet milites ſuos per itinera licentioſius agere, ſigillum gladiis eorum appoſuit; quod qui non cuſtodiſſet is puniebatur.*

De Gotthis] multa de hujus gentis modeſtia habemus apud Caſſiodorum, ut v, 10. & 11, 13. Eodem autem libro epiſtola 25. *Nec poſſeſſorum ſegetes aut prata vaſtetis. Sed ſub omni continentia properate: ut grata nobis eſſe veſtra occurſio poſſit. Quia ideo exercituales gratis ſubimus impenſas, ut ab armatis cuſtodiatur intacta civilitas.* lib. IX, 25. *Arma ejus nulla poſſeſſorum damna ſenſerunt.*

Et Beliſario Suidas] Sæpe hanc in Beliſario virtutem prædicat comes ejus teſtiſque actionum Procopius. Vide egregiam ejus orationem huc pertinentem quam ad milites habuit prope Siciliam, cum in Africam tenderet, narrationemque itineris per Africam Vandalicorum primo. Ex Gotthicorum autem III. Integrum hunc locum apponam: *εἰς δὲ τοὺς ἀγροίκους ἔτι τοσαύτῃ φειδοῖ καὶ προνοίᾳ ἐχρῆτο, ὥστε βιασθῆναι μὲν αὐτῶν οὐδένα πώποτε, στρατηγοῦντος Βελισαρίου, τετύχηκε. Πλουτεῖν δὲ παρὰ δόξαν ξυνέβαινε πᾶσιν, οἷς ἂν αὐτὸς ἐπιδημοίη στρατιᾶς πλήθει. Ἀπεδίδοντο γὰρ αὐτοῖς κατὰ γνώμην τὰ ὤνια πάντα. Καὶ ἡνίκα μὲν ἀκμάζοι τὰ λήϊα ἐς τὸ ἀκριβὲς διεφύλαττε, μή τινα παριοῦσα ἡ ἵππος λυμήνηται, τῶν δὲ ὡραίων ἐν τοῖς δένδροις ὄντων ἅψασθαι αὐτῶν οὐδενὶ τὸ παράπαν ἐξουσία ἐγίνετο. Adverſus agricolas tanta cura providentiaque agebat ut eorum nemo vim pateretur, exercitum ducente Beliſario: contra vero opulenti fierent omnes quocunque ille cum multo milite adveniſſet: vendebant enim illi militibus res ſuas ſuopte arbitratu. Et cum matura eſſent ſegetes ſollicite cavebat ne ab equite corrumperentur. Tum vero poma in arboribus pendentia tangere nemini omnino permittebatur.* Similem Alemannorum laudem in expeditione ad ſanctum Sepulchrum vide apud Nicetam Manuele Comneno. Gregoras autem libro IX. Idem in Venetis prædicat: *ἦσαν γε μὲν οὐδένες, οὓς οὐ μάλα ἐξέπληξεν ἡ τῶν Βενετικῶν εὐταξία, καὶ ἡ μετὰ δικαιοσύνης μεγαλοπρέπεια. Οὐδὲ γὰρ ἠξίωσε τῶν πάντων ἐκείνων οὐδεὶς ἐξελθὼν ἀφελέσθαι τι τῶν ἁπάντων ἄνευ τιμῆς ἀργυρίου. Nemo erat quem non admiratione percelleret Venetorum diſciplina, & conjuncta cum juſtitia animi magnitudo. Nemo enim de exercitu egreſſus quidquam rerum ſumere volebat niſi pecunia depenſa.*

3. *Proviſus rerum neceſſariarum*] Plinius hiſtoriæ Naturalis XXVI, 4. *curve Romani duces primam ſemper in bellis commerciorum curam habuere?* Caſſiodorus IV, 13. *Habeat quod emat, ne cogatur cogitare quod auferat.* Similia habet V, 10, & 13.

Apud Ammianum] quem vide & libro XXI.

4. *A calumnia*] Poſſis vertere *a rapina.* Quo ſenſu ea vox ſumitur in Græca verſione Jobi XXXV, 9. Pſalm. CXIX, 12. Prov. XIV, 33; XXII, 16; XXVIII, 3. Eccleſiaſtæ IV, 1. Item Levitici XIX, 11. Eandem Græcam vocem per *defraudare* vertit vulgatus interpres Lucæ XIX, 1.

Contenti eſtote ſtipendiis veſtris] Ambroſius ad hunc Lucæ locum: *Idcirco ſtipendia conſtituta militiæ: ne dum ſumptus quæritur prædo graſſetur.* Quæ tranſcripſit Auguſtinus Sermone XIX. De verbis Domini ſecundum Matthæum. Sunt egregiæ ad hanc rem conſtitutiones apud Gregorium Turonenſem libro II. cap. 37. In capitulis Caroli & ſucceſſorum, lib. V. tit. CLXXXIX. In concilio Galliæ Tomo II. in Capitulari II. Ludovici Pii capite XIX. & Tomo III. in Concilio ad S. Macram. Adde legem Bajoariorum tit. II, 5. Friderici I. Legem ſic refert Guntherus:

Si quis pacifica plebis villaſve domoſve
Uſſerit, abraſis ſignabitur ora capillis,
Et pulſus caſtris poſt verbera multa recedet.

Neceſſe eſt concedamus fieri poſſe quod factum videmus] Sic & Guicciardinus diſſerit libro XVI.

Ex Scauro memorat Frontinus] De Nigri ſeveritate ob raptum gallum gallinaceum vide Spartianum.

1. *Æquos ſe præbere utriſque in permittendo tranſitu, in commeatu præbendo*] Exemplum nobile vide apud Parutam libro VIII.

2. *In exercitu hoſtium eum cenſeri*] Et contra, ſocium & amicum recte ait dici non eum modo qui juxta ſtat in procinctu, ſed & qui omnia quibus opus habet bellum aperte ſuppeditat, in Epiſtola Amalaſunthæ ad Juſtinianum.

ANNOTATA AUCTORIS
AD LIB. III. CAP. XVIII.

1. *SIc & Chryſantam*] Vide Xenophontem Cyri inſtitutione.

2. *Inconſultis prœliis implicaretur*] ita Avidius Caſſius cauſam ſententiæ ſuæ reddebat: *Evenire potuiſſe ut eſſent inſidiæ*, narrat Volcatius.

Quæſtus ex ſola temporum infelicitate] Nam & Craſſum hoc nomine culpat Plutarchus: τὰ πλεῖςα τέτων ἐκ πυρὸς συνήγαγε καὶ πολέμε, ταῖς κοιναῖς ἀτυχίαις προσόδῳ τῇ μεγίςῃ χρησάμενος. *Pleraque horum ex igne belloque rapuit, nihil magis lucro habens quam communes calamitates.*

ANNOTATA AUCTORIS
AD LIB. III. CAP. XIX.

1. *INter bella fidem*] Archelaus Philoſophus apud Appianum Civilium IV. Σπονδὰς ἐπὶ τοῖς ὅρκοις ἐσπένδετε, καὶ δεξιὰς ἐτίθεσθε, αἳ καὶ παρὰ τοῖς πολεμίοις ἰσχύεσι: *fœdera jurastis, dediſtis dexteras, quæ etiam inter hoſtes valent.* Laudat hujus virtutis nomine Africanum minorem Diodorus Siculus in Excerptis Peireſianis.

2. *Auguſtinus*] qui idem argumentum late tractat epiſtola CCXXV.

1. *Adulterium non committi*] Seneca in Excerptis IV, 7. *Non putans adulterium, uxorem tyranni polluere: ſicut nec homicidium, tyrannum occidere.* Julius Clarus in §. Homicidium num. 36. Feminam bannitam impune adulterio corrumpi cenſuit.

Judæorum magiſtri] Rabbi Levi Ben Gerſon & Rabbi Salomo ad Levit. XX, 10.

2. *Pompeius pactionibus confecit*] Sic improba Didii perfidia in Celtiberos ex rapto viventes.

1. *Si quando cum tali, qua talis eſt, actum eſt*] Terentius in Adelphis:

> *Leno ſum, fateor: pernities communis adoleſcentium:*
> *Perjurus, peſtis: tamen tibi a me nulla eſt orta injuria.*

Vide hac de re ſcriptorem de compoſitione pacis inter Principes & ordines imperii.

M. Pomponius tribunus plebis] *Juravit tribunus, nec fefellit, & cauſam accuſationis remiſſa concionem reddidit. Nulli alii licuit impune tribunum in ordinem redigere;* Seneca de Beneficiis III. c. 37.

1. *Leges ſacratas appellabant*] Vide Manutium de legibus.

2. *Factum Tiberii Gracchi*] Vide id late narratum Plut. in ejus vita.

Pace cum Romanis inita jus ſæviendi in Macedonas qui in bello ab eo defecerant ademptum legimus] Eſt ſimile exemplum apud Parutam lib. VI.

1. *Ita & metus qui tali bello utrimque infertur*] Vide dictum ſcriptorem de compoſitione pacis.

De eo metu intelligi debet, quem jus gentium non improbat] Sic nihil prodeſt extorquenti promiſſio quam legato capto is extorſit; Mariana XXX.

Compenſationis originem alibi indicavimus] Libro II. cap VII. §. 2. Tertullianus Scorpiaco: *Nulla comparatio invidioſa eſt, in qua aut gratiæ aut injuriæ communis eſt ratio.*

Seneca libro de Beneficiis] cap. 4.

Idem Seneca] eodem libro capitibus 6, & 7.

Seneca idem] dicto cap. 6.

Deinde] dicto cap. 6.

Comparatione facta] eodem cap. 6.

1. *Apud eundem quem jam laudavi aliquoties, Senecam eſt*] de Beneficiis VII, 15.

ANNOTATA AUCTORIS
AD LIB. III. CAP. XX.

R*Egis igitur hoc erit.*] Mariana XXI, 1.

1. *De rege captivo*] Vide Guicciardinum lib. XVI. & lib. XVIII. non ſemel.

Non quidem jus totum] Arumæus in aureæ Bullæ diſcurſu: *Rudolphus Palatinus metu in Angliam profugerat, Henricus Moguntinus a Treverenſi vi erat ejectus. Electuram tamen eo non perdidere.*

2. *Pacemne facere poterit*] Lucanus:

> *Vejos habitante Camillo*
> *Illic Roma fuit.*

Vide Chaſſanæum de Gloria Mundi, parte V. conſid. 89.

Quatenus obligandi poteſtas ſub imperio comprehenſa eſt: quod nec in infinitum protrahi, nec ad anguſtias nimias arctari debet] Vide Reinking lib. I. Claſſe III. cap. 5. num. 30. Vide & ſupra lib. II. cap. XIV. §. 7. & 12.

1. Res

1. *Res ſubditorum ſub eminenti dominio eſſe civitatis*] Gail. II. obſ. 57.

2. *Ut quarum rerum turbata bello poſſeſſio eſt ex formula juris antiqui componatur*] Vide Parutam lib. v.

1. *Transfugas jure belli recipimus*] Supra hoc libro cap. I. in fine; in pace convenire & hoc ſolet, ne transfugæ recipiantur. Vide pacem Juſtiniani cum Choſroe apud Menandrum Protectorem.

Platæam retinuerunt] Locus hic eſt apud Thucydidem v. Præceſſerat ſimilis lib. III, Μὴ ἀνάδοτος εἴη ἡ Πλαταιὰ, ὡς αὐτῶν ἑκόντων προσχωρησάντων. *Ne reddenda ſit Platæa, cum ejus urbis homines ſponte acceſſerint.*

De jure ad pœnas non æque] Gail. de arreſtis c. XIV. n. 7.

Nomina regionum accipienda ex uſu præſentis temporis.] Vide Guicciardinum libro v.

Verum non eſt, niſi improviſa neceſſitas impedimento fuerit] Vide Albertum Argentinenſem.

Qui conditiones elocutus eſt] Plautus Perſa: *Tua merx, tua indicatio eſt.* In hac re ſolet prior loqui is qui plus valet: Ut vero petantur conditiones, loqui prior ſolet qui eſt infirmior. Plutarchus Sulla: τῶν δεομένων ἐςὶ τὰ πρότερα λέγειν. Τοῖς δὲ νικῶσι ἐξαρκεῖ τὸ σιωπᾶν. *Eorum eſt prius loqui qui opus habent pace. Victori ſatis eſt tacere.*

Pacem rumpunt non qui vim vi arcent ſed qui priores vim inferunt] Vide Ammianum Marcellinum initio libri XXIX. qui ſic de Romanis: *Opera conſulta retro cedentes, ne ferro violarent adverſorum quenquam primi, & judicarentur diſciſſi fœderis rei, ultima crudente neceſſitate congreſſi ſunt.* Armenii in oratione ad Choſroen apud Procopium Perſicorum II. Λύουσι μὲν γὰρ τὴν εἰρήνην οὐχ οἳ ἂν ἐν ὅπλοις γένοιντο πρῶτοι, ἀλλ' οἳ ἂν ἐπιβουλεύοντες ἐν σπονδαῖς τοῖς πέλας ἁλοῖεν. *Rumpunt pacem non qui primi in armis ſunt, ſed qui fœderis tempore deprehenduntur inſidiati alteris.* Apud eundem Vandalicorum II. Mauri: λύουσι γὰρ τὰς σπονδὰς, οὐχ ὅσοι ἀδικούμενοι ἐκ τοῦ ἐμφανοῦς τοὺς πέλας κατηγοροῦντες ἀφίςανται, ἀλλ' ὅσοι ὑποσπόνδους ἔχειν ἀξιοῦντές τινας, εἶτα βιάζονται. Καὶ τὸν Θεὸν πολέμιον σφίσι ποιοῦνται, οὐχ οἳ ἂν τὰ σφέτερα αὐτῶν κομιούμενοι ἐφ' ἑτέρους χωροῖεν, ἀλλ' ὅσοι τῶν ἀλλοτρίων ἐπιβατεύοντες εἰς κίνδυνον πολέμου καθίςανται. *Frangunt pacis fœdera, non qui injuriis affecti, palamque id queſti ad alios ſe transferunt, ſed qui quos fœderatos habere volunt violant, Deumque ſibi faciunt hoſtem, non ſi qui rebus ſuis ſecum ſumptis ad alios tranſeant, ſed ſiqui aliena invadentes eorum dominos in belli pericula cogunt.*

Ἄγειν λάφυρον ἀπὸ λαφύρου] Plautus Truculento: *de præda prædam capio.*

Polybius] Vide eum & in Excerptis.

Citra publicum decretum] Idem de Hunnis Sabiris ſuo tempore narrat Agathias libro IV.

2. *Si quorum ſubditorum ita perpetuum ſit maleficium*] Ita Auguſtus judicavit contra Syllæum pro Herode. Joſephus XVI, 16.

1. *Sociis quoque vis armorum illata pacem rumpit*] Thuanus lib. LXV. anno MDLXXVIII. Eſt & quod huc pertineat apud Haræum hoc, Tomo II. hiſtoriæ Brabanticæ in anno MDLVI.

Ut capitibus minoris momenti adjiciatur, ut ſiquid adverſus ea factum erit, pacem non rumpat] Vide egregium exemplum in pace Juſtiniani, Juſtinianum inter & Choſroen. Menander Protector eam habet.

Si qua ſpecialis pœna adjecta ſit] Ut in Gotthorum pactis cum Francis. Vide Procopium Goth. I.

1. *Subditos ſingulos, qui ex altera ditione in alteram migrare volunt, ſuſcipere, non eſt contra amicitiam*] Solon: γενέσθαι πολίταις οὐ δίδωσι πλὴν τοῖς φεύγουσιν ἀειφυγίαν τὴν ἑαυτῶν, ἢ πανεςίοις Ἀθήναζε μετοικιζομένοις ἐπὶ τέχνῃ. *Civium albo aſcribi non ſivit, niſi eos qui e ſua patria in exſilium perpetuum rejecti eſſent, aut cum omni familia artificii alicujus exercendi cauſa Athenas migraſſent.* Perſeus apud Appianum in Excerptis Legationum num. 25. Κοινῷ γε πάντων ἀνθρώπων νόμῳ, καθὰ καὶ ὑμεῖς τῶν ἑτέρων φεύγοντας ὑποδέχεσθε. *Feci hoc communi hominum jure, quomodo & vos alibi ejectos ſuſcipitis.* Commune hoc jus pactis firmari aut adſtringi ſolet. Vide pacem Antiochi apud Polybium Exc. Leg. n. 35. Et apud Livium: pacem inter Romanos & Perſas apud Menandrum Protectorem: Simlerum de Helvetiorum inter ſe pactis. *Aradii, regibus Syriæ inter ſe certantibus, obtinuere, ut fugientes ſuſcipere poſſent ſed non emittere.* Teſtatur id Strabo XVI.

2. *Oppida aut magnos cœtus, qui civitatis partem integrantem faciant, recipere non licet, ut alibi diximus*] Libro II. cap. v. § 24. Vide & Bizarum libro XII.

5. *Quomodo Aſſyrium regem Cyrus provocavit*] Et multo ante Hyllus Euryſtheum. Vide Euripidem Heraclidis.

Ut ipſi principes populorum armis rem inter ſe diſceptarent] Hoc Adrianopolitæ reſpondebant Mahumeti de ipſo & Muſa Zelebe. Leunclavius lib. XI. Sic Cunibertus Langobardorum rex Alachin provocat; Paulus Warnafredi lib. v. Sic de Cherſonis caſtro Pharnacus cum Sauromata pugnare volebat, ne multitudo ob ipſorum controverſiam periculis objiceretur; narrat Conſtantinus Porphyrogenneta capite de Caſtro Cherſonis. Vide exemplum ſingularis certaminis de regno apud Pontanum hiſtoria Danica: & quæ de provocationibus inter Carolum V. Imperatorem & Franciſcum Primum Galliæ regem narrant Hiſtorici.

Heraclium] Vide Aymonium libro IV. cap. 21. & Fredegarium cap. 64.

1. *Uter pro victore ſit habendus*] Ennius:

Qui vicit non eſt victor niſi victus fatetur.

Vide Scaligerum ad illud Feſti, *herbam do.*

In fines ſe aut oppida recipere apud Livium victi ſigna] Et apud Guicciardinum lib. II.

3. *Cadavera ad ſepulturam concedere*] Plutarchus Ageſilao: ὡς δ' ἔπεμψαν οἱ πολέμιοι νεκρῶν

Digitized by Google

κρῶν ἀναίρεσιν αἰτοῦντες, ἐσπείσατο, καὶ τὴν νίκην οὕτως ἐκβεβαιωσάμενος εἰς Δελφοὺς ἀπεκομίσθη. *Poſtquam autem hoſtes miſere ut mortuos tollere liceret, conceſſit, eoque modo victoria teſtimoniam adeptus Delphos abiit.* Idem Nicia: καί τοι κατὰ νόμον τινὰ καὶ συνήθειαν οἱ νεκρῶν ὑπὸ σπονδῶν λαβόντες ἀναίρεσιν, ἀπολέγεσθαι τὴν νίκην καὶ τρόπαιον ἱστάναι τοὺς τούτων τυχόντας οὐκ ἔνθεσμον ἦν. *Quanquam more & inſtituto recepto qui mortuos deportandos conceſſu acceperant, cenſebantur a ſe abdicaſſe victoriam, & qui id impetraſſent eis jus non erat trophæa figendi.*

2. *Id tamen inter reges & populos locum habere non poteſt*] Mariana libro XXIX, 15. Bembus libro IV. Paces per arbitrum factas habes aliquam multas in Polonica hiſtoria Cromeri libris X, XVI, XVIII, XXI, XXIV, XXVII, XXVIII. Habes & in Danica Pontani libro II. Confer quæ nos ſupra libro II. c. XXIII. §. 18.

De principali negotio pronuntiare debere, non de poſſeſſione] Id Dux Sabaudiæ dicebat in controverſia Saluciæ. Vide Serranum Henrico IV.

1. *Intra hunc autem modum quantum ſecuritas patitur ad clementiam & liberalitatem pendere ſemper honeſtum eſt*] Vide nobile exemplum Ferdinandi Legionenſium regis apud Marianam lib. XI. c. 15. Et repete quæ nos ſupra hoc libro cap. XI. §. 14, & 15.

3. *Neque fidei nomen his in locis aliud ſignificare quam ipſam probitatem victoris cui ſe victus permittit*] Polybius: παρὰ ῥωμαίοις ἰσοδυναμεῖ τό, τε εἰς τὴν πίστιν αὑτοὺς ἐγχειρίσαι καὶ τὸ τὴν ἐπιτροπὴν δοῦναι περὶ αὑτοῦ τῷ κρατοῦντι. *Apud Romanos idem valent, ſe in fidem alicujus committere, & victori de ſe ſtatuendi liberam facere poteſtatem.* Græci dicunt, εἰς δίκην σφᾶς αὐτοὺς παραδιδόναι; ut Thucydides libro III. ait: καθ' αὑτῶν ἐπιτρέπειν ἐξουσίαν, ut Diodorus Siculus lib. XIV.

4. *Nobilis eſt apud Polybium*] in excerptis legationum num. 13.

Obſides diximus dari] Hoc libro c. IV. §. 14. Vide & caput II. §. 18.

Civitas tamen recipere & retinere obſidem non poterat] vide Plutarchum in Publicola hac de re. Ad illud Virgilii:

Vinclis innaret Clælia ruptis.

Vinculis fœderis, ait Servius.

ANNOTATA AUCTORIS
AD LIB. III. CAP. XXI.

1. *UT quamvis tacet Hermogenes*] Seneca de Beneficiis V, c. 21. *Eſt diſertus etiam qui tacet.*

Abjecto inſtrumento artis clauſaque taberna Sutor erat.]

Seneca dicto jam loco: *Artifex eſt etiam cui ad exercendam artem inſtrumenta non ſuppetunt.*

Sicut ex poina (nunc pœnam ſcribimus) fit punio] vide Servium in X. Æneidos ad vocem *mœrorum.*

Oſtia Oſtia] Et ex oſtrea, oſtreorum, factum eſt oſtrea, oſtreæ.

2. *Ut terminus ſumatur qui pars ſit rei*] Baldus de ſtatutis in verbo *uſque*. Bartolus in L. Patronus; D. de Legatis III. & L. Nuptæ; D. de Senatoribus. Archidiaconus in c. Eccleſias XIII. q. 1. Hieronymus de Monte, libro de Finibus c. 23.

Veniſſe quidem ſed non præteriiſſe] Dion: πάρεστιν, οὐδέπω δὲ παρελήλυθεν. Appianus: πάρεισιν αἱ εἰδοὶ, ἀλλ' οὐ παρεληλύθασιν.

Neque tamen eo minus contrahentes damnum reſarcire debebunt] ut de Scione apud Thucydidem IV. Defendi itaque non poteſt quod ab Hiſpanis in Italia factum narrat Mariana XXVIII, 7.

3. *A Servio*] ad XI. Æneidos.

Niſi quid ſpecialius convenerit] ut apud Parutam lib. III.

2. *Loca præſidiis nudata*] Portum, Centumcellas, Albanum.

Si obſeſſis datæ induciæ tantum ne oppugnentur] ut a Totila Neapolitanis apud Procopium.

Interdum perſonis cavetur, non & rebus] Vide c. ſignificavit; de Judæis De induciis cum exceptione locorum exempla habes apud Protectorem.

1. *Alexandri fides accuſata*] Plutarchus: Καὶ τοῦτο τοῖς πολεμικοῖς ἔργοις αὐτοῦ τὰ ἄλλα νομίμως καὶ βασιλικῶς πολεμήσαντος ὡς κηλὶς πρόσεστιν. *Hæc velut macula adhæſit bellicis actionibus regis cætera in bello agere & juſte & regaliter ſoliti.* Simile factum Bajazetis contra Vidynenſes in Servia habes apud Leunclavium lib. VI.

Non etiam ubi is qui conceſſit deſiit poſſe velle quod per mortem contingit] L. Lucius Titius De donationibus, ita ut eam emendat vir magnus Antonius Faber; *Veluero* ponens pro *Volueris.* Adde L. Locatio 4. ff. Locati: Cardinalem Tuſchum pp. concluſion. 751. lit. p. Reinking. lib. II. claſſe II. c. 8. num. 30.

Quod vaſa eccleſiæ etiam initiata confregerint ut captivi redimerentur] Imitatus hoc Ambroſii factum Auguſtinus, narrante Poſſidio, qui contra carnalem ſenſum quorundam id factum dicit. Imitatus eſt & in eadem Africa Epiſcopus Deogratias, narrante Victore Uticenſi lib. I. Vas quod Remigii fuerat datum ad redimendos a Normannis captivos narrat in Remigii vita Hincmarus. Simile factum Archiepiſcopi Bremenſis Rimberti laudat M. Adamus Bremenſis Eccleſiaſticæ hiſtoriæ cap. 32. Probat hoc Synodus univerſalis ſexta, decreto relato in cauſam XII. quæſtione II. Quæ adjungenda his quæ diximus ſupra hoc libro cap. V. §. 2.

1. *Quam plurimos homines & quidem cognatos aut populares relinqui in graviſſimis ærumnis*] De Mauritii Imperatoris ob tale factum ſeria admodum pœnitentia vide Zonaram.

Sed ejus quod præſtare non poteſt æſtimationem præſtabit] id non fecit Paulus Balionius ea lege dimiſſus ut Carvajalium reſtitueret libertati, qui Carvajalius antequam liberaretur mortuus fuit: quo nomine reprehendit Balionium Mariana libro XXX. Sed facti ſpeciem paullo aliter narrat Paruta libro II.

ANNOTATA AUCTORIS
AD LIB. III. CAP. XXII.

PRior *queſtio definienda eſt ex eo quod alibi diximus*] Vide Camdenum in anno MDXCIV. In pronuntiato Comitis Mirandæ in cauſa Haukinſi.

De belli cauſis & conſequentibus tranſigere ad belli ducem non pertinet] Beliſarius Gotthis : οὐ γάρ ἴσμεν κύριοι τὰ βασιλέως πράγματα διοικῆσαι. *Neque enim nos jus habemus ordinandi res imperatoris.*

Inducias dare ducum eſt] Vide Parutam lib. V.

2. *In poteſtate Maharbalis non fuiſſe ſe inconſulto fidem dare ſe dedentibus*] Non magis probabile erat in re ſimili effugium quo uſus Bajazetes adverſus Servios Cratovianos ; narrante Leunclavio lib. VI.

3. *In ea poteſtate, qua Romanis moribus erat maxima*] Vide Salluſtium in bello Catilinario. Tullianæ huic cavillationi non diſpar illa Conſalvi in Ducem Valentinum Guicciardini libro VI.

ANNOTATA AUCTORIS
AD LIB. III. CAP. XXIII.

DEjurio *vincti*] id eſt ; capitis minores, ut Horatius de Regulo loquitur.

1. *Procopius*] Goth II. de Herulis.

In Senatu placuiſſe] idem jam ante Senatus redire eos coëgerat quos Pyrrhus ſub conditione dimiſerat. Appianus Exc. Legat. num. 6.

Juſta auxilia in pacto deditionis] Sunt ejus pacti exempla quatuor in III. Gotthicorum Procopii. Aliud de Luca apud Agathiam lib. I. De Caſtello Corſicæ apud Bizarum Hiſtoriæ Genuenſis X. Alio libro XVIII. Et in bello in Mauros. Habet tale & Cromerus lib. XI.

ANNOTATA AUCTORIS
AD LIB. III. CAP. XXIV.

TAcite *pollicetur collocutoribus id innoxium fore*] Merito Agathias Ragnatum Hunnum culpat, quod abeuntem a colloquio Narſetem telo transfigere voluerit. Agath. lib. II.

L. Sylla] Et Cæſar Dictator adverſus Tencteros & Uſipetes Appianus Exc. Legat. n. 16.

Scuta capiti impoſita] Appianus Civilium II.

Signa ſupplicis deditionis] Apud Perſas manus poſt tergum complicatæ ; Ammianus lib. XVIII. Ad quem locum notata Lindenbrogii vide. Scuta & vexilla perverſa apud Romanos ; notat idem Ammianus libro XXVI. Submittere vexilla ; Latinus Pacatus Panegyrico. Apud Germanos & eorum exemplo alios, herbam porrigere; Plinius lib. XXII. Qui victi ſe dedunt inermes ſupplicant, ait Servius ad I. Æneid.

Hodie vela candida tacitum habent ſignum petiti colloquii] ignis ſuccenſus petiti colloquii ſignum apud Septentrionis populos; meminit Johannes Magnus & alii. Plinius lib. XV, 30. De lauru: *Ipſa pacifera, ut quam prætendi etiam inter armatos hoſtes quietis ſit indicium.*

Pœna remiſſio] Tractat Polybius ſervatus in Excerptis Legationum num. 22. An ſi remiſſa ſit pœna iis qui facinus fecere, ſimul remiſſa ſit mandatoribus. Non puto. Singulos enim tenent ſua delicta.

ANNOTATA AUCTORIS
AD LIB. III. CAP. XXV.

2. FEris *erunt ſimiles*] Legati Juſtiniani apud Procopium Perſicorum II. Choſroen ſic alloquuntur : οἱ μὴ πρὸς παρόντα σὲ, ὦ βασιλεῦ, οἱ λόγοι ἐγίγνοντο, οὐκ ἄν ποτε ᾠόμεθα Χοσρόην τοῦ Καβάδου ἐς γῆν τὴν Ῥωμαίων ἐν ὅπλοις ἥκειν ἀτιμάσαντα μὲν τοὺς διομωμοσμένους σοὶ ἔναγχος ὅρκους, ὃ τῶν ἐν ἀνθρώποις ἁπάντων ὕστατόν τε καὶ ἐχυρώτατον εἶναι δοκεῖ τῆς ἐς ἀλλήλους πίστεώς τε καὶ ἀληθείας ἐνέχυρον. Διαλύσαντα δὲ τὰς σπονδὰς, ὧν ἡ ἐλπὶς ἀπολέλειπται μόνη τοῖς διὰ τὴν ἐν πολέμῳ κακοπραγίαν οὐκ ἐν τῷ ἀσφαλεῖ βιοτεύουσιν. Οὐ γὰρ ἄλλο οὐδὲν τὸ τοιοῦτον εἴποι τὶς ἂν εἶναι, ἢ τῶν ἀνθρώπων τὴν δίαιταν ἐς τὴν τῶν θηρίων μεταβεβλῆσθαι. Ἐν γὰρ τῷ μηδαμῆ σπένδεσθαι, τὸ πολεμεῖν ἀπέραντα λελοίψεται πάντας. Πόλεμος δὲ, ὁ πέρας οὐκ ἔχων, ἐξοικίζειν τῆς φύσεως τοὺς αὐτῷ χρωμένους ἐς ἀεὶ πέφυκεν. *Niſi ad te præſentem, Rex, hæc haberetur oratio, nunquam putaſſemus Choſroen Cabadæ filium cum armis intraturum in fines Romanos, contemptis primum juramentis juratis, quod inter homines ſummum firmiſſimumque creditur veritatis & fidei pignus; ruptis præterea fœderibus, quæ ſola ſpes relinquitur iis qui ob belli mala non in tuto vivunt: Quid enim hoc aliud eſſe dicamus, quam hominum vitam in ferarum vitam mutare. Nam ſublatis fœderibus ſequetur ut omnes inter ſe æterna gerant bella. Bella autem ſine fine hanc vim habent, ut homines perpetuo teneant natura ſua extorres.*

Ariſtoteles ſic enunciat] Philo vero de conſtitutione principis hunc in modum : εἰρήνη κἂν ᾖ σφόδρ' ἐπιζήμιος, λυσιτελεστέρα πολέμου. *Pax quamvis cum magno detrimento, bello utilior.*

Et maxime metuenda deſperantium audacia]

Δειναὶ γὰρ καὶ κοῖται ἀποχομένοιο λέοντος.
Quippe timenda etiam morientis luſtra leonis.

Homines, Deo cariſſimum animal] Sic Chryſoſtomus ſermone de Eleemoſyna dixit : ἄνθρωπος τὸ περισπούδαστον ζῶον τῷ Θεῷ.

JOAN.

JOAN. FRID. GRONOVII
N O T A T A
A D
H. G R O T I I
L I B R U M   T E R T I U M
De Jure Belli ac Pacis.

C A P U T   I.

§. I. A*Ut nude aut ex promiſſo*] quemadmodum aliud pactum nudum, aliud pactum contractum faciunt, 2, 11, 1.

§. II. 1. *Æſtimationem intrinſecam accipiunt*] in ſeſe ac ſua natura citra illud, quod ex accidenti accedere & æſtimationem variare poteſt, æſtimantur.

Facultatem agendi in ſolo ſocietatis] adverſus alios homines aliquo ſocietatis ſive domeſticæ ſive civilis ſive totius humanitatis vel quocumque vinculo nobiſcum conjunctos.

Etiamſi forte is peccato] ut miles vel ſubjectus principis populive cui cum mea patria vel principe bellum eſt.

Alibi] 2, 1, 3.

2. *Citra culpa aliena*] quamvis illius, cujus ea res eſt, culpa non contingat, ut ex ea mibi ſit periculum.

Ad eum finem] non enim huc uſque valet jus illud arripiendi rem alienam mihi periculoſam.

Læſa æqualitas] violatum illud par pro pari, quod e contractibus debetur.

§. III. *Poſt litem conteſtatam*] poſt inceptum judicium.

§. IV. 1. *Multa conſequi indirecte*] accedere, quæ ſeorſum deficiente occaſione illorum, quibus hærent & accedunt, patrare minime liceret, quæque patrandi ab initio intentio nulla fuit, ſed quæ trahit contagio & vicinia illorum, quæ agendi jus habeo, eoque iſtis umbram præſtat & veniam conficit.

Alibi] 2, 1, 4.

Tantumdem] ſtricte ac præciſe tantum, & non ultra, quantum mihi debetur.

Aliquis ex ipſorum uſu percuſſus] an prolapſus.

2. *Niſi multo majus ſit bonum*] ex regulis vel normis, quas tradit, 2, 24, 5.

Incendii & ruina potentia] non laudabilis & bono viro adfectanda, ſed quam etiam habet incendium aut molis alicujus vel ædificii caſus, quæ & ipſa multos ſine diſcrimine noxiorum & inſontium abſumere aut obruere poſſunt.

Vindicta immodeſtiam] quod cum Theſſalonicenſes ſeditionem moviſſent, immiſſo milite ad ſeptem millia trucidaverat, A. C. 390.

3. *Ut alibi notavimus*] 2, 21, 14.

Qua judex eſt] etiam cum induit ſeveram judicis perſonam.

§. V. 1. *De ea re acriter certatum*] Exemplum apud Demetrium, lib. 18. p. 767. ad ann. 1597.

Belli rigorem] nihil tale permittendum, & qui faciunt, pro hoſtibus habendos.

Commerciorum libertatem] jure gentium licere unicuique merces ſuas portare ac vendere, ad quos voluerit.

2. *Gratiam ſe relaturum*] pro beneficio, quod ab illo forte acceperit, & eum remuneraturum.

Si beneficium] quod redditurum ſe cogitat *leg.* 7. De benef. 20.

Artifices ſcenæ] hiſtriones, comœdos, tragœdos, mimos. Sen. epiſt. 11. & 121. Sueton. Jul. 84.

Triremes & æratas] naves bellicas cum æreis roſtris.

Luſorias & cubiculatas] voluptuarias & diſtinctas in lauta & luxurioſa cubicula. Thalamegos Suet. Jul. 52.

Ludibria regum] alias naves prodigioſæ magnitudinis & luxuriæ, quibus reges, in primis Ægypti, in mari inſanierunt. Vid. Athenæum lib. 5. p. 203.

3. *Ut alibi*] 2. 2. 6.

Jus dabit] injiciendi manum, ne perveniat ad hoſtem meum, ſed domino rem aut compenſationem debebo.

Ad damni dati modum] tantum de rebus ejus arripi, quanto per illum ego careo.

Judici imminenti] per lictores corripienti aut pœnam irrogaturo.

Intra eum modum ſpoliari] tantum poterit ei eripi, quantum ad pœnam ſufficit.

§. VI. 1. *Dolus an virtus*] 2. Æneid. 39. Sive fallendo quis hoſtem, ſive vi ſuperet, quis ob utrumvis victorem reprehendendum putet.

Dictum illud ſequitur] v. 426. His verbis hortantem Chorœbum ſequitur vir celebris tanta juſtitiæ fama, non ſecuturus, ſi quidem id injuſtum eſſe putaſſet.

3. *Ex belli furtis*] ſtrategematis, inſidiis, machinationibus clandeſtinis.

3. Δόλος οὐ ψεκτὸς] dolus non vituperandus, quippe bellicus.

4. *In genere ſemper malorum*] quæ quocumque loco, modo, tempore fiant, vitioſa ſunt, uti quibus fides violatur.

§. VII. *Actu negativo*] cum decipimur, quia fit, quod non expectabamus, quoniam qui facit, non oſtenderat ſe tale quid eſſe facturum.

Poſitivo] cum decipimur, quia fit ſecus atque prioribus vel dictis vel factis opinionem fecerat ſe facturum eſſe.

§. VIII. 1. *Si in rebus*] quoties aliud agimus, quam agere videmur.

In ſermone] quoties aliud dicimus, aliud agimus aut intendimus.

Citra hominum voluntatem] Boëthius de Interpr. p. 329. *Oratio eſt vox ſignificativa ſecundum placitum.* Idem de Syllog. categor. p. 481. *Ad placitum vero, quia nullum nomen aliquid per ſe ſignificat, ſed ad ponentis placitum. Illud enim unaquaque res dicitur, quod ei placuit, qui primus ei rei nomen impreſſit.*

Confuſa & ἄναρθρος] ut ejulatio, cachinnus, ructus, ſternutatio. Boëth. d. l. de Syll. *Sunt voces naturaliter ſignificantes: ut canum latratus iras canum ſignificat, & alia ejus quadam vox blandimenta: ſed non ſunt nomina quia non ſunt ad placitum ſignificantes, ſed natura.*

Rei] ſoni, quo potius factum quam dictum auditur.

Conceptus] cogitata.

Sed & nutibus] Quintil. 11. Inſtit. 3, 533. Non manus ſolum, ſed nutus etiam declarant noſtram voluntatem & in mutis pro ſermone ſunt, & ſalutatio frequenter ſine voce intelligitur atque afficit.

Sive illi nutus] ſunt geſticulatio exprimens & formans actionem motumve ſimilem illi, quem ſignificamus: ut Suetonius refert Datum Atellanarum hiſtrionem cantici cujuſdam illa verba, Vale pater, vale mater, ita demonſtraſſe, ut bibentem natantemque faceret, & exitum Claudii & Agrippinæ ſignificaret., Ner. 39. Item cum inclinatione capitis aſſentimus, quaſſatione negamus, Gellius 10, 3.

Ex inſtituto] more introducto & recepto. Ut in Senatu cum Sc. per diſceſſionem fieret, pedibus aut in ſententiam aut in alia omnia ibant in militia manum promittebant.

Nota illa qua non] ut litteræ copulatæ in ſyllabas.

Hieroglyphica] ſacerdotum Ægyptiorum, Tacit. 2. ann. 60. & 11, 14.

2. *Placuit ſine mutua*] ita ut ad id nemo cogatur, ſed poſſit id jure civili apud quoſdam populos reſtringi & abrogari.

Quod mutuam] ad quod ſervandum omnes tenentur, & qui non ſervant, pro nefariis & inteſtabilibus habentur.

Cum mutua obligatione] ut non debeat ea niſi uno & ſuo modo accipere.

Κατὰ συνθήκην] ex conſtituto ſigno omnibus communi.

Res alia non item] ut poſſis vel ſic, ut facit, qui eas voces, notas & geſtus edit, vel aliter accipere.

3. Προσεποιεῖτο] præ ſe ferebat.

Veritatis inſinuatio] quam ſcilicet ſperabat ſe conſecuturum converſando cum Judæis.

Panem in hoſticum] Flor, 1, 13.

4. *Quod hic ſequitur nocumentum*] ut hoſtes pelliciantur in inſidias, aut abducantur ab ejus loci tutela, cui inſidiamur.

5. *Singulorum arbitrio*] prout alius atque alius ſibi commodum putarunt.

§. IX. 1. *Notis qua in commercio*] de vocibus & illis ſignis quibus inſtituta hominum & longum tempus definitam & perpetuo eandem ſignificationem impoſuerunt.

2. *Sine reprehenſionis nota*] ne ob id quidem, quod mentiti fuiſſe videntur, reprehenſorum aut notatorum.

Inter doctos alternantem] contrariis ſententiis & argumentis vehementer agitatam.

3. *Quintiliano*] 12, 1, 557.

Communiter] plerumque, ut plurimum.

Sepoſitis circumſtantiis] extra caſus ſingulares, qui ſatis id excuſent.

De medico apud ægrotum] Celſus apud Origen. lib. 4. p. 171. Ἀπάτη δὲ καὶ ψεῦδος ἄλλως μὲν κακὰ, μόνως δ' ἂν ὡς ἐν φαρμάκου μοίρᾳ χρῷτό τις, ἢ πρὸς φίλους νοσοῦντας ἢ μεμηνότας ἰώμενος: ἢ πρὸς ἐχθροὺς κίνδυνον ἐκφυγεῖν προμηθούμενος.

4. *Non tam factis*] in quibus non tam opus ipſum quam intentio & finis operis vel laudem vel vituperationem meretur, Quintil. inſtit. 12, 1, 557. *Sic judicet pleraque eſſe, qua non tam factis quam cauſis eorum vel honeſta fiant vel turpia. Nam ſi hominem occidere ſæpe virtus, liberos necare nonnunquam pulcherrimum eſt;*

aſpe-

aſperiora quædam adhuc dictu, ſi communis utilitas exegerit, facile conceditur: ne hoc quidem nudum eſt intuendum, qualem cauſam vir bonus, ſed etiam quare & qua mente defendat.

§. X. 1. *Conceptus ſive intelligendo*] cogitationi vel quantum ad judicium & opinionem vel quantum ad voluntatem & conſilium.

Primo καὶ ἁμέσως] ſimpliciter & directe.

Mentis conceptus] quod cogitatur; quod ſentit animus.

Significationis ergo falſitas] diſſenſus cum mente.

Sermonis complexio] ſententia.

Non admitti mendacium] Mentis & orationis diſcordiam requirit mendacium ad fraudandum eum, cui de mente noſtra conſtare debet. Ergo ratio πολύσημος, etiamſi accepturus eſt eam ſecus, qui audit, ſi non peccat in honorem Dei, amorem proximi, reverentiam ſuperiorum, vacat crimine mendacii.

2. *Iniquam interrogationem*] ad quam ſi reſpondeamus ſimpliciter, aut nobis aut aliis innocentibus periculum immineat.

Phylarcharum] quaſi haberentur pro principibus tribuum.

Suſpenſa & quo ducerentur] paſſura talem interpretationem in hanc aut illam partem, qualem eis aptares. Adde exemplum elegans apud Plinium lib. 1. epiſt. 5.

3. *In contractibus diximus*] 2, 12, 9.

Κατὰ τὴν ἀγορὰν] in foro nemo mentitor.

§. XI. 1. *Præter repugnantiam*] quod adimat ei, qui audit, juſtam & debitam facultatem ſtatuendi & cognoſcendi de animo & propoſito ejus, quem audit.

Judicandi libertas] ut certior fiam de conſilio & voluntate alterius, & pro eo dicam agamve, quod mihi commodum videtur.

2. *Jus illud ſubſiſtat*] ut is talis ſit, qui de animo noſtro certior fieri omnino debeat: neque enim ſicario ſeſe quemquam prodere oportet.

Acceptilatione] ſi quis ſe accepiſſe, quod ei debebatur, debitori caverit, aut ſi non exiſtat conditio, ſub qua debeo.

Non alterius] tertii, qui forte auſcultat, aut verba inter alios facta clepit auribus, vel per indicem qualemcumque cognoſcit.

3. *Prædixerit ſe falſa*] Ut cum Ovidius 10. met. 302. *Deſit in hac mihi parte fides, nec credite factum.*

Alter permiſerit] Ut cum Auguſtus parricidii reum ſic interrogaret: Certe patrem tuum non occidiſti? Martial. 5, 1. *Tu tantum accipias: ego te legiſſe putabo, Et facilis falſa credulitate fruar.*

Oppoſitione juris] ſi ei, qui loquitur, jus eſt contrarium, per quod alterum poteſt ſententiæ ſuæ expertem habere.

§. XIII. 1. *Qui non decipitur*] qui quod ego dico intelligit, aut utcumque intelligat, nullam inde jacturam ſentit.

Ad verum mendacio venit] eo, quod non eſt, proferendo, vel adverſum vel maximum minimumve, quod eſt, ſignificat.

Quintiliano] 8, 6, 495.

Ejus qui obiter] tertii, ad quem non loquor.

Opinionem informat] falſum ſibi perſuadet.

Non ſermo] non expoſitio certæ rei, ſed ſonus forte accidens, quem interpretari tuo periculo poſſis: ſi male interpreteris, neminem præter temet ipſe accuſandum habeas.

1. *Procurari*] ſtrui, comparari. Licet enim hoſti & male velle & nocere.

§. XIV. 1. *Certum eſt eum*] non auſertur alicui facultas illa, ſed differtur bono ejus, atque is poſtea laudaturus eſt, quod ad tempus in capienda mente noſtra fruſtratus habitus fuerit.

2. *Quod bonum eſt, id vero eſt melius*] Potius ad tempus falſum credere, quod utile neque inhoneſtum eſt, quam verum ſcire, quod nocet.

Læſionem judicii] diſſimulationem, qua judicium alteri de ſententia noſtra eripitur.

§. XV. 1. *Jus ſupereminens*] poteſtatem, imperium, tutelam.

Bono ipſius] ad id quod ei utile eſt, ſive in ipſius perſona, ſive quatenus pars eſt corporis, cui utile eſt.

Plato, qui imperium] 3. De republ. p 611. Τοῖς ἄρχουσι δὴ τῆς πόλεως, εἴπερ τισὶν ἄλλοις, προσήκει ψεύδεσθαι, ἢ πολεμίων ἢ πολιτῶν ἕνεκα, ἐπ' ὠφελείας τῆς πόλεως. Τοῖς δὲ ἄλλοις πᾶσιν οὐχ ἁπτέον τοῦ τοιούτου.

Medicis modo dare] Εἰ γὰρ ὀρθῶς ἐλέγομεν ἄρτι καὶ τῷ ὄντι, θεοῖς μὲν ἄχρηστον ψεῦδος, ἀνθρώποις δὲ χρήσιμον, ὡς ἐν φαρμάκου εἴδει, δῆλον ὅτι τόγε τοιοῦτον ἰατροῖς δοτέον, ἰδιώταις δὲ οὐχ ἁπτέον. Hic certe non modo dat, modo adimit, medicis, ſed ἄρχουσι ſolis & medicis dat; ἰδιώταις, hoc eſt, ut ipſe ibidem loquitur, πᾶσιν ἄλλοις, *adimit.*

2. *Attribuere vellet*] Ita Cæſar fama hoſtilium copiarum perterritos milites non negando minuendove, Sed inſuper amplificando emententiendoque confirmabat, Suet. 66.

§. XVI. *Factum Hypermneſtræ*] quæ promiſerat patri ſe interfecturam patruelem maritum, quem ſervavit, Ovid. in epiſt. Heroid.

Splendide] glorioſe, cum laude.

§. XVII. 2. *In ſervis reprehendendum*] mendacium & furtum propria ſervorum vitia dicebant veteres, l. n. 20.

3. *Schola*] Theologis ſuperiorum ætatum, qui κατ' ἐξοχὴν Scholaſtici vocantur.

Falſiloquium admittere] loqui aliter ac ſentias mendacium non eſſe.

4. *Significatum primæ notionis*] quam domicilium proprium appellat Cicero 16. famil. 17.

Secunda] quas migrationes in alienum.

§. XVIII. *Aſſerentem ſermonem*] quo tantummodo aliquid pronuntiatur eſſe vel non eſſe; non etiam promittitur, aut adſtringitur.

Sine exceptione] nec prætextu, quod hoſti omnibus modis nocere liceat, irritum fieri.

§. XIX. *De jurejurando*] 2, 13.

Sive id aſſertivum] ſive confirmatur eo aliquid tanquam verum; ſive promittitur tanquam præſtandum.

Ut pueros talis] Lyſandri Laconis aut Philippi Macedonis. Æliao. 7, 12.

§. XX. 1. *Ob injuſtitia*] non quod illas nullo modo licitas putarent, ſed quod ſeſe indignas & inferiores.

Ælianum] 12, 59.

3. *Uſque ad belli Punici ſecundi*] Immo uſque ad initium tertii. Salluſt. lib. 1. hiſtor.

Perſeus Macedonum Rex] Liv. 42, 47.

Locum & tempus] palam hoſtibus denuntiabant, ubi & quando eos aggredi conſtituiſſent.

§. XXI. *Qui talis maneat*] qui patriam & civitatem non mutavit.

A D
C A P U T II.

§. I. 1. Q*Uæ ex jure deſcendunt*] quæ in bello licent, non quidem naturæ, ſed tamen gentium jure.

Tenetur, niſi qui] 2, 21, 19.

2. *Non qua ſinguli*] non ut quilibet unus ſuo nomine, ſed ut cœtus illius ſive uoiverſitatis commodorum & incommodorum participes.

Æs alienum profitebor] Poteſt intelligi, quum ſcilicet bona more Romano profiteor in cenſu: tom enim & debita profitebantur, ut eis detractis intelligeretur quid proprie quiſque in bonis haberet. Sed addit Seneca omiſſum Gr. *candidatus aut reus.* Quorum illi ſolebant hoc facere ut ſciretur eſſe bonos & locupletes eives, eenſu ſenatorio præditos: hi propter lites æſtimandas, ne major imponeretur mulcta, quam in damnatorum boois eſſet.

§. II. 1. *Sive per ſe primo*] ſive injuria ceſſet in proprii nominis debito, ſive in morandis ac deſtituendis privatis, ne ad jus ſuum perveniant.

Corporalia & incorporalia] vide tit. Inſtitutionum hac formula.

Bona imperantium] hæc enim rarius in alienum territorium & ſub alienam juriſdictionem veniunt, quam privatorum, qui negotiantur & pecuniam per varias terras exercent.

A ſe mutuo jus] oam cujus bona detinentur, is perſequi compellitur eivem ſuum, a quo injuria non vindicata cœpit in exterum, ut aut ab eo recipiat, quod amiſit, aut eum cogat externo ſatisfacere.

3. *Ad eam belli plenitudinem*] adverſus quem bellum nondum declaratum eſt, ſed tamen vi opus eſt, quia ſponte jus non reddit.

§. III. 1. Ἀνδροληψίαν] q. eſſet viricapionem. Sed Clarigationem Latini vocant, Liv. 8, 14. Vide Gail. de Pignorationibus. Buſium Subtil. jur. 1, 17. Salmaſ. de mod. uſur. cap. 13. p. 531. & p. 212.

Si quis] civis Athenienſis.

Obierit] in alieno ſolo ac territorio, aut etiam domi evadente aliquam aliam in urbem homicida.

Homines] ejus urbis cives, io qua Athenienſis injuria occiſus eſt, aut in qua tutum exſilium agit, qui occidit; ſi proximis ac neceſſariis in ea judicium redditum non eſt.

Qua obligantur] cujus officium eſt punire cives & incolas ſuos, qui damnum dederunt; niſi id faciat, obligatum atque adeo prehenſioni vel manus injectioni obnoxium eſſe.

In contrarium valuit] nempe ut qui non haberet in ære, lueret in corpore.

3. *At tertium*] licere ſuſcipere profugos.

Oratorie] Immo vere ac non oratorie Demoſthenes, nam jus gentium ſine diſcrimine commendat ſupplices recipi ac defeodi, dum incerta cauſa eſt, & tantiſper etiam noxios, donec judicium de illis factum eſt, 2. 21. 6.

Quibus fortuna] qui fortuito & imprudenter, non ſcelere ac conſilio occiderunt.

4. *Non recepit*] deditos ab iis, apud quos deliteſcunt.

§. V. 1. *Præſumptio eſt pro his*] ubi non eſt manifeſta injuſtitia, judices habentur pro bonis viris, ut judicatum pro veritate.

Non idem in exteros] noo tenet aut obnoxios habet ad eandem patientiam exteros, ad quam ſubjectos.

Etiam inter ſubditos non tollit] ut ſcilicet id ipſum, quod ſemel abjudicatum eſt, petere rurſus non poſſiot mutatis temporibus & apud alium judicem priore mortuo aut remoto.

Per injuriam] per injuſtam ſeoteotiam.

Rem quæ debitoris] rem alienam, quam debitoris eſſe putabat.

2. Ῥύσι] pignora agens.

Τὰ ἀντί τινῶν] quæ pro quibuſdam aguntur, id eſt, trahuntur & pro rebus raptis rapiuntur.

§. VI. *Alibi diximus*] 2, 15, 16. 2, 21, 11.

§. VII. 2. *Injuriam facientis*] ejus qui jus non reddidit aut injuriam fecit, ſiquidem habitant in ejus territorio, aut peregrioationis aliave de cauſa tempus aliquod dumtaxat ibi morati ſunt.

3. *Singulis pignorandi*] qoiſque injuriæ ſibi ab alieno magiſtratu factæ in ſubjectos ejus ultor eſſe poteſt.

A judicibus] ab inferioribus magiſtratibus.

4. *Non ſolvendo*] privatos reliquantes & per gratiam diſſimulatos & non compulſos ad ſolvendum.

Jus non reddendo] judices ipſos & magiſtratus.

Aliis] eivibus quorum bona preſaliarum nomine apprehenduntur.

A D

A D

C A P U T III.

§. I. 1. NOn ex cauſa] quod gerit gravibus & intolerandis cauſis laceſſitus.

Ex rerum geſtarum magnitudine] ut diſtinguatur a levi motu aut tumultuario conflictu latrunculorumve perſecutione.

Ob peculiares]quo quod motibus gentium in hoſtem factum aut de illo acquiſitum eſt, id jure factum & jure acquiſitum putatur.

Poſtliminium] quo qui ſervus aut alieni juris fuit, redit in priſtinum ſtatum. Non reſtituitur autem, qui non mutaſſe ſtatum creditur, uti qui non fuit in poteſtate juſti hoſtis.

Non tamen in exitium] non ut is populus non ſit, aut ut in alienigenæ poteſtatem veniat & tributarius fiat; ſed utra factio in republica ſalva priores partes ferat.

Repetere a principe] petere ut reſtituantur in ingenuorum & civium locum, nec habeantur pro libertinis.

2. *Sub exemplo P. R.*] quod Romani JC. dixerunt de populo vel principe Romano, id nobis accipiendum de omni populo vel principe, qui rerum potitur.

Ille hoſtis eſt] Hinc Florus 3, 20. *Pudet dicere hoſtes.*

Rationem aliquam] qui talis ſit vel ejus generis, quicum pax & fœdus eſſe poſſit.

§. II. 1. *Etiam communiter*] conſenſu omnium, vel omnium, qui ſunt cum imperio.

Forte æqualitatem] ut Bardylis Illyrius latro, Cic. 2. de Offic. 11.

Criminis cauſa] ut alienas res invadant.

Juris fruendi] ut honeſte vivant, neminem lædant, ſuum cuique tribuant.

Multos apud populos] magis vel minus efferatos ac deſciſcentes a communi naturæ inſtinctu in oblivionem veniſſe.

Boum aratorum] qui aluntur ad rus colendum; non qui ſaginantur ad macellum aut penum.

2. *Principale*] quod prævalet in natura & ſubſtantia rei.

Ἀπὸ τῦ πλεονεκτῦντος] Ab eo quod ſuperat in mixtura, fiunt appellationes.

Ὀνομαζόμενα] appellata a potiore.

Crude] Immo Latine: ſed tu crude reprehendis. Vide ad Senecam de Tranq. an. c. 10.

Quajus gentium] cum obſervatur, quod apud omnes gentes receptum eſt, etſi jus civile merſerit tyrannis.

Si quis nimium] ſi ſupra modum efferatur vis paucorum aut populi.

3. *Triumphus fuit*] a U. C. 525. Cn. Fulvii Centumali, qui præcedente anno claſſe illos vicerat.

Pompejo de piratis] Non mirum, nam hi erant veri piratæ, colluvies hominum exſulum & perditorum. Illyrii exercebant quidem & piraticam, ſed pro captu ſuo juſtum imperium & regem, tum reginam Teutam, filii tutricem habebant. Et tamen triumphavit tum & Pompejus: ſed ei triumpho nobilius nomen dedit a Mithridate, de quo ſimul triumphavit. Titulus triumphi eſt apud Plin. 7. 26. Et de iiſdem antea triumphaverat P. Servilius Iſauricus teſtibus Cicerone, Valerio Max. Aſco. Pediano, Claudiano, Sex. Rufo. V. Sigonii Faſtos a. 676. Rectius dixiſſet de Euno P. Rupilium, M. Aquilium de Athenione ſervorum ducibus, de Spartaco & gladiatoribus Craſſum non triumphaſſe: etſi res maximæ molis fuerint, Craſſus tamen ovans urbem introiit.

§. III. *Arſaces*] Juſtin. 41. 4.

Viriatus] Juſtin. 44. 2. Flor. 2. 17

§. IV. *Pro parte habeant*] pro parte aliorum vaſalli.

§. V. *Publice decretum*] vel a populo comitiis, vel ab Ordinibus ſeu Optimatium ſenatu, vel a Principe & conſilio ejus.

§. VI. 1. *Rei ſua*] quam alius abſtulit, quam detinet.

2. *Secundarium &c.*] cap. præced. 2.

Impetatur] bello laceſſatur ob id, quod ſubjectus ejus nobis vel ſubjectis noſtris debet, aut quod in nos ſubjectoſque noſtros deliquit.

Illum in culpa] ut ſiquidem ad hanc ille non amice reſponderit, conſtet omnibus illius eſſe culpam, non noſtram.

3. *Illa*] ad quam Cananæos invitare jubentur Iſraëlitæ.

§. VII. 1. *Ubi eum rerum*] quæ bellum minatur, niſi res reſtituantur, aut ſatisfiat pro injuriis.

Vindicationem] adſertionem & reſtitutionem rei ablatæ.

Perſecutionem] exactionem pœnæ vel mulctæ vel ejus quod intereſt.

Ut alibi diximus] 2. 1. 2. & 2. 21. 4.

Clarigationem Plinius] lib. 22. 2. clarigatum, i. res raptas clare repetitum. Servius ad 10. Æneid. 14. *Clarigationem exercere*, hoc eſt, per feciales bella indicere.

Polybius] lib. 4. cap. 53. Idem in Excerp. Legat. 123. ᾐτοῦντο ῥύσια τοὺς Ἀχαιοὺς οἱ Δήλιοι κατὰ τῶν Ἀθηναίων.

2. *Hoc autem caſu*] quum bellum jam alter intulit, aut ea in nos deliquit, quæ jus dant pœnas exigendi.

Præſidium] locum munitum aut armis poſſeſſum ab eo, quicum res nobis futura eſt.

Emere dicis cauſa] per æs & libram, ut in emancipationibus & venditionibus imaginariis. Suetonius Octav. 64. *Dicis cauſa*, ut Nepos Attic. 25. 8. Ant. Auguſtin. Emen. 2. 1. Cujacius. 5. Obſ. 33.

Jubebatur] ut a Græco κηρυκεῖον.

Servius ad nonum Æneidos] v. 52.

§ VIII. *Caduceus*] baculus ſive ſceptrum quod ferebat fecialis ſive legatus bellum indicens (unde & caduceator vocatur) argumento ſe venire ab illo, qui ſceptuchus eſt ſive ſummum habet imperium. Eo & Mercurium Deorum nuntium ornabant. Inſtar hujus in Fulvianis num mis familiæ Antoniæ tab. 7. in Antverp. Cæſarum tab. 2. n. 18.

Sagmina] Liv. 7. 24. ubi & verbenas & graminis herbam puram appellat. Idem. 30. 43. Plin. 22. 2. & 25. 9.

Sanguinea] non quæ infecta eſſet cruore, ſed ex arbore Sanguinea, quæ ſuo ingenio erat ejus coloris, unde nomen accepit, Liv. 1. 32. Plin. 16. 18. & 37. Idem 23. 10. l. 9. D. ad l. Pompejam de parric. Macrob. 2. Satur. 16.

XXX *Dies*] Liv. 1. 23. Macrob. 1 Satur. 16. *ſi forſan interea permoverentur ad ſatisfaciendum ſine bello, ut in jure privato æris confeſſi æriſque debiti judicatis poſt ſententiam* XXX *dies dabantur juſti ex* L. XII. *tabb.* Gellius 20. 1.

Haſta miſſio] Juſtin. 11. 5. *Cum delatus in continentem eſſet, primus Alexander jaculum velut in hoſtilem terram jecit*, cap. ſeq. n. 1.

§. XI. *Ætolis ultro ſibi bellum*] cum Romanis.

§ X. *Impetendi ſint*] qui ſcilicet in nova pacificatione comprehenſi non ſunt.

Novus P. R. juſſus] Lex ſive rogatio comitiis centuriatis perlata, & inde denuntiatio per feciales.

§. XI. *Prælii diem & locum*] ut Marius cum Cimbris, Flor. 8. 3.

Privato auſu] paucorum vel ducis ipſius cum ſua factione.

§. XII. *Bellis talibus*] adverſus prædones, fugitivos, gladiatores aut civilibus.

Ex una parte] cum prædonibus ex parte civitatis aut juſti populi: in civilibus ex victrici parte. Suet. Veſp. 10. 5.

§. XIII. *Indictum eſt*] quaſi neceſſe ſit, triginta dies juſtos interponi, quemadmodum apud Romanos.

Nullum poſt ſe tempus] quod bello vacuum eſſe oporteat.

AD

CAPUT IV.

§. I. J*Aciebat haſtam*] cap. præced. n. 8.

Lædere] quocumque damno, vexatione, vaſtatione, injuria, incendio offendere.

Satisfacere] quocumque modo placare & gratiam reſarcire, licet ipſæ res proprie non redderentur.

§. II. 1. *Cœlebs caſtitas*] ſi quis habeat continentiæ donum.

Quibus circumſtantiis] Neque enim ſimpliciter hoc licet, ſed ſi veri Dei cultus omnino impediatur.

Vinum licet effundere] ſi ad diem dictum id non curet aſportari emptor, ut ſcilicet ſuis vaſis ad alia utatur.

2. *Scortari licet*] ubi lupanaria permiſſa ſunt.

Debitoris corpus] Gellius 20. 1.

Quod ita ſe geſſit] quod evexit ſe ſupra leges armata tyrannide occupata, Flor. 3. 21.

Quantum liceat] quod poſſitis impune facere pro poteſtate.

3. *Pro Milone*] cap. 16. quod aut per naturam fas eſſet, aut per leges liceret.

Aliud jura, aliud juſtitiam] tanquam plus ſit in juſtitia, quam in jure.

§. IV. *Pronuntiare*] judicem ſe facere, utrius ſit juſtior cauſa.

Religioni bellantium] conſcientiæ.

Impunitatis] ut plecti nemo poſſit ob ea, quæ in bello, ut fit, adverſus hoſtem patraverit.

Dominii] ut bello partorum, quæcumque fuerit ejus belli cauſa, juſti domini ſimus.

§. V. 1. *Purus profecto*] non pollutus homicidio.

Jus belli vocatur] Haſdrubalis uxor ad Scipionem apud Appianum Σοὶ μὲν ὦ νέμεσις ἐκ θεῶν, ὦ Ῥωμαῖε ἐπὶ γὰρ πολεμίαν ἐςράτευσας.

Omnes occidiſſemus] periiſſemus, occidi juſte potuiſſemus.

2. *Actum culpa omni*] quo quod actum eſt, probum & pium ſit, nec reum peccati apud Deum faciat.

Qualem dixi impunitatem] ut ob id, quod in bello moribus geſſit, etſi durum ſit, condemnari aut in jus vocari nequeat.

Tacitus hiſt. III.] 51.

Eam cædem] fratris in diverſa parte militantis.

Paludati fecerunt] Imperatores belli: nam apud Romanos ejus, cui ſumma belli commiſſa eſſet, veſtitus militaris erat paludamentum, ſive palliolum coccineum: quod religioſe atque inter vota in Capitolio ſumebant: & inde ſtatim ad portam profecti exiiſſe paludati dicebantur, Liv. 2. 61.

Non innocentia] non quod mihi male feceris, ſed quod feceris multos & cum multis.

Jura peccatis] quibus adverſari & pœnas irrogare debebant.

Juſque datum] belli nomine permiſſum occidere cives, amicos, propinquos.

§. VI. *Ab illis quoque damnum*] utpote quibus interpretemur facultatem datam nos lædendi, qui metus in bello toti genti & omnibus ejus hominibus indicto ſufficit ad producendum illud jus.

Pignorationibus] repreſſaliis 3. 2. 7. his enim in complures, quamvis victitent & deprehendantur,

Digitized by Google

dantur inter eos, quorum juſta elarigatio vel prehenſio eſt, uti non licet; & in quos licet, tantum ad ſummam debiti libet.

Commiſſa cognitaque bello] Videotur enim ſe immiſcuiſſe & cauſam illam probaſſe.

§. VIII. 1. *Ex cauſa permanente*] Qui domicilium habent in hoſtico & jus civitatis.

2. *In territorio pacato*] ejus qui cum neutra parte bellum habet.

Perſonarum ſpectantur merita] Singulorum vel privatorum & probitas & gravitas, non gentium vel populorum.

Jus iſtud promiſcuum] ſine diſcrimine, noxii ſint etiam ex ſua perſona an innoxii.

Ejus ditionis cui] eorum finium, quibus vel portu qui eſſet in ditioue Syphacis Maſæſulorum regis.

§. IX. 1. *Dei iſta ſunt opera*] Hoc non ſecerunt Hebræi ex jure gentium, ſed ex Dei ſingulari mandato qui devotos illos populos volebat extingui: itaque noo poſſumus inde in alios populos exemplum petere.

Babylon orum] nam hi non erant in numero devotorum populorum.

§. X. 1. *Oporteret*] q. d. cum commeruiſſent, ut occidi recte poſſent.

2, *Tempore illo*] quaſi cum in primo furore occiſi non eſſent, poſtea occidi noo poſſent.

§. XI. *Supplicum*] qui ſe ultro poſitis armis dediderunt, & veniam petiverunt

Græci, qui Perſæ militabant] non impetraverunt veniam ab Alexandro, ſed interfecti ſunt.

§. XII. *Sine conditione ulla*] ſine pacto ſalutis.

Decimari] decimum quemque ſorte ad ſupplicium duci.

§. XIII. 1. *Ad talionem*] quaſi non parcatur illis, quia ipſi antea nemini hoſtium pepercerunt.

Ad pertinaciam] quod tam diu repugnando tempus miſericordiæ coofumſeriot.

Suaſoria magis quam] non tam purgant quam impellunt & ſtimulant ſeveritatem.

2. *Supplicio dignum*] cum ſit argumentum fidei.

A natura aſſignata] quoties pugnavimus pro populo aut principe, ſub quo nati ſumus, aut cui juſtas ob cauſas obhæſimus.

Præſidio deceſſerit] Liv. 24. 37.

Ob utilitatem] non ob culpam ejus, in quem crudeliter conſulitur.

Rigor ille] illa ſeveritas.

§. XIV. *Obſides*] ſi cum dati eſſent fidei & amicitiæ pignus, reſpectu illorum non ceſſavit hoſtis fieri, qui dedit.

Se obligaverant] qui ſponte vitam oppignoraverant pro fide ſuorum.

§. XV. 1. *Eo permittendi modo*] nempe, ut impone fiant, neque ex factis perſecutio detur.

Sui defendendi] ut ſit non tantum in acie ac conflictu, ſed propemodum in omni parte belli, modo ne quis ſibi deſit ipſe. Sic Alexander ajebat ſe didiciſſe adverſus vires hoſtium, non adverſus calamitates cootendere, Juſt. 11. 12.

Non debetur] occidi poteſt etiam indefenſus, etiam quieſcens & dormiens.

Ne pericula] ut aliquis modus eſſet diſcriminum, quum ſufficeret, quod gladiis & telis corpora exponunt & objiciunt pugnantes.

Ut ex Vegetio Baldus] Verba Baldi: *Et licet hoſtem veneno occidere, ſicut docet Vegetius de re militari.*

§. XVI. 1. *Geminare mortis*] Juſtin. 12. 20. *ſagittas veneno armant, atque ita gemina mortis vulnere hoſtem ſummovent.*

2. *Quod ipſum quoque*] etſi vix clandeſtina ſit iſta peſtis, aut certe non diu ſit, ſed mox deprehendi & caveri poſſit ex paucorum caſu.

Alibi quoque] 2. 19. 1.

Ad minuenda pericula] qui vitam ferro ſub armis cernebant, id ſatis humanæ fragilitati putaſſe & excepiſſe quædam genera periculorum conſenſu mutuo, quibus alium ab alio infeſtari fas non eſſet.

§. XVII. *Avertatur flumen*] foſſis ductis alio derivetur.

Venæ intercipiantur] ut Marius Saturnini factionem, quæ Capitolium tenebat, abruptis fiſtulis aquæductus ad deditionem compulit, Flor. 3. 16.

§. XVIII. 1. *Seniorem*] dominum feudi, 2. 3. 14.

An vero nulla teneantur fide] voluit dicere: & inter eos, qui nulla tenentur fide.

2. *Petilium Cerialem*] Veſpaſiani cognatum.

3. *In hoſtem quidvis licet*] vel tantum occidere, vel poſt diros cruciatus occidere.

Utilitate] Ducit autem utile ſibi, quum ægre poſſit ſibi cavere ab hac obrepentium audacia, magnitudine ſupplicii abſterrere homines ne quis id conetur.

Licentia illa] non illa quidem juſtitia, quæ apud Deum valet, ſed illa, quæ apud homines.

4. *Quorum facto perfidia*] qui ſubornaotur adverſus eos, quibus fidem, obſequium, honorem, gratiam debent, 3, 1. 21.

Malorum opera] 2. 26. 5.

Intra jus interficiendi] animis illorum ira & manibus utendi, ſine perfidia.

Qui aliena utitur] percuſſorem immittit adverſus eum, cui percuſſor ipſe ſacramento obſtrictus eſt.

Licitamini] mercede addictis: pecuniam promittitis ei, qui occiſurus eſt hoſtem veſtrum.

5. *Ut ipſe in ſe*] ut aliis oſtendat viam inevitabilem in ſe graſſandi, qua ipſe in alios uſus fuit.

Regum omnium] quia omnibus idem metueodum.

6. *Extra vero bellum*] quum perſecutio eſt defectoris, rebellis, latronis, quo jure excuſavit rex Hiſpaniæ, quod in Guilhelmi Auriaci caput præmium ſtatuerat, tanquam ſubjecti rebellantis. Sic & Athenienſes, quod XXX. tyrannos ad colloquium progreſſos, ut victimas pacis trucidarunt, Juſt. 5. 10.

§. XIX. 1. *Et permiſſa*] apud alios conceſſa, apud alios vetita.

In alienum corpus] Ut apud Statium Lycurgus 5. Theba. 696. *Si vilem, tantis premerent cum pectora, luctus, In famulam jus eſſe ratus dominoque ducique.*

Non ſolam injuriam] non quæ paterentur perſonæ, ſed quid fieret & qua ex cauſa, nempe opus fœdæ voluptatis ex flagrante libidinibus & incontinentia animo.

Quod is neque ad ſecuritatem] quod neque hoſtium quidquam demitur violatis mulieribus, neque additur ſalvis, Juſtin. 39. 3.

Neque ad pœnam] quia non eſt hoc ita comparatum, ut pro pœna poſſit haberi. Vera enim & juſta pœna eſt, quam qui ſumit, ſumendo non peccat, neque ipſe quid committit flagitii. At qui matronarum & virginum pudorem violat, rem facit per ſe damnatam & improbam.

AD CAPUT V.

§. I. N*On eſſe contra*] Nam non debet, cui plus licet, quod minus eſt, non licere, l. 21. D. de Reg. 1.

Sata exuri] frumenta in agris matura incendi.

§. II. 1. *Repoſita officiorum*] ſi a jure gentium diſtinguantur, quæ tantum honeſta ſunt, non etiam debita.

Omnia deſinunt] Seneca Troad. 53. *& quondam ſacrum Regni jacentis.*

Non eripiuntur humanis] ſecernuntur quidem a commercio & poſſeſſione promiſcuoque & profano attactu privatorum; manent tamen in uſu hominum & habentur curanturque inter ea quæ ſunt univerſitatis vel populi cujuſque. Poteſt & alia dari cauſa ex ſuperſtitione veterum. Credebant enim templa & aras & ſimulacra urbium captarum a diis eſſe deſerta. Unde Virgil. 2. Æneid. 351. *Exceſſere omnes adytis ariſque relictis Dii, quibus imperium hoc ſteterat.* Et Curtius refert in obſidione Tyri civium cuidam quietem Apollinis urbem deſerentis ſpeciem oblatam. Quum Titus Hieroſolyma obſideret, auditam majorem humana vocem, excedere Deos, ſimul ingentem motum excedentium, e Joſepho Tacitus tradit 5. Hiſtor. 13. Hinc apud Statium Bacchus Thebis ſuis metuens in concilio Deorum ait 7. Thebaid. 18. *quo ſacra tamen rituſque perempta Gentis abire jubes?* Quod ut certius fieret, Romani carmine ſolenni ex obſeſſis ab ſe urbibus Deos evocabant, & Romæ illis ædem promittebant, ut notat Servius ad d. l. Exemplum apud Liv. 5. 21. Adde Diodor. Sic. 13. 59. Plutarch. in Antonio. p. 951.

Ex Livio] lib. 7. 31. & 26. 23.

2. *In ſacris ait*] quod in rebus divinis fas eſt & rite fit, id partem eſſe publici juris, quamvis interdum diſtinguantur. Auſonius: *Jus triplex, tabulæ quod ter ſanxere quaterna.*

3. *Dona conflamus*] Florus. 2. 6. *Arma non erant: detracta ſunt templis.*

Cæſar] cap. 51. bell. Catil.

4. *Sibi accipere*] ſervare, non venerationis cauſa, ſed quaſi aliquod monumentum.

Romanis] ut crederent Romani non adeo deteſtabiles ipſorum deos eſſe Judæis, quam revera erant.

Illis obloqui] maledicere.

Ignem] Bulenger. Eclo. ad Arnob. cap. 5.

5. *Pudore & obtrectatorum*] ne famam, quam habebat, innocentiæ vel abſtinentiæ læderet, atque invidis anſam daret hoc nomine ſibi obtrectandi aut inſultandi.

§. III. *Religioſis*] in quæ mortui inferuntur.

Sive populi] ubi polyandria vel publica cœmeteria ſunt.

Sive familiæ] ut olim apud Romanos, qui quiſque in agris privatis ſibi & ſuis locum ſepulturæ ſecernebant.

§. IV. *Aliena perfidia incitationem*] præmia poſita illis, qui res hoſtium, quamvis perfide, intercipiunt, & ad nos aut in noſtros fines deferunt.

Ad minora ita connivere] nam ad majora, veluti vitæ licitationem, non connivit, cap. præced. n. 18.

Meretricium] Sueton. Calig. 40. qui meretricium feciſſent.

AD CAPUT VI.

§. I. 1. B*Ello juſto*] in quo juſtam cauſam habemus.

Quæ aut paria] quæ aut tanti ſunt, quanti æſtimandum eſt, quod nobis ab hoſtibus debetur & reddere per pacem noluerunt, non ultra; aut quibus acceptis tantum illis damni doloriſque datur, quantum illi nobis dederunt, cum aliquo additamento pœnæ nomine, 2. 20. 32.

Apollini] Exemplum eſt apud Livium, 5. 21. & 23.

Herculi] Juſtin. 18. 7.

Jovi Feretrio decimam] non decimam Jovi Feretrio, ſed ſpolia opima, hoc eſt, quæ dux duci hoſtium ab ſeſe interfecto manu ſua detraxiſſet, conſecrare ſolebant, Florus 1. 1. & 12. item 2. 4.

2. *Na-*

2. *Naturales terminos*] quum non ultra debitum nobis & accedentem pœnam condignam extenditur.

3. *Secundis ominibus proſequens*] Sueton. Oct. 57.

Pretium dixit muneri] donum ornavit verbis, ut loquitur Terentius.

Diras] exſecrationes deteſtationeſque illorum qui legem violarent.

§. II. 1. *Tamen*] tantum.

Quivis in bello ſolenni] ſive inferat bellum ſive arceat, ſive jure ſive injuria: modo belli gerendi facultatem habeat, ut populus liber vel rex; & id bellum ſit indictum.

Sine fine modoque] non tantum, quatenus ei debetur, & quatenus damnum fecit.

Qui ab eo titulum] qui ſub ejus auſpiciis militarunt, aut ejus dono aut commercio de præda partes acceperunt, non poſſint, vel domi, vel uſquam gentium, tanquam malæ fidei poſſeſſore conveniri, aut res ab eis vindicari.

Dominium quoad] nam dominii effectus in duobus fere conſiſtit, ut liceat rem perſequi & ſibi aſſerere; tum, ut liceat de re pro arbitrio ſtatuere, Bachov. ad Inſt. de Action. §. 2.

Πολεμικὴν] bellicam.

Ληϊστικὴν] piraticam aut prædaticiam.

Ἀγωνιστικὴν] certando paratam.

Χειρωτικὴν] manuariam vel manubialem.

Interrogando] ut ſolebat, cum ſimularet ſe nihil ſcire & doceri quæ doceret, percontando e diſcipulis elicere, quod eos docere volebat.

2. *Ut hoſtibus bona*] ut hoſtes ſint opulenti & ignavi.

Τὰ τῶν ἡττωμένων] Superatorum in pugnis bona vincentibus præmia ſunt.

3. *Vacuorum*] quæ dominum non habebant.

4. *Non cauſa aliqua*] titulus ex iis, qui jure civili probantur, ut occupatio, mancipatio, traditio, inventio & ſimiles, ſed ſola apprehenſio vel manus injectio, & poſſeſſio.

5. *Cauſa, ut a*] Videtur omiſſum: ſeſe vel Lacedæmoniis.

§. III. 1. *Ut recuperandi*] ut qui antehac poſſedit, credatur eam pro perdita habere, judicetque ſe fruſtra operam ejus repetendæ ac reprehendendæ ſumpturum.

Præſidia hoſtium] caſtra vel loca munita, quo accedere prior poſſeſſor non audeat.

2. *Conditione continuanda*] ſi tam diu tenuerit, donec perduxerit intra præſidia.

§. IV. 1. *Ab eo interim*] dum illam caſtris vel caſtellis & ſtationibus occupatam habet.

Sed firma] ſtabilis, manens, duratura.

2. *Pomponii*] l. 239. §. 8. D. de V. S.

Terrendi jure quod habent] Hoc ſolum eſt verum ἔτυμον. Addit enim, id eſt *ſubmovendi.* Nimirum moribus Rom. euſque patebat territorium, quouſque fas erat magiſtratibus incedere ſubmoto. Et autem incedere ſummoto ire præeuntibus lictoribus, qui viam faciant & turbam ſummoveant, Liv. 2., 4. 28.27. Hoc autem non licere ſibi judicabant in terris alienæ ditionis, ut apparet ex Cæſare lib. 3. de Civili. cap. 106. Tacit. 2. annal. 53. Sueton. Calig. 3.

§. V. *Ut produci*] per interpretationem largius porrigi quam proxima ratio permittit.

§. VI. *Ut præſumptionem*] ut intelligamus eſſe credibile, atque ut plurimum ita ſeſe habere, immo & credi ac pro vero accipi, niſi contrarium probetur.

§. VII. 1. *Diminio externo*] quantum apparet atque oculis judicari poteſt ex præſenti poſſeſſione.

2. *In nos ipſos ea*] ut nos illis privemus & mulctemus, quemadmodum victos hoſtes conſulere ſolemus.

A diis] nam victrix cauſa deis placuiſſe videtur.

§. VIII. *Auctoritati credatur*] multitudini doctorum & communi opinioni.

Res nullius] vacuæ, domino carentes: quaſi jam non ſit, quem tollere & occidere licet.

§. IX. 1. *Per alios*] quos in poteſtate aut ſub imperio aut quorum conductam operam habent.

Animo utique] non niſi noſtro.

In Olympiis] Sic Alexandrum Mac. Amyntæ F. Olympio certamine vario ludicrorum genere contendiſſe ait Juſtinus 7. 2. puta per aurigas, athletas, pugiles, &c. ſuo ſumtu doctos & exercitos, Plin 21. 3. Namque ad certamen in circum per ludos & ipſi deſcendebant & ſervos ſuos quiſque mittebant. Inde illa lex XII. tabb. *Qui coronam parit ipſe pecuniave ejus, virtutis ſua ergo duitor ei.*

Alibi] 1. 5. 3.

2. *Liberas & ſerviles*] tanquam per ſervum noſtrum aut eum, qui eſt in poteſtate noſtra, acquiramus; per liberos homines, quos neque in poteſtate, neque bona fide ſervientes habemus, non acquiramus, §. 6. Inſtit. Per quaſ. perſ.

§. X *Vero publicos*] qui fiunt juſſu imperantium & in uſum publicum.

Privatos] quos regentium injuſſu permiſſa licentia milites exercent.

Seleuci] Nicatoris abavi ſui.

Seluci bellum] adverſus Antigonum Coclitem.

§. XI. 1. *Publicatus ager*] fit populi vel principis, cujus nomine bellum geritur.

Stricto accepto] pro re manubiali, quæ fit proprie capientis aut capientium.

2. *Aut locandos*] ut eos ad ſtatum tempus per magiſtratus redemtoribus pro decimis exercendos concederent.

Diſtraxerunt] vendiderunt.

Aſſignarunt colonis] pauperibus civibus aut veteranis militibus æquali numero jugerum attribuerunt.

Vectigales] emphyteuticarios in perpetuum aut longum tempus certa penſione permittendo.

Conſecratos] Sueton. Jul. 20. Campum Stellatem majoribus conſecratum.

§. XII. 1. *Se moventes*] jumenta, greges, armenta & quævis animalia.

In hominibus obſervabatur] ut eos capere cuivis & ſervos facere liceret.

Suo fato] per infelicitatem ſuam Liv. 9. 18. Deſ. Heraldus legit *ſues factos* 1. Emend. & Obſ. 36. p. 115. Cl. Salmaſius *ſues factos* ad Jus Attic. c. 26.

Merito] Metelli hoc carmine læſi reſponderunt: *Dabunt malum Metelli Navio poetæ.* Terent. Maurus de metris p. 1439. Et vero dederunt: effecerunt enim, ut in Tullianum conjiceretur, Plaut. Mil 2. 2. 56. Gell. 3. 3.

2. *In procinctu*] in agmine, vel ſub duce, in expeditione.

Non ut miniſtri] ſed ut ſe circumſpicientes, quemadmodum loquitur Auctor Africani belli cap. 47. *quæſtibus militiæ ſervientes.*

§. XIII. *Ante omnem*] & valeat, ubi nihil diverſum de eo civitas conſtituit.

Dominium ſingulorum antevertere] in publicum vindicando res prohibere.

Feris & avibus] ubi venationem & aucupium jure veteri gentium & naturæ omnibus conceſſum reſervarunt ſibi principes aut nobiles. Sic ſalis vendendi arbitrium aliquando privatis ademtum Romæ, Liv. 2. 9.

§. XIV. 1. *Actu bellico*] ut in acie aut expugnatione urbis.

Perſonam ſuſtinent] non pro ſeſe agunt, ſed pro corpore civitatis. Hinc eſt ut privati cum militibus tamquam diverſi componantur interdum, V. ad Sen. de vita beat. cap. 2.

2. *Neque me tecum*] nam tu accepturus majorem, utpote Imperator ſummus.

Præcipiat] præcipua vel eximia auferat, antequam reliquum prædæ diſtribuatur, ut legatum per præceptionem in jure.

Virgilius] 9. 298.

3. *In captura ſola*] non competiiſſe uno eo nomine, quod quis ipſe cepiſſet.

§ XV. *Actus ſui rationem*] acta illorum non valerent, niſi populus vel per ſe vel per ſenatum ea rata habuiſſet.

Ab omni ſuſpicione] vel avaritiæ vel inæqualis favoris.

§. XVI. 1. *Sub haſta venumdari*] publica auctione in parte caſtrorum, quæ Quintana vocabatur Suet. Ner. 26. Lipſ. de mil. dial. 3. *vel juſti vel exiſtimationis gratiave civium cupidi erant.*

Si res triumphi] ſi res bello geſtæ eſſent tantæ ut triumphum mererentur.

Quæſtores, id eſt, populum] nam quæſtores procurabant rem & ærarium populi.

De quæſtoribus] vendentibus eos quæſtoribus.

§. XVII. 1. *Ambitioſum*] eſſe gratificari militi contra diſciplinam & dignitatem, aut pravæ indulgentiæ opus.

Aut ratione ſtipendiorum] aut pro ſtipendiis aut ſuper ſtipendia pro meritis.

Stipendiorum ratione] immo ipſum ſtipendium militi ex pecunia prædaticia numerandi auctor erat, ut eo minus tributi plebs conferret.

Alteram aut] Aliquando de ſingulis manipulis certum numerum pro magnitudine urbis expugnatæ, aliquando per cohortes ſive manipulos diviſo exercitu omni partem alteram.

Mitti] per urbem & domos.

Solitam] ita ut pars altera & plerumque major in armis partim in caſtris, partim per urbis patentia & munitā loca diſpoſita eſſet ad omnes caſus præveniendos.

In caſtra] vel forum aut ſpatioſum locum urbis.

2. *A Poſthumio*] Poſtumo Cominio, Liv. 2. 33.

3. *Excipiam ſorti*] non patiar in ſortem venire & tibi præcipuum dabo.

Rex Tullius] Immo Tarquinius Priſcus; fuit enim Ser. Tullii mater.

Manubiarum nomine] Verba Aſconii: *Spolia quæſita de vivo hoſte nobili per deditionem manubias veteres dicebant: & erat Imperatorum præda, ex qua, quod vellent, ſumerent.* Puto quemadmodum imperatorum erat exercitus, erat provincia, erat bellum: quæ quoties dicuntur, non excludunt jus populi. Sic & manubiæ dicuntur imperatorum, non quod pars ipſis cedens proprie hoc vocabulo ſignificetur: ſed quod illorum plerumque arbitrii eſſet, vellentne in ærarium deferre, an militi diſtribuere. Poteſt & alluſiſſe videri ad illud *Ex manubiis:* Sueton. Jul. 26. Gell. 13. 24. quod non efficit, quo minus &, quod privati nanciſcuntur inde, *manubiæ* dicantur.

4. *Modice delibarunt*] exiguam de illa ſibi partem ceperunt.

5. *Abſentium*] de eodem exercitu.

Minuciani] quem ille obſeſſum ab hoſtibus liberaverat & hanc pœnam ferre juſſit infelicis militiæ.

6. *Magiſtros militum*] a Conſtantino M. inſtitutos.

A geſtorum inſinuatione] excipiuntur, ne de illis referre neceſſe ſit ad imperatorem inter cæteras res de bello geſtas. Sic Ti. corripuit conſulares exercitibus præpoſitos, quod de tribuendis quibuſdam militaribus donis ad ſe referrent, tanquam non omnium tribuendorum ipſi jus haberent, Suet. 32.

§. XVIII. 1. *Cujus prædæ ſectio*] quæ præda per quæſtores auctioni ſubjecta non ſit. Cæſar 2. Gall. 33. *ſectionem ejus oppidi univerſam Cæſar vendidit*, Juſtin. 38. 7. Flor. 2. 3.

2. *Ut qui ſegnior ſit prædetur*] Verba Livii 5. 20. in libris antiquis ſic leguntur: *ut ſegnior ſit prædator ut quiſque laboris periculique præcipuam petere partem ſoleat.* In quibus hæſerunt propter duplicem uſum particulæ *Ut.* Senſus, uti, prout quiſque ſoleat præcipuam laboris & periculi partem petere, is in prædando ſit ſegnior. Sic lib. 3. 50. *ut quiſque occurrerat, plebem adhortantes.* Eodem cap. 53. *tunc ut quæque cauſa erit, ſtatuetis.*

Ἐν τῇ ἁρπαγῇ] in direptione ſat ſcio ignavos majorem partem laturos.

Mul-

Multiplex] amplius, cumulatius.

3. *Tribunis*] militum conſulari poteſtate.

Imperium quam conſilium] id imperari non potuit, facultate & arbitrio ea de re conſultandi erepto per feſtinationem militum, qui prædam jam invaſerant, nec niſi cum maximo odio & criminatione ducum erant reddituri.

§. XIX. *Ludos quoque*] Scenicos, Circenſes, Amphitheatrales vel gladiatorios, qui erant voluptas populi, honos deorum, divitum ambitio.

§. XX. 1. *Urbem & agros*] uthorum etiam decimæ æſtimatio iniretur & dedicaretur.

L. Manlius] Immo Cnæus.

Livii verba XXVIII] c. 23.

2. *Ipſe defert*] in triumpho.

Quod contulerant] de ornatu ſuo & mundo ad crateram auream Apollini Delphos portandam, c. 25.

3. *Quadringenta talenta*] 240000. Philip.

Donatis] extra ordinem honoratis munere vel dono inſigni.

Donariis] templorum ornamentis.

Aut vendidit] Hoc jam paullo ſuperius poſuit: ſed quia ibi per errorem Manlio prænomen Lucii dederat, aliam de Cnæo hic recte appellato hiſtoriolam putavit.

§. XXI. 1. *Quadringenta octoginta*] Huic ſummæ præmittendum erat, *ſex millia pondo auri.*

Liv. lib. XLV] Immo 38. 55.

2. *In nervo*] in vinculis carceris. Ter. Phorm. 2. 2. 11. *Vereor, ne iſthac fortitudo in nervum denique erumpat*, 4. 4. 16. *noſtra cauſa ſcilicet in nervum potius ibit.*

Captum de præda] Exemplum alienum, nam id ſimulacrum Mercurii P. Scipio deſtructa Carthagine de Pœnorum hoſtium præda dono dederat Tyndaritanis in Sicilia, a quibus id abſtulit Verres.

3. *Nummi argentei*] quam nummus ſeſtertius.

Peculatus tenetur] publicum fraudaſſe judicatur.

Servata lege civili] niſi ubi jus civile alicujus populi aliud ſtatuat.

§. XXII. 1. *Primo*] acquiſitione quaſi originaria, 2. 1. 1.

Nondum actu quæſitis] quarum acquiſitio adhuc in ſpe tantum eſt, 2. 2. 5.

Ad utilitatem] ut incendantur homines & acrius incumbant ad eas quærendas cum publico fructu, quippe hoſtibus deceſſuras.

Conjungantur actiones] altera ex conceſſione populi, altera ex ipſorum occupatione.

Brevi manu] Ulpianus l. 43. §. 1. de jure dot. 1. per compendium, ſine ambagibus, quoties ſcilicet celeritate conjungendarum actionum inter ſe una actio occultatur, ut loquitur idem l. 3. §. 12. de donat. int. vir. & ux.

Miſſilium] quæ ſpargebantur rapienda vulgo diebus ſolennibus, ſive in corpore ſuo ſive per ſortes, Sueton. Ner. 11. Statius Cal. Satur. *Dives ſparſio quos agit tumultus*, §. 45. Inſtit. de R. D. Noſter 2. 8. 25.

2. *Juris tranſlatio*] a populo in privatos.

Contractus] quo pacti ſunt privati cum republica vel principe, ut quod damni dare poſſint hoſti, lucro ipſis cedat.

Quæ quis paſſus eſt] Immo *fecit* dicendum.

§. XXIII. *In Oratoribus*] cauſarum patronis.

§. XXIV. 1. *Hi operam civitati*] ſic in bello civium corpus addictum atque operatum eſſe reipublicæ dicit Livius 4. 60.

2. *Adjutoribus Romanis*] adverſus Philippum.

4. *Ad Pyramum*] ad Iſſon in faucibus Ciliciæ, Curt. 3. 11.

Durante certamine] in ipſo fervore prælii.

5. *Æquulanum*] Hirpinorum oppidum.

Civili alio] inter Vitellium & Veſpaſianum.

Sinu præfectorum] a quibus illi magna pecunia redempturi erant, ne diriperentur.

6. *Manente periculo*] nondum omni prælio confecto.

7. *Ut publicari digna*] non ſit operæ pretium ærario aut populo ea vindicare.

Uter] aquæ aut potionis cauſa.

Facula] tum ad alios uſus tum nocturni itineris ergo. Sueton. Jul. 31.

8. *Suo periculo*] quales qui olim e noſtris auctoritate publica privati privatorum pecunia navibus armatis maritima hoſtium commercia corrumpebant & impediebant.

Ex publico] præfecto claſſis, Principi.

A republica deducitur] vindicatur ærario, de reliquo decima.

§. XXV. *Bello non permixtum*] neutrarum partium.

Populi a cujus partibus] non ejus, ubi lis orta eſt, ſed cui militantes rem ceperunt.

Quod in judicium deduci] de quo actionem recipit Prætor vel Judex. Quo ſignificatur titulum acquiſitionis per arma valere apud tribunal bellantis aut victoris: ibi enim libellum querentis a milite in permiſſa prædæ occupatione ſibi aliquid ereptum nemo recipit. At ſi quis prædatorum poſſit apud alium judicem convenire, eum poſſe recipere ſuum, nec prodeſſe prædatori, quod jus præmiandi a ſuo imperatore habuerit, nam jus illud pro jure non habetur apud eos, qui non fovent eandem cauſam.

§. XXVI. 1. *Jus habuit hoſtis*] ſi res aliena pignoris vel hypothecæ loco apud hoſtem fuit pro debito, ſi manus ei injecta, vel, ut loquuntur, arreſtata eſt ob juſtam cauſam, ſi ſervitutem debuit, id jus eſt etiam victoris.

2. *In agro alieno*] §. 12. Inſt. de R. D.

§. XXVII. *In bellis aliis inter exteros*] obtinet jus naturale, de quo dictum hujus cap. num. 1.

Inter cives] Hinc Veſpaſianus victor civili bello, ſorti legit recuperatores, per quos rapta bello reſtituerentur, Sueton. c. 10.

AD
CAPUT VII.

§. I. 1. *Contra naturam*] ſervitutem eſſe contrariam illi bono, quod contigit homini beneficio naturæ & per naturam, id eſt, Libertati: quamvis id ita ei natura dederit, ut ob juſtas cauſas quibuſdam eripi non vetet; ut ſit bonum ſeparabile, quod peccato aut fortuna poſſit amitti.

2. *Neque delictum*] ut quis improbo facinore reddiderit ſe dignum, qui libertate privetur.

§. II. *Germani ducis uxore*] Arminii, Segeſtis filia, quæ gravida in poteſtatem Ramanorum venerat.

§. III. 1. *Impune illis imponatur*] Hinc ſervos in omnia obnoxios dicit Florus 3. 20.

Fines huic poteſtati] hoc jus temperatum eſſe, certumque modum accepiſſe, ne infinitum foret.

§. IV. *Incorporalia*] Res incorporales, quæ manu tangi nequeunt, ſed in jure conſiſtunt, §. 2. Inſt. de reb. corp.

Jus patrium] patriæ poteſtatis, nec enim qui patrem cepit, jus acquirit in liberos non ſimul captos.

§. V. 1. *Ut libenter abſtinerent*] ut facilius ſibi temperarent, ſeque continerent ab interficiendo.

Utilius] Nam profecto utilius vivum hominem ſervari ad opus, quem tamen, ubi velis, occidere poſſis, quam ſtatim, priuſquam ejus experientiam ceperis, occidi.

2. *In alios transſcribitur*] ut liceat hominem ſic ſervatum vendere vel donare vel relinquere teſtamento vel alio modo alienare cum eodem jure vel utendi vel abutendi.

Ante calamitatem] captivitatem parentum.

3. *Redigi non*] ſaltem more Romano & Hebræo 2. Paralip. 28. nam de aliis dubium facit Juſtin. 4, 3. ſive victoribus captivitatis jure ſerviſſent.

§. VI. 1. *Fas non eſſe fugere*] quaſi alibi nec libertatem conſequantur & conſcientiam lædant, tanquam furtum ſui domino facientes.

Vindicanti domino] ex eo, quod cap. præc. nu. 25. traditur de captis apud populum bello non permixtum jus reddi ex legibus aut moribus gentis, a cujus partibus res vel perſona capta eſt.

Injici religionis] ſine peccato fugere talem ſervum non poſſe.

Quæ tantum exterius] ad quæ obligamur tantum metu politici judicii, non etiam metu Dei.

Tantum in judicio humano] cui quis adſtrictus ſit tantummodo legibus civilibus, non etiam lege conſcientiæ.

2. *Teſtamenta nulla*] pro non factis habenda.

Mala fide præſcripſit] qui tanquam uſu captam poſſedit, quam ſcivit alienam eſſe, etſi ſciſſe illum non poſſit probari.

Idem jus & non jus] eſt enim jus in judicio humano & externo, non in foro conſcientiæ, aut ut illi loquerentur, jus politicum, non ethicum.

3. *Nec moturum*] non eſt credibile faciliores fore ad miſericordiam, ſi perſuaſum habeant ſine gravi peccato in Deum fugere ab hac ſervitute, niſi ad ſuos, neminem poſſe.

4. *Ex æquitate naturali*] qualis eſt lex ſervitutis ei, qui per hanc evadit mortem.

Plerumque & injuria ſit] quippe quo libertas aufertur nullum ob delictum, ſed quod arma geſſeris pro eo, cui fidem debebas.

Et hæc & alia] ut ſupra de percuſſore hoſtis & exploratore ſine perfidia dictum eſt, 3. 4. 18.

5. *Alimenta & opera*] ut quemadmodum dominus tenetur ad alimenta ſervo danda, ita ſervus ad operas reddendas.

§. VII. *Jus illud externum exſequenti*] grave opus injungenti, verbis aut verberibus aut vinculis caſtiganti.

Judiciorum tutela] ut non tantum poſſis omne jus domini uſurpare in ſervum ex captivo, ſed id jus etiam poſſis judiciis defendere & per judicem in eo juveris.

§. VIII. *Jus gentium de captivis*] Apud Indos ſervitutem nullam eſſe ſcribit Strabo, lib. 15. p. 710. Niſi accipiendum eſt de eo, quod dixit n. 6. *ut ſi ad alios quam ad ſuos, aut pace facta ad ſuos refugerint, vindicanti domino reddendi ſint.*

Perfugium erat ſervis] Videtur accipiendum de transfugis.

Servis datur proclamandi] ut ſervus peregrinus, ſimulatque terram Francorum tetigerit, eodem momento liber fiat.

§. IX. 1. *Ab omnis caritatis*] Chriſto. In illis ceſſabat ratio, quæ prima hoc jus gentium introduxit, nempe ut quos poterant occidere, illis mallent parcere ſuæ utilitatis cauſa.

Gregoras] circa an. Ch. 1260. Michaele Palæologo Imper. Conſtantinopolitano.

Theſſalis, Illyriis, Triballis] qui tum temporis ab imperio Rom. defecerant & ſuo jure utebantur. Inter quos Bulgari erant novi populi, Scytharum coloni, qui expulſis Romanorum ſubjectis in Mæſia inferiore ſedes collocaverant.

Græcis inter ſe] ne qui Græcorum a Græcis in bellis ipſorum inter ſe caperentur, vincentium ſervi fierent, non erat auditus.

AD

AD CAPUT VIII.

§. I. 1. UNiverſos] magnum numerum hominum, ſive illi abſolvant corpus civitatis, ſive membrum faciant illius corporis: veluti reipublicæ regnive urbs una vel plures.

Mere civili] ut eos adjungat ad participandos civiles honores, ut reges & primi conſules Romani, qui hoc maxime auxerunt urbem, quod victos populos migrare Romam coegerunt, & eis jus civitatis dederunt.

Mere herili] ut omni erepta libertate tantum pro ſubjectis aut tributariis habeat.

Mixta] ut parte vel ſpecie libertatis relicta aliam conditionem ſtipendariorum vel provinciæ eis imponat.

3. *Ut eſt in rege*] ut commiſſum & creditum, ut acquirat non ſibi ſed populo vel regno cui præeſt.

Ut in populo] ut proprium, ſive ipſe jus omne in priorem quoque populum ſuum habeat, ſive quodcumque in priori jus habeat, omne conſequatur in victo, & caput ſit duorum ſeparatorum civilium corporum.

§. II. 1. *Quæ civitas*] reſpublica ſui juris.

Non ad populi] cujus ipſe rex eſt, & a quo velut fiduciarium regnum habet.

Magna familia] numerus ingens ſervientium.

§. III. *Perſonali libertate*] in quo corpora relinquuntur libera, quamvis operæ ſerviles & tributa præſtentur.

Vita genus] ut Lydi, Juſtin. 1. 7.

§. IV. 3. *Quem velit eſſe*] quouſque velit indulgentiam ſuam patere.

Non ex eo] non juſtum ſive ſolenne, quia civile fuerat.

AD CAPUT IX.

§. I. 2. L*Imen & limes*] rejicit Salmaſius Obſerv. ad jus Att. & Ro. cap. 26. p. 568.

A limo] Terentius Eunuch. 3. 8. *ego limis aſpecto ſic per flabellum clanculum.*

§. II. 1. *In limen, id eſt, in fines publicos*] domum. Domus autem non modo dicitur de lare familiari, ſed etiam de patria vel civitate. Sic rediit in limen ſeu domum, qui eſt intra patrios fines.

In quo poſtliminium] ut ſimulatque rediiſſet intra fines, rurſus inciperet eſſe veteris juris, quaſi ſtatum aut dominum non mutaſſet, & ſive homo liber erat, ſuus ſuique juris; ſive ſervus aut res animalve prioris domini foret.

Quibuſcum pax eſt] nam inter hos valet jus eorum, quibus militans quis rem cepit, 3. 6. 25.

Qui partes in bello] qui eandem cauſam fovent, adverſæ adverſantes.

Homo aut res, ad hos aut] voluit *homo an res, ad hos an ad ſuos.*

2. *Statum non mutant*] manent in jure poſſeſſoris, neque redeunt ad priorem dominum, aut in libertatem civilem.

§ III. *Homines liberos*] ſi quis ex civitate Romana in aliam abiiſſet, ut in hac civis eſſet, poſtea eodem animo Romam rediſſet.

Significationum] verborum, quatenus in jure aliquid ſignificant.

Jacobus Cajacius] Fulvium Urſinum, non Cujacium, id cenſuiſſe ait Salmaſius, p. 580.

§. IV. 1. *In bello*] durante adhuc bello.

In pace] quandocumque poſt bellum finitum.

Fato ſuo deprehenſi] forte fortuna in hoſtico fuerunt, cum bellum oriretur & odio ſuæ gentis correpti & in ſervitutem redacti ſunt.

Aliis captivis] qui armis inferiores in poteſtatem venerunt, poſtquam bellum ceſſavit, niſi pacis in conditionibus placuit, ut qui capti eſſent, liberi dimitterentur.

Pace facta domum refugit] deinde renovato bello capitur. Quod omittendum eſt, ut intelligatur non eſſe tum capientis, ſed ejus qui prius cepit. Caſus enim belli cum eodem populo iterum contracti fingitur.

2. *Minime indulgens in captivos*] ideo duriorem conditionem fecerunt in armis captorum quam deprehenſorum, ut his ſemper poſtliminium pateret, illis non niſi flagrante bello.

Atque ita captos] Atqui hoc repugnat omni juri poſtlimiuii. Juxta enim jure captos juſtoque titulo acquiſitos credi voluerunt, quos captos intra præſidia ſua habuerunt, etſi brevi poſt aufugerint, durante bello, quam quos diutius tenuerunt uſque ad tempus aliquod poſt exitum belli. Potius habendi ſunt pro deſertis & abjectis a republica, tanquam ignavis, & quos pro derelictis habuerit patria, niſi enim hoc eſſet, in pace facienda ratio illorum habita & mentio facta fuiſſet.

3. *In pace*] ſi quo modo effugiſſent.

Ut confeſſione] Immo quia nihil fecerunt adverſus rempublicam, nec male pugnaverunt, nec conſenſerunt in ſervitutem ſuam, ut tacite faciunt, qui capi ſe patiuntur.

Quatenus pacto] quæ ſanciuntur redeunte pace.

Eandem ob cauſam] Immo quia & hæc pro derelictis habentur.

Digitized by Google

§. V. *Hoc animo*] Ideo M. Atilius Regulus bello Pun. primo non rediit poſtliminio, quia miſſus erat cum legatis Pœnorum pacis ſuadendæ cauſa. Sil. 6. Pun. 452. l. 5. §. 3. D. de Capt. & poſt.

Se acquirere] ſui juris ipſe quodammodo auctor eſſe.

Volentis] i 2. 3. 6. 2. 6. 2.

An vi] utrum vi.

Liberi ut fierent] manumitterentur, an haberentur tanquam qui non ſerviiſſent.

§. VI. 1. *Se ſibi acquirit*] fit ipſe ſua opera ſui juris.

Factum pro jure] quod factum erat, pro juſte facto habuerunt, atque adeo & ipſum & res ejus pro homine ac rebus juris alieni.

2. *An qui titulum*] Utrum qui titulum.

Tutus erit gentium jure] res retinebit.

Cum ſua cauſa] ſic alienata ut alienari poterant per naturam ſuam cum ſuis commodis & incommodis, & ſub conditione, niſi poſtliminio rediiſſent.

Acceptilata] relicta tenenti data apocha vel acceptilatione, quis fatetur ſe accepiſſe, quod non accepit.

§. VII. *Jura in ipſum*] quæ alii adverſus eum habuerunt.

Hoſtium potitus] Sic & Papiniaнus, l. 11. de Capt. & poſt. Plaut. Captiv. 1. 1. 24.

§. IX. 1. *Non ergo Sagunti civitas*] Probare non poſſum. Immo, quia veteribus cultoribus ſuperſtitibus poſt breve tempus (Saguntus octavo, Thebæ xx anno, ſalva lingua, legibus, moribus, inſtitutis, religionibus & ſacris, ordinibus & corporibus civitatis) reſtitutæ ſunt, fuerunt eadem. Et ita judicant ipſi Saguntini apud Liv. 28. 39. Si verum noſter de Sagunto & Thebis tradit, nec qui ex captivitate Babylonica poſt 70. annos in Judæam ſunt reverſi, populus fuerunt Hebræus vel Iſraëlitarum. Atqui Scriptura ſacra omnis pro eodem populo eos agnoſcit. Aptius Capuæ & Carthaginis fuiſſet uſus exemplis, quarum illa cum 150. hæc 100. annos in ruderibus jacuiſſent, a Julio Cæſare jura urbium, Romanis colonis attributis, recuperarunt.

Creditum non eſt] ſi quis captus fuiſſet debitores habens, a quibus qui creditorem in poteſtate habet, æs illud exigere, aut quibus remittere poſſit (puta, in civitate media & neutras partes fovente domicilium habentes) iſque id exegerit vel remiſerit, jus debiti exigendi non recipit captus, ſi poſtliminio redierit, inter cætera jura, quæ recuperat, atque adeo id rurſus exigere non poteſt. Ratio eſt, quod ſupra docuit, partim, una cum capto, jure belli etiam jura ejus incorporalia acquiri, 3. 7. 4. partim controverſiis de re capta apud populum bello non permixtum reſpiciendum jus ejus populi, a cujus partibus res capta eſt, 3. 6. 2.

2. *Poſtliminio reſtitui*] Diſpar eſt exemplum, quia in divortio juſto conſenſus diſcedentium intercedit. At Sagunti & Thebarum diſſipatio ſimilis eſt diſſidio fortuito vel friguſculo, non divortio, l. 32. §. 12. de donat. inter vir. & ux. per calorem miſſo repudio, ſi brevi reverſa uxor eſt, non divortiſſe videtur, l. 2. de divort. & repud. Sic illis quaſi friguſculum fortunæ venit.

§. X. 1. *Intra civitatem*] populum ſingularem.

Jure civili Romano] Quaſi apud alias gentes impune transfugerint & redeuntes in civitatem priſtina jura receperint. At Indibilis apud Liv. 27. 17. ex gentium jure ſcire ſe transfugæ nomen exſecrabile veteribus ſociis, novis ſuſpectum eſſe.

Etiam filiifamilias] Transfugæ ſine dubio, ſive patres ſive filiifamilias poſtliminii jure, id eſt, reditu in patriam ſecuro & recuperatione ſtatus ac rerum ſuarum, omnium gentium legibus aut moribus carent. Quod autem filius quoque familias Romæ non recidebat in poteſtatem patriam, non eſt magis ſingulare quam quod nec filiusfamilias latro aut deſertor aut qui quodcumque capital admiſerat, ſpecie ac prætextu poteſtatis patriæ judici poterat eripi. Erant enim ſervi pœnæ, in quibus maxima capitis deminutio locum haberet, §. 1. Inſtit. de cap. dem.

Qua intelligebat] ſine qua nec ſe ſalvum putabat fore.

2 *Ipſa ſervitus*] quæ præſtatur redemtori.

Contracto inter] ſi mulier, quem ſua pecunia redemit ab hoſtibus captum & pro ſervo ad tempus habuit, ei nupſerit.

Proſtitutione] ſi cujuſquam aut plurium permiſſa eſt libidine, quam quis redemit.

3. *Meſſenios cum longo*] 3. 9. 10. Meſſenios poſtliminio vult patriam & libertatem recepiſſe. Hi poſt primum cum Spartanis bellum Ithome deſtructa Olymp. 14. Candaule apud Lydos, Salmanaſſare in Chaldæis regnante, diſſipati per Arcadiam, Argos, Sicyona, Eleuſina, quum capti & remanentes omnia ſervitutis mala ut Juſtinus, annos 80, ut Pauſanias 39. perpeſſi eſſent, ductore Ariſtomene ſe liberarunt: Secundo bello expugnata Ira Olymp. 29. Ardye Gygis F. in Lydis, Tullo Hoſt. Romæ regnante, rurſus qui effugere nequierant, in Ilotas redacti; qui evaſerunt, Zanclen in Sicilia occupaverunt & Meſſanam appellaverunt: utrorumque poſteri poſt 200. annos Olym. 77. paullo poſt expeditionem Xerxis in Græciam, cum terræ motus omnem fere Spartam evertiſſet ac 20000. hominum exanimaſſet, tertium bellum excitarunt, quo poſt decennium inferiores in Siciliam, Africam, Naupactum Acarnaniæ aliaſque regiones ſparſi vacuam & vaſtam Meſſanen reliquerunt, donec poſt annos fere 100. Olymp. 103. proximo poſt Leuctricam cladem anno Epaminondas urbem inſtauravit convocatis undique veterum cultorum poſteris. Pauſ. 4. 241. & 268. Liv. 32. 22. Quod ſi poſtliminium his concedit, quanto minus id Saguntinis & Thebanis negare debuit?

Per uſucapionem] ſi abſentis ejus bonorum aliquid poſſeſſor bonæ fidei tempore longe acquiſivit.

Libe-

Liberationem] ſi quod ei obligatum erat, quocumque modo tollendæ obligationis, dum captivus detinetur, liberatum eſt.

Non utendo] ut uſusfructus non utendo intra tempus X aut XX annorum amittitur, §. 3. Inſt. de uſufr.

Actione reſciſſoria] qua uſucapio sut quid aliud factum in præjudicium velut abſentis reipublicæ cauſa reſcinditur, §. 5. Inſt. de act. l. 35. pr. de Oblig. & Act.

4. *Lex Cornelia*] l. 22. pr. & §. 1. ac 3. de capt. & poſt. l. 1. §. 2. ad l. Falcid. l. 12. Qui teſtam. fac. poſ. l. 15. D. de injuſto rapto. l. 9. Cod. de poſtl. rev. Ulpian. Inſtit 23. §. 4. l. 5. C. Quibus ex cauſ. maj. §. ult. Inſtit. Quibus non eſt perm. f. t.

Deceſſiſſet] ut medio tempore minui nequeant.

Pro nullo habetur] Immo ſuis eſt pro peregrinante, & qui exſpectetur poſt tempus rediturus.

§. XI. 1. *Sæpe alienati*] ab eo qui cepit, alii domino, & ab hoc rurſus alii, & deinceps traditi.

Revera habeatur] jam ſit in ejus poteſtate aut in eam venturus ſit, ubi domino libuerit.

Niſi & cognoſcatur] gnaro & conſcio domino intra fines verſetur.

Nondum receptus] poſtliminio rediiſſe cenſet Paulus.

Ut animo] quia ſervus conſilium non habere videtur, ſed omne conſilium de eo eſſe domini.

2. *Contrarium jus*] quod transſugam punit.

Receptos eos] tamquam qui jam dominum habeant & ad eum redeant; non tanquam qui nunc demum dominum nanciſcantur eum qui hoſti eripuit.

Defenſorem] nimirum ut rei alienæ: ſic in D. conjunguntur Procuratores & Defenſores.

3. *A Rufo collectis*] Libellus inſcribitur: leges Navales Rhodiorum, Militares, Ruſticæ Juſtiniani Gr. & Lat. opera Sim. Schardii Baſil. 1561.

§. XII. *In veterem cauſam*] redeant ſub prioris principis imperium.

§. XIII. 1. *Præſcriptionibus*] privilegiis longinquæ poſſeſſionis.

2. *Littori redditur*] ex privato fit nullius.

§. XIV. 1. *Commercio parata*] empta & permutata.

Recuperandi ſpes] ut animoſius emerent, in quibus ſcirent valere jus poſtliminii.

Longæ & onerariæ naves] quia illis milites, his belli apparatus vehebatur. Luſoriæ & actuariæ duorum erant generum. Aliæ enim luſoriæ in ripis omnium terminantium imperium (ut erant Danubius, Rhenus, Euphrates) excubabant, l. 4. Cod. de Offic. judic. milit. l. 4. C. de Offic. mag. Offic. in his utpote bellicis erat ſine dubio jus poſtliminii. At vocabantur & luſoriæ privatorum, quibus illi voluptatis cauſa huc illuc vectabantur, ut loquitur Petronius cap. 61. de quibus Seneca 7. de benef 20. & meminit auctor 3. 1. 5. Actuariæ, omnes quæ remis agebantur; quarum etiam quædam belli adhibitæ, Liv. 30. 43. Cæſar. 5. de Gall. 1. & in his poſtliminium, non in eis, quæ voluptatis ergo aut alios ad uſus erant paratæ, Salmaſ. ad jus Att. & Rom. c. 26. 740.

Clitellarii] qui clitellis onera portant, non qui carpento junguntur. Sunt autem clitellæ, ſtratum, quod imponitur aſinis & mulis ad onera commodius portanda. Eundem uſum habent equi ſagmarii.

Quas & legari] etiamſi quo tempore teſtamentum ſcribebatur, apud hoſtes eſſent.

In præſtationes familiæ] attribui & imputari pro parte ſortis ſuæ alicui hæredum, ſed cum cautione, ſi recipiantur.

§. XV. *Periti morum*] juris per conſuetudinem introducti.

§. XVI. *Intra præſidia*] 3. 6. 3.

Ut jus dominii mutare] ut eorum, quæ rapuiſſent, jus acquirerent & prior dominus jure ſuo caderet.

Alibi cenſuimus] 2. 10. 9.

§. XVII. *Non obſtabit exteris*] Sed tantum Hiſpanis aut qui ſub regis Hiſpaniæ vivunt imperio.

§. XVIII. 1. *Nomadum*] populorum vagorum adhuc & incertæ ſedis atque inconditorum, quum in omnes peregrinos aliquid licebat, quod nunc intelligunt homines meliora docti non licere niſi in hoſtes.

Belli inter privatos] Puta naufragio ejectum aliquem aut quocumque caſu in terris peregrinis oberrantem, ubi ſine notore ac defenſore eſſet arreptum a privato & in ergaſtulum ſuiſſe conjectum: quod frequenter olim contigiſſe oſtendit Sueton Aug. 32. Ti. 8. Cic. pro Cluent. 7. Et hodie nihil frequentius accidit Chriſtianis inter Turcas.

Captivitatis jura] ut liceret comprehenſos peregrinos pro ſervis habere quaſi captos ex hoſtibus.

Ad æquas pactiones] ut utrimque aliquid remitterent de ſævis moribus & paullatim jus diſcerent.

2. *Cicero primo de Oratore*] cap. 40. ſed de libertis, non de ſervis agere Ciceronem monet Salmaſius p. 596.

Non dubito quin] Lege, *quum fœderati & liberi nobis externi ſint, inter nos.* Ita conſentiunt Gallus & Proculus, Salmaſius, pag. 606.

3. *Ut ſi qua eſſent*] qualia quæ hodie Turcis ſunt cum Chriſtianis, quibus privati Mahometarum non impediuntur, quominus in captivitatem redigant, quoſcumque poſſunt de Chriſtianis.

AD CAPUT X.

§. I. 1. P*ene omnia*] & oſtendendum, quamquam hæc jure gentium coneeſſa in bello & impunita ſint, perpauca tamen eorum virum bonum & Chriſtianum liecre ſibi putare debere.

Judicia coactiva] magiſtratus pro poteſtate facta tueantur.

Illa in jure ſtricto] quæ nihil vi geri patitur niſi ad ſui tutelam inculpatam.

2. *Pudor*] Pudor ille potiſſimum eſt pudor ſui, quum quis nihil magis veretur quam ſuam conſcientiam, & antiquiſſimum habet *Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa.*

Nullo vinculo] olim ad ea præſtanda nemo per judicem adigebatur, ſed prout ineiderant in probum & pudentem aut in improbum & impudentem hominem rata aut irrita erant.

Salvo pudore] Siquidem vult retinere verecundiam & exiſtimationem, niſi vult decoquere pudorem.

Pudor ipſe] reverentia ſola recti.

Πάρεδρος] ex Afranio apud Nonium licet reddere *Adſeſtrix.* Verba Poëtæ: *Remittit adſeſtricem:* me ad ſe vocat.

Deus metuens] providens.

Ἔνοικον] domeſticam, contubernalem.

Ita fines regit] diſtinguit.

3. *Ad legem bonum eſſe*] Hactenus ſolummodo recte facere ac juſtitiam colere, ut præſtes, quod leges imperant, quod a judice potes cogi.

Extra publicas tabulas ſunt] quæ negligere poſſis ſine metu tribunalis & prætoris, quæque actionem ex legum tabulis non habent.

Quod in judiciis externis] de quo Prætor vel Judex & conſilium diſceptant, quod actione petitur.

In ſervum omnia liceant] quicquid ſtatuas, forum & faſces non metuas.

In hominem licere] ſi facias in homine utcumque vili & humili, ferum, immane, inhumanum habeatur.

§. II. 1. *Quid iſti pati*] annon debuerit ab illis jus belli abſtineri.

Omnino juſtam] ſemper & in univerſum.

2. *Id quod ſæpe accidit*] ut ſervi fiant, qui fieri non meruerunt.

Ad obtinendam injuriam] ad retinenda & non reddenda, quæ per vim parum probatam quæſiviſſent.

§. III. *Interna injuſtitia*] quæ apud Deum reos faciat, etſi humano foro excuſatos.

Ad eos cooperantur] aut eis adjutorium faciunt.

Juſtitium præcipit] ferias & vacationem ab omni opere ac negotio obſecrationis cauſa.

Natura ductu] quippe veræ religionis ignarus.

§. IV. *Sive poteſtatis jure, ſive conſilio*] vel jubendo vel ſuadendo.

Actibus dividuis] quos non faciunt, agminatim, centuriatim, manipulatim, ſed ſingulatim.

§. V. 1. *Ad reſtitutionem*] Ad reſtituendum quiſque obligatur ipſa poſſeſſione alieni, aut caſu damni dati, etiamſi dolus ejus & prava voluntas non intervenerit.

Capientibus donaſſe] res ſuas miſiſſe in aleam & tacito pacto conſtituiſſe, ut id haberent pars utraque, quod huic aut illi aſſignaret, Mars communis & fortuna.

Suum jactare] pro derelicto habere.

Externi dominii] ut eum paterentur eſſe jure publico dominum, qui res cepit: quod potuerunt pati, etſi non ſolverent conſcientiam vinculo quarundam reſtituendarum.

2. *Cui ineſt inæqualitas*] ubi non redditur par pro pari, quod fieri debet in legitimo contractu.

Qui contraxit] qui plus debet quam accepit.

§. VI. 1. *Parum liquida*] dubitabatur an vere hoſtes fuiſſent.

Etiam illa publica] non tantum, ut privati liberarentur ſervitute apud privatos, ſed etiam ut reipublicæ ſuæ leges redderentur.

Liv. lib. XXVIII] Immo XXXVIII. 32.

2. *Quantum domino*] eam ſummam pecuniæ, quam dominus impendere non dubitaſſet, ut reciperet, 2. 10. 9.

AD CAPUT XI.

§. I. 1. O*Mnia dat*] Efficit, ut nihil non liceat in invitum, qui, quod in volentem licere debet, recuſat.

Quædam officio] ſunt quædam humaniter & benigne agenda.

Aut mites aut neceſſarii] Aut parcebatur victis, aut non occidebantur duriterve tractabantur, niſi quibus ob graves cauſas parci nequibat.

2. *Qui ſint, de quibus*] Poſſunt enim aut aliis rebus laudati aut bene olim de nobis meriti eſſe. Florus de Ætolis 2. 9. *Memineramus auxilii, ſi placuit ignoſcere.*

Qui nos ipſi] Cæſar apud Salluſt. Catil. 51. *magis quid ſe dignum foret, quam quid in illos fieri jure poſſet, quærebant:* Item, *Sententia ejus non crudelis (quid enim in tales homines cru-*

crudele fieri poteſt) ſed aliena a republica noſtra videtur.

§. II. *Abſque eo*] niſi ille de medio tollatur aut interficiatur.

§. III. *Supra cum*] 2. 21. 5.

Utra in claſſe poni] utro numero vel loco haberi.

Non hoſtili animo] inter hoſtes morantur non infeſti nobis neque ſponte nocituri.

Ab inimicis] Ariſtione tyranno & præſidio, quod ei dederat Mithridates.

Amicis] L. Cornelio Sulla & Romanis.

2. *Quid debeat facere*] eoque magis illum metuunt, quam ei fidunt.

Si eſt criminoſum] ſi poteſt accuſari, tanquam in eo culpam admiſerit Ligarius.

Abierunt innoxii] illæſi, pœnæ immunes.

§. IV. 1. *Plenam injuriam*] cui dolus & culpa omnis ineſt.

Merum infortunium] cui nec dolus nec ulla culpa ſubeſt.

2. *Culpam aliquam*] Erratum.

Qui in ſe habet] quem ſuum ipſius conſilium & voluntas malefica incitavit ad nocendum alteri.

Qui vero extra] qui ſine conſilio & voluntate lædendi, aliud agens inque aliud intentus lædit tamen.

Sciens facit, non tamen] qui aliunde ſubito impellitur, priuſquam providere poſſit & proſpicere, quale ſit, quod agit, etſi volens id agat.

Injuſti aut improbi] Tacitus de Germanis 25. Verberare ſervum ac vinculis & opere coercere rarum, occidere ſolent, non diſciplina & ſeveritate, ſed impetu & ira, ut inimicum.

Conſulto] non ſubito animi motu impulſus.

3. *Non facti*] diſputetur, non utrum factum ſit, nec ne, ſed utrum per leges licuerit nec ne.

Quod quis injurioſe] atque eo jus ſibi datum contra offendendi.

Quæ interceſſerit] niſi cui exciderit e memoria, quid facere debeat.

Si alter ſibi] ille cui ſtructæ ſunt inſidiæ.

Alter non] ille cui non impletum eſt promiſſum, quia id qui facere debuit, oblitus eſt.

4. *Ob ignorantiam*] quæ ſcire aut cogitare quis non potuit.

Nec tamen per ignorantiam] & tamen hujuſmodi, ut ſenſus communis ea evenire poſſe cuique dictet.

5. *Quod expectari*] quod factum eſt non modo ab ignorante, ſed etiam ob ignorantiam.

In via publica] nam quia in ea ut plurimum obverſantur homines, facile unicuique ſuccurrit, etſi nunc nemo appareat, repente intervenire poſſe qui lædatur.

Si quis mulierem] quam ſollicitat aut cujus tentat pudicitiam.

Non per ignorantiam] qui ſciens facit, quod neſcit jus eſſe non facere.

6. *Qui factionem habent*] manipulum furum, ut loquitur Terentius: qui coierunt conjuratione facta.

Dimidiatum eſſe] dimidia parte deſectum.

7. *Appellarent conſilium*] quod ab ſe minus recte adminiſtratum videretur, ne dicerent conſilio aut de induſtria factum.

Salutis cauſa prædatur] quia receptum alibi non habet, ut majores noſtri qui Brilam ceperunt.

Difficilia tempora] periculum præſens ab hoſte & deſperatio auxilii a ſociis aut ſuo principe.

Ἵϛαται] Verbum hoc reſpicit, quos rhetores vocant in genere cauſarum juredıciali Status: Eſt autem ſtatus, quæſtio, quæ ex prima intentione actoris & depulſione rei naſcitur. Inter illos eſt Status Qualitatis, ſub quo Rationalis Aſſumptivus dividitur in Comparationem, Relationem, Remotionem, Conceſſionem; Conceſſio ſub ſeſe habet Purgationem & Deprecationem.

8. *Quibus invito*] qui occiderunt imprudentes. Forte, invitæ.

Si fors ſæva] Leg. *fors*, ſi per infortunium patratum, quod parum diſtat a ſcelere.

Hos mens ipſa] hi conſcientiæ tormenta patiuntur.

§. V. *Qui capita*] qui rempublicam in manu habuerunt, οἱ ἐν τέλει.

Paſſim mali] vulgi judicio, & perperam infamari ſolet ob improbum principem.

§. VI. 1. *Poſſint imponere*] pro juſtis agnoſci & eos fallere.

Apud Livium, lib. VII.] 19. & 20.

Phocenſibus] Immo Tarquinienſibus in Etruria, unde namque Phocenſes Cæritibus cognati.

Chalcidenſibus] Haud ſcio, unde habeat; non enim in fœdere Chalcis Eubœæ urbs cum Antiocho fuit, ſed vi & metu eam Antiochus occupavit, Liv. 35. 51. Puto hic dicere voluiſſe, Phocæenſibus, qui in Aſia minore, & eandem eſſe hiſtoriam, cujus meminit num. ult. cap. præced.

2. *Minus acerbe*] non ſæviendo in victos.

De imperio & gloria] Id ipſum quod Juſtinus lib. 15. 1. non ſe propter prædam, ſed propter dignitatem iniiſſe bellum.

Poſitum in medio] vacuum & certo poſſeſſore carentem.

3. *Erat obſcuritas*] incertum & obſcurum, utra cauſa eſſet juſtior.

Μὴ μετὰ κακίας] non per malitiam, ſed nimio gloriæ ſtudio.

De Dejotaro idem ille Cicero] cap. 3.

Progreſſus, ſed lapſus] 2. Attic. 21. quia deciderat ex aſtris, lapſus quam progreſſus potius videbatur.

Acrius eſſe prohibenda] inclementius eſſe animadvertendum in eos, quos liquet bellum civile moturos, quam in eos, qui bello civili ſunt victi, nam in illis non tam facilis præſumitur pœnitentia conſilii, quam in his facti, cujus jam ſupplicium luerunt ipſa calamitate.

§. VII. 1. *Permordere*] uſque & uſque morſi-

morſicare, perſiſtere in mordendo jam jacentes & impotes repugnandi.

Impulerunt] de ſtatu deturbarunt, proſtraverunt, dejecerunt.

Anima una dabit] unius cædes momentum faciet.

2. *Ad Herennium*] c. 16.

Qui de victoria contendant] qui armati reſiſtant, in eos hoſtilia moliri.

Eos homines] dignos venia & clementia.

Bellum] metum, periculum, vim ex bello.

Non idem] numquid peperciſſet tibi?

Quid igitur] Ante hæc verba omiſſum eſt: Non profecto tam ſapiens fuiſſet.

Talem ſtultitiam] qua forſan ille uſus eſſet immoderate ſe gerendo in victoria.

Panegyrice] qui nonus eſt in ordine, & adſcribitur Eumenio cap. 10.

Qui calcas iratos] Forte, ſtratos, cui non eſt neceſſe quidquam faecre in hoſtis adulationem, aut in dubios belli exitus lenocinia quærere, ut loquitur Juſtin. 11. 12. ſed qui poteſt per fiduciam virtutis & fortunæ ſubmiſſis inſultare.

Unus Perſeus ipſo Paulo qui dedentem ſe acceperat deprecante] Sero. Sic enim jam Gruterus edidit a. 1607.

Nimis laxo] Adulatur nimium Conſtantino, qui duos Francorum reges, ſed barbaros & inconditos, quales tum erant Fanci, beſtiis objecit. Cæterum ne unum quidem exemplum juſti regis poſt victoriam interfecti Romanis exprobrari poteſt.

In forum] εἰς τὸν ἐπὶ τῆς ἀγορᾶς ἐσύρετο τόπον. Joſeph ἁλώσ 3. ιή. Intelligit Tullianum Salluſt. Catil. 55.

3. *Ariſtonico*] Hic non erat verus rex, ſed Eumenis ſpurius ex cithariſtria Epheſia: & cum ab Attalo III. ejuſdem Eumenis legitimo in teſtamento, quo Po. Rom. hæredem inſtituerat, præteritus eſſet, regnum Pergamenum invaſerat & ſuſtinebat invidiam Licinii Craſſi conſulis capti & occiſi, Juſt. 36. 4.

Jugurtha] hic & ipſe ſpurius, fratribus legitimis Adherbale & Hiempſale, Maſſiva quoque cognato Romæ, dum fide publica ibi moratur, per ſummum ſcelus occiſis, legatis & exercitu & primoribus e Senatu pecunia corruptis, exercitu quoque ſub jugum miſſo, miſericordiam omnem perdiderat, Flor. 3. 1.

Artabaſdo] Non Romæ, neque ex auctoritate ſenatus, ſed Alexandriæ & M. Antonii ſcelus appellat Tacitus 3. annal. 3.

Perſea] Macedonum.

Syphax] Maſæſulorum Numidarum.

Gentius] Illyrici.

Juba] Numidiæ.

Caractacus] Britanniæ regulus, Tac. 2. ann. 36.

Aſperiores in victoria] nonniſi in una Corintho, de Offic. 11. quam tamen ad deſtruendam habuerunt gravem cauſam, violatos legatos, Juſtin. 34. 1. 2.

4. *Niſi quo mortem*] præterquam ſi quo videt incolumi ſe ſalvum eſſe non poſſe.

Ad capitalem menſuram] mortis ſupplicio digna ſint.

§. VIII. *De neco*] In tentanda aggreſſione vel inferenda quamvis juſta vi, per quam multi innoxii, & quos lædendi nullam propriam cauſam nec conſilium habemus, ſunt perituri.

§. IX. 1. *Quibus irairaſcitur*] adverſus iracundiam ſcribit, iram coercendam eſſe monet ac præcipit.

Sed Dei] qui eas ob corruptiſſimos mores ab ſtirpe volebat exſcindi.

2. *Quibus fas maxime*] *boni fuere mores & valuit recti obſervantia*, Tacit. 3. annal. 26.

Naturalia ſcilicet] nam gentium jura plus permiſere, 3. 4. 9.

Quod in moribus] quod non fundatum eſt in juſtitia naturali & morali, ſed politica, & conſuetudine invaluit, neque innocentem, ſed impunitum præſtat.

Salva integritate] fide ac dignitate integra & illæſa.

3. *Fœmina hoc nomen*] cum ſit imbellis & imbecilla, poteſtne etiam hoſtis vocari?

§. X. 1. *Eo jure, quod natura*] etenim jure gentium etiam in inermes & ſeſe ſubmittentes, modo inter hoſtes ſint, aut inter eos fuerint, ut ſupra, cap. 4.

Οὐδὲ πυρφόρος] cum ſignificabant omnes occiſos, & πυρφόρον interpretantur vatem, qui ſacrum igniculum ferret.

Jovi ſacros] propter Olympia, quæ Piſæ in Elide Jovis honori celebrabantur, Polyb. 4. 73.

Strabo Lib. VIII.] pag. 312.

Et eorum hoſpites] peregrinos, qui morarentur in finibus illorum.

2. *Converſi*] primus gradus monaſticæ vitæ, eorum, qui ſeculo renuntiant, manentes in ſeculo, hoc eſt, cucullam ſumunt, & ſe alligant ad certum numerum precum & quædam genera piorum operum, retento patrimonio & opibus, ex quibus deinde fiunt Profeſſi, qui jam res ſuas dederunt monaſterio: & denique monachi, Ritterſhuſ. ad Salv. p. 126. Cerda Adv. Sac. 40. 28.

Qui literarum] Seneca epiſt. 14. *Hæ literæ non dico apud bonos, ſed apud mediocriter malos infularum loco ſunt.* Unde eidem tutus literarum amor ad Polyb. 22.

§. XII. *Temperariam in hoſtico*] dum merces advectas diſtrahant.

Opifices & artifices] Cicero 4. Catil. 8. *Multo vero maxima pars eorum, qui in tabernis ſunt, genus hoc univerſum amantiſſimum eſt otii.*

§. XIII. 1. *Neceſſitas perimat*] Hoſtis ne interficiatur niſi pugnans & ex neceſſitate, non a valde volentibus nobis.

In quo pacis perturbatio] quem non eſt verendum, ne ſeditionem faciat & tumultum.

2. *Contra jus belli*] nempe naturale, ut num. 9.

Hominum noſtri ingenii] moribus & inſtitutis noſtris imbutorum.

3. *Puræ manus*] liberæ a cædis crimine.

§. XIV.

§. XIV. 1. *Paciſcentium*] offerentium ſe arma poſituros, ſi fides detur vitam & libertatem ſalvam fore.

2. *Murum aries*] machina contentis funibus acta & emittens grande telum ad ſolvendam commiſſuram ſaxorum in muris.

Ad imperatorum fidem] orant ſe in fidem & clientelam recipi.

Cingerent corona] ab omnibus partibus clauderent exitus.

§. XVI. 1. *Si talio exigatur*] ſi hoſtis crudelitas pari crudelitate plectenda aut deterrenda ſit. Ut Thracum apud Florum 3. 4. Obſervatum neque Hiſpanorum in Batavos, neque Gallorum Ligiſtarum in Proteſtantes ſævitiam aliter quam pari ſævitia coerceri potuiſſe.

Si terrore] ſi unius ſeveritatis exemplo multis aliis poſſit metus fieri, ut repugnare deſinant.

Si pertinacius] ſi diutius reſiſtendo irritaverint victorem & ei occaſiones promovendæ victoriæ eripuerint.

Immanibus convitiis] ut Cæcina Cæſaris Julii Cic. 6. famil, 7. ut Thebani obſeſſi per præconem in altiſſima turri ſtatutum ploclamaverant tyrannum Græciæ Alexandrum, Diod. 17. 9. Ut Athenienſes Sullam obſidentem exaſperarunt. Plutarch. de garrul. p. 505.

Fidem violaſſent] Cæſar 1. Gall. 27. & 2. 23. Civilis 2. 24.

2. *Hoſtium unum*] ita ut ſingula membra ſint obligata & obnoxia pro ſingulis aliis, & quod unus commeruit, omnes commiſiſſe videantur.

Tanquam] tantum.

3. *Si ſubſit jus*] ſi victum & in poteſtatem redactum liceat occidere ob facinus, non tantum ob hoſtilem animum, quum forſan ei alioquin ignoſceres; tantum momenti habet utilitas, ut merito non parcas aut gravius in eum conſulas.

4. *Quod ſigna adverſa*] non ſceleratos & obnoxios ſupplicio eſſe judicat, quod hoſtes fuerunt.

§. XVII. *Ob multitudinem*] ob numerum eorum, qui peccaverunt, non uti ſummo jure neque omnes occidere. Flor. 4. 6. Hæc quoque niſi multa fuiſſet, etiam juſta cædes haberetur.

Sortitio comparata eſt] ut ſortibus in urnam conjectis eductiſque vel unus e paucioribus, vel pauci, ut decimus aut vigeſimus quiſque e pluribus, qui deliquerunt, ut cuique maligna fors excidiſſet, ſupplicium luerent.

§. XVIII. *Quæ in proprietatem*] quæ mancipi ſunt & Dominos mutant: nempe ut eam alienare vel obligare poſſet, & quod quiſque de ſua vita vel interimenda vel obliganda ut interimeretur, ſi tertius vel civitas pacto non ſtetiſſet, idem poſſe de ſingulorum vitis ſtatuere civitatem.

Ex ſuo peculiari] ſive ipſi ſe obſides dederint, ſive quod omnes vel maxima pars de illis ſtatuerint, in id conſenſiſſe videantur, ex regula 2. 5. 17.

Deo exceptum] Deum ſibi recepiſſe ac reſervaſſe, neque homini permiſiſſe ut eam pro arbitrio vel retineret vel abjiceret.

2. *Conventiones tales*] pacta, quæ vitæ obligatione ſanciuntur.

Si moribus] ſi quo in populo uſu invaluiſſent & nunc quoque frequentarentur.

§. XIX. *Commiſſiones*] conflictus ex provocatione.

AD
CAPUT XII.

§. I. D*omini inſtitutione excepta*] Neque enim privatis dominis inſtitutis præſumuntur voluiſſe gentes, ſi quis veniat in manifeſtum periculum pereundi & quidem non ſuo peccato, iſque ſervari poſſit arrepta aut corrupta re aliena; tum quoque valere ſtrictum jus privati dominii & potius abſtineri re aliena quam hominem innoxium ſervari: ſed hunc caſum excepiſſe præſumuntur & ei homini regreſſum dediſſe ad primævam facultatem uſurpandi quidvis ad ſui conſervationem: præſertim ſi qui aliena re abutitur, eamque conſumit, ſciat habendum ſibi habeatque propoſitum illius rei, quandoque poſſit, Domino reſtituendæ ac ſarciendæ.

Ex inæqualitate] ex eo quod quis mecum contraxit, & plus accepit quam ei debebatur, me fraudato & minus habente, quam habere debeo.

Res perdita] ut quod ego de alterius bonis corrumpo, procedat pro eo, quod mihi debetur & detrahatur poſſeſſori, quaſi ego perceperim & ille mihi tradiderit, tanquam partem ejus, quod mihi debet.

Meritum aliquod] facinus in meam vitam, famam, bona aut eorum quos mei officii eſt defendere.

Ut abſit injuria] ut vaſtemus & vexemus alienas res ſine peccato.

2. *Niſi cauſa utilitatis*] magnum inde commodum ad nos aut incommodum ad hoſtem perveniat.

3. *Qua brevi ad pacem*] qua videmur effecturi ut hoſtis citius de bello finiendo & pace reducenda cogitet.

Odio magis quam] dum ſæpius indulgemus iræ aut prædæ cupiditati quam ut in ſumma re aliquid profligemus.

§. II. 1. *Vallum belliqué opera*] aggeres & machinas.

2. *Conſuetudine interprete*] unius & alterius bonum exemplum imitantibus aliis, ut ita res in perpetuum morem abiret.

Animantia ruris] boves agricolas & jumenta ruſtica.

Sine cauſa] in nullum uſum noſtrum.

3. *Etiam arguiſſem*] Leg. *arcuiſſem.* Ad Sen. Hippol. 805. Vetuiſſem, vel prohibuiſſem, ſi potuiſſem.

4. *Arbores Moabitarum*] Hoc factum credibile eſt odio idololatriæ, quæ in lucis exercebatur.

§. III. 1. *Eveniet quod diximus*] ut rationes ſuadentes ceſſent, vel ſint validiores quæ diſſuadeant, ubi nondum quidem in poteſtate noſtra res ſunt hoſtium, ſed credimus & ſperamus alibi brevi dijudicatum iri & res eas noſtras fore.

Per conceſſam] deditam & ipſorum poteſtati permiſſam.

2. *Thebaidibus*] Phœniſſis.

Hoſtium eſſe confeſſi] prodentes deſperationem de victoria: nam ſi ſperarent ſe poſſe vincere ac tenere loca illa, non vaſtarent.

Fame patriam] prohibendo ſubvectiones frumenti & aliorum utenſilium, quia mare claſſibus tenebat.

Collatis ſignis] acie aperta.

De quorum poſſeſſione] perdito præmio, propter quod bellum geratur, verbis Juſtini 28. 3.

§. IV. 1. *Poſſit aliunde*] quam ex eo agro, quem nobis urere ac vaſtare licet.

In Belgico Germanico] Germaniæ Belgicæ conſociatæ adverſus Hiſpanos. Pacti enim inter ſe ſunt belligerantes, ut agricolæ in confinio hoſtilium terrarum extra præſidia ſiti, utrimque tuti & inviolati eſſent, modo penderent modicum tributum ex parte Belgarum Hiſpanis, ex parte Hiſpanorum Belgis.

2. *In eo quod diximus*] quod apparuit non tantum ex eo genere vectigalis, cui *Licenten* nomen (eſt autem de mercibus quæ in hoſtiles hinc, præter arma, portabantur) ſed quod conſtat integras bellicas naves Amſtelædami emptas inſtructaſque cum diſſimulatione Magiſtratuum, quibus hoſtis adverſus Batavos uteretur: ne ſcilicet, cum ſat eſſet aliorum locorum, ubi parari poſſent, hi incolæ eo lucro fraudarentur.

3. *Canones*] Synodales vel conciliorum veterum.

§. V. *Rhodiorum oratio ad Demetrium*] ut parceret Rhodo obſeſſa ei parti murorum, prope quam erat ea nobiliſſima Protogenis pictura, neque eam labefactaret machinis: etſi facilius inde capi urbs potuiſſet, teſte Plinio. 7. 38. 35. 10. Fuerat autem Ialyſus iſte inter conditores Rhodiorum genitis.

Urbicapum] Poliorceten Antigon Coclitis filium.

Cum Protogene mortuo] Protogenis mortui opus nobile hoſtiliter laceraſſe. Sic Gellius. At Plinius etiam tum vixiſſe Protogenem & id opus tractaſſe ſcribit.

Levia] vana, parvi momenti, nec tanti, ut illis ea invideremus.

§. VI. 1. *Alibi diximus*] 3. 5. 2.

2. *Ruinis templorum*] Male omiſſum; templa ædificantem.

Metari] caſtra poni.

Pecunias Delphicas] Harum pars aurum Tholoſanum, Juſtin. 32. 3.

3. *Hoſtibus, quibus*] Nihil mutandum, ſed intelligendum; iſti quibus pepercerant, nempe in profanis locis. Significat quoſdam hoſtium tam fuiſſe miſericordes, ut Romanos captos in illis locis, quorum nulla erat religio, ſponte ducerent in templa, ne, ſi in alios vincentium non tam miſericordes incidiſſent, irrita foret prior clementia.

§. VII. 1. *Qua in honorem*] cenotaphiis aut monumentis in quibus ipſa corpora defunctorum collocata non ſunt.

Jus gentium impunitatem] Jure gentium ea impune diruere ac corrumpere licet.

Summam eſſe rationem qua facit] Religionis primam & maximam rationem habendam.

Face miſcuit] incendit & in cineres confuſos ac deformia rudera redegit.

2. *Victoria profana*] ſacra quæ urbe per vim expugnata reverentiam apud victores non habebant & in præda duci poterant.

Fano Apollinis] Delphico, Juſtin. 24. 7. 8.

Pyrrhi qui Proſerpina] Livius. 29. 18.

§. VIII. 1. *Inſtituti noſtri hic non eſt*] quippe quod τῦ πολιτικῦ.

Ipſa virtus vilis] non debet alienum aut putidum videri, ſi quod honeſtum eſt & per ſe ſine ulla mercede probandum, id ſtudeam perſuadere & commendare per commoda, quæ ſecum trahit, quando eo ſeculo vivimus, quo nihil, niſi quod utile eſt, appetitur.

Bellum non morantur] impedimentum non afferunt rebus gerendis.

Ἀληπτοτέρως ἔχειν] Forte, ἀλειπτοτέρως, nam ἄλειπτος, ἀνίκητος ἀκαταγώνιστος. Salmaſ. ad Hiſt. Auguſt. p. 333.

Obſidem] nam qui agros hoſtium tenent, periude eſt ac ſi obſides eis extorſiſſent: quorum recipiendorum ſpe ad ſaniora conſilia cogi poſſunt: eo autem facilius cogentur, quo cultiores agri conſervati fuerint.

Invictiores] difficiliores.

Liberam reliquit ſementem] vetuit, dum in arando ac ſerendo occupati eſſent, ullam vim a ſuo exercitu fieri.

Pacis cupidiores] promptiores & procliviores ad legem pacis accipiendam, ne meſſem hoſtis intercipiat.

Spoliatis arma] cum ſupereſt nihil præter arma, acrius eis utuntur.

Id pignus] lenocinium pacis, per quam ea erant recuperaturi.

2. *Speciem hoc praefert*] parcere illis quæ in poteſtate ſunt, eſt ſignum judicantis hæc ſua eſſe ſperantiſque ſe obtinere illa poſſe, univerſi belli victoria.

Niſi ad conciliandos] Niſi pro *ſed*.

3. *Ad plures*] plures ſimile quid metuebant, quam ipſam calamitatem ſentiebant.

AD

CAPUT XIII.

§. I. *Cauſa ſubeſt debendi*] donec nanciſcamur id quod nobis debetur.

Securitatem] ne noceant nobis, aut ne quis illis utatur nos lædendi gratia.

Pacatorum] eorum qui non offendunt nos.

Capiendi] apprehendendi, corripiendi & tenendi aliquantiſper ita ut tamen tuum non facias.

2. *Ob inæqualitatem*] ex contractu.

Ex pœna] ex maleficio.

Non res tantum debentis] propter debitum principis, aut eorum, qui rempublicam tenent, ex contractu cum alio principe populove inito & principis patrimonium & civium bona hypothecæ loco ſunt.

Quod in impunitate] quod pœnam remittit res alienas rapienti & judicis officium præſtat raptas defendenti pro ſuis, quas alter debet, nec reddit.

Non externum modo] non tantum quod condonat pœnam aut interdictis defenditur; ſed etiam, quod congruit juri naturæ, quale eſt quod introducta dominia & ſalva conſcientia exigitur.

§. II. *Quod pœnale eſt*] ex maleficio imperantis & magiſtratuum oritur.

Latius produci] etiam ad pœnam, cum videatur tantum placuiſſe ad ſatisfactionem aut compenſationem.

Eſt in bonis] ita ut ſi perſequi ceſſes, tuo careas.

Non eſt] Spectat enim tantum vindictam de qua remittere licet ita ut nulla re egeas.

Civitas puniri] aliquid deliquerat noxam nocendo, ſed quod negligentius egerat in alieno dolore æſtimando.

Ad prius illud] ex inæqualitate.

Ad poſterius] ex pœna.

Quamquam ex ceſſatione] ſi quem ex officio punire oportebat, in eo ceſſet, ipſe pœna ſeſe dignum reddat: atque adeo ex iſto ſæpius hoc exoritur & exiſtit: haud quaquam tamen hæc duo miſcenda & pro eodem habenda ſunt.

§. III. *Debiti primarii*] in quo cœpit injuſtitia.

Subnaſcentis] ejus quod ex illa ſequitur & provenit.

Non compenſari] non poſſe imputari ab eo, de cujus bonis vel territorio rapta ſunt, tamquam ſufficientem retributionem pro injuria, quæ dedit cauſam bello: ſed jus eſſe victori ſuper illa, quæ tenet aut bello acquiſivit, pro ea injuria, quæ locum bello fecit, novam ſatisfactionem poſcere.

Secundum ſanum judicium] arbitratu prudentium & bonorum virorum.

§. IV. *Latius patere*] plus deberi humanitati, aut vinculo quod omnem hominem nobis proximum facit, quam legibus; ut quis plane ac vere juſtus ſit, non ſufficere id tantum præſtari, quo leges contentæ ſunt & recepta jura.

Debitorem omnibus reculis] Cic. pro Quinctio 16. *Viri boni, cum palam fraudantur, cum experiundi poteſtas non eſt, timide tamen & pedetentim huc deſcendunt vi ac neceſſitate coacti.*

Sua bonitate] non lucri aut utilitatis ſtudio.

Miſerabile] dignum ſavore ac miſericordia.

Tam durus] qui acerbiſſime ad ultimum quadrantem ſibi debita perſequitur.

2. *Non alio quam fidejuſſorio*] hanc unam ob cauſam, quod tanquam ſponſores interceſſerunt.

3. *In ſubſidium*] κατὰ δεύτερον πλοῦν, altero, vel repetito aut mutato curſu, ut ſi regia via nequeas, hoc velut tranſverſo tramite ad jus tuum perveniat.

4. *Mercibus concedi*] permitte negotiantibus, ut merces in hoſtilia loca ſupportent.

AD

CAPUT XIV.

§. I. 1. *EO uſque licita ſit talis*] ad eum numerum & pretium corporum quo exæquetur aut a principio nobis datum aut a ſuborientibus poſtea profectum cauſis damnum.

In alios] alienandis captivis.

§. II. 1. *Quod quaſi ex fidejuſſione*] de captivis in ſervitutem redigendis hoc nomine gentibus placitum, quod ſinguli ſubjecti ſint quaſi ſponſores & ſecundi debitores pro eo, quod debet civitas ut ea non ſolvente quaſi addici poſſint.

Tam late patere] tantam vim habere.

Pœna ſervi] §. 1. Inſtit. de cap. dimin. Obſerv. 1. 8. 77.

Captivum ſe] ſervire jure belli, non ob noxam aut malignos natales.

2. *Servitus hac perpetua*] ac ſi quis conduxerit hominem liberum, ut, quoad vivat, ſibi operas præſtet, victus & neceſſariorum ſecurus, cum jure cogendi ſi negligens ſit.

In redemtura ejus operas] pretium redemptionis minui, prout multas & magis utiles operas ediderit domino.

3. *In ſervum*] in ſervilem perſonam.

In hominem] in eumdem, tanquam & hominem, ejuſdemque ſortis, cujus & domini ſunt.

Conſervi] omnes enim quodammodo ſervimus,

mus, præfectis, tempori, illis quorum gratiam volumus, denique Deo & naturæ.

Qualitatum diſcrimina] qui omnes homines uno ordine habeat, liberum a ſervo non diſtinguat.

§. III. *Ut domeſticam habeat*] ei mandare poſſit juſtum opus & ad id modica coercitione cogere.

Religione] moderatione.

Qua publica] qua civibus imperatur.

Diſpari titulo] Magiſtratus & domini.

Parta in illos] nempe jure naturæ, non gentium, non civili.

In hac parte vitæ] Significat quemadmodum magiſtratui aut principi non licet occidere civem ſine delicto capitali ejus, ita nec domino ſervum.

§. IV. *Prolata vi proximitatis*] ut ſit aliqua cognatio omnium hominum inter ſe, quod docent S Literæ, unde ſcimus nos omnes ex Adamo oriundos, ſed maxime, ut Chriſtus juſſerit quemvis hominem pro proximo haberi.

Divina legi juſti regula] divina lege juſtum habetur, non quod exiſtens forte caſus aut temporis iniquitas aliquando permittit, ſed quod æterna & ſemper ſibi ſimilis ratio ſancit.

§. V. 1. *Opera cum modo*] quatenus ſalvis corporibus ſuſtineri poſſunt.

Ἤπιος ἦεν] *αἰεί.* Helenæ verba de Priamo *ἰλ. ω.* 775. dicentis, affines cæteros & ipſam focum ſæpe ſibi convicium feciſſe, nunquam vero Hectorem & Priamum ſocerum, qui ſemper ſibi fuerit quaſi mitis pater.

2. *Omnem invidiam*] ipſo nomine oſtenderint ſe nec dominos inviſos & odioſos nec ſervos viles & contumeliis obnoxios velle.

Nomen pietatis] officii, curæ ſanguinis.

Poteſtatis] juris & imperii.

Filiorum ſortem a] liberos liberalius tractarent quam ſervos.

Inique dominantes] duriter & tyrannorum more imperantes.

Δωροφόρυς, *id eſt, donatarios*] Potius tributarios, ſeu qui dominis dona ferrent, ut operæ quas præſtarent, & mercedes quas mererent, in alienum opus locati, haberentur pro munere ac donis, nam apud Euphorionem eſt Δωροφόροι καλέονται. Et hujus generis compoſita omnia activam habent ſignificationem. Adde Terentium Phormione 1. 1. 6.

Vetus interpres Calliſtratus] non ille, qui exſtat, ſed quam habuit Athenæus, lib. 6. p. 263.

§. VI. 1. *Quaterni modii*] Seneca ſervo tragœdo, quod genus honeſtius, quinque modios menſtruos dari ſcribit epiſt. 80.

2. *In quadam liberum eſſe*] eſſe nonnulla, quæ homo ſervus agat tanquam liber.

Beneficii quoque] poſſe domino beneficium dare.

Succiſivi] ſubſecivi.

Naturale patrimonium] Ut naturale dicitur, quod tantum eſt naturale, non etiam confirmatum civilibus legibus, eoque carens effectu, quem habent eædem res ornatæ ſolemnibus legum. Sic naturales liberi, qui non juſtis nuptiis nati.

Peculium dominus] Dominus juſtam cauſam habet auferendi peculium ſervo, non modo ſi quid is committat, ob quod mereatur eo mulctari, ſed etiam ſi eo ipſe ad uſus vitæ indigeat.

3. *Dominus non repetit*] non conſequitur actione indebiti §. 1. Inſtit. Quibus modis re contrahitur obligatio.

Naturaliter] Poteſt aliquis debere naturaliter, qui non debet civiliter, ut ſi pupillus ſine auctoritate tutoris contraxit, naturaliter obligatur ad implendum contractum. Ceſſat autem condictio indebiti, etiam ſi quis ſolverit, quod naturaliter debebat: non tantummodo, ſi quis ſolvit, quod debebat civiliter.

Intra domum] conſervis, non ſervis alienis.

4. *Ad hanc internam*] Ethicam, motum, humanitatis, conſcientiæ ad quam non adigimur legibus.

Retraxerunt] imminuerunt.

Ad venditionem] adire Magiſtratum & petere, ut Dominus ſævus atque inexorabilis alii domino ſe vendere compelleretur.

Præſidum] Provinciæ alicui præfectorum.

5. *Nec ſine donis*) ut ſit unde vivat in libertate, cum deſierit eum alere dominus.

§. VII. *Qui bello juſto captus*] nam qui bello injuſto, iilis licere tradidit. 3, 7, 6.

Proprio delicto] aliquid præter cæteros flagitioſe aut ſceleſte patrando.

Publico facto] calamitate partium victarum.

§. VIII. 1. *Movimus alibi*] 2, 5, 29. 3, 7, 5.

Mortis erant commeriti] & ſic non genuiſſent, niſi victor illos conſervaſſet hac conditione ut ſervirent; poſſunt videri & ii, quos gignunt poſtea, ſervitutem eandem debere ob ſuam vitam: neque enim aut nati forent aut ſuperſtites eſſent, niſi genitoribus eorum perperciſſet communis dominus & ipſos procreandi educandique copiam feciſſet.

2. *Uſque dum opera totum*] labore pro omni ſumptu, qui in eos factus eſt, ſatisfecerint.

§. IX. 1. *Deducto ne egeat*] ut captus non privetur omni patrimonio, ſed tantum ei relinquatur, quo ſe ſuſtentare poſſit.

Olim mina] centum drachmis ſive decem Philippis. Inter Fabium & Hannibalem convenerat, ut libris pondo binis ſelibra ſive mille nummis Liv. 22, 23. Hannibal ad Cannas captis equiti quingenos quadrigatos, trecenos pediti, ſervis centum ſtatuit, Liv. 22, 58.

Δορυξένων] quaſi haſta & armis hoſpitum: quæ tamen vox uſu deinde ad quemvis hoſpitem ſignificandum producta & dilatata eſt.

2. *Vitam cernamus*] de vita certemus & pugnemus.

AD

CAPUT XV.

§. I. *IN populorum partes*] aut exigitur æquitas aut laudatur humanitas.

Jus imperantis] & Principis & quod ſibi populus reſervavit. (Ut, exempli gratia, ſi comitia, ſi ordines, ſi privilegia) illo poteſt uti victor, huic detrahere & id imminuere, quatenus tamen.

Quæ modum excedit, ſecuritas] ſi non peccavit quidem aliquid inſigniter, neque debet, ſed tamen ſalvus eſſe victor non poteſt aut non ſtabile imperium acquiſitum, niſi duriter victos tractet: hoc caſu ſi miſericors eſt victor, in ſuos & ſe immiſericors eſt. Cato apud Salluſtium 52. Hic mihi aliquis miſericordiam & manſuetudinem nominat, &c.

§. II. 1. *Præter injuria*] prætérquam facultatem nocendi, qua per laſciviam male uſi fuerant.

§. III. *Quod mirandum maxime*] Meo judicio valde reprehendendum & perinde æſtimandum, ac ſi quis omnes ruſticos declaret nobiles. Eo dono non provinciales civium honorem conſecuti ſunt, ſed cives provincialium conditionem ac vilitatem ſubierunt.

Imperatoris Antonini] non Marci Philoſophi, non Titi Pii, laudatiſſimorum Principum, ſed Baſſiani Caracallæ, qui Septimii Severi filius fuit, teterrimus parricida & tyrannus perfidus, ut oſtendit Salmaſ. ex Dione de Mod. Uſ. 855. Additque ſpeciem quidem fuiſſe quaſi peregrinis honorem haberet, ſed revera id factum, ut plus e vectigalibus colligeret, quia peregrini quædam non conferrent, quæ a civibus exigebantur.

Roma communis] Recte, ſed non tantummodo ex eo. Poterat hoc dici & eo titulo digna eſſe Roma, etiamſi non cives Romani dignitatem ſuam perdidiſſent, & omnium hominum diſcrimina turbata eſſent: quemadmodum jam Plinio ſub Veſpaſiano dicitur Italia omnium terrarum alumna eadem & parens, numine deûm electa, &c. Ut una cunctarum gentium in toto orbe patria fieret, lib. 3. cap. 5. Rutilius Numatianus Itiner. lib. 1. cap. 62. *Feciſti patriam diverſis gentibus unam: Profuit injuſtis te dominante capi. Dumque offers victis proprii conſortia juris, Urbem feciſti, quod prius orbis erat.*

§. IV. 2. *Reipublica forma*] cum Romani eos liberaſſent, maluerunt eſſe ſub rege: itaque rex eis a S.P.Q R. datus Ariobarzanes.

§. V. *A Quinctio decretum*] Livius 32, 31. Et tamen paullo poſt eodem annitente Quinctio omnibus iſtis oppidis, quamvis maxime minante Antiocho, præſidia eduxerunt, Liv. 34, 50.

§. VI. *Et victoris & victi*] ne ille metuat rebellionem, hic ſe præcipitet in priora mala, ſi nimis indultum ſit.

Parte aliqua ſuorum] laudanda Romanorum modeſtia, qui de regnis ſubactis alias urbes liberabant, aliis dimidium tributi, quod regibus erant ſoliti pendere, imperabant. Livius 45, 26. Illyriis eodem cap. 18, & 29. Macedonibus.

§. VII. 1. *A Termini ſacris*] quem Romanis finxerat Deum, ut eos doceret abſtinere a movendis agrorum terminis, & ſic minueret lites de finibus.

Μεῖζον τοῦ] Parare magnum imperium non tanta res eſt, quanta cum habeas, ordinare ac componere.

Peregrinum] prægrave. Curt. 4, 11.

2. *Corii*] ſicci nimirum & durati.

Obnoxia] expoſitæ injuriis.

Luſtri condendi] quum finiretur quinquennalis aut anni ſemeſtriſque cenſus, Sueton. Octav. 97.

Incolumes ſervarent] Huc pertinet Flori votum circa Gracchanos & cæteros tumultus 3. 12.

§. VIII. *Sub primorum*] Ariſtocratia vel potius oligarchia.

Arbitrio populi] Democratia.

Externata fuerunt] Ovidius 1. met. 637. *Seque externata refugit.* Et lib. 11, 77. *Externata fugam fruſtra tentabat.*

§. IX. *Apud Judæos manſit ſceptrum*] Valde quidem debile, ſi tamen ſceptrum appellandum eſt. Nam hac ratione omnes fere populi a Romanis ſubacti, dicendi ſunt retinuiſſe ſceptrum. Facile enim hoc illis relinquebant, ut haberent inſtar ſenatus domeſtici & apud judices gentiles certarent ſuis legibus. Videndus Cicero 2. In Verr. cap. 13. & lib. 6. Ad Attic. epiſt. 1, & 2. At Judaicam gentem poſt Pompeji victoriam Mithridaticam, hoc eſt, 68. Annis ante Archelaum relegatum elocatam, (id eſt, ſtipendiariam publicaniſque traditam) & ſervam vocat Cicero pro Flacco cap. 28. Nec profecto poſt hunc caſum Archelai ſceptrum apud eos manere debuit, quum jam adeſſet Meſſias rex æternus.

Archelai] Herodis Magni filii & ſucceſſoris, quo Viennam in Gallia relegato rebuſque ejus in fiſcum Auguſti Cæſaris redactis Judæa deſiit habere regem aut ethnarcham & provincia facta eſt.

§. XI. *Niſi perſuaſis*] niſi meliora docti ultro conſentiant in veteres ritus abolendos.

§. XII. 1. *Eorum utilitates*] ut victi ſeu novi ſubjecti intelligant idem ſibi utile eſſe, quod ei, cui acceſſerunt.

2. *Cujus eum pœniteat*] quam gravem & duram experiatur.

Belli tamen jura] ſervorum ſunt erga dominos animi hoſtiles. Feſtus. Quot ſervi, tot hoſtes. Seneca epiſt. 47.

AD
CAPUT XVI.

§. I. 1. *Quibus de rebus*] a quibus excipienda, quæ in patrios fines reverſa priſtinum ſtatum recuperant.

Pro non captis] Fingit enim poſtliminium eas res nunquam in poteſtate hoſtium fuiſſe.

Dominium internum] in jure naturæ ac civili fundatum.

Qui cauſam ab ipſo] jus ſuum derivat.

Commodum hoc] hac parte vel ad hoc.

Ut ubique judiciaria] ut qui poſſidet rem armis captam, ſive ceperit ipſe, ſive a capiente bono modo nactus ſit, quocumque veniat, quemcumque apud judicem ea de re compellet, vincat & non modo ſententia judicis, ſed & vi lictorum aut militum in ea poſſeſſione defendatur.

2. *Apud hoſtes*] quibus victis venum ierat.

Juriſconſulti nobiles] Labeo, Ofilius, Trebatius.

Impedimento eſſe] adeo ut uſucapi ab emptore non poſſit.

§. II. 1. *Martio prædam*] hoſtibus, qui eam per incurſionem in Rom. ac ſociorum fines egerant, ereptam.

Cognoſcentibus] quod privati, quibus ablatum erat, ſuum fuiſſe oſtendere poterant, & ſe pro ſuo noſſe fidem faciebant.

Accitique edicto] affixis in publico tabellis vel libellis.

2. *L. Æmilio*] Papo Flor. 2. 4.

Dignum populo] glorioſum & amplum conveniénſque laudis avido P. R. ut quæ ſociorum fuiſſent, etſi per multa ſecula ab hoſtibus poſſeſſa, nunc iiſdem victis, non ipſi retinerent Romani, quod jure poterant, ſed ſociis redderent.

De ſignis] ſtatuis tabuliſque materia & arte pretioſis, quas Siculis Verres abſtulerat.

Qua reges] Seleucidæ pro imperio ſibi vindicando.

§. III. 1. *Commercio*] emptione.

Imputare] a domino repoſcere, ſi rem recipere velit.

Urinando] natando ſubter aquam vel ad fundum uſque, Plin. 11. 37. ranas & phocas diu ſub aqua urinari, l. 4. §. 1. Ad l. Rhod. de jactu: ſubmerſæ navis merces per urinatores extractæ.

§. IV. 1. *Partes populorum*] privati, vici, pagi.

Aut etiam ſibi] in libertatem reſtituendi.

In ſervitutem regiam] ut Aſiaticis regibus ſervirent.

§. V. *Quo reddenda*] bello injuſto captum, quaſi uſu captum, etiam conſcientiam obligare ad reſtituendum deſinat.

§. VI. *Ambiguum ſit jus belli*] difficile ſit decernere juſta cauſa belli nec ne fuerit.

AD
CAPUT XVII.

1. I. *Ut ipſo domino*] ut ipſe dominus non æque re ſua indigeat, atque ille qui attrectare vult eam.

Si de cuſtodia] ſi ſufficiat in poteſtate habere, ne delibentur aut carpantur: ſi hoc neceſſum & ſatis ſit, ne abſumantur; ſi & hoc fieri oporteat, ut juſto pretio compenſentur.

§. II. 1. *Venales commeatus*] ſi copia fieret commendorum neceſſariorum a populis, per quos commearent.

2. *Spectaculum erat*] cum admiratione conſpiciebantur.

Tanta cum quiete] diſciplina & modeſtia.

Ne veſtigium quidem] ut nec pedibus quidquam ſatorum conculcarint, quod ubi via eſt anguſta, facillime fit propter laxitatem ordinum & adſita frumenta.

Qua vallo comprehendebat] intra caſtra recipiebat.

Tribuni accincti] parati & expediti, tanquam cum hoſte ſtatim congreſſuri, non trahentes impedimenta ad convectandam prædam Ms. *aciti*: unde Salm. *taciti*. non clamoſi ſtrepeique.

Quam numero] multitudine capitum anguſtam & difficilem fecerat, frugalitate ſufficientem reddebat.

3. *Proviſus*] diligentia comparandi in anteceſſum Annona ſua contentus ſit. Hæc vox annona poſterioribus ſeculis interdum ſignificat ſpecies, quæ militibus dabantur, ut frumentum, carnes, laridum, ſal, oleum: interdum annonæ plurali numero ſunt panes: interdum annona ipſum eſt ſtipendium, quod victus cauſa datur, ut hoc loco.

3. *A concuſſione*] pecunia per vim, metum, tormenta, provincialibus & ſociis exprimenda, 1. 2. 7.

De lacrymis] bonis quæ dolentibus flentibuſque eripiuntur.

Sed præſtari non poſſe] Quod jactant vulgo militares, hæc imaginaria eſſe, & non poſſe introduci; nec militem armatum contineri ſe pati, ut virgines in gynecæo.

Ex Scauro] ex M. Æmilii Scauri commentario de bello ab ſe geſto.

Quam in ſede] quæ intra caſtra concluſa fuerat.

5. *Precacius egiſſe*] per abſentiam & morbum

bum P. Scipionis tumultuantes laſciviſſe in Hiſpania.

6. *Militibus teneri*] ſatisfacere oportere.

§. III. 1. *Bellum gerentis motus*] apparatus & proceſſus.

In re dubia] ubi certo non conſtat, utrius cauſa juſtior ſit.

Philippo Macedonum regi objectum] Liv. 30. 42.

Summam rem complectar] Caput rei, vel quod maximum eſt, paucis expediam.

2. *In exercitu hoſtium*] perinde arripi ac violari poſſe, atque illi, qui intra caſtra & præſidia hoſtilia ſunt, & arma contra nos ferunt.

3. *Fœdus miſcere*] agere palam oriente bello ac paciſci.

AD
CAPUT XVIII.

§. 1. *Ut publica imperia*] aliquid ex juſſu & auctoritate præfectorum adminiſtrant.

Pompilii] Videtur legendum A. Hoſtilii, Liv. 41. 12.

Dimiſſam] exauctoratam, ſacramento ſolutam.

Secundo eum obligaret] iterum juberet illum ſacramento dicere ſive jurare ad ſigna.

Priore amiſſo] remiſſo, ſublato, eum dimitteretur legio.

Simulac receptui] ſimulatque dari ſignum ceſſandi a pugna.

2. *Qui ſignum receptui*] qui non deſinit pugnare cum imperator jubet quieſcere.

Jure gentium externo] quo conceditur omnis illa licentia, de qua a cap. 4. uſque ad 9. egit.

Manliana Imperia] T. Manlii Torquati Cos. qui filium, quod contra edictum ſuum in hoſtem pugnaſſet, quamvis victorem, ſecuri ſubjecit.

Stationes deſererentur] milites vel præfecti e loco, in quo cuſtodiæ vel excubiarum cauſa collocati eſſent, temere ac ſine venia ducum exirent.

Vindicatum in eos] animadverſum, ſupplicium exactum de illis.

3. *Parti innocenti intra juſtum bellandi modum*] ei, qui habet juſtam cauſam, hactenus, ut nihil gravius fiat, quam jure publico licet in bello.

§. II. 1. *Qui ſuo ſumtu*] qui nunc dicuntur voluntarii.

2. *Aut hoſtem reſpicis*] quatenus ab eo capere licet.

Ipſam civitatem] quatenus eum ea, quod ab hoſte capitur, eſt dividendum.

Sub onere reddendi] ſi pax commoda fiat, & ille aliter pro injuria ſatisfaciat.

Ab initio] ex debito principali.

Ex poſtfacto] ex debito ſubnaſcenti. 3. 13. 3.

§. III. *Adverſus ſuam civitatem*] Ut privati acquirant res captas illæſo jure civitatis, pro qua militant.

Contractui] quem illi privati cum republica fecerunt, quum impetrarunt ab ea jus ſuo ſumptu belli gerendi.

Præda alea] dubia & incerta ſpes.

Jactum] retis. l. 12. D. de act. empt. & vend. *bolum* vocat Suet. de rhetor. cap. 1.

§. V. *Naſcatur bellum privatum*] neceſſitas ſit ſingulis aut privatis ſine auctoritate publica pugnandi.

§. VI. *Cujus leges transgreſſus*] injuſſu contra diſciplinam aliquid faciendo.

AD
CAPUT XIX.

§. I. *Partim nude ſpectari*] 3. 1. 1.

De fide] de pactis intervenientibus durante bello ſervandis.

Affectionem animi] propoſitum ejus, qui ſe geſtit bonum virum haberi.

2. *Capaces ſunt juris ex promiſſo*] poſſunt obligare alter alterum ſtipulando.

Sibi cum Faliſcis] quamvis hoſtibus cum maxime.

3. *Falſum eloqui*] dicere vel facere, quo hoſtis decipiatur, & falſam opinionem de conſiliis noſtris imbibat.

Supra diximus] 3, 1, 18.

Ex cauſa qua bello] ex illa judicandi libertate, de qua 3, 1, 11. nata cum ipſo ſermonis inter homines commercio.

Non de eo, qui in conventionibus] de veritate, cui contraria vanitas aut mendacium; non cui perfidia & perjurium.

4. *Adverſus ipſam fidem*] adeo nihil pactorum ſibi ſervandum putavit, ut ipſi fidei bellum indixiſſe videretur.

§. II. 1. *Ex perduellium numero*] non pro juſto hoſte habetur.

Jusjurandum commune] nec ſi quid ei promiſſum vel juratum ſit, id ſervandum eſt.

2. *Libertatem reddiderunt*] Ut Iſeas Caryneſium tyrannus, qui dominatu depoſito & accepta fide publica patriam fœderi Achaico adjunxit. Polyb. 2. Et hine materia declamationis Fabio avo decl. 267. *Flens ad arcem depoſitor tyrannidis*.

§. III. 1. *Neque pars ſunt*] vagi, ſedium inopes, nec civili ſocietate conjuncti, in quoſvis graſſantur.

Alibi] 2, 20, 3.

Hoc jus ex promiſſo] quod ei ex pacto debetur.

Non tanquam cum malefico] ſi cum eo egit, quem putavit eſſe bonum virum, & neſcivit latronem, piratam, maleficum eſſe.

Cum tali qua talis] cum eo quem notum eſt, qualis ſit.

Simul de remittenda] tontractui tacite incluſum, quæ prius fecit improbe, fraudi eſſe illi non debere.

Cavet ne actus] efficit ut contrahentes non videantur nihil egiſſe.

§. IV. *Liberare*] ſolvere obligatione.

Opus eſt, ipſe metu injuſto] Non videtur ſufficere reſponſio: nam certe prædones & ſugitivi metu injuſto cauſam contractui dederunt. Niſi enim metuerentur, nulla cum iis fieret pactio. Malim dicere id verum eſſe in eo promiſſore, qui fuit in poteſtate illius cui promittebat: quippe huic nihil ſuit indignum, itaque nec juſtus ejus conſenſus. At qui liber & ſui juris cum prædone contrahit, ejus plenus eſt conſenſus, utcumque provido metu inducti: nec hic eſt metus proprie dictus, qui cadit in conſtantem virum, cum præſens obverſatur periculum cruciatus aut mortis, quo amittitur conſtantia & omne conſilium abjicitur, ſed quidem proviſus adverſus futurum malum, quod ita exſpectatur, ut ſæpe non accidat.

§. V. *In hæredem tranſeunt quæ in humano*] debita ex contractu legitimo: hi enim bonis adhærent & quocumque bona veniant, hoc commodum aut incommodum ſecum ferunt. At ubi quis injuſto metu coactus interpoſito jurejurando promittit, nullus eſt contractus legitimus, ſed tantum vinculum perſonale, quod cum perſona extinguitur, niſi novum jus accedat, hoc eſt, moriens forte qui promiſit, ultima voluntate mandet hæredi, ut illud ſolvat.

Diſſimulare] impunita tranſmittere.

§. VI. *Per ſe non injuſtam*] puta injuſta tyrannide preſſi.

Jus tamen] adſtringit enim eos civilis ordo ad obedientiam & patientiam.

Pœna promiſſo] non liberatur princeps fide illis data, dicendo eos pœnam ſibi debere: itaque cum illa promiſſum ſuum compenſari; nec ſe id ſervare teneri, & ſufficere, ſi pœnam remittat.

Metus autem illati] quod dicere poteſt imperans ſe a ſubjectis rebellibus injuſto metu coactum ea promiſiſſe, eoque civili jure poſſe reſcindere contractum initum; id ei prodeſſe nequit, quia plerumque intervenit jusjurandum.

§. VII. *Jus legis conſtituendæ*] quod ſumma poteſtas legem poteſt ferre & abrogare.

In res ſubditorum] ut poſſit eas dominis auferre aut conſumere in utilitatem publicam, 2. 14. 7.

Jus ex promiſſo] quod acquiſiverunt ſubjecti ab imperante armis rebellibus expreſſum.

Non promiſcue] ut pro libidine ſua poſſit princeps vel civitas abuti privatorum bonis.

Compenſatio tamen] Quoties princeps vel civitas bona privatorum arripit publici commodi cauſa, debet pro illis ſatisfacere ei qui ſua perdit.

§. VIII. 1. *Ne perſonarum*] ne poſteri exciperent jusjurandum illud fuiſſe perſonale, atque ideo obligaſſe tantum jurantes.

Per quas ipſe populus] Non hoc dicit Cicero, ſed ſacroſanctum nihil eſſe, niſi quod populus plebsve ſanxiſſet. Itaque oportebat quidem intervenire populum, ut lex ſacrata ferretur: non tamen ubi populus intervenerat, ea lex ſtatim ſacrata erat: niſi fuiſſet adjecta ſanctio, qui eam non ſervaſſet, ejus caput ſacrum, hoc eſt, Diis devotum eſſet: eoque is homo a quovis poſſet occidi.

Cicero pro Balbo] c. 15.

2. *Apud Livium libro tertio*] c. 55.

Lege ſola] non etiam jurejurando, ut vult. Non tamen hæc diſcriminis eſſe cauſa videtur, ſed quod neminem voluerunt ſacroſanctum haberi, de quo id nominatim cautum non eſſet, ut factum fuerat in tribunis, Liv. a. 33.

Brutus] non ille regum expulſor, ſed L. Junius, unus e primis tribunis plebis.

§. IX. *Sed & tertio*] qui tanquam pacificator aut quomodocumque medius inter regem & ſubditos intervenit.

§. X. *In mixtum*] ex pura Monarchia in temperatam Ariſtocratiam.

Subditi qui fuerant, incipiant] ut Helvetii excuſſo Auſtriacorum, Belgæ liberi Hiſpanorum jugo.

§. XI. 1. *Ex cauſa metus injuſte*] eo prætextu, quaſi vitium intervenerit contractui, aut metu injecto expreſſa ſint, non poſſit ab his diſcedi, niſi remittente ipſo rectore, cui promiſſa ſunt.

2. *Intus enim & ipſa rei natura*] Fictione tantum juris hoc juſtum eſt, ut aliquis finis perniciali diſcordiæ reperiretur, non per naturam rerum, aut legem morum, aut apud Deum.

§. XII. *Quem jus gentium*] qui inſertur actionibus, quæ in bello conſenſu gentium licitæ putantur.

§. XIII. 1. *Sergius Galba*] Leg. *Servius Galba.*

Pueris & lacrymis] C. Sulpicii Galli, hominis gratioſi ad plebem, filio, pupillo ſuo, & duobus parvis ſuis, quorum ſe, tanquam in procinctu teſtamentum faceret, ſine libra & tabulis Po. Rom. inſtituere tutorem orbitati dicebat: atque hi fletu ſuo populum moverunt.

§. XIV. *Defectu conditionis*] ſi quis promiſit non omnino, ſed certo caſu & conditione, & is caſus cave conditio non exſtiterit.

Per compenſationem] Si promiſſum eſt, & ipſe rem noſtram tenet mala fide & cum conſilio non reddendi, quæ ſit ejudſem æſtimationis cujus eſt quod promiſſum eſt.

Singula alia aliis ineſſe] adeo ut ſi unum non ſervetur, omnia pro irritis & violatis habeantur.

Hanc ob cauſam] Hæc exceptio ut elidatur, quoties eam valere nolunt contrahentes.

§. XV. *Qui dicat*] actori, pecuniam credidiſti, itaque illum, unde petitur, condemno, ut tibi reddat: Sed & alia ſæpe dicit. Quæ iſtæ? nempe, credidiſti tu quidem illi pecuniam, ſed argentum, ſcilicet factum in vaſis, abeo, quacumque ſpecie aut occaſione acceptum, neque emtum aut jure tuum, poſſides: id æſtimatum pluris eſt, quam quod petis. Ergo ſic abi e judicio, ut te debitorem ſcias, qui creditorem præferebas; teque ultro aliquid debere illi, a quo nummos petiturus huc veniſti.

Agellum quem] argentum quod.

§. XVI. *Actiones quædam ſeparantur*] ita ſunt diverſæ, ut compenſari nequeant: ſed ſi duo uterque adverſus alterum propriam actionem habet, uterque ſua uti, & quod ea continetur, proſequi neceſſe habet: nec tollit altera alteram.

§. XVII. *Non contraxerit*] nihil quidem viciſſim promiſerit, ſed in culpa eſt, ut alter minus habeat.

Colonum non tenet] non habet obligatum, ita, ut fructus vel pecuniam, qua ille conduxit, exigere poſſit.

Tabellis manentibus] formula vel inſtrumento condictionis illæſo & integro.

§. XVIII. *Poteſt contribui*] pro eo, quod promiſſum eſt, ut non præſtetur, poteſt imputari & compenſari id, quod propter maleficium promittendi debet, cui promiſſum eſt.

§. XIX. *Si quid inter litigantes*] ſi qui jam contendunt in foro, de alia cauſa contraxerint, non poteſt alter contrahentium ſalva fide promiſſum negare, quod dicat ſe ab illo lite vexari & multum impendere. Sic etiam jam bellantes ſi quid inter ſe pacti fuerint, non re tota compoſita, nequit alter a pacto reſilire propter cauſam aut continuationem belli.

Negotii enim natura] Hoc omni negotio naturaliter ineſt, ut præſumatur aliquid actum, non pueriliter luſum. Hoc autem caſu non poteſt aliquid actum videri, niſi ſepoſita cauſa principali.

3. *Inter eaſdem perſonas*] quod in compenſationem mei promiſſi imputare alicui volo, ſit ejus, quicum mihi res eſt; non alicujus tertii.

AD CAPUT XX.

§. I. *Tacita*] quæ ſcilicet eorum colligunt ex ſignis non nimium dubiis, aut ex iis quæ expreſſa ſunt, tanquam horum poſtera & conſequentia.

Sive actu ſuo] præſenti partium conſenſu.

Ad aliud relato] dilato in fortunæ aut mediæ perſonæ arbitrium.

Caſum temperant] partim ſunt fortuita, partim pendent vel a numero & virtute copiarum, partim a vi mentis.

§. II. *Jus habeat non impeditum*] poteſtate ſua libere utatur.

§. III. 1. *Lege definitur*] quo ætatis anno a tutela aut cura liber habeatur.

2. *Obnoxium vivere*] ſervire cogi ei, cujus in finibus eſt.

Laxa cuſtodia] in quibus non quidem vinctus eſt aliquis, nec tamen ſui arbitrii, ut Vonones apud Tacitum, 2. Annal. 4.

§. IV. *Conſilii publici*] Senatus comitiorum.

Sententia dicendæ] ſuffragii ferendi.

Iiſdem & volentibus] Loquitur de illis, qui diſſenſerunt quidem initio, ſed tamen in eo quod majori parti placuit acquieverunt.

§. V. *In uſufructu*] non ut de eo, tanquam de privatis bonis paterfamilias, ſtatuant pro arbitrio ſuo, ſed id teneant, ut beneficium populi, quo ad vitam fruantur, quodque quantum in ipſis eſt, fideliter conſervent & augeant.

Lege publica] in capitulando, ut vulgo loquantur, ſeu lege regia formanda, in quam in aditu imperii jurent, poteſt præcaveri, ut ſi quid tale faciat rex, irritum & inane ſit.

Nec ad id, quod intereſt] non modo ad implendum contractum, ſed ne quidem ad ſatisfaciendum aliqua compenſatione pro eo quod non impletur.

Subditorum bona pro] ſubjecti venirent in periculum bonorum amittendorum, quæ invadere poterat, qui contraxit, pro eo, quod non præſtatur male promiſſum a rege.

2. *Partium Legatos*] provinciarum deputatos.

3. *Transſcribi*] alienari.

§. VI. *Sub imperio comprehenſa*] eſt pars ejus, quod illi populus in ſe conceſſit, imperii.

Jus præter regium accedens] dominicum.

§. VII. 1. *Quam regium*] non etiam familiare aut herile.

2. *Et ipſe qui damnum paſſus eſt*] Fecit voluit dicere, is paullo minus accipiet, quam conferre deberet, ſi alius damnum feciſſet, quod pro parte illi erat compenſandum.

§. VIII. *Agnoſcere non debere*] civitatem non obligari ad ſarciendum.

Populos alios ſpectat] liberat populum a populo, externos ab externis; non civem a cive.

Res bello amiſſa] quemadmodum Romani in armis ſuſtulerunt poſtliminium.

§. IX. *Quæ aut dominio inſunt*] velut ineſt ei, ut poſſit ſervire publico, & totius civitatis periculum levare.

Ex dominorum facto] ſive contraxerint, ſive deliquerint.

§. X. *Cum rege contrahunt*] & aliquid ſubjectis ejus ablatum accipiunt, etiamſi citra neceſſitatem & publicam utilitatem ablatum, etiamſi civitas id non reſarciat, non verendum ne malo jure rem teneant, quia illis pro omni jure eſt factum regis tradentis.

Ob præſumptionem] quod præſumitur rex hoc non niſi juſte facere.

Gentium Jus] quo, etſi non traderet, arripi tamen bona ſubjectorum poſſent propter debitum regis tanquam pignori oppoſita.

§. XI. 1. *Quo quidque plus*] quo quidque caput eſt de re magis favorabili.

Quo longius] odioſiorem rem continet.

Ambigue poſitorum] dubio ſenſu ſcriptorum.

2. *Vix ſolet injuria*] nemo enim volens fateatur injuria ſe feciſſe.

Qua partes] qua parti utrique, quantum poteſt, relinquitur ſalva juſtitiæ fama & ſpecies.

Ex formula juris antiqui] reſtituatur cuique, quod antea habuit.

Ut res maneant] ut ſervet quiſque quod bello cepit.

§. XII. 2. *Non civiliter*] cum juſto titulo acquirendi.

Naturaliter] quomodo tenere dicitur quicumque habet quavis ratione.

Sativa] caſtra ad tempus poſita.

Quod hoſtium fuit] eorum qui hoſtes fuerunt, & nunc ita fecerunt pacem, ut de perſonis iſtis nihil ſint pacti.

§. XIII. *Privatis dejectis*] ſi forte paullo ante bellum vis facta eſt, nec jure vindicata propter bellum interveniens, ita ut oriente bello invaſor poſſideat.

Interdicto] unde vi, quo poſſeſſio adſeritur §. 6. Inſt. de Interd.

Vindicatione] qua proprietas adſeritur.

§. XIV. *Ad eum reſtitutio non*] is non reſtituetur ex generali conventione, ſed oportet ſpecialiter de eo cautum fuerit.

§. XVI. *Quæ privatis deberi cœperunt*] ex contractu civili ante bellum inito, ut ex. gr. quod colonus meus mihi debere cœpit, dum hoſtis agrum inſidet: vel uſuræ quarum dies ceſſit, dum debitor cum patria ſua in hoſtium poteſtate eſt.

§. XVII. *Ignorabant Romani*] cum ſcilicet pacem facerent, dein eo cognito non poterant propterea turbare pacem factam aut novas pœnas exigere. Sed exemplum eſt alienum, nam illa non erant facta & ignorabantur ante pacem ſtatutam & primum bellum finitum; ſed aliquanto poſt id tempus. Itaque poſtquam ea reſciverunt Romani, merito, quod prius fœdus violatum eſſet, minando bellum Pœnis imparatis, adegerunt illos ad novum fœdus, quo Sardinia ceſſerunt.

§. XVIII. *Levis verborum conjectura*] ſi minima detur anſa formulam pacis ita interpretandi, ut & iſtæ lites ceſſare debeant.

§. XIX. *Ut*] qua.

§. XXI. *Quæ mutua ſunt*] ubi utrimque redditur, quam ubi tantum ab altera parte.

Lucrativo titulo] donatione, teſtamento.

§. XXIII. *Nomina regionum*] Provinciarum, diœceſium, quod interdum latius, interdum ſtrictius accipiuntur.

§. XXIV. *Relatio fit*] ſi dictum ſit, ita poſſideri aut reſtitui debere ut definitum ſit in pacto ante tot annos inito.

Pro faciente habendum] quaſi reſtituerit, nec naſci cum eo novam actionem putandum.

§. XXV. *Mora purgationem*] aliquam excuſationem, ſi quis ſtatutum reſtitutioni tempus non obſervaverit.

§. XXVI. *Qui conditiones elocutus eſt*] qui formulam dictavit aut concepit.

Qui dat] pacem.

Ejus qui accipit] ex commodo accipientis grandius aut minus æſtimatur, quod debetur.

§. XXVII. *Novam bello cauſam præbere &c.*] alterum, ſi temere fiat, injuſtitia eſt; alterum perfidia.

Ad committendam] quia in poſteriore, quod gravius, plus pœnæ debet, qui ſacrati juris aliquid violat, & liberior excuſatiorque eſt ad non ſervanda cætera, quæ convenerunt.

Quod omni paci] quod dictum, conventum, pactum intelligitur in genere quotieſcumque pax coit.

In pace dictum eſt] quod in ea quæ nunc placuit, ſatis evidenter & perſpicue cautum eſt.

Ex pacis cujuſque] quod ipſum genus pacis, in quod conſenſum eſt, præſtari oportere recte judicantibus demonſtrat. num. 39. ſpecialem naturam pacis vocat.

§. XXIX. *Socii fuerunt*] eorum, quibuſcum bellavimus.

Partim poteſtativa] qua caveatur partim de eo, quod in poteſtate eſt, & noſtro arbitrio poteſt permitti aut impediri; partim de eo, quod forte fortuna accidere poteſt.

Aliis non adjuvantibus] illis, quibus antea ſocii fuerunt, quieſcentibus, neque iſtos ſubornantibus.

Tenebuntur] ipſi & non, quorum ſocii antea fuerant.

Pauſ. IX.] p. 544

Lacedæmoniorum ſocios] Platæenſes, quod Lacedæmonii, quorum illi ſocii fuerant in bello, Cadmea ex Inſidiis occupata pacem rupiſſent, quamvis Platæenſes ipſi nihil deliquiſſent.

§. XXX. *Publico probatum*] accipi poſſit, ut conſilio & approbatione po. vel imperantis factum.

Facta manifeſta] quæ qui fecit, ita palam fecit, ut civitas non poſſit non ſcire: aut ſi civitati ab eo, cui factum, ſignificatum eſt.

Præſumitur niſi] Creditur enim princeps vel populus in privatos juſtum habere imperium, niſi contrarium doceat manifeſta ſeditio.

Neglectus decreto] perinde in culpa eſt, ac ſi decreto facinus eſſet probatum.

§. XXXI. *Actum aliud*] id probibitum non eſſe.

§. XXXII. 1. *Sine nova cauſa*] qui poſt pacem initam non dederunt vel offenſam contraxerunt.

Pro

Pro toto & pro partibus] pro ipſo corpore ſive omnibus junctim & pro ſingulis ſeorſum.

Per pacem licebit] iis quibus vis infertur.

Abdicatum inter pares] renuntiaſſe quemquam huic juri, qui non alteri ſeſe ſubmiſit.

Moram fert] ultionis aut ablatorum perſecutio non neceſſe eſt, ut fiat in inſtanti, quemadmodum defenſio contra repentinam vim aut aggreſſionem.

§. XXXIII. 1. *Sociis quoque*] illorum, quibuſcum velut cum ducibus adverſæ partis pax facta eſt.

Sed his demum] potius dicendum, niſi qui nominatim excepti ſunt, aut niſi quos certo conſtat comprehendi non potuiſſe, ut ſi ſubjecti alterius alteri ſeſe applicent.

Hostium loco ſunt] ſi ſcilicet ante pacem hoſtes fuerunt.

§. XXXIV. *Et non facere*] Facere contra pacta videtur & qui non facit, quod eum facere placuit, & qui non facit, quo tempore facere debuit ex pacto aut negotii natura.

§. XXXV. *Arbitri prius adeantur*] ſumatur judex medius & neutrarum partium apud quem diſceptetur.

§. XXXVI. *Adjecta ſit*] certo capiti, ni ſervetur.

Poſterior non ſtat] cum prius alter eis non ſtetit, & ipſe poſterius ea implere ceſſavit.

§. XXXVII. *Conditione caſuali*] ſed poteſtativa ſcilicet: id eſt, non ſolet ita ſtatui, ut, quod forte fit, eam rumpat, ſed quod conſilio & culpa.

Æſtimationem accipere] aliud tantumdem valens.

Mutuis præſtationibus] ſibi remitti, quod ipſe facturum ſe promiſit, in compenſationem quod ab altero non præſtatur.

§. XXXVIII. *Innocenti pacem ſervare*] quieſcere & ab eo vinculo, quo tenetur alter, eum non dimittere.

§. XL. 1. *Contra amicitiam*] quibus malevolus declaratur animus, etſi proprie nihil fiat adverſus præcipua pacti capita.

Sub amicitiæ lege] cui additum eſt inter articulos ut poſthac vivant tanquam boni & fideles amici.

Officium exigeret] quod fieri deberet lege humanitatis & morum, cui qui non paret, facit quidem improbe, non tamen actionem alteri parit.

Injuriis non armatis] quæ fiunt ſine vi aut ſi negentur honores debiti, aut fiat aliud quid in contumeliam ſocii.

Si quid eſt commiſſum] ſi qua offenſio data.

Id non neglectum] pro fraude & culpa habetur, non pro negligentia.

Detrahenda eſt invidia] ne nimis cito in bellum ruatur, factum, quamvis malignum lenio re potius animo accipiatur & mitiore vocabulo appelletur, quam graviore & invidioſiore.

2. *Servis atrociter læſis*] tanquam id pertineat ad domini offenſam.

Libidini potius] in eo peccaſſe magis aliquem interpretabimur, quod ſe continere non poſſet, quam quod in perſona cara læſos nos vellet aut contemneret.

§. XLI. 1. *Partem integrantem*] qualis pars ſi abſcedat, totum non manet integrum, ſed mutilum fit.

Idem introductum] ut eos aufugientes a dominis, in quorum ſervitutem bello venerunt, recipere, nec reddere liceat.

Qui exſules non acti] qui non ſunt damnati exſilio, ſed ipſi ſolum mutaverunt fuga, ne gravius punirentur.

§. XLII. *In quam plenum*] in qua & exſequi jus noſtrum, & id remittere ſine injuſtitia poſſumus.

§. XLIII. 1. *Qua definitio numero*] ubi jubentur pauci decertare fato & eventu populi utriuſque. 2. 23. 10:

Lacedæmonios & Argivos] ducibus Othryade ac Theſſandro.

3. *Uti tanquam teſtimonio*] quemadmodum ſuperioribus ætatibus in defectu probationum innocentiæ ſuæ ſolebant cum accuſatoribus in certamen armorum deſcendere.

4. *Nihil ei imputandum*] nulla ejus eſt culpa.

§. XLIV. *Sibi quidem jus*] pacto ſuo efficiunt, ut, ſi vincantur, perdant jus regni: non tamen ut id ſtatim acquirat victor niſi etiam conſenſerint, quorum intereſt.

Feudis non liberis] Ligiis, 1. 3. 23.

§. XLV. 1. *Uter pro victore*] quia exitus ſæpe ſunt tales, ut uterque illos pro ſe poſſit interpretari.

In fines ſe & oppida] excedere campo, nec caſtris conſidere audere.

2. *Tres controverſia*] tria controverſiarum hujuſmodi exempla.

Condictum certamen] num. 43.

Sine vera] plena & conſummata alteriuſutrius partium.

3. *Spolia legere, cadavera*] quæ indicio ſunt locum aciei, antea communem, nunc eſſe ejus qui ſpolia legit, & cadavera concedit, Juſt. 6. 6.

Prælio iterum laceſſere] quod detrectet hoſtis, neque audeat prodire in æquum, Liv. 22. 12.

Eo loco quo ante] ambigua.

§. XLVI. 1. *Ex compromiſſo*] ubi convenit inter partes, ut quicquid ſtatuerint arbitri, eo ſtetur ſine exceptione.

Ad boni viri arbitrium] ubi convenit hoc ita, ſi patuerit arbitros ſe gerere tanquam medios & bonos viros.

Si æquum arbitratus] ſi non abuſus fuerit liberti bonitate, qui ejus arbitrio ſe commiſit.

Conciliatorem] qui perſuaſione & inductione utatur.

Cujus dicto] qui imperio & ſententia decretoria.

2. *In quos compromiſſum*] qui omnem habent pronuntiandi & litem terminandi poteſtatem.

Nulla hic poteſtas ſuperior] ut in privatarum rerum arbitris eſt Magiſtratus vel princeps.

De arbitri officio] quid facere illum deceat.

De compromittentium obligatione] quid facere neceſſario teneantur.

§. XLVII. 1. *In vicem judicis*] ut merum

rum jus ſummamque juſtitiæ legem & cauſarum merita ſpectet.

Cum laxiore quadam] ut poſſit etiam præter jus ex æquo & bono ſtaruere.

Illum formula] cum qua ſemper dabatur a prætore judex, veluti, ſi pareret dare vel facere oportere.

2. *Qua legis ſonum*] quæ quod lex dicit, cum poſſit in alienum & abſurdum ſenſum rapi, ex ratione & cum prudentia id intelligendum monet, 2. 20. 27.

Etiam extra juſtitia] etiam per leges poſſit non fieri.

Ita in dubio] ubi uou plane ac diſerte de iis conventum eſt.

Quod minimum] l. 9. D. de R. J.

§. XLVIII. *De principali negotio*] utrius ſit res, de qua ambigitur, non uter interim eam poſſidere debeat.

Poſſeſſoria judicia] quibus in anteceſſum certatur, uter, dum lis eſt, poſſidere debeat: nam is onus probandi in alterum devolvit.

Nihil eſt innovandum] uon auferenda poſſeſſio ei, qui rem tenet.

§. XLIX. 1. *Habebunt nobis gratiam*] id beneficio uoſtro conſecuti fuerint.

Neque enim fœdus dicere] ex fœdere quicquam illis deberi.

2. *Enim*] etiam.

Permiſſo libero arbitrio] ſi Senatus populique Rom. omne de ſe arbitrium facerent, ne principes eorum vinculis & ſuppliciis traderentur; metuebant.

§ L. *Suo facinore*] proprio, extra commumunia, & egreſſo modum eorum, quæ vulgo & promiſcue in bello fiunt.

Quantum ſecuritas] concedere poteſt victor, ita ut ipſe extra metum cladis aut rebellionis maneat.

2. *Indeprecabili ſupplicio*] ut Gell. 1. 13. *Pœna indeprecabilis.*

Senſiſſes me & victorem] duras tibi conditiones præſcripſiſſem, quod & poſſum, ut victor, & jure poſſum, ut affectus injuria.

3. *Deditionem*] Romani rerum acerbitatem verbis mitigare ſolebant. Sic fidem dicebant poteſtatem liberam de aliquo ſtatuendi. Sic ſocios, qui erant veri ſubjecti. Sic Magiſtratus in edictis ponebant *Bonum Factum*, id eſt, recte facietis, pro eo, quod eſſet volumus & jubemus. Sic lictor ſupplicium ſumpturus jubebatur lege agere.

4. *Belli incentores*] auctores & concitores.

5. *Non ſub formula*] non eſt adſcripta verbis conceptis.

Taxare litem] quantum vult, imponere mulctam.

§. LI. *Mixtum quoddam*] in quo aliquid juris in ſuos relinquat dedito exceptum ab imperio victoris.

§. LII. *Aut ejus qui imperium*] ipſos invitos.

Jus in actiones] Poteſt qui ſummum imperium habet, publici boni cauſa auferre ſingulis arbitrium agendi vel non agendi, ut poteſt auferre bona.

Feudi dominus non habet] ut eum vaſallum obſidem det invitum.

§. LIII. *Obſidem poſſe*] ſi non ſervet pactum, qui obſidem dedit.

§. LIV. *Si ab initio quo laxius*] ut minus arcte vel moleſte cuſtodiretur, dextra data & jurejurando promiſit ſe non abiturum.

§. LV. *In unam cauſam dati*] elapſo tempore, in quod, aut perfecta re, ob quam dati erant.

Κατ' ἀνδροληψίας] per clarigationem vel pignoris capionem.

§. LVI. *Tantum ut alterum*] dum alter captivus vel obſes inviſit patriam & redemptionis pretium comparat.

Ut in captivo redempto] ſi quis patrem alicujus redemit, ut recepto pretio a filio eum liberum dimittat, & is pater mortuus ſit, priuſquam pretium a filio redderetur.

Quod in perſona locum] quod cum erogandum eſſet pro captivo, & cujus ipſe captivus erogandi pignus fuiſſet, pro eo mortuo & ſic jure pignoris ſoluto, habet retinetque filius.

§. LVII. *Perſonale an reale*] cum ſolo rege percuſſum, an cum rege & populo.

Acceſſoria non poſſunt] propter obſidem datum non ſtatim fœdus intelligitur eſſe reale, ſi aliud ab initio actum eſſe appareat.

§. LVIII. *Factum non ſuum*] quod alius debet præſtare.

Obſides etiam ſine conſenſu] ſi aliquis obſidum peccet aut auſugiat, pro ejus delicto alterum, qui ſimul ſit obſes datus teneri.

§. LIX. *Et ex alio debito*] ſi jam ſolutum ſit, cujus cauſa pignus datum eſt, & interim debitor aliud debitum ab eodem creditore contraxit, in hujus quoque debiti ſecuritatem olim datum pignus poteſt retineri.

Niſi obſtet data fides] niſi expreſſe cautum eſt, non uiſi in unam cauſam, quicquid etiam interveniat, hunc obſidem eſſe debere.

Æquale eſt odium] Favorabilior eſt cauſa pignoris quam obſidum: ideo laxior ejus interpretatio.

§. LX. *Nullum tempus*] Placuit enim tempus non eſſe modum finiendæ obligationis. Weſemb. ad tit. Quibus modis pign. vel hyp. ſolvitur.

Veterem & novam] ut pignus contractum.

Ex nova] habitione pro derelicto.

Patientia debitoris] quod debitor pignus tam diu penes tenentem eſſe paſſus eſt, id præſumitur feciſſe, quia confidebat contractui, per quem putabat id ſibi licere, quandocumque vellet, licere atque integrum eſſe, non quod id pro derelicto haberet.

AD CAPUT XXI.

§. I. B*Elli commercia*] commutationes communicationeſque nihil hoſtile habentes.

Status eſt nomen] conditionem temporum deſignat, 1 1. 2.

Ope-

Operationes ſuas non exſerit] non pugnatur, cæditur, capitur, nocetur, turbatur.

2. *Bella ſuſpendebant*] differebant & quaſi tenebant in pendenti, in ſuſpenſo.

Non ſtatum ſpectari] non eſſe pactum generale aut de univerſis circa rem aliquam actionibus, ſed de eo, quod ſemel iterumque fieri debeat.

Pacem ſequeſtram] Sequeſter penes quem res controverſa interim deponitur: aut qui medius intervenit duobus certantibus, ita pax ſequeſtra per quam ad tempus deponitur certamen belli, aut quæ intervenit certamini media.

Εἰρήνην πρόσκαιρον] pacem temporariam, caducam, quæ bellum parturit.

Pacem caſtrorum] quia caſtra eſſe indicium eſt eſſe bellum: non ergo hæc pax ſimpliciter, ſed bello durante pax intercedens.

Forenſes ferias pacem] 4. Silv. 4. *Certe jam Latia non miſcent jurgia leges, Et pacem piger annus habet.*

4. *Ceſſationem actuum*] non ut ceſſaretur propter aliud, velut colloquii cauſa aut religionis aut ſimilium, ſed tantum ut ceſſaretur, velut in longis multorum annorum induciis.

§. II. *Otium fit*] Otium pro pace Cicero 2. fam. 17. *Si antea auditum eris otium eſſe in Syria, legiones ventura non ſunt.* Agrar. 2. 27. *Ego vobis in hunc annum conſul popularis affere pacem, tranquillitatem, otium.*

§. III. *Indictione opus erit*] ad bellum poſt inducias repetendum.

Sublato impedimento temporali] elapſo tempore induciis præſtituto.

Non mortuus, ſed ſopitus] non extinctus, abolitus, ſed intermiſſus.

Dominium] adminiſtratio rerum ſuarum.

§. IV. 1. *Ad momenta temporum*] ab hora, qui conſenſum eſt in inducias ad horam eandem centeſimi diei.

Ad civiles dies] ut quæ ſuperſunt horæ ultimi diei, ſimul comprehendantur, ut l. 38. D. de V. S.

2. *Intra rem*] extremitas vel ultimæ partes rei.

Extra rem] de proximo rem attingentia.

Voluntate] arbitrio hominum, ubi natura non facit terminos.

3. *A quo die*] ut ſit, poſt quem diem non, cum quo die.

§. V. *Acceperunt formam legis*] ex quo ſolemniter promulgatæ ſunt.

Per omnem ditionem] per omne territorium.

§. VI. 2. *Caſu aliquo*] non induſtria aut opera noſtra.

§. VII. *Interius recedere*] intra fines ex eo loco, unde alioqui non facile ſine conflictu digredimur, ut Philippus apud Liv. 31. 39.

§. VIII. 1. *Corruptis*] ſollicitatis ad defectionem pecunia vel promiſſis, ut Sulla illuſit L. Scipioni. Appian. 1. civ. p. 401. Flor. 3. 21.

Quæ ipſe viciſſim Athenienſes] feciſſe contra inducias. Vel quibus ipſe.

§. IV. 1. *Vi majore*] Θεῦ βίᾳ l. 25. §. 1. D. locati, quæ conſilio humano neque provideri neque vitari poteſt.

In ſolutum] vicem ejus quod ſolvi debet.

2. *De commiſſi cauſa*] ſi tempeſtate acta navis prætericrit locum, ubi applicare debebat & vectigal ſolvere: vectigali autem non ſoluto merces incidunt in cauſam commiſſi.

Apud Ciceronem de Inventione ſecundo] cap. 23.

Ex lege] ſi qua roſtrata navis in portu deprehenſa eſſet, ut publicaretur.

Ibi enim] in commiſſis.

Hic proprie] in detinendo eo, qui deprehenditur intra fines.

§. X. *Convenit ne commeare*] diſerte ponitur in pactis induciarum, ne utrimque inter partes hoſtiles liber ſit commeatus.

Si ad res defendendas] ſi, quæ res alterius invadunt violentur perſonæ.

Ad id quod principale] ita accipienda eſt, ut directo & per ſe perſonæ nihil hoſtile facientes non lædantur; non, ne lædantur, dum ea, quæ per inducias licet arcere ac prohibere, attentant.

Conventionis inſunt] omnia conventionis capita infirmantur & læduntur in uno, quaſi ſingulis eſſet adjectum, hoc caput ſalvum fore, ſi & cætera ſalva fuerint.

Qui ſuſtinuerint] non reddiderint par pro pari & ruptis ab altera parte induciis proſiluerint viciſſim ad hoſtilia, ſed exſpectaverint finem.

§. XII. *Pœna conventa*] in pacto induciarum eo caſu, ſi quis eas violet.

Bellum moveatur] poſt violatas inducias alter viciſſim aliquid hoſtile fecerit, is pœnam conventam poſcere nequit, jam enim videtur legiſſe alterum eorum, quæ optare potuit.

§. XIII. *Imperii aut ratihabitionis*] ſi juſſa fuerint aut approbata ab eo penes quem imperium eſt.

§. XIV. *Privilegium quoddam*] certis perſonis plerumque datur quum in aliis maneat bellum.

De privilegiis] juribus ſingularibus, quæ non ad exemplum trahuntur. §. 6. Inſtit. de j. n. g. c.

Intra verborum proprietatem] quatenus propria verborum ſignificatio permittit.

§. XV. *Datum militibus commeatum*] Si poſitum ſit in pacto induciarum, concedi liberum iter in hoſtiles terras aut per hoſtiles militibus non excludi, centuriones, tribunos, præfectos, ſed nec legatos, qui ſummæ rei præſunt.

Nomine clericorum] Quod clericis conceſſum, id etiam vindicare poteſt epiſcopus.

§. XVI. 1. *In itu*] ſi data facultas eundi, utique & redeundi.

Inutile beneficium] Quod pro beneficio datur, id ita datum intelligitur, ut poſſit effectum ſortiri.

2. *Mittere*] alium ſibi ſubſtituere, qui veniat.

Ut error] ut ſi quis hoc fecerit per errorem, ſine fallendi propoſito, etſi male fecerit, non tamen pœnæ forte in pacto expreſſæ ſubjaceat.

§. XVII. *Commorandi*] conceſſa itione habitandi cauſa.

P 2 *Cum*

Cum familia] At familiæ vel præcipuæ partes uxor & liberi.

Moraliter] non ſine qua ſimpliciter & quocumque modo aliquid eſſe non poſſit, ſed ſine quo aliquid decenter & commode eſſe non poſſit.

§. XIX. *Quorum cauſa magis eſt odioſa*] qui minus ſunt favorabiles, adeo, ut videatur conceſſurus non fuiſſe, qui conceſſit, ſi ſuo nomine petiſſent.

§. XX. *Morte concedentis*] ſic ut a novo imperatore novus commeatus ſit petendus, ſi quis uti velit.

§. XXI. *Quamdiu voluero*] Quoties conceſſi aliquid alteri licitum fore tamdiu, quamdiu id ei concedere velim.

Beneficium tale] poſtquam ſemel iterumque uſus eſt, qui accepit.

Novus volendi] etſi nec verbis neque alio certo ſigno me adhuc velle oſtenderim.

Affectum] effectum.

§. XXII. *Contra jus belli*] ut in aliquem non liceat, quod jure belli liceret: licet autem in hoſtes jure belli quidvis hoſtile etiam extra territorium.

§. XXIII. *Etiam initiata*] quibus ad ſacrum uſum jam uſi fuiſſent ſacerdotes.

Ornatus ſacramentorum] ſi ſupellex ſacra impendatur in redimendos captivos, honoratur & ornatur, non violatur.

§. XXIV. 1. *Conditiones fœdas*] quod his milites redduntur ſegniores, & facilius armis abjectis in captivitatem conſentiant, certi ſe redemptum iri.

Niſi appareat] nempe quia tanti taxantur, aut id pro eis petitur, quod non poteſt, niſi gravi reipublicæ detrimento concedi.

Ipſi captivi ex caritatis lege] Mithridates oppugnans Cyzicum 3000. captivorum in navibus ad urbem admovit, qui manus tendentes ad mœnia orabant, ut ſibi parcerent cives: donec Lyſiſtratus Cyzicenorum prætor e muro per præconem eos monuit φέρειν τὸ συμβαῖνον ἐγκρατῶς αἰχμαλώτους γεγονότας ut captivi & in alienam poteſtatem redacti fortiter fortunam ferrent. Appian p. 220.

§. XXV. *In alium tranſcribi*] donari, delegari creditori, quocumque modo alienari.

§. XXVII. *Nemo cogitur ſupplere*] Non eſt dolus venditoris, ſi emptor non intelligens quid emat, obtulit plus juſto: ita nec captivi dolus eſt, ſi qui eum tenet, bonorum ejus ignarus, nec in tempore requirendi copia uſus, minoris, quam potuit, eum taxavit.

§. XXVIII. *Acquiſitionem univerſalem*] etiam rerum incorporalium captivi.

Eo modo celata] poſſit numerari in parte pretii, nec poſſit dicere, qui cepit, eam rem jam ſuam fuiſſe, ex quo dominum ceperit.

§ XXIX. *Pure debeatur*] ſine conditione plenæ libertatis recuperatæ.

A ſe oppigneratus] quaſi ſe ipſe pro pretio tantiſper pignori dederit, donec id repræſentaretur.

§. XXX. *Pactum morte*] mortuus fuerit, antequam poſſet dimitti.

Nihil omittitur] promiſſor fecit, quod potuit ut promiſſum præſtaret, quamvis fortuna interceſſerit.

Ejus quod præſtare non poteſt] ob alterius mortem aliquid dabit pro ſua redemptione.

In actione de præſcriptis verbis] damnari præeſſe promiſſorem, in quantum intereſt mea, illud, de quo convenit, accipere: vel repeti, quod datum eſt quaſi ob rem datam, re non ſecuta.

AD
CAPUT XXII.

§. I. *Duces excellenter*] integris exercitibus præfecti, aut quibus ſumma belli commiſſa eſt.

Agere ad præſcriptum] ille inter mandati terminos ſe continet, hic neminis arbitrium ſpectans, quod in univerſum ſalutare & conſultiſſimum judicat, agit ac exſequitur.

§. II. *Voluntas illa ſpecialiter*] libello ad ſingulare negotium commiſſum aptato conſignata.

Ex ipſa præpoſitionis natura] mandato procurationis aut præfecturæ jure, ordine, neceſſitate.

Morali modo] ut ea facultas commode poteſt explicari.

§. III. *Quæ ad aliam cauſam*] quæ ſatis videbat huc evaſura, ut ipſius perſona obſtringeretur.

Contractum præſtent] ut aut obnoxios ſe reddant vinculo, quod ſubeundum eſt una cum utilitate ex eo proveniente, aut etiam ipſi utilitati renuntient, ſi grave ducunt id vinculum ſubire.

Valere, ſi quid utiliter] ex præſumptione non facile irritum factum aliquem, quod licet inſcio ſe geſtum ſit, tamen fructus ad eum redundat, utcumque eum onere aliquo.

Factum Cn. Domitii] regem Arvernorum Bihiltum, qui fide publica in caſtra Romana venerat, retinentis.

§. IV. 1. *Contra mandata arcana*] diverſa ſcilicet iis, quæ palam in ſpeciem data ſunt.

Palam proſcriptum] literis in loco publico affixis denuntiatum.

Non pateat] literis forte obſcuratis pluvia caſuve alio aut ablatis & refixis.

Interventu] nonniſi adhibita perſona nominata.

3. *Præ ſe tulerit jus majus*] ſibi finxerit plus eſſe commiſſum & permiſſum quam erat.

Crimini reſpondentem] majorem minoremve pro ratione criminis.

Ex priore] damni culpa dati.

Teſtationem interpoſuerit] inſtrumentum teſtibus ſubſignatum fieri curaverit.

§. V.

§. V. *Claudicare contractum*] quaſi non paribus pedibus incedere, non utrimque æqualiter ire.

§. VI. *Oppidanos*] ſi quid illi pro his promiſerunt.

Qui ſolent] quod dux militibus, magiſtratus oppidanis mandandi jus habet.

Inferioribus] ſi horum in favorem pactum fuerit.

Si acceptaverint] non omnino, ſed in his, quæ rata habuerint milites vel oppidani.

§. VII. *Ad belli ducem*] a republica vel principe delegatum.

De belli ductu] de negotiis ad bellum adminiſtrandum & gerendum pertinentibus; non etiam de pacificatione.

Poſthumus] pronuntiatum in Caudina cauſa, Liv. 9. 9.

§. IX. 1. *Hoc jure Syria*] Atqui uon tam jure id factum quam inſolentia Pompeji, qui pro libidine, quæ potuit, acta Luculli reſcidit. Ideo & ipſius acta noluit confirmare Senatus; neque id efficere potuit, niſi poſtquam nefaria cum Cæſare & Craſſo conſpiratione inita & ſe & rempublicam perdidit. Alioqui non magis licuiſſet Pompejo adimere quam Lucullo dare: fuerant enim pari jure: ſed Pompejus ſucceſſor & æmulus Luculli. Licuiſſe autem utrumque ita, ſi ratum haberet Senatus, ex hiſtoria notum. Cur autem Tigrani? Immo Antiocho Aſiatico, Pii filio, Cyziceni nepoti.

Nondum quaſita] quæ tantummodo in ſpe ſunt acquirendi, pacto relinquere poſſeſſoribus, ſi alia imperata facere velint.

Exquiri res] brevitas occaſionis.

Intra ea] in iis dumtaxat cauſis, quæ illis delegantur.

Punica religione ſervata] id eſt, non ſervata: ſemper enim male audierunt Pœni ob perfidiam.

3. *Ut oratorem, non ut judicem*] Vide ad illa Prolegom. ſectæ argumento, cauſæ ſervire.

§. X. *Adſtringenda*] ſtrictior & anguſtior ſumenda.

§. XII. *Ita ratum ſit*] Liv. 37. 45. Pro impenſis in bellum factis 15000. talentum Euboicorum dabitis: quingenta præſentia, duo millia quingenta, quum ſenatus populuſque Romanus pacem comprobaverit: millia deinde talenta per duodecim annos. Hæc quinquaginta, ſi ſenatus pacem non comprobaſſet, reſtitui vult auctor. Liv. 33. 15.

AD CAPUT XXIII.

§. I. *Singuli temporibus adducti*] quæ ſcilicet non promitterent, niſi dura & infelicia tempora experirentur.

A privatis] Videntur illi privatos conſideraſſe tamquam pupillos & ſervos, qui ſine auctoritate tutorum & dominorum obligare ſe nequeunt.

Datur cadibus] Minus enim parcent pollicentibus ſe redemtum iri, & ſi cui pepercerint, eum, quod nunc ſæpe fit, fide data numquam dimittent ad pretium redemtionis comparandum, ſi certum erit, eum iſta fide non obligari.

§. II. *Sibi eam præſtare*] proteſtando & nihil ſolvendo.

Quod in metu procedente ex bello] neque metus ille injuſtus.

Diſſimulari] impunitum tranſmitti, non quaſi non ſit perjurium, ſed quia iſtis hominibus jus non redditur, quippe habeantur pro ſervis pœnæ, atque adeo pro nullis.

§ III. *Minorem*] XXV annis.

Ejus ſtatus eſt] eam vim naturæ ingeniique habeat.

§. IV. *In mente agentis*] ita præſumptum ſit, ut fuerit præcipua cauſa contractus, qua deficiente etiam, quod actum eſt, irritum fore tacite conſenſum putatur.

§. V. 1. *Illicita cum civibus ob jus*] tanquam qui non habuerint poteſtatem earum actionum & rerum, ob jus quod in eos habet princeps vel civitas.

2. *Malum majus*] Scilicet captus civis vel miles aut in perpetuum omittendus eſt, aut quandam actionem vel rem ſuam debet obligare ac ſubtrahere civitati vel principi Satis conſulit juri eminenti civ. vel princ. ſe conſervando. Alterum perinde accipiendum eſt ac ſi morbo vel calamitati amiſſum eſſet.

Fides ſola] promiſſio, qua quis non alterius ſe ditioni ſubjicit, & manet rerum ſuarum dominus, etſi ad aliquid dandum faciendumve ſe obligaverit.

Parcit enim civibus] Non vult eos potius perire, quam quidquam ſui hoſtibus, cum in eorum poteſtatem venerint, pacto obligare.

Ad humanum modum] non plus exigant, quam poteſt ab humana imbecillitate præſtari.

§. VI. *Redeundo in carcerem*] ſi ſcilicet aliquid, quod ſuſcepit, cum dimitteretur, non effecerit.

Neque enim deteriorem] quippe, qui ſi efficiat, liberetur: ſin, eodem ſit loco, quo antea.

§. VII. 1. *Ne in certum locum*] ubi præſentia illorum vehementer aut utilis illi parti, de qua captivi ſunt, aut damnoſa illi, quæ ceperat & dimittit.

§. VII. *Non fugere*] ſi habeantur in liberiori cuſtodia.

Vincti] quum in arctiſſima cuſtodia haberentur.

Liber erit, ſi idec promiſerit] quia promiſſionem non videtur accepiſſe, qui eum tenet, 2. 11.4.

§. IX. *Alii ſe dedere*] vel dum trahitur ab homine ignoto aut infeſto videns alium notum, præſertim honoratioris militiæ, vel etiam literis e cuſtodia datis.

Conceſſu ejus] hujus enim primario ſunt, quæ capiuntur.

§. X. *Decem captivis*] quos Hannibal dimiſerat, ut tentarent, numquid ſenatus Romanus redimeret captivos, fide data, ſi non impetrarent, in caſtra redituros.

§. XII. *Veniſſe auxilium*] ſi quis promiſerit deditionem, niſi certum intra tempus adventarint auxilia, & illud tempus finiatur, dum auxiliarii e longinquo proſpiciuntur, necdum aut applicuerint ſe nobis aut aggrediantur hoſtem; ſine perfidia deditionem recuſabit.

§. XIII. *Rediiſſe ad hoſtem*] Si quis promiſit ſe rediturum ad hoſtem, niſi cujus cauſa dimittitur, id effectum reddiderit, non ſatisfecit fidei, ſi ſic rediit, ut nemo intelligeret rediiſſe, quo fallens hoſtem paullo poſt evaderet.

§. XV. *De exſecutionis modo*] iſque modus propter incidentem cauſam non queat ſervari, non ideo rem ipſam eſſe irritam.

§. XVI. *Principalis actus*] ejus quod maximum & præcipuum promiſſum eſt, adeoque hoc præſtito illos debere dimitti.

AD CAPUT XXIV.

§. I. *Silentio quadam promitti*] Quædam promiſſa intelligi, etiamſi nominatim deſignata non fuerint.

Quedam natura] etſi nec dicto nec ſcripto nec alio ſigno externo expoſita ſint, tamen quia ſine illis, in quod conſenſum eſt, conſtare non poteſt, pro expreſſis habentur.

§. II. *Ne quid faciat*] moliatur adverſus eam rempublicam.

Zopyri factum] Juſtin. 1. ult.

§. III. *Colloquium perfide*] Liv. 38. 25. *Pauci ergo effugerunt, captus eſt nemo: major multo pars per fidem violati colloqui pœnas morte luerunt.* Plautus Moſtell. 2. 2. 69. *per fidem deceptus ſum, hoſpes hic me necavit.* Livius 1. 9. *incuſantes violati hoſpitis fœdus, Deumque invocantes, cujus ad ſolemne ludoſque per fas ac fidem decepti veniſſent.* Seneca de provid. cap. 3. multa millia civium Romanorum, uno loco, poſt fidem, immo per ipſam fidem trucidata.

Perfidum exiſtere] Florus Aſinam Cornelium, qui ſimulato colloquio evocatus atque ita oppreſſus fuit, vocat perfidiæ Punicæ documentum, 2. 2.

Labieni] qui Comium pro rebelle, ingrato & non ſemel perfido habebat.

§. IV. *Avertere hoſtem*] ſecurum & minus intentum rebus gerendis reddere, quum ipſe interim diligenter compareт, ut apud Juſtinum Ptolomæus Philopator legationibus miſſis, quoad vires pararet, morabatur Antiochum, lib. 30. 1.

§. V. *Vitta & rami olivarum*] Virg. 8. 127. *Optime Grajugenum, cui me fortuna precari, Et vitta comptos voluit prætendere ramos.*

Haſtarum erectio] Liv. 33. 10.

Scuta capiti impoſita] Appianus 2. Civil. p. 454. de Afranianis interceptis.

Obligant ad arma] quæ ſigna ſi partis alterius prœliatores edant, alterius partis eſt inhibere hoſtilia.

§. V *Cujus rei alia cauſa*] quod nemo intelligat aliam ob rationem vel factum vel intermiſſum, quam quod oſtenderint pactionem a præfecto ſuo factam ratam haberi; aut quod nunquam facturi vel intermiſſuri erant, niſi ratum habuiſſent.

AD CAPUT XXV.

§. I. 1. *Ne ſpes pacis*] nam quæ cum eo pax eſſe poteſt, a quo nulla ſecuritas eſt, ſed ſemper inſidiæ aut vis exſpectandæ ſunt? Talis autem, qui fidem & jusjurandum nullo ſibi loco eſſe demonſtravit.

2. *Sæpe habet aliquid obſcuri*] non agnoſcitur ſemper, ſed plerumque ab utraque parte ſpecioſe prætenditur.

3. *Fama, qua ſtat*] Tacit 4. annal. 40. *Ceteris mortalibus in eo ſtare conſilia, quid conducere ſibi putent, principum diverſam eſſe ſortem, quibus præcipua rerum ad famam dirigenda.*

Id ipſum facere] ne ipſis quidem fidos eſſe, quibus erga alios perfidiæ ſunt auctores.

§. II. *Quaſi pro ultimo*] propter ſe expetendas quæ bellum gererent tantummodo, quia nihil præclarius quam bellum gerere putarent

§. III. *Et malefactorum*] etiamſi pro injuriis & damnis & impenſis parum ſatisfiat, non repudianda eſt.

Dominus legavit] quaſi teſtamento & ultimis monitis mandatiſque reliquit.

Optimus interpres] Internuntius, Apoſtolus.

§. IV. *Jactura redimenda*] uti tempeſtate orta jactis in mare mercibus oneribuſque aliis levatur navigium & naufragium vitatur: ſic concedendo aliquid potentiori exitium a bello imminens cavendum.

§. V. *Ampla & ſpecioſa*] poſſunt dictare ac præſcribere conditiones, quæ ipſis plus commodi & gloriæ adferunt.

Mars communis] alea belli, quæ ſæpe ſumma miſcet imis.

Proſpera vicibus largiri] parvo intervallo aut momento interpoſito variare & ex ſecundis adverſas facere.

Morientium belluarum morſus] Flor. 2. 15.

§. VII. *Animos exaſperat*] contra amicitiam eſt, ut loquitur 3. 24. 40.

§. VIII. *Mentem divini humanique*] Votum Tiberii apud Tacit. 4. ann. 38.

INDEX

INDEX RERUM
IN
HUGONIS GROTII
DE
JURE BELLI
AC
PACIS
LIBRO TERTIO
OCCURRENTIUM.

Numerus primus Caput; ſecundus paragraphum; tertius ſectionem paragraphi denotat.

A.

ABitus tutus quomodo ſumatur. 21, 16, 1
Abrahamus res hoſtiles ſibi acquiſitas judicat & dedicat. 6, 1, 1
Abrahamus uxorem vocat ſororem. 1, 7
Abſentes an partem prædæ ferant. 6, 17, 5
Abſtinentia in ſolo pacatorum exempla. 17, 2, 2
Abuſus rei neceſſarius utentem obligat ad reſtitutionem pretii. 17, 1
Accipi plus poteſt, quam quod noſtrum eſt, ſed ſub onere reſtituendi quod excidit. 1, 4, 1
Achæi dolis abſtinebant. 1, 20, 3
Achilles culpatur, quod amicis captivorum ſanguine litarit. 11, 16, 5
Acquiri bello non poſſunt quæ penes hoſtes ſunt, ſed non hoſtium. 6, 5
Acquiri incorporalia bello utrum poſſint. 7, 4, & 8, 4, 2
Acquiruntur bello quoad jus externum quæ hoſtis noſter bello acquiſiverat. 6, 7, 1
Acquiſita bello non niſi eadem vi male dicuntur poſſideri. 9, 4, 3. *De rebus, needum actu acquiſitis, lex poteſt imperare.* 6, 22, 1
Acquiſitio naturalis in bello. 6, 1, 1, & 2
Actus publici & privati in bello publico. 6, 10
Actus communes a dividuis diſtinguendi circa reſtitutionem. 10, 4
Actus quidam talis ſunt natura, ut eorum auctores ad regnum cœleſte ſine pœnitentia pervenire non poſſint. 10, 3
Adulterium committi cum alienigena Judæi non credunt. 19, 2, 1. *Nec cum tyranni uxore.* ibid.
Ædes comburere quando nefas in bello. 12, 2, 2. *Qui comburunt, diruuntve neque juſſi, neque cum neceſſitas, juſtave cauſa ſubeſt, ad quid teneantur juſtitia interna.* 18, 6
Æquitas in arbitrio qualis intelligatur. 20, 47, 2
Æquivocatio quando fieri poſſit abſque peccato. 1, 10, 2
Æs alienum donavit Cæſar Dyrrachinis, & quo jure. 8, 4, 3. *Remiſit Alexander Theſſalis quod ipſi Thebanis debuerant, & quo jure.* 8, 4, 2
Ætolorum mos. 20, 31
Afrorum mos circa prædam. 6, 14, 3
Ageſilai dictum. 1, 6, 2
Agri capti quando intelligantur. 6, 4, 1
Agri capti publici fiunt. 6, 11, 1
Agri poſtliminio recipiuntur. 9, 13, 1
Agris de captis Hebræorum, Lacedæmoniorum & Romanorum mos & conſuetudo. 6, 11, 2
Agros vaſtare in bello nefas. 12, 2, 3. & 12, 4, 1
Agricolæ in bello a cædibus immunes eſſe debent. 11, 11
Agricolis parcendum. ibid.
Alexander culpatur, quod amicis captivorum ſanguine litarit. 11, 16, 5. *Quod quibus abitum tutum promiſit, in via juſſit interfici.* 21, 16, 1
Alexander Poro regnum relinquit. 15, 4, 1
Alexander cum Scythis de fortitudine, non de imperio, certat, libertatemque iis relinquit 14, 9, 2
Algerienſes prædones. 9, 19, 2
Aliena res occupari poteſt ad vitandum periculum. 1, 2, 2
Alienatio imperii quando valida ſi a Rege ſolo fiat. 20, 5, 3
Alienatio regni aut partis ipſius, facta a Rege, qui illud, quod alienat, in patrimonio non habet, eſt nulla, niſi populus aut corpus totum conſentiat. 20, 5, 2
Alieno debito nemo obligatur naturaliter niſi hæres. 2, 1, 1
Alimenta ſervis præſtare tenentur Domini pro operibus. 14, 6, 1. *Quanta Romæ ſingulis menſibus*

ſibus dabantur. ibid. *Pro iis obligantur ſervorum eorum liberi, qui pro debito ſuæ civitatis ſervi facti ſunt.* 14, 8, 2

Alium per facere quis poteſt J. N. quod per ſemet ipſum. 6, 9, 1. *Qui facit, quod, etſi ſibi liceat, alteri tamen non licet, peccat, ſi eum cogat.* 1, 21

Ἀμάϛημα *quid.* 11, 4, 2

Amenti falſum dicere non eſt mendacium. 1, 12

Amici qui ſint in jure poſtliminii. 9, 2, 1

Amicitia conventio in pace quid operetur. 20, 40, 1

Amicos defendere veniam meretur, etiam ubi eſt injuſtum. 11, 6, 1

Animantibus, quæ ruri inſerviunt, parcendum. 12, 4, 4

Ἀνδροληψία *quid* 2, 3, 1

Apoſtoli ad ipſum Chriſti in collem aſcenſus momentum ultimum erant pleni ſpei regni terreſtris. 1, 10, 2

Aquas corrumpere in bello an liceat. 4, 17.

Aratori bovi parcendum. 12, 4, 4

Aratus Sicyonius. 16, 6

Arbiter de bello lectus de poſſeſſione pronuntiare non debet. 20, 48

Arbitri officium quid. 20, 47, 1

Arbitri eliguntur vel in vicem judicis, vel cum laxiore quadam poteſtate. ibid.

Arbitri compromiſſarii pacis. 20, 46, 1. *Provocare num de iis liceat, ſi iniquum ſtatuerint.* 20, 46, 2

Arbitrorum genera. 20, 46, 1

Arbores quaſnam in vallum bellique opera, impendi, & quaſnam ad victum aſſervari, lex divina voluerit. 12, 2, 1

Arbores frugiferas in bello nefas eſt exſcindere. ibid. *Niſi in ſuburbanis locis jaculatores impediant.* 12, 2, 2. in Annot.

Arcere victos pro alienigenis, exitio fuit Lacedæmoniis & Athenienſibus. 15, 3

Arma apud Romanos poſtliminio cur non recepta. 9, 14, 2

Arma hoſti alicui ſubminiſtrare, hoſtis eſt. 1, 5, 2

Arma adimi poſſunt populis ſubactis etiam jure mixti imperii. 8, 3. *Poſtliminio non redeunt.* 9, 14, 2

Armis, ſignis, velis, veſtibus hoſtium uti licitum. 1, 8, 4. *Cur id licitum.* 1, 8, 5

Arx in vicini finibus ſtructa non tuendi, ſed nocendi cauſa, rumpit pacem ſub amicitiæ lege initam. 20, 40, 3

Aſiæ mos circa prædam. 6, 14. 3

Aſſertio a promiſſione multum diſtat. 1, 18

Athenienſes Corinthios an vicerint, ſecundum Polybium. 20, 45, 2. *Victoriis quomodo uſi ſint.* 15, 8

Athenienſes Halonesum, quam ipſis prædones eripuerant, & quam prædonibus eripuerat Philippus, volebant accipere a Philippo ut redditam, non ut donatam. 9, 16

Atticum jus de captivis redemptis. 9, 10, 3

Auctores belli injuſti ab aliis diſcernendi. 11, 5

Auguſtinum ſchola quadam ſolum ſequendum ſibi propoſuit, & perperam. 1, 17, 3

Auctor injuſtitiæ majori pœna dignus, quam qui eum ſequuntur. 11, 5

Auxilium veniſſe quando recte dicatur. 23, 12

Auxilium hoſti quoquo modo præſtitum, cauſam dat ad bellum juſtum. 1, 5, 2. *Sed ut de novo indici oporteat.* 3, 10. *Veniam meretur, ſi ex officio ſit præſtitum.* 11, 6, 1

Auxilium in pacto non faciendæ deditionis ſi advenerit, quale intelligatur. 23, 14

B

B*Artolus ſcripſit de repreſſaliis.* 2, 7, 3

Belgæ agros vaſtari non permittunt in bello, ſed ſub tributo eos præſtant tutos, & quamobrem. 12, 4, 1. & 12, 4, 3

Beliſarii cavillatio adverſus Gothos de locis minus cuſtoditis. 21, 8, 2

Bellantium extra territorium quæ capiuntur an jure belli acquirantur. 6, 26, 2

Bellum actionis nomen non eſt, ſed ſtatus. 21, 1, 2

Bellum finiri quomodo poſſit. 20, 1

Bellum civile prædam plerumque militi omnem promiſcue concedit. 6, 24, 5

Bellum injuſtum non niſi injuſtos prodit effectus, etiamſi ſit ſolenne. 10, 3. *Nec a latrocinio differt, quoad jus internum.* 16, 1, 2

Bellum ut ſit juſtum J. G. quid requiratur. 3, 5

Bello juſto quantum quis conſequatur J. N. 20, 11, 1

Bello juſto poteſt acquiri jus imperantis in populum, & jus, quod in imperio habet ipſe populus. 15, 1

Belli ſolennis effectus alius eſt licentiæ, alius Dominii. 4, 4

Belli cauſæ cur publice proponantur. 1, 5, 4

Bella qui ſuſcipiunt, credi volunt, ſibi juſtas belli cauſas eſſe. 9, 4, 2. *Periculoſum eſt de iis inter duos pronunciare.* 4, 4

Bella, quibus imperii gloria propoſita eſt, minus acerbe gerenda ſunt. 11, 6, 2

Bellum juſtum quid. 3, 1, 1

Bellum ex edicto. 3, 5

Bellum geri poteſt per homines improbos. 1, 22

Bellum ſtatim geri poteſt, ut indictum eſt. 3, 13

Bellum injuſtum qui geſſit, recte ad impenſas ſolvendas cogitur. 13, 3

Bellum pacis cauſa. 15, 2, 1

Bellum quomodo, ut vult Cicero, ſuſcipiendum. 15, 2, 1

Belli injuſti effectus injuſti. 10, 3

Belli vindicta modum excedere non debet. 11, 1, 2

Belli non juſti cauſæ poſſunt eſſe probabiles. 11, 6, 1

Belli denunciandi formula. 3, 7, 1, & 2

Belli denunciatio duplex, ſcilicet vel conditionata, vel pura. 3, 7, 1. *Conditionata quæ.* ibid. *Pura quæ.* ibid. *Conditionatam interdum pura ſubſequitur.* 3, 7, 2. *Non tamen id neceſſe* ibid.

Belli circa indictionem inſtituta civilia. 3, 8

Bello non indicto an capta capientium fiant. 3, 12

Bello capta jure gentium acquiruntur. 6, 2, 1, & 3

Bello capta cujus ipſo jure gentium fiant. 6, 2, 1. & 6, 7, 1

Bello capta ſingulorum fieri frequens ſententia. 6, 8, & 9

Bellorum civilium crudelitas. 7, 5, 3

Bello injuſto capta an reſtituenda ab eo qui cepit. 10,

10, 3. & 10, 5, 1. *Et an reſtituenda ab eo qui detinet.* 10, 6, 1
Bello in juſto capta cum reſtituuntur, an quid detrahi poſſit. 10, 6, 2.
Bello injuſto capta, ſi conſumta ſint, bona fidei poſſeſſor non reſtituit. ibid. *In quantum tamen aliquando teneatur.* ibid.
Bello civili res quomodo acquirantur. 6, 27
Bello non ſolemni res quomodo acquirantur. ibid.
Bello in quæ capi & non capi poſſint. 13, 2. & 13, 3. & 13, 4, 1
Bellum ſi indictum ſit ei, qui imperium in populo ſummum habet, ſimul indictum cenſetur ejus ſubditis, & illis, qui ſe ipſi adjuncturi ſunt ſociis. 3, 9
Bello abſtinentibus quidnam agendum. 17, 3, 1
Beneficium etiam a ſervis poteſt proficiſci. 14, 6, 2
Bona ſubditorum ex facto ſuperiorum obligamur ex jure gentium. 2, 2, 1. & 2, 3, 1
Bona cur obligentur pro delicto imperantis aut civitatis. 2, 2, 1. *Ut tranſeant cum oneribus, cum Dominio rerum eſt introductum.* 2, 1, 1
Bos arator injuſte violatur. 12, 4, 4
Brenni bellum cum fano Apollinis. 12, 7, 2

C.

Cœlibatus laudabilior conjugio. 4, 2, 1
Caſar Julius bello injuſto petit Arioviſtum. 3, 10
Calani corium. 15, 7, 2
Canones quid conſtituant circa populationes. 12, 4, 4
Canones de ſervis quomodo intelligendi. 7, 6, 5
Capere bello quomodo ſit contra caritatem. 13, 4, 2
Capere homines in bello quatenus liceat. 14, 1, 1
Capienda non ſunt bona innocentum, ſi ex debitoribus principalibus noſtrum conſequi poſſumus. 13, 4, 3
Capiendi jus eſſe poteſt ſine acquiſitione. 13, 1, 1
Capita in rerum, virgis caſos, Agrigento capto, ſecuri animadvertit Valerius Levinus. 11, 5, 1. *Plura exempla, nos docentia, in rerum capita animadverſum.* ibid. *Capiuntur quæ ex hoſtibus, jure gentium ſtatim capientium ſiunt, teſte Cajo Juriſconſulto.* 6, 2, 4. *Hanc acquiſitionem quomodo appellarint Theophilus & Ariſtoteles.* ibid. *Eam quanam de cauſa ſic appellarint.* ibid.
Capta in bello ſolemni quo ſenſu dicantur capta. 6, 3, 1. *Quando in bello ſolemni capta acquirantur.* ibid. *Acquiruntur eo modo, quo res, quæ ſunt nullius.* 6, 2, 2. & 6, 2, 4. *Etiam incorporalia poſſunt eſſe in bello ſolemni capta.* 7, 4. *An in bello ſolemni capta etiam acquirantur jure gentium ſingulis, ut ſtatuunt interpretes juris Romani.* 6, 8. *Singulis quando acquirantur.* 6, 12, 1. *Acquiruntur, cum ſuo ſumptu militant, ſed ita, ut non totam prædam auferant, at partem debeant publico, aut ei, qui ex publico jus ſuum trahit.* 6, 24, 8. *Iis, qui ſuo ſumptu militant, & qui, quod plus eſt, ſuo ſumptu partem belli adminiſtrant, ut qui naves inſtruunt ac ſuſtentant ſuis impendiis, vice mercedis concedi ſolet, ut capta ſua faciant.* 18, 2, 1. *Id vero quatenus procedat, illæſa juſtitia interna & caritate, non immerito quæritur.* ibid.
Capta in bello non compenſari cum primario debito quo ſenſu dicantur. 13, 3
Capta actu bellico quorum ſint. 6, 14, 1
Capta bello quatenus conſcientia pura acquirantur aut retineantur. 13, 1, 2. & 13, 2
Capta bello injuſto non ſiunt capientium jure interno. 16, 1, 1
Capta bello injuſto prioribus dominis reddenda. 16, 2. 1
Capta poſt pacem initam reddenda. 20, 20. *Quare.* ibid.
Captarum rerum Dominium jure gentium ipſo facto acquiritur ad ſummam debiti & ſumptuum. 2, 7, 3. *Sed ita, ut reſiduum reddi debeat.* ibid.
Capti a latronibus non ſiunt, teſte Ulpiano, capientium. 3, 2, 3
Capti a Germanis, Ulpiano teſte, libertatem amittunt. ibid.
Capti in bello ſiunt, etiam citra delictum, ſervi. 7, 1, 2
Capti cenſentur, qui intra præſidia ducti ſunt. ibid.
Capti gratis dimiſſi. 14, 9, 2
Capti quibus acquirantur. 7, 5, 4
Captis in iis, quæ in bello civili ſunt capta, nulla ſit dominii mutatio, niſi auctoritate judicis. 6, 27
Captis parcendum in bello. 11, 13, 1. & 11, 13, 3. *Exceptiones, quæ vulgo contra adferuntur.* 11, 16, 1. & 11, 16, 5
Captis quid faciendum, ubi ſervitus in uſu non eſt. 14, 9, 1
Captivi acquiſitio eo uſque licita eſt, quo uſque debiti aut primarii, aut ſubnaſcentis, quantitas patitur, niſi forte in ipſis hominibus peculiare ſit delictum; quod libertatis damno puniri æquitas ferat. 14, 1, 1
Captivi captivitas, quibus in locis captivitas hominum & ſervitus in more eſt, quatenus, ſi juſtitiam reſpiciamus internam, limitanda. ibid.
Captivi apud Chriſtianos non ſiunt ſervi. 7, 9, 1. *Quare apud eos non ſiant ſervi.* ibid.
Captivi duces non ſunt militum, eos capientium, ſed Principis, bellum gerentis. 3, 9, 1. *in* Not.
Captivi duces occiſi apud Romanos die triumphi. 4, 12
Captivi reges pacem facere non poſſunt, ſi regnum habuerint ex conſenſu populi. 20, 3, 1. *Non tamen, rege captivo, jus imperii penes populum, ſed tutela ejus.* ibid.
Captivi promiſſum de reditu in carcerem valet. 23, 6
Captivi res, niſi apprehenſa, non capiuntur. 21, 28
Captivi quorum in poteſtate nunc ſint. 7, 9, 2
Captivi occidi belli jure poſſunt. 4, 10, 1. & 4, 10, 2
Captivi an quovis tempore occidi poſſint. ibid.
Captivis de & rebus eorum cur ſpecialiter conveniri debeat. 9, 4, 3
Captivitatis jus etiam injuria dicitur. 7, 6, 4
Captivitatis jus non eſt jus gentium univerſale. 7, 8
Captivitatis jus quale his temporibus. 7, 9, 1. & 7, 9, 2
Captivorum redemptio, permutatio. 14, 9, 1

Captivorum redemptio quam favorabilis. 21, 23
Captivorum poſteri, ſervi. 7, 5, 2
Captivorum bona Romano jure fiſco cedunt, ſi heres nullus ſit. 9, 10, 4
Captivos redimi quæ vetant leges illas, quales apud Romanos fuiſſe legimus, indiſtincte probare non audet Grotius. 21, 24, 1. *Quo caſu leges illæ non videantur juſtæ.* 21, 24, 2
Captivus bello quando quis cenſeatur. 6, 3, 1
Captivus bello an ſe dedere poſſit alii, quam a quo captus eſt. 23, 9
Captivus bello fugitivus a Domino, finito bello, vindicari poteſt, etiamſi ad ſuos fugerit. 7, 6, 1
Captivus bello cur occidatur, idque potiſſimum in bellis civilibus. 7, 5, 3
Captivus bello non occidendus, ſi præter voluntatem peccarit. 11, 3, 2
Captivus bello ut juſte occidatur, oportet crimen antecedat, & quidem tale, quod æquus judex morte vindicandum cenſeret. 11, 16, 1
Captivus bello permutari, aut pretio dimitti jure poteſt iis in locis, ubi ſervitus non eſt in uſu. 14, 9, 1
Captivus bello quo dimittatur pretium, unde definiatur. ibid.
Captivus bello captivus, & tamen non ſervus, ubi ſervitus in uſu. 14, 2, 1
Captivus bello idem pluribus pretium debere poteſt. 21, 26
Captivus bello an redire debeat, mortuo eo, quem redimere debebat. 21, 30
Captorum bello liberi & poſteri an ſervi. 7, 2. & 7, 5, 2. *Quatenus.* 7, 2. & 7, 5, 2
Captos poſt pugnam occidere, præſertim ſervos, qui non ſua voluntate bellum gerunt, eſt durum. 11, 3, 2
Captos in aut deditos quando non injuria ſæviatur. 11, 16, 1
Captura rerum hoſtilium in bello juſto non ſemper debet cenſeri peccato vacare, aut a reſtitutionis onere immunis eſſe. 13, 1, 1. *Captura de iſtiuſmodi quando id judicandum.* ibid.
Captus in bello injuſto an licite fugiat ad ſuos. 7, 6, 1
Captus in bello injuſto ſi ad ſuos fugiat, bello manente, libertatem ex jure poſtliminii conſequitur. ibid.
Captus in bello injuſto ſi fugiat ad alios, aut etiam, pace facta, ad ſuos, vindicanti Domino reddendus eſt. ibid.
Captus in bello interdum juſte occiditur. 11, 16, 1. *Captus iſtiuſmodi quando juſte occidatur.* ibid.
Captus in bello dedere ſe alii non poteſt. 23, 9
Captus in bello juſto an licite fugiat. 14, 7
Caritas nos obligat ſæpe, ut clare loquamur. 1, 10, 3
Caritas multa vetat, quæ ex jure, ſtricto ſumpto, fieri poſſunt. 1, 4, 2
Caritas vetat ſæpe quod jus permittit. ibid.
Caritatis regulæ patent latius, quam juris regulæ. 13, 4, 1
Catonis Cenſorii dolus. 1, 13, 2
Catti rarius fecerunt excurſus, fortuitaſque commiſerunt pugnas. 11, 19
Caudina ſponſio populum Romanum non obligavit. 22, 7
Caudinæ ſponſionis quæ videatur fuiſſe ſententia. 20, 58
Cauſæ ſubnaſcentes in bello. 1, 3. & 13, 3
Cepiſſe bello rem quando quis dicatur. 6, 3, 1
Certamina certo numero an licita. 20, 43, 1. & 20, 43, 5
Chirographi Theſſalorum controverſia. 8, 4. 2. & 9, 9, 1
Chriſtiani debent humanitatem majorem, quam alii. 12, 4, 4
Chriſtianorum mos circa captos. 7, 9, 1
Chriſtianos an deceat ex præda quæſtum facere. 18, 4
Chriſtus cum diceret Apoſtolis : Lazarus amicus noſter dormit, *accipiebant id Apoſtoli de dormitione ſomni.* 1, 10, 2
Chriſtus quod dixit Judæis de inſtaurando templo, quomodo hoc ipſe, & quomodo Judæi acceperint. ibid.
Chriſtus cum promitteret Apoſtolis ſedes duodecim eximias & regi proximas, ut & vini novi potationem in regno patris, quomodo Apoſtoli id acceperint. ibid.
Chriſtus per fabularum ambages populum alloquitur, ne, audiens ipſum, eum intelligeret, niſi ſcilicet animi attentionem talem, ac docilitatem, afferret, qualem afferri par erat. ibid.
Circumcidit Timotheum Paulus. 1, 8, 3. *Id Judæi quomodo acciperent, ſcivit.* ibid. *Cur ipſum circumciderit.* ibid.
Citatio in locis minus tutis. 3, 14
Citatio de repreſſaliis. 2, 7, 3
Civem, injuria manifeſta captum, ad recuperandum, civitatis, apud quam id factum eſt, cives retinentur. 2, 3, 5
Civis eorum capi poteſt, qui noſtrum civem injuria detinent. 2, 3, 5
Civium & ſervorum differentia. 8, 2, 1
Civitas tenetur his, qui publicæ utilitatis cauſa ſuum amiſerunt, damnum de publico ſarcire. 20, 7, 2. *Hoc onere civitas non levatur, etiamſi ei præſtationi ſit impar.* ibid.
Civitas bello victa an deſinat civitas eſſe. ibid.
Civitas injuſta non deſinit civitas eſſe. 3, 2, 1. & 3, 2, 2
Civitas injuſta a piratarum cœtu quid diſtet. 3, 2, 1
Civitas ſemel diviſa facit ne idem ſit populus, etiam cum reſtituatur. 9, 9, 1
Civitas interire quo caſu poſſit, & magna familia fieri. 8, 2, 1
Civitas non interit ob injuſtitiam communiter admiſſam. 3, 2, 1
Civitas vitioſa quam diu maneat civitas. 3, 2, 2
Civitates deſciſcentes recipere contra amicitiam eſt. 20, 41, 2
Civitatis res belli jure acquiruntur. 8, 4, 1, & 8, 4, 2
Clam ne quid geratur in bello, ad jus nil pertinet. 3, 11
Clarigatio. 3, 7, 1
Clauſula quænam, paci quo magis caveatur, adjicienda minoris momenti pacis capitibus. 20, 35
Clauſula, Si populus velit, *quid operetur.* 22, 12

Cle-

Clementia in bello convenit. 11, 7, 1. & 2, & 3. & 4.
Clementia per ſe apta frangendis & conciliandis animis. 12, 8, 2
Clœliæ factum defenditur. 11, 18, 3. *Quomodo.* 20, 54
Coactus metu injuſto qui promiſit, teneri poterit, accedente juriſjurandi religione. 19, 5
Cogere alium ad id, quod ei non licet, non eſt conceſſum. 1, 21
Colloquentes ſibi invicem J. N. debent judicandi libertatem. 1, 11, 1
Colloquio durante, res ſuas promovere licet, idque perfidia vacat, ac dolis bonis annumeratur. 24, 4
Colloquium poſtulans ad quid obligetur. 24, 3
Comitum nomine expreſſo, non ſunt intelligendi hi, quorum cauſa magis eſt odioſa, quam ipſius, cui proſpicitur. 21, 19
Commeandi jus qualem interpretationem recipiat. 21, 14
Commeandi ſecuritas etiam extra territorium dantis porrigitur. 21, 22
Commeandi jus extra inducias privilegium quoddam eſt. 21, 14
Commeatus quænam bona comprehendat, & quænam non comprehendat. 21, 18
Commeatus morte dantis an extinguatur. 21, 20
Commercia belli. 21, 1, 1
Compenſari non poteſt id, quod bello cauſam dedit, aut jure gentium factum eſt. 19, 19, 1
Compenſatio debetur ſubditis, quorum bona pace alienata ſunt. 20, 7, 2
Compenſatio fieri debet inter perſonas eaſdem. 19, 19, 3. *Sic vero, ne jus tertii cujuſpiam lædatur.* ibid.
Compenſatione in re quavis accipere poſſumus tantundem, ſi, quod noſtrum eſt, aut quod nobis debetur, aliter conſequi non poſſimus ab eo, qui noſtrum habet, vel id, quod nobis debetur. 19, 15. *Inde quidnam ſequatur.* ibid.
Compenſatur cum promiſſo debitum. 19, 16. *Item damnum.* 19, 17. *Item pœna.* 19, 18
Concedens aliquid, concedit etiam ea, quæ neceſſario ſequuntur. 21, 17
Conceſſum an morte conceſſoris intereat. 21, 20
Concubitus ſerviles nec lege, nec certa cuſtodia erant conſtricti. 7, 5, 2
Condicere. 3, 7, 1
Conditio non impleta liberat fidem. 19, 14
Conditio caſualis. 20, 29
Conditiones proponi debent a potentiore. 20, 26
Conditiones contra eum, qui elocutus eſt, potius interpretandæ. ibid.
Conjugium cum alienigena Judæi pro nullo habent. 19, 2, 1
Conſenſum in id intelligitur, ſine quo id, quod officii eſt, geri commode non poteſt. 22, 4, 2
Conſenſus unde appareat. 22, 3
Conſenſus, qualitercunque etiam indicatus & acceptatus, vim habet transferendi juris. 24, 1
Conſenſus ſolus inducit obligationem. 2, 2, 2
Conſenſus communis ſingulorum conſenſum vi quadam in ſe continet. 13, 1, 2. *Ejus ratione lex dici poteſt.* ibid.
Conſenſu noſtro ex privato ei, quicum actum eſt, non externum modo, ſed & internum jus noſtras in res quæritur. ibid.
Conſiliarii regum quomodo obligentur ex bello injuſto. 10, 4
Conſtans & pertinax ſtudium in partes ſuas ſupplicium & mortem non meretur. 4, 13, 2. & 11, 16, 4
Conſuetudo horum temporum de mobilibus bello captis. 9, 15
Conſuetudo hodierna de recipiendis deditis. 11, 14, 2
Contractibus in aperiendum id, quod natura contractus intelligitur exigere. 1, 10, 3
Contumelia rumpitur pax amicitiæ cauſa inita 20, 40, 1
Conventio, facta de in bello capti pretio, reſcindi non poteſt eo, quod captus intelligatur locupletior, quam credebatur. 21, 27. *Quare.* ibid.
Conventionum diviſio in publicas & privatas. 20, 1
Convitia immania jus dant etiam captivum interficiendi aut deditum. 11, 26, 1
Corcyræi, Epidamnum obſeſſuri, peregrinis diſcedendi primum copiam faciebant, denuntiantes, eos alioqui pro hoſtibus futuros. 4, 7
Cornelia lex pro heredibus eorum, qui poſtliminio redierunt. 9, 10, 4
Corraria quid. 6, 12, 2
Corrumpere rem alienam quibus caſibus liceat. 12, 1, 1
Corrumpere rem hoſtium an liceat. 5, 1. *Quorumnam hoſtium rem corrumpere liceat.* ibid.
Creditor opulentus qui debitorem inopem omnibus bonis exuit, non quidem injuſtus eſt, ſed peccat contra charitatem Chriſtianam. vid. Caritas.
Culpa ſine dolo ſufficit ad reſtitutionis obligationem. 10, 5, 1
Culpa media inter injuriam & infortunium. 11, 4, 1
Culpam leviorem bonitas Chriſtiani condonabit. 20, 35
Cyrus quo ſenſu juſte ad certamen ſingulare provocarit regem Aſſyriorum. 20, 43. 5

D.

D*Amna in dubio pace remiſſa cenſentur.* 20, 15
Damnum, datum ſubditis a militibus ob ſtipendia non ſoluta, obligat regem. 17, 2. 6
Damnum obligat interdum privatos ad reſtitutionem, etiam ubi juſtum eſt bellum. 18, 6
David res acquirit jure belli. 6, 7. 1
Deberi ſervo num poſſit a domino. 14, 6, 1. & ſeqq.
Deberi nobis quid poteſt aut ob inæqualitatem rerum, aut ex pœna. 13, 1, 2. *Utraque ex cauſa res hoſtilis acquiri poteſt, ſed tamen cum diſcrimine.* ibid. *Ex debito priore quænam res ex introducto jure gentium quaſi fidejuſſione obligentur.* ibid. *In altero debendi genere, quod pœnale eſt, quodnam non proditum cenſeat Grotius.* 13, 2
Debita an remiſſa pace præſumantur. 20, 16

Debitis a publicis immunes ſunt, qui tantum pro tempore loci legibus ſubſunt. 2, 7, 2
Debito pro quoties res debitoris invaditur, interpellatio requiritur. 3, 6, 2. Quando ea præterea requiratur. ibid. Quando ea magis requiratur. ibid. Hac interpellatione quid conſtet. ibid.
Debito pro univerſitatis vel civitatis an obligari poſſit corpus. 2, 3, 1
Debitorem careeri eximens creditori tenetur. 1, 5, 3
Debitum alienum naturaliter neminem obligat. 2, 1, 1
Debitum civitatis ſubditos J. N. non obligat. Si univerſitas habeat bona. 2, 1, 2. Obligat J. G. 2, 2, 1. & 2, 1. Quantum ad bona & jura. ibid. Raro ad vitam. 2, 6. Ita, ut iſta capientium fiant, etiam juſtitia interna. 13, 1. Peccante tamen contra charitatem qui id agit, cum a primario debitore debitum facile poſſit conſequi. 13, 4, 3. Tenentur porro ſinguli iterum, qui culpa ſua ejuſmodi debito cauſam dedere. 2, 7, 2
Debitum quoddam obligat naturaliter, etiam eum a judice ſecus ſit pronunciatum. 2, 5, 1
Decent non ea omnia quæ licent. 4, 2, 2
Decima de præda conſecrata 6, 1, 1
Dedere urbes ſine publico conſilio non licet ſubdito. 1, 21
Dediti ſine conditione an occidi poſſint. 4, 12
Dediti quando poſſint interfici. 11, 16, 1
Dediti recipiendi. 11, 14, 1
Deditis pure quid faciendum ſit, ſtatuendum a rege, aut a populo. 22, 11
Deditorum oppida incendi poſſunt jure belli. 5, 1
Deditio dat ſponte, quod vis ereptura eſſet. 8, 4, 1. Quam diu admitteretur a Romanis. 11, 14, 2. Quam diu admittatur a nobis cum in locis infirmioribus, tum in munitioribus. ibid. Deditio jure belli poteſt repudiari ab eo, cui ſe dedere volens deditionem ſui offert. 4, 11. Deditio eorum, qui, ſive in prælio, ſive in obſidione, vitam ſibi ſalvam paciſcuntur, non eſt repudianda. 11, 14, 1. Deditio ſpontanea tollit jus poſtliminii. 9, 8. Deditio pura quænam. 20, 49, 1
Deditiones quædam conditionatæ conſulunt ſingulis; quædam univerſitati. 20, 51
Defectio ſubditorum efficit, ut in magiſtratu potentia puniendi eos non poſſit præſumi. 20, 30. Ad hoſtem invalida tempore induciarum. 21, 8, 1. Quæ fit propter tempora difficilia, quandam meretur excuſationem. 11, 4, 7
Defendens ſe non opus habet denunciatione jure naturæ. 3, 6, 1
Defenſio licita in aggreſſoris adjutores. 1, 3
Deliberato facimus quædam, quæ ſponte facimus; quædam non deliberato. 11, 4, 2
Delicta, a multis commiſſa, etſi digna, quæ morte puniantur, morte tamen non puniri, æquum eſt. 11, 17
Denuntiatio honeſta, etiam ubi non neceſſaria. 3, 6, 3
Denuntiatio in quibus bellis neceſſaria. 3, 6, 2
Denuntiatio pura & conditionata. 3, 7, 1
Denuntiatio ad proximum præſidium. 3, 7, 2
Denuntiatio cur requiratur. 3, 11
Denuntiatione an opus, ubi legati violati ſunt. 3, 14
Dercyllides, rex Perſeus, Agris, Sulla, Pompejus Magnus, Domitianus, Alexander Severus, Gothi, Hunni, Alani, Stilico & Beliſarius quomodo ſe geſſerint in tranſitu per aliorum terras. 17, 2, 2
Derelicta quando occupare, & quando ea non occupare liceat. 21, 8, 2
Derelictis pro an cenſenda quæ induciarum tempore ſunt incuſtodita. 21, 8, 2
Deſperatio hoſti eripitur, rebus ſervatis. 12, 8, 1
Deſpoliatio quid. 6, 24, 7
Deo non convenit mendacium. 1, 15, 1
Deus probavit jus prædæ. 6, 1, 2
Deus nocentibus parcit innocentum cauſa. 1, 4, 3
Deus habet majus in homines jus, quam homo in beſtias. 4, 9, 1
Deus quæ ex jure ſuo agit, nobis in exemplum non trahenda. 1, 4, 3
Deus habet in nos pleniſſimum Domini jus. ibid.
Dicere quod falſam ſignificationem habet, quibus liceat. 1, 12. Quando liceat. 1, 13, 1. & 1, 14, 1 & 1, 15, 1. & 1, 16
Diem ad eum cum dicimus, quæritur, an voces, Diem ad eum, ſint intelligendæ excluſive, an incluſive. 21, 4, 1
Diffidere quidnam. 3, 9
Dilectionis lex vetat capere res ſubditorum pro debito magiſtratus 2, 3, 4. Eadem & vetat rem ſuam cum alterius cæde perſequi. 2, 6
Dimicatio ſingularis quibus caſibus licita. 20, 43, 5
Dimicationes ſine fructu illicita. 11, 19
Direptio prædæ militi conceſſa aut in populatione, aut poſt prælium oppidive expugnationem ut ſigno dato diſcurreretur. 6, 18, 1
Direptionem prædæ militi concedi improbantes, quidnam dicant. 6, 18, 2. Eam ei concedi approbantes, quidnam inquiant. ibid.
Direptiones urbium violentæ Chriſtianis ſunt vitandæ. 12, 8, 4. Cur. ibid.
Diſciplina militaris Romana quamnam, notante Modeſtino, habuerit legem. 18, 1, 2
Diſciplina militaris leges. 17, 2, 3
Diſſimulatio an licita. 1, 7
Dolis abſtinere, generoſum. 1, 20, 1
Dolo, carente perfidia, in bello uti licet. 5, 4
Dolo Chriſtiani imprimis, quantum fieri poteſt, uti non debent. 1, 20, 2
Dolus quotupliciter dividatur. 1, 7. Malus interdum dicitur quod æquitati eſt contrarium. ibid.
Dolus bonus quis. 1, 6, 3
Dolus an ex genere ſemper malorum. 1, 6, 4
Dolus in bello an licitus. 1, 6, 1. & 1, 6, 2
Dolor non dat jus occidendi. 11, 16, 5
Dominatio paucorum ad regnum accedit. 15, 8
Dominium quidnam, effectus quoad externos, appellare liceat. 6, 2, 1
Dominium naturaliter & per alium acquiritur. 6, 2, 1
Dominium auferri poteſt alicui ex cauſis, quæ aut

Dominio inſunt ſuapte natura, aut ex Dominorum facto ortum habent. 20, 9
Dominium, ex qualicunque cauſa ortum ſit, ſuos ſemper effectus habet ex ipſo jure naturali. ibid.
Dominium captarum rerum in bello ſolenni non eſt ſine omni conditione. 9, 6, 1. *Stare poteſt cum interna obligatione reſtituendi, ſi bellum fuerit injuſtum.* 10, 5, 1
Dominium per eminens civitati jure gentium competit jus in res ſubditorum. 19, 7. *Sed non promiſcue competit, at quatenus communiter expedit in regimine non Dominico, verum civili aut regio.* ibid.
Domini cum multa ſint ſpecies, poteſt & dari Dominium, quod tantum in judicio humano, & quidem coactivo, valeat, 7, 6, 1
Dominus legitimus quibus quis fiat modis. 6, 18, 1. in Not.
Domini vocabulum non admittebant humaniores ex priſcis. 14, 5, 2
Domum, aut villam dirui, aut arborem frugiferam exſcindi, non patiebatur Timotheus. 12, 2, 2. *Terras vaſtari, aut domos incendi, prohibebat Platonis lex.* ibid.
Domus, teſte Seneca, eſt puſilla Reſpublica. 14, 3
Donare homines, imperia, agros, bello quæſita, non eſt ducum. 22, 9, 1. *Res alias, quæ in præda ſunt, aliquo modo poſſunt.* ibid. *Idque non tam ex vi poteſtatis, quam cujuſque populi moribus.* ibid. *Donare nondum quæſita, omnino in ducum poteſtate eſt.* 22, 9, 2. *Quare.* ibid.
Donationes quænam militum a magiſtris præſtarentur militibus apud Romanos. 6, 17, 6
Δωροφόροι *ſervi unde.* 14, 5, 3
Dubiis in quod minimum eſt, ſequimur. 20, 47, 2
Dubio in ita cenſentur contrahere voluiſſe bellantes, ut neuter injuſtitia damnaretur. 20, 15
Duelli in exitum qui controverſiam de regnis, quæ non ſunt in patrimonio, conjiciunt, ſibi quidem jus, ſi quod habent, adimere poſſunt; non vero alteri, qui non habet, dare. 20, 44
Duello certantes peccant, uno caſu excepto, contra juſtitiam internam. ibid.
Duellum bello finem an poſſit imponere. 20, 43, 1
Duellum non repudiandum, ſi parati ſint certare duo, & totus alioqui populus graviſſimis ſeſe implicaturus eſſet malis. 20, 43, 4
Dux, *teſte Livio*, is, cujus auſpicio bellum geritur. 22, 1
Dux milites quatenus obliget. 22, 6
Dux de belli cauſis tranſigere non poteſt. 22, 7
Dux inducias dare poteſt. 22, 8
Duces, qui incruento exercitu victoriam deportarunt, laudantur Salluſtio. 11, 19
Duces nonnulli cum Græcorum, tum Romanorum, quidnam præſtiterint, alienos limites tranſire coacti. 17, 2, 1
Duces belli diſpenſatores prædæ apud Romanos, libera republica, qua conditione fuerint. 6, 15
Duces Romani quomodo ſe geſſerint circa prædam. 6, 16, 1. & 6, 16, 2
Duces Romani quidam de præda nihil omnino decerpſerunt. 6, 16, 1. & 6, 17, 4
Duces belli quomodo obligentur ex bello injuſto. 10, 4
Duces belli duorum generum. 22, 1
Duces belli minores an obligare poſſint ſummum, & quatenus. 22, 2
Ducis belli jus eximium in præda. 6, 17, 3
Ducum exacta cura, proviſus rerum neceſſariarum, accurata ſtipendiorum ſolutionis obſervatio, nec non vigoris diſciplinæ ſedula obſervantia, quidnam præſtent. 17, 2, 3
Ducum pacta quamnam recipiant interpretationem. 22, 11

E.

Edictum. 3, 7, 1
Eleazari factum. 4, 18, 2
Emptor rei, capta bello injuſto, an quid impendii deducat. 16, 3, 1
Ἐνεχυριασμοί. 2, 1, 2
Equi & equæ quæ poſtliminio apud Romanos recepta. 9, 14, 1
Errans habet jus a contractu recedendi, ſi id, quod per errorem creditum fuit, habuerit in mente agentis vim conditionis. 23, 4
Error quoties errantem liberet fide. ibid.
Exactiones odioſæ. 2, 1, 2
Ἐξαίρετον. 6, 17, 3
Excurſus, ſeu commiſſiones, quæ ad jus conſequendum, aut ad bellum finiendum, nullius ſunt uſus, ſed meram habent virium oſtentationem propoſitam, cum officio Chriſtiani hominis & cum ipſa humanitate pugnant. 11, 19. *Excurſus, ſeu commiſſiones iſtiuſmodi ſerio ſunt vetanda a rectoribus.* ibid. *Cur id ipſis incumbat.* ibid.
Executionis ad modum quod pertinet, conditionem non facit. 23, 15
Exercitus inſolita conſcriptio, ſi juſtis indiciis appareat, non fieri ſe tuendi gratia, rumpit pacem. 20, 40, 3
Exploratores graviter puniendi cauſa. 4, 18, 3
Expugnationes urbium & direptiones violentas Chriſtiani permittere non debent. 12, 8, 4. *Cur* ibid.
Exteri quomodo de rebus, bello captis, judicare debeant. 6, 25
Externi, qui ante bellum aliquo iverant, videntur jure gentium poſt modicum tempus, intra quod inde diſcedere potuerant, pro hoſtibus haberi. 4, 7
Externi juris qualis efficacia. 7, 7. *Externum jus non ſola agendi impunitate, ſed & judiciorum tutela, conſtat.* ibid. *Externum jus erit inane, ſi ei ex adverſo reſiſtendi jus maneat.* ibid.
Externum illud jus cuinam juri ſit ſimile. ibid. *Auguſtini de jure externo, & jure eo, cui jus externum eſt ſimile, teſtimonium.* ibid.
Externis, qui cum rege contrahunt, quotnam de cauſis ſufficiat factum regis. 20, 10
Exules in alibi nullum jus eſt civitati. 20, 41, 1
Exulibus perfugium dare, non eſt contra amicitiam. ibid. *Id non tantum naturalis, ſed & favorabilis eſt libertas.* ibid.

F.

Factum alienum jure naturali neminem obligat, niſi ſucceſſorem bonorum. 2, 1, 1.
Factum, a quopiam liberaliter promiſſum, ſatis im-

impletur, ſi ex parte promiſſoris nihil omittitur. 21, 30.

Facultatem qui dat, dat, quantum in ſe eſt, ea, quæ ad facultatem ſunt neceſſaria. 22, 2

Fallendi artes qui inſtillant, fugiendi principibus. 25, 1, 3

Fallere hoſtes, jaciendo de Capitolio panes in ſtationes hoſtium, ne ab iis fame laborare crederentur, licebat Romanis. 1, 8, 3

Fallere Hajenſes, Haji ficta fuga expugnandi gratia, licebat Joſue. 1, 8, 4

Falſum quod habeat ſignificationem infanti aut amenti etiamſi quid dicatur, non tamen in eo mendacii culpa eſt. 1, 12

Falſum dicere concedit Plato imperium habentibus. 1, 15, 1

Fato ſuo qui deprehenduntur apud hoſtes, ſervi fiunt eorum, a quibus iſti hoſtes debellantur. 6, 12, 1. *Jus habent poſtliminii in pace, niſi aliter convenerit.* 9, 4, 1. *Inter eos referuntur coacti ad bellum.* 11, 3, 2

Fato fiunt Romæ Metelli conſules. 6, 12, 1

Fato *nonnunquam denotat idem, quod* Sine ſuo merito. ibid.

Federati qui ſunt inæqualiter, juſtum bellum gerunt. 3, 4

Federibus ſtare, etiam poſt acceptam aliquam injuriam, animi eſt generoſi. 19, 19, 4

Federum diſtinctio circa jus poſtliminii. 9, 18, 3

Feminæ occiduntur impune in bello. 4, 9, 1. *Sexu tamen vindicari debent ab injuria.* 11, 9, 1

Femina Hebræa captiva pudicitiam qui læſerat vi, quamvis in bello, lege erat obnoxius pœnæ. 4, 19, 2

Feminas Madianitidas Deus ob proprium ipſarum crimen cum vellet occidi, virgines excepit intactas. ibid.

Feminas in non eſt graſſandum, niſi quid peculiariter vindicandum admiſerint, aut virilia officia & ipſa uſurpent. 11, 9, 3

Feminis & infantibus, extra paucas gentes, ſpeciali jure exceptas, parci voluit Deus in bellis Hebræorum, etiam poſt pacem oblatam & repudiatam. 11, 9, 1

Fidejuſſionis periculum, teſte patre Quintiliano, eſt miſerabile. 13, 4, 1

Fidejuſſor obligatur ex ſolo conſenſu, etiam ſine cauſa, in id, quod fidejuſſit. 2, 2, 2

Fides hoſtium inter ſe. 19, 1, 1

Fides prædoni & tyranno debetur. 19, 2, 2

Fides perfido an ſervanda. 19, 13, 1

Fides compenſando quomodo liberetur. 19, 15

Fides, non hoſti tantum illi, quem jus gentium agnoſcit, ſed & latroni, & piratæ, data privatim, obligat. 23, 2

Fide non tantum reſpublica qualibet, ſed & major illa gentium ſocietas, continetur. 25, 1, 1

Fide ſublata, tollitur, teſte Ariſtotele, quod inter homines eſt, commercium. ibid.

Fidem frangere, teſte Cicerone, nefarium. 25, 1, 2

Fidem præſtare tanto magis ſummi hominum rectores debent, quanto ceteris impunius peccant. ibid.

Fidem vel juratam, vel injuratam, prædoni datam, violans, cur apud alias gentes pœnam non debere exiſtimetur. 19, 5

Fide ſublata, ſummi hominum rectores, ceteris impunius peccantes, ſimiles futuri feris. ibid.

Fides vinculum per ſe manifeſtum eſt. ibid. *Cur uſurpetur.* ibid.

Fidem religioſe colere, cur ſit regum. 25, 1, 3

Fidei obſervantem eſſe in ducibus præclara res eſt. 19, 1, 1

Fides publica, teſte Quintiliano, inter armatos hoſtes inducias facit, deditarumque civitatum jura conſervat. 19. 1. 2.

Fides a Lucullo ſervata Apollonio, fugitivorum duci. 19, 2, 2

Fidem Romani ſancte ſervaverunt Pœnis. 19, 13, 1

Fidem ſervis ſervandam veterum pietas exiſtimavit. 19, 6

Fides expreſſa. 20, 1. *Ea quotuplex.* ibid.

Fides tacita. ibid.

Fides publica quotuplex. ibid.

Fidei bellicæ partitio. ibid.

Filius patrem non ſequitur, niſi in jure commorandi. 21, 17

Filius poſtliminio non redit in poteſtatem parentis jure civili, & quare. 9, 10, 1

Finem ad quæ ducunt in morali materia, æſtimationem intrinſecam accipiunt ab ipſo fine. 1, 2, 1

Fiſco cedere bona captivorum, ſi heres nullus ſit, ex ſpeciali jure Romano eſt. 9, 10, 4

Fiſcum in ut cogantur bona obſidum, jure Romano cautum eſt. 20, 53

Flacci dolus. 1, 13, 2

Fœnera ad improba leges civiles ſolent connivere. 5, 4

Fœnebre adverſus malum reges ſibi juris remediis conſuluere. 4, 6

Fontes venenis inficere an liceat hoſti. 4, 16, 2

Francorum civium bona, ab Algerienſibus capta, belli jure mutaſſe Dominum, ac proinde, cum recepta ab aliis eſſent, facta eorum, qui recepiſſent, judicavit quondam ſummum auditorium Pariſienſe. 9, 19, 2

Francorum ſervis in libertatem proclamandi jus quali ex cauſa ortum videri poſſit. 7, 8

Francorum moderatio in bello circa res ſacras. 12, 6, 3

Francorum mos circa prædam. 16, 2, 2

Fraudium bellicarum genera quædam a nonnullis ſunt repudiata non ob injuſtitiæ opinionem, ſed ob eximiam quandam animi celſitudinem & virium fiduciam. 1, 20, 1

Fructus in pace quinam conceſſi intelligantur. 20, 22

Fuga ficta eſt dolus non injuſtus. 1, 8, 4

Fugam hoſtium quo jure dux falſo militibus ſuis poſſit nuntiare. 1, 14, 2

Fugere an fas ſit ei, qui bello juſto captus eſt. 14, 7

Furari apud Spartanos & Ægyptios licuit. 4, 2, 2

Furtum non perpetrat, qui ex præſumpta Domini voluntate rem ipſius exiguam conſumit, ut inde magnam eidem utilitatem paret. 1, 14, 1

Furtum non committit is, qui, bello injuſto captus, res ſuas Domino ſubducit. 7, 6, 4

G.

GAllicum jus de præda maritima. 6, 24, 8

Germanorum veterum latrocinia. 3, 2, 3

Gotho-

Gothorum moderatio in bello circa res ſacras. 12,6,3
Gracchi Tiberii, Octavio tribunatum abrogantis, factum bonis fuit improbatum. 19,8,2
Gracorum mos circa pradam. 6,14,2
Gracorum more antiquo cum his, qui extra bellum occidiſſent hominem, lavare, potum ſumere, multoque magis ſacra facere, fas non erat, cum his, qui in bello, fas erat. 4,5,1

H.

HAſta ſanguinea. 3,8
Haſtarum erectio. 24,5
Hebraa legis benignitas ſervum Hebraum, certo tempore exacto, manumitti omnino jubet; idque non abſque donis. 14,6,5
Hebrais, ſeu Judais, non permiſſum tantum, ſed & praceptum eſt, gentium ſimulacra abolere. 5,2,4
Hebraorum lex pro fœminis captivis. 4,19,2
Hebraorum mos de agris captis. 6,11,2
Hebraorum mos de corona regis victi. 6,24,4
Hebraos apud perfugium erat ſervis his, qui nulla ſua culpa in eam calamitatem devenerant. 7,8
Heraclius imperator certamine ſingulari pugnavit cum Coſroe, filio Perſarum regis. 20,43,5
Heres tenetur ex facto alieno ejus, cujus eſt heres. 2,1,1
Heres non tenetur iis, qua is, cujus eſt heres, promiſit jurejurando, quod ipſi per vim extortum eſt. 19,5. *Cur non.* ibid.
Heredem in tranſeunt qua in humano ſunt commercio ex primava Dominii lege. ibid.
Hiſpanicum jus de pradis maritimis. 6,24,8
Hiſpanis quid lege cautum ſit de comitatibus, aliiſque juriſdictionibus Hereditariis. 9,13,2. *Quid de arcibus, bello amiſſis, & quomodocunque recuperatis.* ibid. *Quid de navibus, a piratis captis.* 9,17
Homicida cum, i. e. cum eo, qui extra bellum occidiſſet hominem, quid antiquo Gracorum more facere non licuerit. 4,5,1
Homo hominis alterius inſtrumentum eſt. 6,9,1
Homo, teſte Paulo, amittitur, ubi fines noſtros exceſſit. 6,3,1
Homines aliquando quadam in parte rebus captis accenſebantur. 6,12,1
Homines quadam in re jus gentium rebus aquavit. 7,5,4
Hominum omnium natura intereſt, ut hominibus aliis conſulatur. 19,9
Horatios inter, Romanos, & Curiatios inter, Albanos, factum eſt pralium. 20,43,1. *Pralium illud, ſi jus gentium externum tantum ſpectamus, fuiſſe licitum, non eſt dubitandum.* 20,43,2. *Eo de pralio iſthoc jure cur illud cenſendum.* ibid.
Hoſtis, teſte Agathia, eſt, qui facit, quod hoſti placet. 17,3,2
Hoſtis jure gentium externo pro nullo habetur. 18,1,2
Hoſti hoſtem & in perſona, & in rebus, ladere modo quodam licet. 4,3
Hoſtis, ſecundum jus gentium, ubique poteſt imperi. 4,8,1
Hoſtis impune poteſt interfici in ſolo proprio, in ſolo hoſtili, in ſolo nullius, in mari. 4,8,2
Hoſtem interficere, immiſſo percuſſore, per jus gentium, an liceat. 4,18,1
Hoſtem quod in territorio pacato interficere aut violare non liceat, imputandum juri ejus, qui ibi imperium habet. ibid.
Hoſtibus in civitatem recipiendis, aucta, teſte Livio, res Romana. 15,3
Hoſtis quid antiquis. 3,1,1
Hoſti in res aliquas ſubminiſtrantem quid liceat, eſt quaſtio. 1,5,1
Hoſti, teſte Homero, nocere, licet ſive dolo, ſive vi manifeſta, ſive clam, ſive palam. 1,6,1
Hoſtem fallentes, teſte Luciano, laude digni ſunt. 1,6,2
Hoſtes decipere, teſte, apud Plutarchum, Ageſilao, & juſtum, & licitum eſt. 1,6,2
Hoſtem adverſus quod quis machinatur, juriſconſulti Romani vocant dolum bonum. 1,6,3
Hoſtium poteſtatem vi quis, an fallacia evaſerit, nihil intereſt. 1,6,3
Hoſtium res quod corrumpi ac rapi permiſerit jus gentium, non eſt mirum. 5,1
Hoſtem ad res miſſa quando & quatenus intercipi poſſint. 1,5,3
Hoſtes apud qui ſunt animo non hoſtili, exemplum infortunatorum ſunt. 11,3,1
Hoſtes non tantum ſunt ii, qui ipſo actu arma gerunt, aut qui bellum moventis ſubditi ſunt, ſed etiam omnes, qui intra fines hoſtiles ſunt. 4,6. Unde *illud fiat apertum.* ibid. *Cur omnes hi, jamjam enumerati, ſint hoſtes.* ibid.
Hoſtium vere qui ſunt ſubditi, ex cauſa ſcilicet permanente, offendere ubique jure gentium licet, ſi ipſorum perſonam reſpicimus. 4,8,1

I.

JAcobus Patriarcha probat jus acquirendi bello. 6,1,1
Idola hoſtium evertere aut diruere an liceat iis, qui eadem religione tenentur. 5,2,4
Illyrii ſine diſcrimine mari pradas agere ſoliti. 3,2,3. *De iis tamen triumphus fuit.* ibid.
Imaginibus in non habitare aut Dei Spiritum, aut bonos Angelos, aut vim aſtrorum, ſed pravos & humano generi infeſtos damonas, ſciebant Hebrai certiſſimo Dei monitu. 5,2,4. *Contrarium exiſtimabant decepta gentes.* ibid.
Immunitas rerum ad agriculturam pertinentium. 13,4,4
Impenſorum loco juſte retinentur qua, durante bello, capta ſunt ab iis, qui juſtum bellum geſſerunt. 13,3
Imperatores non tantum, ſed & milites peculatus prada nomine tenebantur, ſi nempe eam in publicum non detuliſſent. 6,21,3
Imperium habentibus falſum dicere concedit Plato. 1,15,1
Imperium ſummum ſi qui pro parte habent, pro ea parte juſtum bellum gerunt. 3,4
Imperia, teſte Tertulliano, armis quaruntur, victoriis propagantur. 8,1,1
Imperium victoria poteſt acquiri dupliciter. 8,1,3
Imperio ſuo qua adjecerat Mithridates, populi Romani fecit Pompejus. 8,4,1

Imperium acquiritur jure naturali non ultra, quam fert debiti modus & periculi neceſſitas. 15, 1

Imperii berilis eſt regi non ad populi, ſed ad regentis præcipue utilitatem. 8, 2, 1

Imperium herile, quod ad utilitatem regentis inſtituitur, quo jure haberi poſſit. ibid.

Imperium, ex civili & berili mixtum, eſt imperium, ubi ſervitus miſcetur cum aliqua perſonali libertate. 8, 3

Imperium civile ſummum qui obtinet, jus in ſubditorum cum bona, tum actiones, habet 20, 52

Imperium totum valide ut tranſeat, populi totius opus eſt conſenſu. 20, 5, 2

Imperii pars aliqua ut valide alienetur, duplici opus eſt conſenſu, & corporis, & ſpecialiter ejus partis, de qua agitur. ibid.

Imperii pars ſine populi conſenſu valide in ſe tranſcribet in ſumma, atque alias inevitabili neceſſitate, imperium. ibid.

Imperium ſuum ut relinquatur victis, non tantum humanitatis eſt, ſed ſæpe & conſilii. 15, 7, 1

Imperium Lacedæmonii, & initio Athenienſes, in captas civitates nullum ſibi vindicabant, tantum volentes, eas uti republica, ad ſuam accommodata 15, 8

Imperio in victos omni abſtinere, minus tutum eſt. 25, 9

Impoſſibilitas facti promiſſi excuſat, ne pax rumpatur. 20, 37

Incorporalia cum perſona acquiruntur. 7, 4

Incorporalia jura, quæ univerſitatis fuerant, fient victoris, quatenus velit. 8, 4, 2

Indicere bellum nonnulli vocant diffidare. 3, 9

Indictio belli requirit, ut ejus ſignificatio ab altera partium alteri facta ſit. 3, 5

Indictio belli utrinque facta. 3, 7, 3. *Eſt ſupervacua.* ibid.

Indictio belli ad quos reſpiciat. 3, 9. *In quem finem non inſtituatur.* 3, 11. *In quem finem inſtituatur.* ibid. *Quotuplex ſit.* 3. 7. *An neceſſaria ſit poſt inducias.* 21, 3. *Cur non ſit neceſſaria poſt inducias.* ibid. *Cur Romani veteres aliquando poſt inducias indictionem belli fecerint.* ibid. *An ſit neceſſaria, ruptis ab altera parte induciis.* 21, 11. *Jure naturali quando nulla requiratur belli indictio.* 3, 6, 1 *Quando requiratur.* 3, 6, 2. *Indictio belli nonnunquam honeſte & laudabiliter interponitur, quamvis jus naturæ eam fieri non præcipiat.* 3, 6, 3. *Jure gentium an requiratur.* ibid. *Quorſumnam.* ibid. *Quibus caſibus.* ibid. *An utrinque.* ibid. *Belli poſt indictionem an bellum ſtatim poſſit inferri.* 3, 13. *An hoſtium sociis ſeparatim bellum indici debeat, ſi cum iis ſolum bellum inſtituatur.* 3, 9

Indictione, ſi, bello abſoluto, ob auxilia ſuppeditata populus aut rex alter bello impetendi ſint, opus erit nova. 3, 10. *Cur.* ibid.

Indictum ſi bellum principi, indictum ſimul ſubditis & sociis ejus. 3, 9

Indirecte licent quædam, quæ directe non licent. 1, 4, 1

Induciæ quid ſint. 21, 1, 1. *Unde dictæ, & unde non dictæ.* 21, 2. *Quando obligent.* 21, 5. *Quantum per inducias liceat, & quantum per eas non liceat, unde intelligatur.* 21, 6, 1. *Cum induciis quidnam non pugnet.* 21, 7. *Contra inducias quidnam ſit.* 21, 8, 1. *An, qui, vi majore impeditus, quo minus recederet, intra fines hoſticos deprehenditur, poſtquam exierint induciæ, jus redeundi habeat.* 21, 9, 1. *Per inducias quædam ſunt illicita ob ſpecialem conventionis naturam.* 21, 10. *Privata facta quando inducias rumpant, & quando eas non rumpant.* 21, 13

Induciæ dari poſſunt a ducibus cum ſummis, tum minoribus. 22, 8

Induciæ poſſunt eſſe per annos centum. 21, 1, 3. *Induciis interdum perſonis cavetur, non rebus.* 21, 10. *Induciæ opponuntur paci.* 21, 1, 1. *Sunt in bello otium, non pax* 21, 2. *Vim omnem prohibent.* 21, 6, 1. *Induciarum tempus an includat nominatum terminum.* 21, 4, 1. *Si quid convenit ut belli tempore valeat, id per inducias quoque valet, niſi manifeſte appareat, non ſtatum ſpectari, ſed ipſas functiones.* 21, 1, 2. *Si quid de pace dictum erit, id induciarum tempore locum non habebit.* ibid. *Induciarum aliqua non tam definitiones, quam delineationes figurata.* ibid. *Induciarum tempore non eſt poſtliminium.* 9, 8. *Ultro deficientes ſuſcipere non licet.* 21, 8, 1. *Derelicta quando occupare, & quando ea non liceat occupare.* 21, 8, 2. *In induciis, quæ perſonis tantum dantur, res defendere, idque etiam cum cæde perſonarum, licet.* 21, 10

Induciæ quia ſunt in bello otium, & non pax, quæritur, an induciarum tempus veniat ſub belli, an ſub pacis nomine. 21, 2

Induciarum tempus quomodo computandum. 21, 4, 1

Induciis finitis indictione non opus nova. 21, 3

Induciis elapſis, an is, qui ſine culpa penes hoſtem reperitur, capi poſſit; an vero benignius & generoſius, eum remitti. 21, 9, 2

Induciis ab altera parte ruptis, indictione non opus. 21, 11

Inermibus parcendum. 11, 10, 1

Infantium & fœminarum cædes aliquando in bello impune habetur. 4, 9, 1

Infantium & fœminarum cædes a Deo in bellis Hebræorum etiam poſt pacem oblatam & repudiatam eſt interdicta. 11, 9, 1

Infortunati ſunt illi, qui animo non hoſtili ſunt apud hoſtes. 11, 3, 1

Infortunium *dicitur* iſtiuſmodi damni datio, quæ procedit ab ignorantia. 11, 4, 2

Infortunium & injuria quo diſtent. ibid.

Injuria non cenſeri debet facta eo, quicum pax inita, niſi aperte ad ipſius ſuggillationem ſit facta. 20, 40, 2

Injuria quid. 11, 4, 2

Injuriam a quibus acceperis, adverſus eos etiam, teſte Cicerone, officia quædam ſunt ſervanda. 11, 1, 1

Injuria, teſte Ariſtide, ſecundus eſt auctor,

qui in puniendo progreditur ad id, quod iniquum eſt. ibid.
Injuria, culpa, & infortunii diſcrimen. 11,4,2
Injuſti eſſe poſſunt qui ſe vindicant, ſi in vindicando modum excedant. 11,1,1
Injuſtitia, admiſſa communiter etiam a civitate, non facit, ne ſit juſta ſocietas. 3,2,1
Inſtrumenta ruriſpignori capi vetita. 12,4,4
Interpretatio ea ſumenda eſt, quæ cavet, ne actus in vanum recidat. 19,3,1
Interpretatio, quæ peccato obnoxium facit actum, non eſt ſumenda in lege, quæ non ex æquitate naturali, ſed majoris mali evitandi cauſa, lata eſt. 7,6,4
Interpretatione de quanam tenenda ſint regulæ. 23,11
Interpretandas circa pacis conventiones quænam obſervanda ſint regula. 20,11,1
Invaſio rei alienæ faciet invaſorem potius reum cupiditatis novæ, quam fidei læſæ. 20,42,2
Joca nonnulli male vocant ea, quæ vultu ac pronunciatione maxime ſeria proferuntur. 1,17,4
Joſephus Judæus in legis expoſitione Romanis blanditur. 5,2,4
Joſephi Patriarchæ dolus. 1,15,2
Ira commoti qui lædunt, & culpam admittunt, ab injuria non vacant, neque tamen injuſti aut improbi dicuntur. 11,4,2
Itu in cantum & de reditu cenſetur. 21,16,1. Unde hoc non fiat. ibid. Unde hoc fiat. ibid.
Judæi non tantum & Chriſtiani, ſed etiam Mahumetiſtæ quid ſentiant de neceſſitate reſtitutionis. 10,3
Judicandi libertas homini ab homine quomodo debeatur. 1,11,1
Judicantis auctoritas in exteros non idem valet, quod in ſubditos. 2,5,1
Judicia ubi vigent, ibi perſonarum ſpectantur merita, & ceſſat jus iſtud promiſcuum nocendi, quod inter hoſtes introductum dicimus. 4,8,2
Judicia coactiva ſuam nonnullis accommodant auctoritatem. 10,1,1
Judicio in humano, & quidem coactivo, Dominium quoddam valet. 7,6,1
Jura multa ſunt, quæ tantum exterius judicium ſpectant. 7,6,1
Jura acquiri an poſſint bello ſolenni. 8,4,1
Jura inalienabilia nequeunt acquiri bello ſolenni 7,4
Jura quædam ſunt, quæ, teſte Juſtiniano, exigente uſu, & humanis neceſſitatibus, a gentibus humanis ſunt conſtituta. 2,2,1
Jura multa ſunt, quæ tantum exterius judicium ſpectant, animo autem religionis vinculum non injiciunt. 7,6,1
Juramentum vim habet excludendi omnes exceptiones, quæ ex perſona ejus, quicum agimus, peti poſſent. 1,19. Quare. ibid.
Jure civili ſolent citari, quorum intereſt, res publica auctoritate dividendi, aut addici iis, quorum intereſt. 2,7,3
Jure quædam, non laudabilia natura, ſunt conceſſa. 4,2,2
Jure gentium ex introducto quaſi fidejuſſione obligantur ex debito quodam rei non tantum debentis, ſed & ſubditorum ejus. 13,1,2
Jure ſummo ut utamur, ſæpe proximi caritas non permittit. 1,4,2
Jurejurando fallendos viros, ut fallendi talis ſunt pueri, qui aſſerunt, impietatis rei ſunt deteſtandæ. 1,19
Juri ſtricte ſumpto quod congruit, non ſemper ex omni parte licitum eſt. 1,4,2
Juris minus late, quam officiorum patet regula. 10,1,3
Juris naturalis communionem habent omnes homines, etiam tyranni & piratæ. 19,2,2
Juris plus nemo ad alium transferre poteſt, quam ipſe habet. 16,1,1
Juris ignorantia aut excuſabilis, aut inexcuſabilis. 11,4,5
Juris externi efficacia qualis. 7,7
Juris fecialis origo. 4,1
Juris gentium proprie quæ ſunt, & ea, quæ jure civili, aut pactis populorum, conſtituuntur, non ſunt confundenda. 2,7,1
Juris naturalis communionem, teſte Porphyrio, habent prædones, quia ſunt homines. 19,2,2
Jurisjurandi religione homo non tantum homini, ſed & Deo, obſtringitur. 19,5
Jurisjurandi vis. 1,19
Jus ſæviendi in Macedonas, qui in bello a Philippo defecerant, ademptum eſt Philippo, pace inter eum & Romanos inita. 19,9
Jus ad pœnas, quatenus inter ipſos reges aut populos verſatur, remiſſum ideo cenſeri debet, ne pax non ſatis pax ſit, ſi veteres ad bellum cauſas relinquat. 20,17
Jus externum acquirendi res, bello captas, ita proprium eſt belli ſolennis ex jure gentium, ut in aliis bellis locum non habeat. 6,27. Cur. ibid.
Jus patrium eſt jus inalienabile, & quod proinde bello ſolenni nequit acquiri. 7,4
Jus gentium dicitur illud jus, & quod ſingulis gentibus placuit ſine mutua obligatione, & quod mutuam obligationem in ſe continet. 1,8,2
Jus ſupereminens Dominii in res ſubditorum competit civitati. 19,7. Ejus nomine exercetur a ſummam poteſtatem habente. ibid. Jus illud ad omnes ſubditorum res ſpectat. ibid. Etiam ad jus, ex promiſſo bellico natum. ibid. Non promiſcue competit. ibid. Quonam reſpectu competat. ibid. Irrita non facit pacta, cum ſubditis inita. ibid. Dominii hujus uſum ubi res exigit, facienda tamen eſt compenſatio. ibid.
Jus gentium externum. 18,1,2. Hoc jure ſicuti cuilibet, licet rem hoſtilem occupare, ita & cuivis integrum hoſtem occidere. ibid. Cur. ibid.
Jus aliquando a juſtitia diſtinguitur. 10,1,3
Jus accipit id, quod in judiciis externis viget. ibid.
Jus internum ab externo diſtinctum. 7,6,1. & 7,6,3. & 10,1,3
Jus gentium de bello captis. 6,2,1. & 6,2,4
Jus pignoris, retentionis, ſervitutis an bello acquiratur, & quomodo. 6,26,1

Jus captivitatis ita jus eſt, ut alio ſenſu plerumque & injuria ſit. 7, 6, 4
Jus gentium vetat permiſſa jure naturæ, & permittit vetita. 4, 15, 1
Jus gentium quoddam eſt jus gentium, non omnium, ſed meliorum. 4, 19, 1
Jus gentium illud, quod dicitur jus gentium, quia multis gentibus, at ſine mutua obligatione, placuit, improprie vocatur jus gentium. 1, 8, 2
Jus luendi pignoris an tempore amittatur. 20, 60
Jus quidam vocant ſolam impunitatem. 11, 18, 2
Jus ſtricte dictum diſtinctum a juſtitia. 10, 1, 1
Jus in eo, quod aliud ſit, teſte Quintiliano, jura ſpectare, aliud juſtitiam, opponitur juſtitiæ. 4, 2, 3
Jus contra belli non incommode interpretari nonnunquam poſſumus, Contra æqui naturam & morem mitius viventium. 11, 13, 2
Jus belli per ſcriptores aliquando intelligunt Jus, quod actum non omni liberet culpa. 4, 5, 2
Jus belli quoddam populos ſpectat alios. 20, 8
Jus belli non ex ſolo belli principio ſpectandum, ſed & ex cauſis ſubnaſcentibus. 1, 3
Jus illud, quod quaſi ex fidejuſſione pro civitate oritur, neutiquam tam late patet, quam jus, quod ex delicto naſcitur in eos, qui pœna ſervi fiunt. 14, 2, 1
Jus naturale dicitur aliquando abuſive Conſuetudo, cui ratio naturalis ineſt. 7, 5, 2
Jus naturale obliteratum quaſi ex parte apud multos populos. 3, 2, 1
Jus naturæ ſi reſpicimus, a quovis homine puniri poſſunt ii, qui atrociter malefici ſunt, neque pars ullius civitatis exiſtunt. 19, 3, 1
Jus ſtrictum uſurpare nobis non licet, niſi multo majus ſit bonum, quo noſtra actio tendit, quam malum id, quod metuitur, aut niſi in pari bono & malo multo major ſit ſpes boni, quam mali metus. 1, 4, 2
Jus in vitam vel ſuam, vel civis ſui, cuipiam ſolo conſenſu dare poteſt nemo. 11, 18, 1
Jus gentium tribuit Dominis quondam facultatem occidendi quovis tempore ſervos bello captos. 4, 10, 2
Jus generale in captos ex bello juſto par eſt ei juri, quod habent Domini in eos, qui ſe, paupertate coacti, in ſervitutem vendiderunt. 14, 2, 1
Jus vitæ & necis, quod dicitur in ſervum Domino, præſtat, ut domeſticam habeat juriſdictionem, ſed nimirum eadem religione exercendam, qua publica exercetur. 14, 3
Juſjurandum, quod repetitur quotannis, ea de cauſa repetitur quotannis, ne perſonarum mutatione juriſjurandi jus intercidat. 19, 18, 1
Juſta qui negat, omnia dat, non eſt admittendum in bello juſto. 11, 1, 1
Juſtitia, in piratarum aut latronum cœtu exercita, cœtum iſtum non conſtituit civitatem. 3, 2, 1
Juſtitia, idque merito, pudoris comes vocatur. 10, 1, 2

L.

Lacedæmonii dolum in bello pluris, quam vim, faciebant. 1, 6, 2
Lacedæmoniorum mos de agris captis. 6, 11, 2
Λάφυρα. 6, 24, 4
Latrocinia, quæ fiebant extra civitatis cujuſque fines, nullam olim apud Germanos habebant infamiam. 3, 2, 3
Latrones qui. 3, 1, 1
Latrones ſi quid prædando cepere, ejus Domini non fiunt. 3, 2, 3
Latroni Crocotæ ab Auguſto perſolutum pretium, capiti ejus impoſitum. 19, 2, 2
Legati, noſtros ad hoſtes non miſſi, ratione pignorationis, jure gentium excipiuntur a ſubditorum numero. 2, 7, 2. Ut & res eorum. ibid.
Legatorum violatio cum eo, quod promiſſum eſt, compenſari poteſt. 19, 19, 2
Lex (ea præſertim quæ jus gentium facit) eſt in civitate idem, quod mens in corpore humano. 3, 2, 2
Lex naturæ, teſte Ulpiano, hæc eſt, ut, qui naſcitur ſine legitimo matrimonio, matrem ſequatur. 7, 5, 2
Lex conſuetudinis generalis ab aliqua ducta ratione naturali. ibid.
Lege e civitate ſublata, interit civitas. 3, 2, 2
Leges multa bona poſſunt etiam conſiſtere cum tyrannide. ibid.
Leges humanæ vim obligandi tum demum habent, ſi latæ ſint ad humanum modum. 23, 5, 3. Non, ſi injungant onus, quod a ratione & natura plane abhorreat. ibid.
Leges generales interpretatione benigna ita accipiendæ ſunt, ut caſus ſummæ neceſſitatis excludant. ibid.
Leges quænam ſpeciales pro legibus haberi non debeant. ibid.
Leges, per quas ipſe populus Romanus religione obligabatur, appellabant Romani leges ſacratas. 19, 8, 1
Leges ſua circa res privatas & publicas minores, moreſque ſui & magiſtratus relinqui poſſunt victis, cum omne ipſis imperium eripitur. 15, 10
Λεῖα. 6, 20, 2
Liber homo poſtliminio quomodo redeat. 9, 5
Liber homo poſtliminio ſua recuperat. 9, 6, 1. An & alienata. 9, 6, 2
Libertas ſubditorum obligatur ex facto ſuperiorum. 2, 2, 1
Libertas lege Hebræa ſervo aut ancillæ non pro oculo tantum, ſed & pro dente, per injuriam excuſſo, debebatur. 14, 4
Libertate ut donentur ſervi, non optimæ, ſaltem non improbæ ſervitutis, in uſu quotidiano eſſe, ait Salvianus. 14, 6, 5
Libertate pro in bellum accinctos dimittere ſalvos, probat ſapiens quidam. 11, 6, 1
Liceat quid non conſiderare, ſed quid deceat, eum animo volvere regem imperatoremque decet. 4, 2, 2
Liceat quid in bello, unde ſpectetur. 19, 1, 1
Licere interdum dicitur id, quod rectum ex omni parte plenumque eſt, etiamſi forte aliud quid fieri poſſit laudabilius. 4, 2, 1. Licere alias dicitur aliquid, non quod ſalva pietate & officiorum

regulis

regulis fieri poteſt, ſed quod apud homines pœnæ non ſubjacet. 4, 2, 2. *Licere cum hoc ſenſu ſumitur, ſignificationem, teſte Cicerone, minus propriam obtinet.* ibid.

Licere dicimus id, quod cuique conceditur. ibid.

Licere omnia dicuntur regibus. ibid. *Cur.* ibid.

Licere ad leges refertur a Cicerone. ibid.

Licere dicuntur multa, quæ aut a recta regula exorbitant, aut certe ſanctius & cum majori apud bonos laude omittuntur. 10, 1, 1. *Licere iſtiuſmodi duabus dicuntur de cauſis; tum quod impune fiant; tum quod judicia coactiva ſuam illis auctoritatem accommodent.* ibid.

Limen & Limes *veniunt ab antiqua voce* Limo, *qua* Tranſverſum *ſignificat.* 9, 1, 1. *Origine & primitiva notione idem ſunt.* ibid. *Seriore tamen uſu factum eſt, ut* Limen *ad* privata; Limes *vero ad* publica *referretur.* ibid.

Literas per belli denunciatio fieri poteſt. 3, 14

Litera Marca. 2, 4

Literis operam qui dant, quique ad mercatus veniunt, ut & res eorum, a pignorationibus ſubditorum pro civitate jure civili ſunt excepti. 2, 7, 3

Loca, quæ religioſa vel ſacra fuerant, capta ab hoſtibus, ſi ab hac calamitate fuerint liberata, quaſi quodam poſtliminio reverſa, priſtino ſtatui reſtitui, ſcripſit Pomponius. 9, 13, 2

Locutionis ambiguæ uſurpatio quando licita. 1, 10, 1. & 1, 13, 1

M.

Magiſtratus oppidanos obligant intra eos actus, qui ſolent ab ipſis imperari 22, 6

Maharbalis factum 22, 9, 2. *Maharbalis facto contrarium fuit Annibalis factum.* ibid. *Quidnam eo in caſu fuerit cauſatus Annibal.* ibid.

Mahumetiſtarum de neceſſitate reſtitutionis opinio. 10, 3

Malefici atroces, qui nullius civitatis partes ſunt, a quovis puniri poſſunt. 19, 3, 1

Malum non eſt faciendum, ut inde eveniat bonum, *locum negotiis in illis habet, quæ ſemper mala ſunt* 1, 6, 4

Mandatarius ſi præ ſe tulerit jus majus, quam habebat, tenebitur & de damno, culpa dato; imo & ex crimine ad pœnam, criminis reſpondentem. 22. 4, 3. *Quanam ex priori, & quanam ex poſteriori cauſa obligentur.* ibid.

Mandatum in bello eſt generale, & ſpeciale. 18, 1, 4

Manliana imperia. 18, 1, 2. *Ea quid nos doceant.* ibid

Manlii bellum in Gallogræcos fuit jure gentium injuſtum. 3, 10.

Manlius L. obſtringit jurejurando Tribunum plebis Pomponium M. in re injuſta. 19, 6

Manubiæ quid. 6, 16, 1

Manumiſſio ſervi Hebræi, facienda quæ incumbebat, certo tempore exacto, idque non ſine donis, Hebræos, & quidem vi legis Hebrææ iſtius, de cujus contemptu graviter conqueſti ſunt Prophetæ, omitti ſine peccato nequibat. 14, 6, 5

Manumiſſio, quam hoſtis faciebat alicujus ſervo, manumiſſi iſtius ſervi Domino non oberat. 2, 11

Manumiſſionis beneficium, teſte Ulpiano, eſt, poſtquam jure gentium ſervitus invaſit, ſecutum. 14, 6, 5

Marcellus M. ea, quæ victoria profana fecerat, religione impeditus, non attigit. 12, 7, 2

Mariandyni. 14, 5, 3

Maritus ne pro uxore, *eſt titulus in jure Romano.* 2, 1, 1

Matrimonium contrahere. 4, 2, 1

Matrimonium apud veteres Romanos poſtliminio non reſtituebatur. 9, 9, 2. *Sed novo conſenſu redintegrabatur.* ibid.

Medicis Plato falſum dicendi facultatem modo dare, modo adimere videtur. 1, 15, 1. *Quibus det.* ibid. *Quibus adimat.* ibid.

Mendacium in quo genere proprie ſitum ſit. 1, 9. 1. *Contra mendacium multa ſunt in ſacris literis.* ibid. *De mendacio quid habeant Homerus, Sophocles, Cleobulus & Ariſtoteles.* ibid.

Mendacium quinam auctores certis caſibus admittant. 1, 9, 2. & 1, 9, 3. & 1, 9, 4

Mendacium dicere & mentiri apud Gellium quomodo diſtinguantur. 1, 10, 1

Mendacium non convenire Deo recte agnoſcit Plato. 1, 15, 1. *Mendacium cui Deo non conveniat.* ibid.

Mendacium an committatur reſpectu tertii, ad quem ſermo non dirigitur. 1, 13, 1. *Quorundam, quos tali in caſu mendacium non commiſiſſe refert Grotius, exempla.* 1, 13, 2

Mendacium dicitur multipliciter. 1, 10, 1

Mendacium quid ſit. 1, 8, 1

Mendacium laudantium exempla. 1, 9, 3. & 1, 9, 4. *Mendacium vituperantium exempla.* 1, 9, 1

Mendacium inculpate, Platonis ex ſententia, quinam committant. 1, 15, 1

Mendacium ob laudatur Hypermneſtra. 1, 16

Mendacium omne, teſte Cicerone, ex rebus contrahendis eſt tollendum. 1, 10, 3

Mendacii vox nonnunquam ita laxe accipi videtur, ut includat etiam locutionem obſcuram. ibid.

Mendacii notionem ad communem quidnam requiratur. 1, 11, 1

Mendaciis quid illicitum naturaliter, quid materialiter. 1, 10, 1. *Quid formaliter.* 1, 11, 1

Mentiri apud volentem an liceat. 1, 14, 1

Mentiri hoſti licere quinam ſenſerint 1, 17, 1

Mentiri, & occultare verum, diſtinguuntur. 1, 7, in Not.

Mentiri non cenſendus is, qui dicit rem falſam, quam exiſtimat veram. 1, 10, 1

Mentiri dicendus is, qui dicit rem, veram quidem, ſed quam putat falſam. ibid.

Mercatores in bello ab injuriis vindicari debent. 11, 12

Mercatus ad qui veniunt, eorum res a pignorationibus ſubditorum pro civitate ſunt excepta. 2, 7, 3

I N D E X   R E R U M.

Meretricium ad civiles leges quomodo & quare ſoleant connivere. 5, 4

Metu qui cauſam dedit promiſſo, liberari promiſſorem tenetur. 19, 4

Metu injuſto coactus qui promiſit, teneri poterit, accedente jurisjurandi religione. 19, 5

Metum ad qualem jus gentium vim ſuam non porrigat. 19, 12

Metus, injuſte illati, ex cauſa quod promiſſum in bello ſolenni, adeo validum eſt, ut irritum reddi nequeat invito eo, cui eſt promiſſum. 19, 11, 1. *Quare.* ibid.

Metus exceptio jurejurando eliditur. 19, 6

Metus, qui bello ſolenni infertur, habetur pro juſto, ſi talis ſit metus, quem jus gentium non improbat. 19, 12

Metus injuſtus, ab altero incuſſus, ſi impulerit ad promittendum, poteſt is, qui promiſit, petere reſtitutionem, aut poteſt, ſi alter nolit, eam ſibi praſtare. 23, 2

Meum ſi alteri, id detinenti, eripere ſit difficilius, aquivalens capere mihi integrum eſt. 1, 2, 2

Militant ſi qui partis ejus, cum qua nobis pax eſt, hoſtibus, an cenſeatur pax rupta. 20, 31

Militantibus ſuo ſumptu concedi ſolet, ut capta ſua faciant. 18, 2, 1

Milites appellari etiam poſſunt cum medii, tum ſummi duces. 21, 15

Milites conſcribere licet induciarum tempore. 21, 7

Milites Octaviani & Antoniani diripuerunt caſtra Bruti & Caſſii. 6, 24, 5

Milites Flaviani, ad Cremonam ducti, cur, inſtante jam nocte, coloniam divitem impetu capere feſtinarint. ibid.

Milites Sullani diripuerunt Æquulanum. ibid.

Milites Caſaris poſt pugnam Pharſalicam diripuerunt caſtra Pompejana. ibid.

Milites in ſolidum tenentur omnes, qui ad actum aliquem communem, puta urbis incendium, concurrerunt: in actibus dividuis pro damno quiſque, cujus ipſe cauſa unica, aut certe inter cauſas fuit. 10, 4

Milites ſi quid capiunt non in procinctu, aut in eo, quod facere jubentur, ſed in eo, quod promiſcuo jure, aut ſolo permiſſu, faciunt, id ſtatim ſibi acquirunt. 6, 12, 2. *Cur.* ibid. *Quanam, & quotuplicia ſint talia.* ibid.

Militibus qui datus commeatus, porrigitur etiam non ad medios tantum, ſed & ſummos duces. 21, 15

Miniſter cum fecit contra mandatum arcanum, manens tamen intra limites publica functionis, obligatur etiam ſumma poteſtas. 22, 4, 1

Miniſtrorum ex facto antecedente obligatur ſumma poteſtas, ſed non ita, ut id factum ſit cauſa proprie dicta, at ſit occaſio obligationis. 22, 3. *idque dupliciter, vel per conſenſum, vel per rem ipſam.* ibid.

Minor annis hoſti obligatur. 23, 3

Minoribus qua conſulunt beneficia ex jure ſunt civili. ibid.

Miſeranda eſt eorum calamitas, qui non ſuo facto ſpeciali, ſed regentium culpa, in eam deveniunt ſortem, ut belli jure fiant captivi. 14, 2, 1

Miſſilia Romani Conſules faciebant capientium. 6, 22, 1

Mobiles res ſi extra miniſterium publicum capiuntur, fiunt ſingulorum capientium. 6, 12, 1

Mobilia generaliter poſtliminio non redeunt, ſed in prada ſunt. 9, 14, 1

Moderatio in belli jure circa perſonas. 11, 7, 1

Moderatio in ſervandis rebus, qua bellum non morantur, magnum hoſti telum eripit. 12, 8, 1

Moenia reficere licet induciarum tempore. 21, 7

Monachi a cade liberi eſſe debent. 11, 10, 2

Monita quadam, in bello & poſt bellum ad fidei & pacis curam valitura, tradere, ſibi in animo ait Grotius. 25, 1, 1

Monomachia inter ſingulos, binos, ternos vel tricenos utrimque, belli finiendi cauſa, an ſit licita. 20, 43, 1

Monomachia de regno quis ſit effectus. 20, 44

Mora purgatio in pace an admittenda. 20, 25. *Quando admittenda.* ibid.

Mortuorum corpora non ſunt male tractanda. 5, 3. *Cur.* ibid.

Moſes cum urgeretur neceſſitate tranſeundi per agros Idumaorum, quamnam Idumais propoſuerit conditionem. 17, 2, 1

Muli qui apud Romanos poſtliminio recepti. 9, 14, 1

Mulieres jure civili plurimarum gentium non tenentur ex debito civitatis. 2, 7, 3

Mulieres jure belli impune poſſunt occidi. 4, 9, 1

Mulieres in bello non debent occidi, niſi virilia officia uſurpent, aut quid, peculiariter vindicandum, committant. 11, 9, 3

Multitudini etiam in delicto parcendum. 11, 17

Mutii Scavola conatus. 4, 18, 1. *Conatum ſuum quomodo defendat Mutius Scavola.* ibid. *In facto Mutii Scavola quid agnoſcat Porſena.* ibid.

N.

Nabidis reſponſum cum tyrannis ei objiceretur. 19, 3, 2

Natos ſerviles materna conditionis eſſe, placuit gentibus. 7, 5, 2. *Cur.* ibid.

Naves longa atque oneraria apud Romanos poſtliminio recepta. 9, 14, 1. *Non luſoria, aut actuaria, voluptatis cauſa parata.* ibid.

Naves, piratis plena, tormentis peti poſſunt, etiamſi intra eaſdem ſint pauci infantes, mulieres, aut alioqui innocentes, quibus inde creetur periculum. 1, 4, 1

Naves roſtratas, ventorum vi in portum delatas, ex lege Romani Quaſtores volebant publicari. 21, 9, 2

Naves, & qua navibus adſunt, ſunt res, qua & in bello, & extra bellum, habent uſum. 1, 5, 2

Naves quondam tum demum cenſebantur capta, cum aut in navalia, aut in portus, aut ad eum locum, ubi ſe tenebat claſſis, eſſent perducta. 6, 3, 2. *Cur.* ibid.

Naves

Naves apud Europæos captæ quando cenſeantur. ibid.

Naves nunc nulla poſtliminio redeunt. 9, 15

Navis, frumentum Athenis inferre parantis, & magiſtrum, & gubernatorem, ſuſpendit Demetrius. 1, 5, 5. *Cur, & quando id fecerit.* ibid. *Eorum ſuſpenſione quemnam effectum dederit.* ibid.

Navium expugnatio & captura ad quos variarum ex gentium more pertineat. 6, 2, 4, 5

Neceſſaria quæ ſunt moraliter ad finem juris conſequendi, ad ea jus habere intelligimur. 1, 2, 1

Neceſſitas, ut jus aliquod det in rem alienam, debet eſſe ſumma. 17, 1, 1

Neceſſitas ſi jus aliquod datura in rem alienam, prærequiritur, ut Domino ipſa non ſit æque neceſſaria, ac nobis. ibid.

Neceſſitas multa, ſi non defendit, ſaltem excuſat. 11, 4, 7

Neceſſitas permittit res alterius occupare, ſed ſub onere reſtitutionis, niſi cauſa alia accedat. 1, 5, 3

Neceſſitate de ubi conſtat, non ultra ſumendum, quam exigit neceſſitas. ibid.

Neceſſitate prætexta patrari multa in bello ſolent in finitimos. ibid.

Neceſſitate quadam res alterius ſic perdimus, ut ei iſthoc facto non faciamus injuriam. 12, 1, 1. *At manet tamen damni illati reſarciendi obligatio.* ibid.

Neceſſitate nos cogente non implere promiſſa, pax a nobis rupta eſſe non eſt cenſenda. 20, 37

Neceſſitatem injuriæ velamentum habet, qui ſalutis cauſa prædatur. 11, 4, 7

Neceſſitatis impulſus auferunt dijudicationem de eo, quod agendum, vel non agendum eſt. 11, 4, 7

Neſcio *dicere, & ad vocem* Neſcio *ſubintelligere voces,* Ut dicam tibi; *aut* Non habeo *dicere, & ad voces* Non habeo *ſubintelligere voces,* Ut tibi dem, *in ſchola quapiam receptum eſt.* 1, 17, 3

Ninus primus imperium ampliavit. 8, 1, 2

Nocentibus plurimis parcendum ob innocentes paucos. 1, 4, 3

Nocentibus ſæpe parcendum innocentium cauſa. 11, 9, 1

Nomina regionum accipienda ex uſu præſentis temporis, non tam vulgi, quam peritorum. 20, 23. *Cur.* ibid.

Noſtrum ut conſequamur, ſi tantundem accipi non poteſt, plus accipere nobis jus eſt, at ſub obligatione reſtituendi pretium ejus, quod redundat. 1, 4, 1

Nuptias repetere an liceat. 4, 2, 1

O.

O*Bligandi ſubditos poteſtas ſub imperio eminenti comprehenſa eſt.* 20, 6

Obligatur valide prædoni is, cui metus incuſſus eſt. 19, 4

Obligatio ſummæ poteſtatis per minores quibus caſibus valeat. 22, 2

Obligationem contra faciendo, obligationi ſe eximit nemo. 20, 38

Obſes an adhuc teneatur, rege, fœdus qui fecit, mortuo, unde pendeat. 20, 57

Obſes, qui datus eſt tantum, ut alterum captivum aut obſidem redimeret, eo mortuo, liberatur. 20, 56

Obſes, in unam cauſam datus, in aliam retineri non poteſt. 20, 55

Obſes interfici poteſt per jus gentium externum. 20, 53

Obſes non occidi poteſt jure interno, niſi par ipſius culpa accedat. ibid.

Obſides non fiunt ſervi. 20, 53

Obſides bona habere, & heredibus relinquere poſſunt, quanquam Romana lege cautum eſt, ut bona eorum in fiſcum cogantur. ibid.

Obſides plerumque acceſſio ſunt principalis actus. 23, 16

Obſides interdum non ſunt acceſſio obligationis, ſed revera pars principalis. 20, 58

Obſides dantur aut ſua voluntate, aut ejus, qui imperium habet. 20, 52

Obſides quomodo in ſummo imperio civili poſſint dari voluntate ejus, qui habet imperium. ibid.

Obſides quo reſpectu olim ſint occiſi. 11, 18, 1

Obſides a pignoribus quomodo differant. 20, 59

Obſides, qui fugerunt, recipi & retineri non poſſunt a civitate, quæ eos dedit obſides. 20, 54

Obſidi an fugere liceat. 20, 54. *Fugere quando non liceat obſidi.* ibid.

Obſidibus quid debeatur a civitate aut rege, a quo mittuntur. 20, 52

Obſidum obligatio duabus de cauſis eſt odioſa. 20, 55

Obſidum alter an ex facto alterius teneatur. 20, 58

Obſtinata reſiſtentia non ſufficit ad jus internum occidendi. 11, 16, 1

Occidente cum in bello more Græcorum antiquo lavare, potum ſumere ac ſacra facere fas erat. 4, 5, 1

Occidere hoſtem, paſſim jus belli vocatur. 4, 5, 1

Occidere quis injuſte poteſt aliquem etiam in juſto bello, quoad juſtitiam internam. 11, 1, 1

Occidere hoſtem cuilibet non minus, quam rem hoſtilem occupare, licet. 18, 1, 2

Occidere neminem juſte ex propoſito poſſumus, niſi aut in pœnam juſtam, aut quatenus abſque eo vitam & res noſtras tueri non poſſumus. 11, 2

Occidere hominem ob res caducas, etiamſi a juſtitia, ſtricte dicta, non abeat, diſcedit tamen a caritatis lege. ibid.

Occidere hominem, ut res, carere queis poſſumus facile, retineamus, cum proximi caritate pugnat. 20, 43, 2

Occidere quem ita, ut, qui occiditur, ſui defendendi copiam habeat, eſt generoſius, quam quem vel gladio, vel veneno, occidere. 4, 15, 1

Occidere quem licet, eum gladio, an veneno, occidas, nihil intereſt, ſi jus naturæ reſpicias. ibid.

Occidere ita, ut ſui defendendi copiam habeat, non debemus eum, qui mortem eſt commeritus. ibid.

Occidere num liceat eos, qui intra fines hoſtiles ſunt. 4, 6
Occidere ſupplices an liceat. 4, 11
Occidere obſides an liceat. 4, 14. & 11, 18, 1
Occidere hoſtes, captos præſertim aut ſupplices non licet, ob talionem, aut ob eorum in reſiſtendo pertinaciam. 4, 13, 1
Occidere an liceat eos, qui ante bellum aliquo venerunt. 4, 7
Occidere infantes & fœminas impune in bello habetur. 4, 9, 1. & 4, 9, 2. Pueros. 4, 9, 2. Sexum ac ætatem quamvis. ibid. Senes. ibid. Captivos. 4, 10, 1. Fœminas captivas. ibid.
Occiſio in bello juſto ſecundum juſtitiam internam quando ſit juſta, & quando non ſit juſta. 11, 2
Occiſio ut fieret eorum, qui juris exſecutionem per vim impedire volunt, poſſet fieri. 2, 6. Id ſi prævideatur, ex caritatis lege omittenda potius eſt juris perſecutio. ibid. Cur. ibid.
Occiſio hoſtis indiſtincte quo ſenſu licita ſit. 4, 3
Occiſio extra propoſitum, ſive indiſtincte, quando licita. 1, 4, 1
Occupatio, induciarum tempore facta, non valet. 21, 8, 1
Occupatio derelictorum, dum vere derelicta, id eſt, eo animo derelicta ſunt, ut non amplius ſint eorum, quorum fuerant, licet. 21, 8, 2
Officium contra quod eſt, non ſtatim irritum eſt. 23, 5, 2
'Οικονομία. 1, 8, 3
Olivarum rami & ſimilia ſupplicum ſigna num obligent. 24, 5
Opera vix gratis præſtari ſolet. 6, 23
Opera a ſervis cum modo ſunt exigenda. 14, 5, 1
Opificibus parcendum in bello. 11, 12
Oportet & licet ſæpe opponuntur. 4, 2, 3
Oppugnatione urbis in Hebræi partem liberam relinquebant, quo confugere cuique licebat. 11, 14, 2
Oppidum tradere qui promiſit, poteſt præſidium dimittere. 22, 13
Ornamenta corrumpere in bello iniquum. 12, 5
Othryades an vicerit Argivos. 20, 45, 2

P.

PAcatorum quodnam officium circa bellantes. 17, 3, 1
Paciſcendi in bello genere, quo reſtituitur bello turbata poſſeſſio, reſpicitur poſſeſſio, quæ fuit ante bellum ultimum, ſed ita, ut, privatis dejectis, interdicto aut vindicatione apud judicem experiri liceat. 20, 13. Iſtiuſmodi vero poſſeſſionis reſtitutio non porrigitur, ad populum, qui, juris ſui, ſe bellantium alteri ſponte ſubjecit. 20, 14. Cur non. ibid.
Pacta, quibus imperii mixtura. 19, 10
Pacta magiſtratuum cives obligant in oneroſis, non etiam in iis, quæ alias imperantur. 22, 6
Pacta qui improbant, & tamen retinent, quod ſine pactis non haberent, excuſari non poſſunt ab injuſtitia. 22, 3
Pacti ſenſus ſi ſit dubius, contra eum ſit interpretatio, qui conditiones elocutus eſt. 20, 26
Pactis ſicut de ſtatu puro in purum, ſic & ius de ſtatu puro in mixtum tranſiri poteſt. 19, 10
Pacto quod promiſſum ſi ſtari nequeat aliqua de cauſa, quidnam agendum ei, cui quod ipſi promiſſum præſtari non poteſt. 20, 37
Pacto quodam res manent penes tenentem. 20, 12, 1
Pactiones, quæ bellum finiunt, inire, cur ſit eorum, quorum eſt bellum. 20, 2
Pactionibus in, quæ ſunt de reddendis his, quæ bello capta ſunt, primum latius interpretanda quæ mutua ſunt, quam quæ claudicant. 20, 21. Deinde, quæ de hominibus agunt, plus favoris habent, quam quæ de rebus. ibid. Et inter eas, quæ de rebus, hæ, quæ de agris, plus, quam quæ de rebus mobilibus. ibid. Et quæ de his, quæ penes publicum ſunt, plus, quam quæ penes privatos. ibid. Et inter eas, quæ penes privatos, plus illa, quæ reddi jubent lucrativo titulo poſſeſſa, quam oneroſo, ut quæ emtionibus, quæ dotibus tenentur. ibid.
Paganus an hoſtem licite occidat. 18, 1, 1
Panem in hoſtium ſtationes jacere, ne fame premi credamur, licet. 1, 8, 3
Patrem familiæ ſervi appellaverunt Dominum. 14, 5, 2
Pax quidnam. 20, 32, 1
Pax quando rupta cenſeri debeat. ibid.
Pax quare ineatur. ibid.
Pax ſolvitur, faciendo id, quod ſpecialis pacis natura repudiat. 20, 39
Pax exigit aliquando, ut id, quod inter ceteros ſolius amicitiæ officium exigit, etiam pacti jure ſit præſtandum. 20, 40, 1
Pax ut ab aliquo cum aliis juſte ineatur, ſummam requiritur ut is habeat poteſtatem. 20, 1
Pax quibus rationibus iniri poſſit inter eos, qui ambo juſtam belli cauſam habuiſſe volunt videri. 20, 11, 2
Pax quos obligat, iiſdem & volentibus prodeſt. 20, 4
Pax, qualibuſcunque etiam legibus facta, omnino eſt ſervanda. 25, 7
Pax utilis eſt invalidioribus. 25, 4. Validioribus. 25, 5. Paribus. 25, 6
Pax tribus rumpitur modis. 20, 27. Ii quinam. ibid.
Pax rumpitur, ſi vis bellica inferatur, ubi nulla nova eſt cauſa. 20, 28
Pacis de tempore quod dictum eſt, certo quadam de cauſa non ex vi vocis, ſed ex mentis certa collectione, etiam per inducias valet. 21, 1, 4
Pacis ineundæ jus cui competat in imperio procerum aut populi. 20, 4
Pacis cauſa quid in res ſingulorum ſtatuere poſſint qui reges ſunt, diſputatur. 20, 7, 1
Pacis capita in majoris & minoris momenti capita diſtingui, improbat Grotius. 20, 35
Paci quo magis caveatur, quidnam capitibus minoris momenti adjici conſultum ſit. 20, 35
Pacem per ſe ſuaque cur liceat defendere. 20, 32, 1
Pacem non rumpit, qui pactis, ſimpliciter factis, poſterior non ſtat. 20, 36
Pacem ſervare poſt læſam fidem integrum eſt innocenti. 20, 38

Pa-

Pacem inter & bellum nihil, teſte Cicerone, eſt medium. 21, 1, 1
Pacem, quæ ſub amicitia lege contracta eſt, rumpunt ea, quæ contra amicitiam ſunt. 20, 40, 1
Pacem ſuam Dominus legavit Chriſtianis, & vult, ut eam, quantum in nobis ſitum eſt, cum omnibus quæramus. 25, 3
Pacem inire duci non eſt conceſſum, etiamſi cum ſummo jure bello præſit.
Pacem facere non poteſt rex, qui ætatis eſt ejus, quæ judicii maturitatem non habet, vel qui mentis eſt imminuta. 20, 3, 1
Pacem facere rex captivus quando non poſſit. ibid
Pacem tali in caſu facere cur regi captivo non liceat. ibid
Pacem religioſe colere, pluribus de cauſis regem decet. 25, 1, 3
Pacem rumpere, & novam bello cauſam præbere, non eſt idem. 20, 27
Pacem, teſte Thucydide, non rumpunt ii, qui vim vi arcent, ſed qui priores vim inferunt. 20, 28
Pacem ſervare etiam poſt læſam fidem, integrum eſt innocenti. 20, 38
Pacem facere, ſeu pactiones, quæ bellum finiunt, inire, quorumnam ſit. 20, 2
Pacem major pars faciens, obligat univerſitatem. 20, 4
Pacem ad veniri vix ſolet injuria confeſſione. 20, 11, 1
Pacem facere rex exſul an poſſit. 20, 3, 2
Pace omni id actum cenſeri debet, ut, quæ bello data ſunt, damna, eorum nomine actio non ſit. 20, 15. *De quibus damnis, & cur de illis id etiam ſit intelligendum.* ibid.
Pace de ſi quid dictum erit, id induciarum tempore locum non habebit. 21, 1, 2
Pace de agendi quodnam ſit optimum tempus. 25, 6
Pace cur ad populum, qui ſui juris, ſponte ſe bellantium alteri ſubjecit, non porrigatur reſtitutio. 20, 14
Peccandi cauſam alteri qui dat, peccat & ipſe. 1, 21.
Peccare nemini licet. 4, 2, 2
Peculatus judicio cur, teſte Valerio Maximo, damnatus ſit L. Scipio. 6, 21, 1
Peculatus de impunitate atque licentia congreſtus eſt, teſte Gellio, in oratione, quam de præda ſcripſit, M. Cato. 6, 21, 2
Peculatus invidiam Cicero auget Verri, quod ſignum ſuſtuliſſet, & quidem captum de præda hoſtium. ibid.
Peculatus prædæ nomine quando tenerentur non tantum Imperatores, ſed milites. 6, 21, 3
Peculatus, teſte Modeſtino, tenetur is, qui prædam ab hoſtibus ſurripuit. ibid.
Peculatus non eſt, niſi in re publica, ſacra, aut religioſa. ibid.
Peculium quid ſecundum Theophilum & Ulpianum. 14, 6, 2
Peculium dominus ſuo arbitrio adimere poteſt aut minuere. ibid.
Percuſſore immiſſo, hoſtem interficere per jus gentium an liceat. 4, 18, 1
Percuſſorum duo genera. ibid. *Percuſſores inter poſterioris generis recenſentur a Grotio Pipinus, Caroli Magni pater.* ibid. *Theodotus Ætolus.* ibid. *Q. Mutius Scævola.* ibid. *Sexcenti Lacones, qui, cum Leonida caſtra hoſtilia ingreſſi, recta tentorium regis petebant.* 4, 18, 2. *Pauci illi, qui Marcellum conſulem, ex inſidiis circumventum, occiderunt.* ibid. *Is, a quibus parum abfuit, quin Petilium Cerialem in lecto confoderent* ibid. *Poſterioris generis inter percuſſores recenſetur & Eleazarus, laudatus Ambroſio, quod elephantem, ceteris ſupereminentem, adortus eſt, arbitratus ei inſidere regem.* ibid. *Non tantum poſterioris generis percuſſores, ſed & ii, qui ipſis, rerum agendarum ergo, auctores fuerunt, jure gentium inculpati habentur.* ibid.
Percuſſores, hoſti ab hoſte immiſſi, quamvis ſint generis poſterioris, ſolent, deprehenſi, ſuppliciis exquiſitis affici. 4, 18, 3. *At non ea de cauſa, quod in jus gentium deliquerint.* ibid. *Cur ergo.* ibid.
Percuſſores, quorum facto perfidia ineſt, ac ii, qui eorum opera utuntur, contra jus gentium faciunt. 4, 18, 4
Perfidia, cujuſpiam interficiendi gratia, qui utitur aliena, violaſſe non tantum jus naturæ, ſed & gentium, creditur. ibid.
Perfidia duobus modis quis, non faciens quod promiſſum eſt, vacat. 19, 14
Perfidia Spitamenis in Beſſum, regis ſui interfectorem, cur, teſte Curtio, minus inviſa eſſe potuerit. 4, 18. 6
Perfidia in latrones & piratas vitio quidem non caret, ſed apud gentes odio eorum, in quos committitur, impunita eſt. ibid.
Periculi ſummi vitandi cauſa præſcribit imperanti modum, quo populo ſubacto imperare debet. 15, 1
Perjurum in prædonem non puniri, vel inde ſequi videtur, quod quis, fidem juratam, aut injuratam, prædoni datam, violans, eo nomine pœnam apud alias gentes non debere, cenſeatur. 19, 5
Permittere ſe arbitrio aliorum, quidnam ſit. 20, 49, 1
Perſæ non credebant in ſimulacris eſſe ulla numina, ſed Deum eſſe ſolem, portionem ejus aliquam ignem. 5, 2, 4
Perſequi res eas, quæ non ſunt in bonis, quiſque ſine damno poteſt omittere. 13, 2
Phaneas, Ætolorum legatus, quo uſque in oratione ad Manium conſulem prolapſus ſit. 20, 50, 4
Pharao in terra Ægypti ex empto habebat dominium in res, ſed non in perſonam. 20, 6
Philippus Macedo poſterior an vicerit, Attali nave capta. 20, 45. 2
Picturas in bello corrumpere, injuſtum. 12, 5
Pignoratione a ſæpe jure civili populorum excipi ſolent perſonæ mulierum & infantium. 2, 7, 3. *Eorum vero, qui literis operam dant, & ad mercatus veniunt, & perſonæ, & res.* ibid.

Pignorationes introducta ſunt ad exemplum onerum, qua pro exſolvendis debitis publicis inducuntur. 2, 7, 2

Pignorationes pro aliis in Novella Juſtiniani cur vetentur. 2, 1, 2. *Ha Gracis unico vocabulo quomodo nuncupentur.* ibid.

Pignorationi jure gentium ſubjacent omnes, injuriam facientes, ſubditi. 2, 7, 2

Pignorationibus cauſam qui dederunt, non ſolvendo quod debebant, aut non reddendo jus, tenentur ipſo naturali ac divino jure ad reſarcienda damna aliis, quibus eam ob cauſam aliquid decidit. 2, 7, 4

Pignorandi jus ſingulis eſt jure gentium. 2, 7, 3. *Jure civili multorum locorum peti ſolet id alibi a poteſtate ſumma, alibi a judicibus.* ibid.

Pignora quadam communia habent cum obſidibus, quadam propria. 20, 59

Pignoris luitio ne ſit, nullum tempus efficere poteſt, ſi id praſtetur, pro quo pignus ſuppoſitum eſt. 20, 60

Pignoris retentio non injuſta eſt ex alio & ſuperveniente debito 20, 59

Pignorum conventio quam interpretationem recipiat. ibid.

Pilagium quidnam vocent Galli, & eo quidnam comprehendant. 6, 24, 7

Pipinus, Caroli Magni pater, uno comitatus ſatellite, trajecto Rheno, hoſtem in cubiculo interfeciſſe narratur. 4, 18, 1

Pirata aut latrones qua eripuerunt nobis, cur, teſtibus Ulpiano & Javoleno, non opus habeant poſtliminio. 9, 16

Pirata qua capiunt, non mutant jus domini. 9, 16

Piratarum aut latronum cœtus cur, etiamſi ferte quandam aqualitatem, ſine qua nullus cœtus conſiſtere poteſt, inter ſe ſervent, non ſit civitas. 3, 2, 1

Piratis aut à latronibus qui ſunt capti, permanent liberi. 3, 1, 1

Piratis de Pompejo non fuit triumphus. 3, 2, 3

Pœna merito malo debet eſſe par, & proinde pœna meriti mali menſuram excedere non debet. 12, 1, 1

Pœna ut juſta ſit, quidnam ſit opus. 11, 2

Pœna de remittenda cur actum cenſeri debeat, ſi quando cum malefico qua malefico, actum eſt 19, 3, 1

Pœna nomine acquiri res ſubditorum hoſtilium non poterunt, ſed eorum duntaxat, qui ipſi deliquerint, in quibus & magiſtratus continentur, qui delicta non puniunt. 13, 2

Pœna ex cauſa adimi & requiri poſſunt capientibus bona nocentium. 18, 2, 2

Pœna remiſſio ex quonam ſola non poſſit colligi. 24, 7. *Quidnam accedere opus ſit.* ibid.

Pœnam in poteſt alicui auferri jus ex promiſſi quaſitum. 19, 3, 1

Pœnas exacturi, reſpicere non tantum debemus cauſas, cur eas exacturi, ſed & illos, de quibus pœna eſt ſumenda. 11, 1, 2

Pœnas ad jus, quatenus inter ipſos reges aut populos verſatur, quare cenſeri debeat remiſſum. 20, 17

Pœnis in ſumendis, pœnarum eſſe debet modus. ibid.

Pœnitentia ſine ad regnum cœleſte pervenire nequeunt ii, qui, ſcientes, actus injuſtos operantur, aut ad eos cooperantur. 10, 3

Pœnitentia vera quidnam ratione damni dati, interfectionis, rei corruptionis & prada acta requirat. ibid.

Pœnitentia, qua nos damni dati pœnitet, eſt, non facta dati reſtitutione, ficta & inanis. ibid.

Pœnitentibus in bello parcendum, volunt canones, naturalem aquitatem ſecuti. 11, 10, 2

Pompejus Cn. belli piratici magnam partem confecit pactionibus, vitam illis pollicitus, & ſedes, in quibus ſine rapto viverent. 19, 2, 2

Pompeius Cn. templum Hieroſolymitanum ingreſſus eſt jure victoria. 5, 2, 5. *In eo, quod templo pepercerit, bene fecit.* ibid. *In eo, quod ingreſſus ſit, male fecit.* ibid. *In conſpectu Judaa ad Caſium, Ægypti promontorium, trucidatus eſt.* ibid.

Populatio inutilis, ubi hoſtis aliunde ali poteſt. 12, 4, 1

Populatio, qua hoſtem brevi ſubigit ad petendam pacem, eſt ferenda. 12, 1, 3

Populatio plerumque magis ſit ex odio, quam ex prudenti ratione. ibid.

Populationem Lydia quibus verbis Syro diſſuaſerit Crœſus. 12, 3, 1

Populatione ab Aſia quibus verbis, teſte Juſtino, Alexander Magnus ſuos prohibuerit milites. 12, 3, 1

Populatione abſtinendum eſt in dubia agri poſſeſſione, ſi magna ſpes ſit celeris victoria, cujus pramium & ager, & fructus futuri ſint. ibid.

Populatione inhibita, ſtuduit Annibal ſibi conciliare animos Tarentinorum. 12, 8, 2. *Plurium, animorum hoſtilium ſibi conciliandorum gratia, a populatione qui abſtinuerunt exempla.* ibid.

Populationibus in inhibendis Belgarum mos. 12, 4, 1. *Indorum.* 12, 4, 2

Populi, qui ſubjecti alieno imperio fuerunt, an recidant in veterem cauſam. 9, 12

Populi non pauci, volentes eſſe ſub imperio Romano, ab ipſis, teſte Appiano, ſunt repudiati. 15, 7, 2

Poſſeſſio per alium quod acquiratur, eo nos docet Grotius, quod res, qua nullius ſunt, fiant capientium, quamvis eas per alios capiant. 6, 9, 1. *Idem nos docet illo, quod ii, qui operam ſuam alicui addicunt, id, quod adipiſcuntur, adipiſcantur iis, cui ſuam addixerunt operam.* ibid.

Poſſeſſio facti in bellis ſufficit, nec alia ibidem attenditur. 20, 12, 2

Poſſeſſor mala fidi quale jus acquirat. 7, 6, 2

Poſſidere nequit qui neſcit. 21, 28. *Poſitionis hujus quidnam ſit conſequens.* ibid.

Poſſidere ſibi nihil poteſt, quid poſſidetur. 8, 4, 2

Poſteri captivorum ſervi. 7, 2

Poſtliminium quid ſit. 9, 2, 1. *Quinam conſenſus gentium rem eo perduxit, ut poſtliminium locum haberet etiam, ſi quis homo, aut res ejus genc-*

generis, in quo poſtliminium eſſe placuerat, perveniſſet ad amicos noſtros, aut ad regem ſocium vel amicum. ibid.

Poſtliminium in pace quorumnam ſit, niſi aliter convenerit. 9, 4, 1. Quorumnam in pace, niſi id pactis comprehenſum, non ſit poſtliminium. ibid. Quænam hujus poſterioris veritatem aperte evincant. ibid.

Poſtliminium non eſſe induciarum tempore, a Paulo recte notatum eſt. 9, 8

Poſtliminii jus competit, teſte Tryphonino, in bello, aut in pace. 9, 4, 1

Poſtliminii jus evanuit noſtris temporibus non inter Chriſtianos tantum, ſed & apud pleroſque Mahumetiſtas. 9, 19, 1

Poſtliminii jus ut locum habeat, quali cum gente rem nobis eſſe oporteat 9, 19, 2

Poſtliminii res ſunt pro non captis. 16, 1, 1

Poſtliminii de jure quinam ferme ſane nihil prodiderint. 9, 1, 1. Quomodo res hæc tractata ſit a veteribus Romanis. ibid. Poſtliminii de voce cujus ſententia rejicienda, & cujus amplectenda. 9, 1, 2

Poſtliminii jus, ut Romanæ leges teſtantur, locum habuit non tantum inter hoſtes, ſed & inter Romanos & populos externos. 9, 18, 1

Poſtliminii jus quanam lege civili auctum. 9, 10, 3

Poſtliminio reverſus eſt, teſte Pomponio, qui intra præſidia noſtra eſſe cæpit. 9, 2, 1. Teſte Paulo, qui fines noſtros intravit. ibid.

Poſtliminio res quædam redeunt; quædam non. 9, 6, 2

Poſtliminio cur careant ii, qui, armis victi, hoſtibus ſe dederunt. 9, 8

Poſtliminio revertuntur, teſte Modeſtino, qui hoſtibus ſine ulla pactione deduntur. 9, 8

Poſtliminio quænam dicantur recepta. 9, 3

Poſtliminio qui redit, in eum reſtituuntur jura. 9, 6, 1

Poſtliminio an aliquando populi ſe ſuaque recipiant. 9, 9, 1

Poſtliminio non reſtitui ipſo gentium jure res populi, qui plane interiit, cenſet Grotius. 9, 9, 1

Potentiores multa faciunt, non quia æqua ſunt, ſed quia ipſis expedit. 7, 6, 4

Poteſtas ſumma quomodo obligetur ex pacto minorum poteſtatum vel per conſenſum, vel per rem ipſam. 22, 3

Poteſtas ſumma quia ſemper obligatur, aut miniſter ejus, ideo & certum eſt, partem alteram obligari, nec dici poſſe, contractum claudicare. 22, 5

Poteſtas minor, ſi mandati fines exceſſerit, tenebitur ipſa, ſi, quod promiſit, præſtare non poteſt, ad æſtimationem, niſi lex aliqua, ſatis cognita, id quoque impediat. 22, 4, 3

Poteſtates minores ſupremam facto ſuo modis obſtringunt duobus. 22, 2

Poteſtatis ſuæ qui non eſt, nil habet in poteſtate. 8, 4, 2

Præda eadem bello eodem ſæpe diverſos in uſus eſt impenſa. 6, 20, 1

Præda non minus apud Romanos quam apud gentes alias pleraſque, fuit populi. 6, 21, 1

Præda militi dari quando cœperit apud Romanos. 6, 24, 5

Prædæ manus quod impediret, plurimæ ſæpe numero victoriæ ſunt corruptæ. 6, 24, 6

Præda poteſt a populo aliis concedi, idque non tantum poſt acquiſitionem, ſed & ante eam. 6, 22, 1

Præda interdum ſubditis conceditur. 6, 24, 1

Præda, teſte Propertio, competit illis, quorum meruere labores. ibid.

Prædæ participant aliquando ſocii. 6, 24, 2

Præda quomodo fiat capientium jure gentium. 6, 2, 1

Prædæ de ſuis diis ſacraverunt decimam Græci, Carthaginenſes & Romani. 6, 1, 1

Præda hoſtium frui, civitate, poſt pacem repudiatam, expugnata, probatur Deo. 6, 1, 2

Prædæ de hoſtium Domini partem ad ſenatores Hebræos miſit David. 6, 1, 3

Præda de dividenda extant leges divinæ Numer. XXXI. 27. ibid.

Præda de quid egerint Græci. 6, 14, 2. Quid Aſiatici. 6, 14, 3. Quid Afri. ibid. Quid veteres Franci. ibid. Quid Romani. 6, 14, 4

Prædæ nomine in piis cauſis veniunt non tantum res mobiles, ſed & urbes & agri. 6, 20, 1

Prædæ genera quænam ſint. 6, 20, 2

Prædæ diviſio quot modis facta ſit. 6, 17, 1. & 6, 17, 2

Prædæ pars data interdum & iis, qui non militaſſent. 6, 19

Prædæ pars temporibus Maccabaicis data viduis, ſenibus & egentibus pupillis. 6, 22, 1

Prædæ in diviſione licebat imperatori ἐξαίρετον, hoc eſt, præcipuum, ſibi accipere, quantum vellet, id eſt, quantum æquum arbitraretur. 6, 17, 3. Idem & aliis, virtutis ergo, conceſſum. ibid.

Prædam, Gabiis profugus, militi dilargitus dicitur Sextus, Tarquinii Superbi filius, ut eo modo potentiam ſibi conciliaret. 6, 17, 1

Prædam multam, Ituræis, & eorum vicinis, victis, ab iis, quod in bello Deum invocaſſent, & Deus ipſos propitius exaudiſſet, abſtuliſſe dicuntur Rubenitæ, Gaditæ & pars Manaſſitarum. 6, 1, 2

Prædam, Deo invocato, & ab ipſo exauditus, de Æthiopibus, a quibus injuſto laceſſitus erat bello, reportavit pius rex Aſa. ibid.

Prædam dare militibus, ambitioſum priſcis Romanis videbatur. 6, 17, 1

Prædam, Troja expugnata, cum ſenatu dividebat Agamemnon. 6, 14, 2. Præda de communi partem, ceteris majorem, abſtulit. ibid.

Prædam Marathoniam aſſervat Ariſtides ibid. De præda Plataenſi ne quis privatim quidquam tolleret, ſevere edixit Ariſtides. ibid. Prædam Plataenſem inter populos pro ipſorum meritis diſtribuit Ariſtides. ibid.

Prædam Athenienſem in publicum retulit Lyſander. ibid.

Prædam dividere imperatoris erat. 6, 14, 3

Prædam apud Francos veteres ſorte cum dividerent, rex de ipſa, ut ex Gregorii Turonenſis Hiſtoria apparet, nihil habebat, niſi quod ei ſors addixiſſet. ibid.

Prædam, quæ apud Romanos fuit populi Romani, dividere, quomodo apud eos duci fuerit conceſſum. 6, 21, 1

Prædam dividendi ordinem totum accurate explicat Polybius. 6, 17, 1

Prædam dividentes, ſæpe rationem habebant meritorum eorum, inter quos eam dividebant. 6 17, 2

Prædas agere mari quo tempore licitum habebatur apud Græcos, abſtinuerunt a cædibus & poſtulationibus nocturnis, ut & a raptu boum aratorum. 3, 2, 1

Prædari, quamdiu manet periculum, vetitum. 6, 24, 6

Prædatio, non nocitura hoſtium univerſitati, aut regi, aut his, qui per ſe ſontes ſunt, ſed innocentibus, & quidem adeo, ut eos detruſura ſit in ſummas calamitates, in quas etiam eos, qui privatim nobis debent, conjicere, foret immiſericordia, Chriſtiana ex lege eſt illicita. 18, 4

Prædones qui tantum fuerant, ſunt, aliud vitæ genus amplexi, civitas facti 3, 3

Prædonum ex ducibus nonnulli duces juſti ſunt facti. 3, 3

Prædonibus cum & fugitivis, qui in Pirenæis erant montibus, actum a Romanis ducibus de compoſitione, ſcribit Cæſar. 19, 2, 2. *Eo in conventu inter eos, qui convenerant, ſi quid actum fuiſſet, fuiſſet ejus præſtandi obligatio.* ibid. *Ea, quæ inter prædones acta ſunt, quid non habeant.* ibid. *Quid habeant.* ibid. *Quatenus id, teſte Porphyrio in libro de non eſu animalium, habeant.* ibid.

Prælium inire, dimiſſa legione, in qua militabat, ut caveat, ſecundo militiæ ſacramento non obligatus, filium Cato Cenſorius monet. 18, 1, 1

Prælium, nullius, vel ad jus conſequendum, vel ad bellum finiendum, uſus; at meram virium duntaxat oſtentationem habens propoſitam, cum officio hominis Chriſtiani & cum ipſa humanitate peccat. 11, 19. *Prælium iſtiuſmodi ſerio vetare cur debeant rectores.* ibid.

Præpoſuit qui, obligatur, etiamſi præpoſitus dummodo maneat intra limites publicæ functionis, fecit arcana contra mandata. 22, 4, 1

Præſcriptio locum non habet in agris aut locis, poſtliminio acceptis. 9, 13, 1

Præſcriptorem, qui mala fide præſcripſit, judicia civilia ut Dominum tuentur. 7, 6, 2

Præſidium in Acrocorintho ut eſſet, Corintho Achæis reddita, decretum a Quintio. 15, 5

Præſumitur in dubio pax inita hoc ſenſu, ut res maneant in ſtatu, in quo poſtremo erant. 20, 12, 1

Πράσιν ἀιτεῖν. 14, 6, 4

Pretio de facta conventio cur reſcindi non poſſit eo, quod captus intelligatur locupletior, quam credebatur. 21, 27

Principale pro forma eſt in moralibus. 3, 2, 2. *Ex eo, quod maximas partes continet, latiſſimeque funditur, tota res appellatur a Cicerone.* ibid.

Privatus alienare non poteſt quod eſt publicum. 23, 5, 1. *Ejus rei quænam ſit ratio.* ibid. *Privatorum in paciſcendo poteſtas quo uſque ſe extendat, difficilior eſt inſpectio.* ibid. *De ipſorum actionibus ac rebus cur quæri poſſit.* ibid.

Privati, ſi præſtanda in fide, hoſtibus data, negligentes, an a ſuis poteſtatibus eam implere ſint cogendi. 23, 10. *Cur in bello duntaxat ſolenni eos, ob jus gentium, cogendos, ſit verius.* ibid.

Privati de bello captis quando hoſti, quando civitati teneantur. 18, 2, 2

Privatorum pacta cum hoſtibus quænam ſint irrita. 23, 5, 4

Privatis videtur in bello juſto, ſi jus naturæ & internum reſpiciamus, conceſſum ea facere, quæ parti innocenti intra juſtum bellandi modum profutura confidunt. 18, 1, 3

Privatis a quæ cum hoſtibus ſiunt pacta, fidem non adſtringere, docuerunt nonnulli juris magiſtri. 23, 1. *Juris magiſtri, qui id docuere, cur errarint.* ibid. *Ex iſtiuſmodi dogmate quænam ſequantur incommoda.* ibid.

Privatis a ſi pactum vel cum latrone piratave ſit initum, ei ſtandum. 23, 2

Privilegium de jure commeandi extra inducias neque tertio noxium, neque danti admodum grave eſt. 21, 14. *Ejus ea de cauſa intra verborum proprietatem laxa magis, quam ſtricta, admittenda eſt interpretatio.* ibid. *Quando hæc eo magis, & quando inſuper multo magis admittenda.* ibid. *Qualis ejus admittenda interpretatio.* ibid. *Quando talis ejus rejicienda interpretatio.* ibid. *Etiam extra proprietatem laxior ejus locum habitura quando interpretatio.* ibid.

Promiſimus quod, præſtari quando non poſſit. 19, 15

Promiſſio, facta malefico, quâ malefico, cur non poſſit declarari irrita. 19, 3, 1

Promiſſio minoris valet jure gentium, ſi actum intelligat. 23, 3

Promiſſio captivi de redeundo in carcerem, merito cur toleratur. 23, 6

Promiſſio per ſe jus novum confert. 19, 1, 3

Promiſſio, de non fugiendo, a vincto facta, valet. 23, 8

Promiſſio, de non redeundo in certum locum, nec de militando adverſus eum, qui nos in poteſtate habet, valet. 23, 7, 1

Promiſſione ex jus ſpeciale ac novum confertur ei, cui fit promiſſio. 1, 18. *Inter quos, & queiſnam in caſibus id etiam locum habeat.* ibid.

Promiſſo ex juris capaces ſunt homines omnes, qui ad rationis uſum pervenerunt. 19, 1, 2

Promiſſo qui cauſam dedit metu, cur promiſſorem liberare teneatur. 19, 4

Promiſſo regis populus, ac ſimul ejus ſucceſſores, obligantur, quatenus obligandi poteſtas ſub imperio comprehenſa eſt. 20, 6

Propoſiti, impetus & caſus diſtinctio. 11, 4, 6

Proprium quid ſervus habere poteſt, ſi quid, ſuum defraudans genium, comparſit, aut ſi quid

Digitized by Google

quid ſucciſivi temporis diligentia quæſivit. 14, 6, 2

Proviſi & improviſi diſtinctio. 11, 4, 5

Provocatio non datur arbitris lectis inter ſummas poteſtates. 20, 46, 2

Publico ac ſolenni in bello cui res hoſtium acquiratur, an ipſi populo, an ſingulis, cui depopulo, aut in populo ſunt, gravis eſt diſputatio. 6, 8

Publicum a privato alienari non poteſt. 23, 5, 1

Pudicitia jure gentium etiam in hoſte ſervanda. 4, 19, 1

Pudicitiam vi qui læſit, quamvis in bello, ut ubique pœna ſit obnoxius, inter Chriſtianos obſervari par eſt, non tantum ut diſciplina militaris partem, ſed & ut partem juris gentium. 4, 19, 2

Pudor, ut Pyrrho regerit Agamemnon, fieri vetat, quod lex non vetat. 10, 1, 2. Hoc loco pudor quidnam ſignificet. ibid.

Pueri nonnunquam idem ſignificat, quod ſervi. 14, 6, 3

Pueri ob ætatem in bello liberi ſunt a cæde. 11, 9, 1

Puerorum ætas improvida ut ludificetur, communi omnium hominum ſenſu permiſſum eſſe videtur. 1, 12

Puerorum utilitatis gratia, teſte Quintiliano, multa fingimus. ibid.

Pugnæ inutiles ſerio præcavendæ. 11, 19

Pugnare in hoſtem quod apud Romanos non liceret ei, qui non eſſet miles, non veniebat ex jure gentium externo. 18, 1, 2. Unde colligamus id ex eo non veniſſe. ibid. Venit vero ex diſciplina Romana. ibid. Ejus quænam fuerit lex. ibid.

Puniunt ſæpe potentiores, non quia æquum eſt, ſed quia ipſis expedit. 7, 6, 4

Pythagoricum, juxta Jamblichum dogma erat: Manſuetam frugiferamque arborem nec lædere, nec exſcindere, fas eſto. 12, 2, 1

Q.

QUæſtus ex ſola temporum infelicitate indignus homini Chriſtiano. 18, 4

Quinctii conſulis ſalubre mendacium erat, hoſtes ab altero cornu fugere. 1, 14, 2

R.

RAbirii in cauſa M. Tullium ut oratorem audire debemus, non ut judicem. 22, 9, 2. Rabirii hujus factum quodnam. ibid. Rabirii hujus rem quomodo egerit Cicero. ibid.

Rami olivarum muta quondam erant ſigna, ex conſuetudine ſignificantia. 24, 5

Rapere ac corrumpere res hoſtium, quos interficere nobis eſt permiſſum, jure gentium, quod Cicero permiſerit, cur non ſit mirum. 5, 1

Rapere ſecuritatis cauſa nobis licet ab hoſte poſſeſſionem rerum omnium, quæ bellum alere poſſunt. 18, 2, 2. Id vero nos agere oportet ſub onere reſtituendi. ibid. Eripi cenſentur hoſti, quæ eripiuntur ſubditis hoſtium. 6, 2, 5. Injuſto bello rapta quæ ſunt, ſunt reſtituenda non tantum ab eo, qui ipſa rapuit, ſed & ab illo, ad quem res iſta quoquo pervenit modo. 16, 1, 1

An is, ad quem commercio res aliqua, alicui ab aliquo erepta, pervenit, repetere poſſit ab eo, cui res iſta eſt ita erepta, pretium, quod ipſius ſibi parandæ gratia erogavit, eſt quæſtio. 16, 3, 1

Ratihabitione ſumma poteſtas quomodo obligetur. 22, 4, 1

Rebellibus ſubditis fides ſervanda, ſi, ut talibus, ipſis data ſit. 19, 6

Receptos poſtliminio etiam homines liberos dicebat vetus Romanorum locutio. 9, 3

Receptui canere ſimul ac audierat Chryſanta, Cyri miles, enſem, hoſti imminens, repreſſit. 18, 1, 1

Receptui datum ſignum qui negligit miles, eſt, teſte Seneca, miles inutilis. ibid.

Receptus ſigno audito, cur Laco quidam, hoſti imminens, ictum repreſſerit. 18, 1, 2

Recipere oppida aut magnos cœtus, qui civitatis partem integrantem faciunt, non licet. 20, 41, 2. Neque eos, qui ex ſacramento, aut aliter, miniſterium, aut ſervitutem debent. ibid. Introductum & idem gentium jure apud quoſdam populos de his, qui belli ſorte ſervi ſunt. ibid.

Redempti ab hoſtibus, ut primum Atticis, deinde Romanis conſtitutum eſt legibus, redemptori ſervire debent, donec pretium reddiderint. 9, 10, 2

Redemptio captivorum numeratur inter belli commercia 21, 1, 1

Redemptionis captivorum pretium quale ac quantum ſit, præciſe definiri non poteſt. 14, 9, 1. Eo de pretio quid doceat humanitas. ibid. Redemptionis captivorum pretium alibi pactis aut moribus definitur. ibid. Apud Græcos olim erat mina. ibid. Nunc inter milites eſt ſtipendium menſtruum. ibid.

Redemptionis captivorum pretium conventum, & ante mortem eorum non ſolutum, quonam in caſu debeatur ab ipſorum heredibus. 21, 29, 1. Jus exigendi pretium redemptionis captivi quin poſſit ab eo, qui captum tenet, in alium transſcribi, cur non ſit dubium. 21, 25. An ad ejuſmodi pretium captivum uti poſſit pecunia, quam clam ſecum habuit. 21, 28

Rediiſſe ad hoſtem quiſnam dicendus, & quiſnam non dicendus. 23, 13

Redimere captivos, quomodo vocet Horatius. 21, 24, 1

Redimi captivos quæ vetant leges, quales apud Romanos fuiſſe legimus, indiſtincte probare non audet Grotius. ibidem.

Regionum nomina quomodo accipienda in dubio de conditionibus pacis. 20, 23

Regnum in patrimonio qui non habent reges, ſed tanquam in uſufructu, ipſum alienare paciſcendo non valent. 20, 5, 1. Imo antequam regnum accipiant, quo tempore populus adhuc ipſis ſuperior eſt, lege publica tales actus in futurum plane irriti reddi poſſunt, ita ut nec ad id, quod intereſt, obligationem pariant. ibid. Cur id populos voluiſſe, ſit credibile. ibid.

Regnum patrimoniale quo minus rex alienet, nihil impedit. 20, 5, 3

Regnum patrimoniale ſi rex acceperit in proprietatem ſub onere ejus non dividendi, poteſt fieri, ut partem aliquam imperii alienare non valeat. ibid.

Regnum in patrimonio qui non habent reges, his vix conceſſum videtur jus alienandi bona regni, niſi diſerte id appareat ex primitiva lege, aut more, cui nunquam contradictum. 20. 5, 4

Regula de eo, quod in bello licet. 1, 2, 1. & 1, 2, 2. & 1, 2, 3. & 1, 3. & 1, 4, 1

Regulus, in carcerem rediens, non tantumglorioſe fecit, ſed & fecit, quod debebat. 23, 6. De Regulo hoc quidnam dixerit Cicero. ibid.

Regulus in ſenatu dicere ſententiam cum recuſavit, quidnam dixerit. 20, 3, 2

Relatio quoties fit ad pactum antecedens aut vetus, toties repetita cenſentur qualitates aut conditiones, priore pacto expreſſa. 20, 24

Religio apud victos ſi falſa, quidnam incumbat victori. 15, 11, 2

Religionis avitæ uſus non eripiendus victis, niſi perſuaſis. 15, 11, 1

Religionis avitæ circa uſum id obſervari, victis, pergratum, victorique nequaquam eſt noxium. ibid.

Religione non, at pudore & obtrectatorum metu templo Hieroſolymitano, pepercit Pompejus. 5, 2, 5

Religione pro qua facit, ſummam eſſe rationem ajunt juriſconſulti. 12, 7, 1

Religioſa loca non ſunt mortuorum, ſed viventium, ſive populi alicujus, ſive familiæ. 5, 3. Ab hoſtibus capta, deſinunt, teſte Pemponio, eſſe religioſa. ibid.

Religioſa nobis non ſunt, teſte juriſconſulto Paulo, ſepulcra hoſtium. ibid. Lapides, inde ſublatos, in quemlibet uſum convertere poſſumus. ibid. Quomodo id tamen, & cur id ita ſit intelligendum. ibid.

Religioſis ac ſacris locis, ut & iis, quæ in honorem mortuorum ſtructa ſunt, in bello eſt parcendum. 12, 7, 1. Illa ſi violemus, omnem humanitatem contemnimus. ibid.

Repetitione cum rerum ubi conjungitur belli denuntiatio, eſt ea belli denuntiatio conditionata belli denuntiatio. 3, 7, 1

Repetuntur ſi res bello, poſt indictionem ejus tempus poſtulatur. 3, 13

Repreſſaliarum facultas impetrari a principe ſolet. 2, 7, 3

Repreſſaliarum jus quidnam vocent recentiores juriſconſulti. 2, 4. Illud quomodo appellent Saxones & Angli. ibid. Quomodo Galli. ibid. Locum, ut ajunt juriſconſulti, quando habeat. ibid.

Repreſſaliarum jura alia ſunt juris gentium, alia juris civilis. 27, 3

Repreſſaliis qui culpa ſua cauſam dederunt, tenentur eos, qui damnum paſſi ſunt, indemnes præſtare. 2, 7, 4

Repreſſaliis jure gentium cur ſubjaceant omnes injuriam facientes ſubditi, qui tales ſunt ex cauſa permanente, ſive indigena, ſive advena. 2, 7, 2. Iis eodem jure non ſubjacent ii, qui tranſeundi, aut mora exigua cauſa, alicubi ſunt. ibid.

Repreſſaliis jure gentium non ſubjacent legati, non miſſi ad hoſtes noſtros. ibid. Nec res eorum. ibid.

Repreſſaliis a jure civili populorum ſæpe excipi ſolent perſonæ mulierum & infantium; eorum vero, qui literis operam dant, & ad mercatus veniunt, etiam res. 2, 7, 3

Repreſſaliis incitari jure civili ſolent ii, quorum intereſt reſpublica auctoritate dividendi, addicive iis, quorum intereſt. ibid.

Repreſſaliis de ſcripſit Bartolus. ibid.

Res rapere more belli quando liceret quondam apud Romanos. 4, 1,

Res rapere, veteres dicebant lædere, etiamſi rapina nullum crimen exiſteret. ibid.

Res reddere, veteres dicebant ſatisfacere. ibid.

Res etiam poſſunt capi in compenſationem debiti, in bello ſubnaſcentis. 1, 3, & 13, 3

Res hoſtium perdere quouſque liceat juſtitia interna. 12, 1, 1

Res aliqua belli jure noſtra ut fiat, requiritur, ut ea fuerit hoſtium. 6, 5

Res, quæ apud hoſtes quidem ſunt, puta in oppidis, aut intra præſidia eorum, ſed quarum Domini nec hoſtium ſubditi, nec hoſtilis ſunt animi, bello acquiri non poſſunt. ibid.

Res hoſtiles cenſeri res, in hoſtium navibus repertas, quomodo debeat accipi. 6, 6

Res in rebus mobilibus dicuntur captæ, ubi intra fines, id eſt præſidia, hoſtium perductæ. 6, 3, 1

Res amittitur eodem modo, quo poſtliminio redit. ibid.

Res rediiſſe dicitur, ubi intra fines imperii eſſe cœpit. ibid.

Res, nondum perducta intra hoſtium præſidia, licet ab hoſtibus ſint occupata, non mutant Dominum, ſi jus gentium reſpiciamus. 9, 16

Res, quas piratæ aut latrones eripuere nobis, cur, teſtibus Ulpiano & Javoleno, non opus habeant poſtliminio. ibid.

Res, a latronibus aut piratis nobis erepta, vindicari poſſunt, ubicunque reperiuntur. ibid. Quando, cui & quantum ex jure naturali pro earum recuperatione aliquando ſit perſolvendum. ibid.

Res ſuas omnet, ſive corporales, ſive incorporales, quas habuerat apud populos pacatos, cur acquirat ſibi liber homo, poſtquam ad ſuos rediit 9, 6, 1

Res alicujus perdit is, qui perdit hominem, cujus ea res erant acceſſio. ibid.

Res civium, bello amiſſas, reſtaurare tenetur civitas, ſi ob delictum civitatis captæ fuerint. 20, 8

Res civium, quas habent jure gentium, an eis ſine cauſa & compenſatione poſſint auferri

ferri jure ſupereminentis Dominii. 20, 9

Res, quæ non ſunt hoſtium, etiamſi intra præſidium eorum venerint, non fiunt hoſtium. 6, 5

Res, quæ non ſunt hoſtium, cur, etiamſi apud hoſtes reperiuntur, non fiant capientium. 6, 26

Res mobiles poſtliminio non redeunt, ſed in prædâ ſunt. 9, 14, 1

Res hoſtium, quas detinemus ad ſecuritatem, ſunt, periculo ceſſante, aut in ſe, aut in pretio ſuo, reſtituendæ. 13, 1, 1

Res hoſtilis poteſt acquiri, cum debetur nobis aliquid aut ob inæqualitatem rerum, aut ex pœna. 13, 1, 2. *Cur tamen cum diſcrimine.* ibid.

Res in ſubditorum quale jus gentium conſenſu proditum non videat Grotius in debendi genere, quod pœnale eſt. 13, 2

Res ſubditorum hoſtilium non poterunt acquiri pœnæ nomine, ſed eorum duntaxat, qui ipſi deliquerunt. ibid. *Eorum in numero quinam etiam contineantur.* ibid.

Res in ſingulorum ſtatuere pacis cauſa quid poſſint qui reges ſunt, diſputari ſolet. 20, 7, 1

Res in alicujus ſi pacis cauſa quid ſtatutum eſt a magiſtratu, civitas tenetur ei, qui ſuum amiſit, de publico ſarcire damnum. 20, 7, 2. *Hoc ad ſarciendum damnum, etiam quid contribuere debet is, qui damnum illud eſt paſſus.* ibid. *Ei damno ſarciendo ſi impræſentiarum civitas non ſit par, eo non levatur onere.* ibid. *At poſt præſtare debet, quod in hoc rerum ſtatu effectum dare nequit.* ibid.

Res privatorum niſi ex publica utilitate concedantur, quænam & cur illa inſpectio regem ſpectet & ſubditos. 22, 10

Res mobiles, ad bellum utiles, poſtliminio cur recuperentur. 9, 14, 1

Res ſicut Domino reddendæ ſunt, ita & populi & partes populorum his, qui jus imperii habuerant, aut etiam ſibi, ſi ſui fuerant ante juris vim injuſtam. 16, 4

Res, bello injuſto capta, ſi commercio ad aliquem pervenerit, an poſſit is, ad quem ea commercio pervenit, ei, cui eſt erepta, pretium, a ſe numeratum, imputare. 16, 3, 1. *In quantum id ſit conſentaneum.* ibid.

Res ſubditorum ſub eminenti Dominio civitatis ſunt. 20, 7, 1. *Dominii ejus eminentis ratione civitas, aut qui civitatis vice fungitur, iis uti, eaſque etiam perdere & alienare poteſt, idque non tantum ex ſumma neceſſitate, ſed & ob publicam utilitatem.* ibid.

Res, ubi, ut loquitur Pomponius, perſecutionem effugerit, cenſetur capta. 6, 3, 1

Rei, bello amiſſa, cauſa, cur nulla adverſus civitatem ſit actio. 20, 7

Rem cepiſſe is intelligitur, qui ipſam ita detinet, ut recuperandæ illius probabilem alter abjecerit ſpem. ibid.

Re pro una quoties res alia, aut pro debito quoties res debitoris invaditur, multoque magis, ſi res eorum, qui debitori ſubditi ſunt, occupare quis velit, cur requiratur interpellatio, qua conſtet, alio modo fieri nequire, ut noſtrum, aut nobis debitum, conſequamur. 3, 6, 2

Rerum cum repetitione quæ conjungitur belli denuntiatio, eſt conditionata belli denuntiatio. 3, 7, 1

Rebus, ejus naturæ, ut ad bellum ducendum, faciendumve, nihil momenti habeant, in bello parcendum, docet ratio. 12, 5

Reſciſſoria actio ex poſtliminio apud Romanos. 9, 10, 3

Reſiſtentia obſtinata non ſufficit ad jus internum occidendi reſiſtentem. 11, 16, 1

Reſpublica aut civitas non deſinit eſſe reſpublica aut civitas, ſi quid admittat injuſtum. 3, 2, 1

Reipublicæ perſonam ſuſtinent, ejuſque vice funguntur ſinguli in iis, quæ capiunt actu bellico. 6, 14

Republica, ad ſuam accommodata, uti quondam Lacedæmonii & Athenienſes captas volebant civitates. 15, 8. *Ejuſmodi mutationes an ad victoris ſecuritatem faciant, inſpectionis ſuæ non eſſe, ait Grotius.* ibid.

Reſtitutio rerum captarum in bello in jure dubio quomodo temperanda. 16, 6

Reſtitutio rerum, bello injuſto captarum, an exigi poſſit ab iis, qui eas juſto titulo poſſident. 10, 6, 1

Reſtitutio rerum, bello injuſto captarum, ſi exigatur ab iis, qui eas juſto titulo poſſident, poſſunt ii, qui res iſtiuſmodi ſic tenent, ſi earum comparandarum cauſa quid ſumptus aut operæ impenderint, deducere tantum, quantum Domino valebat adipiſci deſperatam illarum poſſeſſionem. 10, 6, 2

Reſtitutio rerum, bello injuſto captarum, exigi poteſt ab eo, cui res iſtæ ſunt ereptæ, ſi, commercio res tales ubi ad aliquem pervenerint, erogare velit pretium, quo jam poſſidens eas ſibi comparavit. 16, 3, 1

Reſtitutionis rei obligatio interna quanto temporis ſpatio poſſit extingui, ſolet quæri. 16, 5. *Hæc quæſtio quomodo definienda inter ejuſdem imperii cives.* ibid. *Quomodo inter cives imperii diverſi.* ibid.

Reſtitutionis ex bello injuſto datur obligatio. 16, 3. & 16, 4

Reſtitutionem ad damni, injuſto bello illati, quinam teneantur. 10, 4

Reſtitutionem, in pacis conditionibus promiſſam, ſi neceſſitate quapiam facere nequeamus, non cenſeri debet pax rupta. 20, 37. *Ejus rei quænam ſit ratio.* ibid. *Tali in caſu quidnam faciendum ei, cui promiſſa ea non ſit reſtitutio.* ibid.

Reſtitutionem facere cur non teneatur populus, qui, ſui juris, ſe bellantium alteri ſubjecit. 20. 14.

Reſtitutionem ad ſufficit culpa ſine dolo. 10. 5. 1.

Reſtitutionem rerum, injuſto bello quæſitarum, facere oportet eos, qui eas ceperunt. 16. 1. 1. *Cur ea & facienda ab iis, ad quos res iſtæ pervenerunt modo quopiam.* ibid.

Reum manifeſtum judicii imminenti eximens, crimen committit. 1. 5. 3.

Rex, qui militibus non ſolvit ſtipendia, quæ ipſis debet,

debet, non tantum tenetur militibus de damnis, inde ſecutis, ſed & ſubditis ſuis & vicinis, quos milites, inedia coacti, male habuerunt. 17, 2, 6

Rex, qui ætatis eſt ejus, quæ judicii maturitatem non habet, pacem facere non poteſt. 20, 3, 1. *Ut nec rex, qui eſt mentis imminutæ.* ibid. *Ut nec rex, qui eſt captivus, ſi modo regnum ex conſenſu populi ortum habet.* ibid. *Cur poſtremus ille rex pacem facere non poſſit.* ibid.

Rex captivus ſi quid pepigerit de his, quæ privatum ſua ſunt, valebit pactum. 20, 3, 2

Rex exul an pacem facere poſſit. ibid.

Rex injuſtus non facit ut nulla ſit reſpublica. 3, 2, 2

Rex, qui eſt in ſtatu vere regio, id eſt, rex, qui non habet jus impeditum, pactiones, bellum finientes, inire poteſt. 20, 2

Regis Laji cædem vindicaturus, ait apud Sophoclem Oedipus: κείνῳ προσαρκῶν ὖν ἐμαυτὸν ὠφελῶ. 4, 18, 5

Regis Darii victi tabernaculum intactum reliquere Macedones, idque ea de cauſa, ut, teſte Curtio, victorem regis victi tabernaculo exciperent. 6, 24, 4

Regis victi coronam regi victori imponebant Hebræi. ibid.

Regi tuenda eſt maxime regum ſalus. ibid.

Regem ſuum occidere ſubdito non licet. 1, 21

Regem neminem, quem armis cepiſſent, vita privarunt Romani veteres. 11, 7, 2

Reges quomodo obligentur ex bello injuſto. 18, 4

Reges, qui in more habent dicere: hoc mihi licet; *non vero:* hoc me decet, *caſtigat Muſonius.* 4, 2, 2

Regum vita ab armis ante alios defenditur. 4, 15, 1. *A veneno minus, quam aliis rebus, tuta eſt, niſi defendatur juris aliqua religione & metu infamiæ.* ibid.

Regibus Lacedæmoniis reverentia dignitatis manus abſtinuere Græci hoſtes. 11, 7, 2

Roma quendam communis patria. 15, 3

Romani, Cicerone, aliiſque, teſtibus, in victoria æquo aſperiores fuerunt. 11, 8, 3

Romani veteres in bello dolis abſtinebant. 1, 20, 3

Romani honeſtiſſimas eas atque juſtiſſimas credebant poſſeſſiones, quas belli lege captas haberent. 6, 7, 2. *Induci non poterant, ut ſtulta facilitate delerent virtutis monumenta, alicui reddendo aliquid, quod ei ſemel perierat.* ibid. *Poſſeſſiones ſuas non tantum tunc viventibus communicandas, ſed & poſteris relinquendas, cenſebant.* ibid. *Parta relinquende, in ſe conſtituere nolebant, quæ in hoſtes conſtitui ſolerent.* ibid. *Arbitrabantur ea, quæ quis, hoſtibus erepta, virtute quæſierat, optimo jure propria ad poſteros tranſmitti.* ibid. *Belli jure capta quæſitaque poſſidere, judicabant jus, non a ſe inſtitutum, ſed a Diis verius, quam ab hominibus, profectum, omniumque gentium, tam Græcarum, quam Barbararum, uſu probatum.* ibid. *Alicui per ignaviam aliquid concedere, partiſve bello abſiſtere, nequaquam rationi conſonum, opinabantur.* ibid. *Virtute ac fortitudine quæſita, per formidinem aut ſtuporem amittere, dedecus cenſebant.* ibid. *Armis aliquid acquirere, juſtiſſimam acquirendi legem ducebant.* ibid.

Romani dare Tigrani nolebant regnum, quod tueri non poſſet. 6, 7, 3

Romani pro ſuis habuerunt eas Galliæ partes, quas Gallis eripuerant Cimbri. ibid.

Romani ſuos in populares, captivos, quod fuerint duri, ex eo colligimus, quod habuerint leges, captivos redimi, vetantes; quod captivi nulli civitati viliores, quam Romanæ; quod Romana civitas, teſte Livio, jam inde antiquitus in captivos minime indulgens fuerit, & quod Horatius captivos redimere vocet conditiones fœdas, exemplumque, perniciem trahens. 21, 24, 1

Romanorum in inſtitutis culpatum, quod illa omnia nimis eſſent directa ad res bellicas, quaſi in illis ſolis conſiſteret civitatis ſalus. 25, 6

Romanorum jus de poſtliminio. 9, 10, 1. & 9, 10, 2. & 9, 10, 3. & 9, 10, 4

Romanorum jus de captivis redemptis. 9, 11, 1. & 9, 11, 2. & 9, 11, 3. & 10, 2

Romanorum jus pro iis, qui poſtliminio redierunt. 9, 10, 1. & 9, 10, 2. & 9, 10, 3

Romanorum lex circa res captas. 13, 4, 4

Romanorum mos de agris captis. 6, 11, 2

Romanorum mos circa prædam. 6, 14, 4

Romanorum mos circa reges captos. 11, 7, 2. & 11, 7, 3

Romanorum veterum prudens modeſtia permiſcuit, teſte Seneca, victoribus victos. 15, 3

Romulus, Claudio apud Tacitum teſte, populos pleroſque eodem die & hoſtes, & cives habuit. 15, 3

S.

Sabbati in inſtitutione lex Hebræa quidnam ſpectarit. 14, 5, 1

Sacerdotibus & eorum aſſeclis parcendum in bello. 11, 10, 1

Sacra corrumpi an poſſint jure belli. 5, 2, 1. & 5, 2, 3

Sacra quo ſenſu publica. 5, 2, 2

Sacra in deditione comprehenduntur. 5, 2, 1

Sacra hoſti ſacra an ſint. 5, 2, 4

Sacra populi voluntate profana facta. 5, 2, 3

Sacra ſunt res, Deo aut Diis dicata. 5, 2, 1. *Sic dicuntur a fine.* ibid. *At revera ſunt publica.* ibid. *Non eripiuntur uſibus humanis.* ibid. *Neceſſitate & uſu poſtulante, in profanes uſus converti poſſunt.* 5, 2, 3. *Et plane alienari.* 5, 2, 2. *Capiuntur.* ibid. *Capta fiunt profana.* 5, 2, 1. *Deduntur.* ibid. *Vaſtantur licite, quoad jus gentium abſolutum.* ibid. *Impune per jus gentium violantur.* 12, 6, 1. *Conſervari ea quidnam ſuadeat.* ibid. *Ea inter quoſnam conſervari oporteat.* ibid.

Sacramento adigebantur apud Romanos non tantum imperatores, ſed & milites, prædam in publicum deferre. 6, 21, 3

Sagmina. 3, 8

Sceleratum inter populum, eos, qui, cum populus non ſunt, ſceleris cauſa coëunt, eſt diſcrimen. 3, 2, 3

Scien-

Digitized by Google

INDEX RERUM.

Scientia magiſtratus in ſceleribus ſubditorum unde appareat. 20, 30

Scholaſticorum interpretationes tacita ab omni uſu quantopere abherreant. 1, 17, 3

Scortari apud populos multos licet. 4, 2, 2

Securitati victorum interdum ſimul cum conceſſione imperii conſultum. 15, 5

Senes excipiuntur bellicis calamitatibus. 11, 9, 4

Sententia etiam injuſta exſecutionem vi impedire, aut contra eam vi jus ſuum exſequi, licite non poſſunt, ob imperii in ipſos efficaciam, ſubditi. 2, 5, 1. *Exteri vero quale jus cogendi habeant.* ibid.

Sepultura an debeatur his, qui ſe occiderunt. 19, 5, 1, 3

Sepulturam concedere an ſit nota victoria. 20, 54

Sermo ambiguus ex circumſtantiis vel licitus eſt, vel non eſt, 1, 1, *vide* colloquium.

Sermonem cogere, mutare, pars mixti imperii. 8, 3

Servitus quo ſenſu contra naturam dicatur. 7, 1, 1

Servitus ob redemptionem ex captivitate quando jure Romano deſinat. 9, 10

Servitus oritur pacto aut ex delicto juſto. 7, 1. *Eorum qui bello capiuntur, continet perpetuam obligationem operarum pro alimentis.* 14, 2. *Eorum qui in ſervitutem ſe dediderunt, qualis, & quale jus dominis dederint.* ibid.

Servitus jure gentium etiam in filios derivatur, & qua ratione. 14, 8

Servitutis plures gradus. 14, 6. *Ejus inſtrumenta Reges.* 15, 9. *In ſervitutem privatam licet cuique addicere.* 7, 11. *Parentes filios vendere poſſunt, aliquo caſu.* 14, 8

Servitutis bellica cauſa. 7, 5, 1

Servus mercedem laboris ſui an ſumere poſſit. 7, 6, 4

Servus reſiſtere an licite poſſit Domino. 7, 7

Servus inſtrumentum Domini, & membrum minus dignum familia, atque ſubdito quo ſenſu ſimilis dicatur. 14, 3. *Quorſum pertineat Apoſtolorum monitum, ne ſervi fugiant.* 7, 6

Servus in ſui venditionem hoc caſu proclamare poterat apud Græcos, apud Latinos ad ſtatuas fugere. 14, 6

Servus natura nemo eſt. 7, 1

Servus recipitur, etiamſi animum res noſtras ſequendi non habeat. 9, 11, 1

Servus mercenario comparatur. 14, 2, 2

Servi fratres noſtri. 14, 2, 3

Servi ad operas urgendi moderate. 14, 5, 1

Servi quo caſu fugere poſſint. 7, 6, 1

Servi transfugæ recipiuntur poſtliminio. 9, 11, 1

Servi quando poſtliminio recipiantur. 9, 11, 3

Servi etiam manumiſſi poſtliminio recipiuntur. ibid.

Servi etiam vocabulo olim humaniores abſtinebant. 14, 5

Servi redemti quodnam jus apud Romanos. ibid. & 10, 2

Servi res ſiunt Domini. 7, 3, 2

Servis Romæ licebat ad ſtatuas confugere. 14, 6, 4

Servo Dominus quæ præſtare debeat. 14, 5, 1, 3. *In ſervum jure Gentium omnia licent.* 7, 3. *Non etiam juſtitia interna.* Vide jus vitæ & necis.

Servorum nati ſequuntur matrem. 7, 2

Servorum filii qui & quatenus Domino teneantur. 14, 8

Servis injuria ſi qua infertur, non ſtatim Domino cenſetur illata. 20, 40. *Ex ſervis naſcuntur ſervi jure Gentium.* 7, 2. & *quare.* 7, 5. *In ſervos lenitas adhibenda.* 14, 4. *Jus vitæ & necis in eos quale.* 14, 3. *In ſervos jus vitæ & necis Dominorum quale.* 7, 3. & 14, 3, 1

Servos Romana lex bello arcebat, ſed circa ſervos Francorum jus & Hebræorum. 7, 8

Signa quædam muta obligant. 24, 5. *Voluntatis ſufficientia.* Vide voluntas.

Signis hoſtium uti licitum. 1, 8, 4

Silentio an conveniri quædam poſſint. 24, 1

Simulatio quid. 1, 8

Simulatio an ſemper injuſta, adeoque e vita tollenda, ut putavit Cicero. 1, 3

Simulatio quæ licita. 1, 7

Societas quid, & an nobis nulla ſit cum privatis aut prædonibus, ut putavit Cicero. 19, 2. vide prædo. *An cum tyranno.* ibid. *An cum infidelibus ſocietas fœdere contrahi poſſit.* ibid. vide fœdus

Societas naturalis quæ dicatur. 19, 1

Societatis naturalis vis pridem in multis gentibus exſtincta. 9, 10

Societas a civitate in quo differat. 21, 7

Socius defendere ſocium quibus cauſis non cogatur. vide auxilium.

Socii qui ſint in jure poſtliminii. 9, 2, 1

Socii quando partem habeant in præda 6, 24, 2

Sociis illata vis quando pacem rumpat. 20, 33

Socii in bello injuſto de damnis tenentur, interdum & puniri poſſunt. 1, 3

Socii Romanorum quales fuerint. 3, 4

Sociis hoſtium bellum an ſit indicendum. 3, 9

Sociis illius, cum quo pax inita, rebellantibus, an rupta pax cenſeatur. 20, 29. *In ſociis, qui in pace comprehenſi ſunt, pax rumpitur ſi imperantur.* 20, 32. *Hoſtium quo jure pœna exerceatur.* 1, 3. *Ad quos ſociorum pax inita pertineat.* 20, 33

Sollicitare ſubditos alienos non licet. 1, 21

Sorte quibus caſibus bellum finiri poteſt. 20, 42

Sparta. vide Lacedæmon.

Spolia hoſti detracta quorum ſint. 6, 12, 2

Spoliare hoſtem licet jure gentium. 5, 1

Sponſio ad nihil obligat eum qui ſummum habet imperium niſi tacite. 24, 6

Sponſoris periculum miſerabile. 3, 4

Spurius. vide Nothus.

Status pactis mutari poteſt. 19, 10

Stipendium bene ſolutum, militem modeſtum efficit. 17, 2. *Ob ſtipendium non ſolutum Rex tenetur militi & ſubditis, quibus ea occaſione damnum datum.* ibid.

Studioſis litterarum parcendum in bello. 11, 10, 2

Stupra cum fœminis hoſtium, quæ jure permiſſa ſunt, quæ non. 4, 19

Stupra an contra jus gentium in bello. 4, 19, 1

Subditi non obligantur ex contractu magiſtratuum ante ejus publicationem. 21, 5. & 22, 6
Subditi non tenentur ex delicto civitatis in qua commorantur. 2, 7
Subditi hoſti militantes, an pacem rumpant. 20, 31
Subditus cogi poteſt, ut obſes eat, & quomodo. 20, 52
Subditos alienos ſollicitare non licet. 1, 21
Subditi hoſtium ubique offenduntur jure belli. 4, 6, 8, 1
Subditi reddendi ſuperioribus ſi bello injuſto abſtracti ſint. 14, 4
Subditis illata vis pacem rumpit. 20, 32
Subditis alterius, qui pirata ſint, vis illata, pacem non rumpit. ibid.
Subditis bellantibus promiſſa an teneant. 19, 6
Subditis interdum præda conceditur. 6, 24
Subditorum bona obligantur jure gentium pro debito civitatis. 19, 19. & 13, 1
Subditis bellare contra magiſtratum nullo jure licet. 19, 6. *Bella pro ſubditis gerere, vitamque eorum defendere Civitas & Rex tenetur magis, quam ut eas rationes poſſit omittere, quæ ad ipſorum tutelam maxime ſunt naturales.* 20, 42
Subditorum libertas obligatur ex facto ſuperiorum. 2, 2, 1, 2
Subditorum factum an pacem rumpat. 20, 30
Subditorum innocentium res in pœnam non recte capiuntur. 13, 2
Subditos ſuſcipere migrantes, non eſt contra pacem, quæ amicitiam complectitur. 20, 41
Subjectio civilis. 8, 1, 1
Subjectio herilis. ibid.
Subjectio mixta. ibid.
Subjectio jus eſt in perſonam. Vide Lex. *quotuplex.* ibid. *Fit vel ex delicto vel conſenſu.* ibid.
Subjectio publica vocatur etiam civilis. 8, 1
Supplices ut defendantur, eſt ex jure gentium. 2, 3. *Sed hoc jus ad eos tantum pertinet, qui fortuna tales ſunt, non culpa ſua.* 2, 3.
Suppliciis affecti Reges. 11, 7
Supplicibus parcendum. 11, 15
Supplicum jus in bello quale. 11, 3, 1
Supplices an belli jure occidantur. 4, 11
Suum nemo temere credendus eſt jactare. 20, 5. *Suo minus ſumere an puguet cum juſtitia? in dubia ad eam partem magis inclinandum, quæ alteri quam quæ ſibi conſulit.* 1, 4.

T.

Tale natura eſſe, quomodo quid dicatur. 7, 1
Talio quæ in bellis ſic vocatur, plerumque injuſta. 4, 13
Talio non tranſit perſonam. 11, 16, 2
Tarquinii factum in Gabiis an juſtum fuerit. 24, 2
Templa vaſtare injuſtum jure naturali, etſi ab iis fiat qui in quibuſdam circa religionem diſſentiunt. 12, 8
Templa licet vaſtare jure belli. 5, 3
Templa an jure talionis vaſtare liceat. 12, 17
Templum Hieroſolymitanum intravit Pompejus, incendit Titus. 5, 2, 4
Templi Hieroſolymitani religio. 5, 2, 4
Templa Gentium a Judæis incenſa. ibid.
Templis parcendum eſt. 12, 6, 1. & 2, 5, 1
Teneri bello quæ intelligantur. 20, 12, 2
Termini ſacra ſine ſanguine. 15, 7, 1
a Termini ſacris Numa quare ſanguinem abeſſe voluit. 15, 4
Terminorum duo genera. 21, 4, 3
Terminus naturaliter is eſt, qui pars eſt rei. 21, 4. *A quo, non eſt intra menſuram naturaliter ut alter.* ibid.
Termini promoveri injuſte poſſunt, etiam in juſto bello. 15, 2
Termini non ſemper promovendi quoties etiam juſte poſſunt promoveri. 15, 7
Terra hoſtili quare parcendum. 12, 1, 2. 2, 1. 3, 1. 4, 1. 5, 1. 8, 1, 2
Territorium unde dictum. 6, 4
Terror non ſufficit ad jus internum occidendi. 11, 16, 1.
Tertio, qui metum non incuſſit, facta promiſſio tenet. 19, 3
Teſtamentum ſolennitate aliqua defectum quem effectum habeat. 7, 6, 2
Teſtamenti factione an prohibeantur obſides. 20, 53
Teſtamentum nullum eſſe quo jure dicitur quod ſolennitatibus quibuſdam caret. 7, 6. *An ex tali teſtamento, ſalva pietate, quid poſſit capi.* ibid. *Quaſi teſtamentum, cujus faciendi jus ſervis dabatur.* 14, 6
Theodori Ætoli factum. 4, 18, 1
Tibarenorum generoſitas. 1, 20, 3
Timothei ducis moderatio. 12, 2, 2
Titus templum Hieroſolymitanum incendit. 5, 2, 5
Tradere ſe in fidem, quid. 20, 50, 3
Transfugæ jure Romano poſtliminium non habent. 9, 10, 1
Transfugæ ſervi poſtliminio recipiuntur. 9, 11, 2
Transfugæ ab his, a quibus transfugerunt, occidi ſolent. 11, 16, 1
Transfugæ jure belli recipiuntur. 20, 12
Transfugæ in dubio non reddendi. 20, 12, 1
Transfugas admittere licet. 1, 22
Tranſitu in conceſſo vis omnis abeſſe debet. 17, 2
Tribuni ſacroſancti quomodo facti. 19, 8, 2
Tributa retro debita an peti poſſint ab eo, qui pacto quodam ſucceſſit in jus ejus cui debebantur. 20, 22
Tributa juſte imponuntur devictis gentibus, tam ad ſecuritatem, quam ad reſtitutionem ſumtuum. 15, 6
Tributa juſte imponuntur ſubditis, cum ob dubium de belli juſtitia bellare nolunt. *l.* 2, *c.* 26, 5. & *l.* 3, 15, 6
Tributorum indictio ad victoris utilitatem. 6, 15
Tullii Hoſtilii dolus. 1, 14, 2
Tutela: qui ſeſe in tutelam alicujus dat, tacite obligatur, ne quid faciat contra eum ſtatum. 24, 2. *In tutelam receptus nihil debet agere noxium ſtatui ejus, a quo receptus eſt.* ibid.
Tyrannus titulo. vide Invaſor.

Tyran-

Tyrannus an obliget populum aut verum Regem per contractus. vide Contractus.
Tyranno an juſjurandum ſervandum. Vide juſjurandum.
Tyranno fides debetur. 19, 2
Tyrannorum liberi injuſte afficiuntur pœnis, metu ne ſimiles evadant, aut cadem ſuorum vindicent. 21, 13. An in Tyrannorum uxores adulterium committatur. 19, 2
Tyrannici imperii deſtructio ſeditioſa eſſe poteſt, nam in tyrannide multa bona leges eſſe poſſunt. 3, 2

V.

Valerii Levini dolus. 1, 17, 1
Vaniloquentia interdicta Chriſtianis. 1, 2
Vaſallus, qui non idem ſubditus, cogi non poteſt ut eat obſes. 20, 52
Vaſallus an obſes dari poſſit a Domino feudi. ibid.
Vaſtatio. vide Populatio.
Vela candida. 24, 5
Velle ea quomodo Deus dicatur, quæ tamen non efficit. 1, 8
Venditio captivi an vim habeat ſi in loco pacato vendatur, & an ei jus ſit poſtliminii. 9, 2, Quid ſi ad ſuos venditione pervenerit. ibid. 9. 5
Veneno interficere jure gentium vetitum. 4, 15
Veneno interficere tela an liceat. 4, 16
Veneno inficere aquas an liceat. 4, 17
Venia digna quæ. 11, 4, 4, 7
Venire, & mittere, diverſa. 21, 16
Venire cui permiſſum, an quem ſecum ducere poſſit. 21, 17
Verberibus ſervi nimium non afficiendi. 14, 4
Veriloquium quo ſenſu ad juſtitiam a quibuſdam referatur. 1, 11
Veriloquium non ita neceſſarium ad juſtitiam ut magnanimum. 1, 20. Bello tolli fortaſſis aliquatenus potuit. 19, 1
Veritas juſtitiæ pars. 1, 11, 2
Veſtis apud Romanos poſtliminio non recepta. 9, 14, 2
Veſtium nomine arma non veniunt. 2, 3, 12
Victi clementer habendi. 15, 12
Victi victoribus permixti. 15, 3
Victis eripere nihil niſi quod pacem impedit, laudabile. 15, 2, 1
Victis relictum ſuum imperium. 15, 7
Victis imperium relinquere generoſorum eſt. 15, 4
Victis imperium relinqui ſolet locis quibuſdam detentis. 15, 5
Victis imperii pars relicta. 15, 9
Victis permiſſa ſua leges & magiſtratus. 15, 10 ſua religio permiſſa. ibid. §. 11
Victor curare debet, ut religio vera libere prædicetur. ibid.
Victor quis dicendus. 20, 45
Victoria unde cenſenda. ibid.
Victoria jus an juſtitia interna non extendi poſſit ultra modum debiti, & periculi neceſſitatem. 15, 1
Victoriam non voluit furari Alexander. 1, 20
Poſt Victoriam res eorum qui victi ſunt vaſtare, injuſtum. 12, 2
Victoris officium in eos qui ſe dedunt. 20, 49, 2
Victus quis. 20, 15
Victi bello ſolenni jure gentium nihil non habent patiendum. 20, 49. Romani nihil adimere ſolebant præter injuriæ licentiam. 15, 2. & 20, 50
Vi reſiſtere ſummis Magiſtratibus pium non eſt. 7, 7
Vindicatio, vide Ultio.
Viriati moderatio. 12, 4, 3
Vis ac terror, propria bellorum. 1, 6
Vis ubi juſta, eſt punitio. 1, 2
Vis major liberat a pœna. 21, 9
Vis pœna ergo licita. 1, 2, 3
Vita hominis Chriſtiani pluris eſſe debet quam res ſua. 2. 6
Vita innocentis recte ſervatur per mendacium. 1, 16
Vita an obligari poſſit. 2, 6
Vita tuendæ cauſa mentiri an liceat. 1, 16
Vitæ jus plenum in ſe nemo habet. 2, 6
Vitæ ſuæ quemque eſſe ſummum dominum, gentium eſt opinio. 2, 6. & 3, 20, 43
Vitæ pactio libertatem non comprehendit. 23, 12
Vitam ſervare ſi nequeam aliter, licet mihi eam impetentem arcere vi quacunque, etiamſi ſit innocens. 1, 2
Vitta. 24, 5
Univerſitas manet etiam cum ſinguli intereunt, jure gentium voluntario. 2, 2. Vide Debitum. Non qua ſinguli, ſed qua pars ſunt univerſitatis. 2, 1.
Univerſitatis res cui acquirantur in bello. 8, 4
Voces an naturalia ſigna. 1, 8, 1
Voces naturaliter nihil ſignificant. 1, 8
Voces omnes ambiguitatem admittunt. 1, 17
Voces repertæ ſunt ad ſignificandum, cum obligatione mutua. 1, 8
Urbes quædam a Deo excidio damnatæ: quare. 12, 2, 4
Uſuſfructus proprie ita dictus non eſt earum rerum, quæ uſu pereunt, jus tamen utendi iis eſt æſtimabile. 12, 20
Uti opera oblata licet, etſi offerenti illicita. 1, 21, 22. & 2, 26, 5, 1
Utile factum. Vide Factum utile.
Utilitas ſola non eſt juſta cædis cauſa. 11, 16
Utilitas privata ut cedat publicæ videntur voluiſſe qui cœtus civiles inſtituere. 20, 7
Utilitas publica jus dat in bona privatorum. 20, 7. Si in quibuſdam caſibus ſpectanda quibus eam ſpectare jus ſit. 20, 10.
Utilitas ſervi ſubeſt utilitati Domini. 14, 6
Utilitas publica alienando bona ſubditorum pacis cauſa, quo ſenſu requiratur. 20, 7, 1. & 10, 1
Utilitas belligeranti ex abſtinentia populationum. 12, 8, 1
Utiliter quod geſtum eſt, valet, quomodo intelligendum. 22, 3
Uxor virum non ſequitur, niſi in jure commorandi. 21, 17. Vide Domus.
Uxor ne pro marito. 2, 1

IN DEX RERUM.

W.

WIthernamium jus. 2, 4

X.

XErxis & Artabazanis controverſia. 7, 29

Y.

ΥΠερβολὴ figura qualis. 1, 13, 1

Z.

ZElandorum jus circa alluviones. 8, 15, 1

Zizania ſinenda ad meſſem. 1, 4, 2

Zopyrus perfidia non caruit ob fidem Regi ſuo præſtitam. 24, 2

F I N I S.

ANT 1317719

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

XVII
f 3 4